CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. LEO XIII,

UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT.

COMMENTARIORUM IN V. T. PARS III

IN

LIBROS PROPHETICOS

I. 1

ISAIAS PROPHETA

COMMENTARIUS

IN

ISAIAM PROPHETAM

AUCTORE

IOSEPHO KNABENBAUER S. I.

Cum approbatione Superiorum

PARS PRIOR CAP. 1-37 COMPLECTENS



PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

4, VIA « CASSETTE », ET VIA « DE RENNES », 75

1887

LEONI · XIII · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS

IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS

AD · SANCTORVM · PATRVM

ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM

IVNIORVMQVE · INTERPRETVM

NORMAM · EXACTOS

ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT

RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS

AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI

SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI

QVI · SINGVLARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS

ID · QVIDQVID · EST · OPERIS

NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT

PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT

SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA

ADDICVNT · DEVOVENT

SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE

SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI

PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

Quum opus, cui titulus est: *Commentarius in Isaiam Prophetam* auctore P. IOSEPHO KNABENBAUER S. I., aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et edi posse iudicaverint, facultatem concedimus, ut vulgetur, si ita iis, ad quos pertinet videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Fesulis, die 7 Februarii 1887.

L. S. ANT. M. ANDERLEDY, S. I.
Vic. Generalis S. I.

IMPRIMATUR
Parisiis, die 25 Martii 1887.
† FRANCISCUS Arch. Parisiensis

TYPIS MA DETUR
Suessione, die 28 Julii 1887
† ODO, Episc. Suessionen. et Laudunen.

CORRIGENDA

Pag. 34 lin. 10 propetr lege propter. — **42**, 29 ἔσται l. ἔσται. — **86**, 34 גבח l. גבה. — **95**, 26 Messiae l. Messia. — **100**, 18 alterius l. ulterius. — **104**, 19 nt l. ut. — **106**, 27 עדקה l. צדקה. — **109**, 32 uvis l. ovis. — **111**, not. 1 lin. 3 l. מְזֵי. — **112**, 23 occusationem l. accusationem. — **112**, 31 ogni l. agni. — **130**, 14 indicare l. indicari. — **140**, not. 1, 4 allud l. illud; 6 ut l. aut. — **170**, not. 1, 10 relinquaturi l. relinquatur. — **171**, not. lin. 2 haec l. hae. — **188**, 1 utl l. ut. — **211**, not. lin. penult. in l. an. — **219**, not. 1 excidit Ita. — **224**, 1 כִּי l. כִּי. — **313**, not. 1, 2 eo eo l. ex eo. — **316**, 25 *ceperant* l. *se ceperant*. — **317**, not. 2, 2 asseri l. asserit. — **580**, 19 נָם l. נֵם. — Quandoque in punctatione hebr. vitio preli aliqua signa non exprimebantur; paucae praeterea literae eodem vitio interciderunt.

PROLEGOMENA

I. — De tempore Isaiae.

Isaias, filius Amos, munere prophetico functus est tempore regum Oziae, Ioatham, Achaz, Ezechiae. Respublica iudaica per haec tempora magnas subiit mutationes, perturbationes, calamitates, quas nosse oportet quo melius et intelligamus et aestimemus ea quae Isaias propheta in variis rerum conditionibus pro muneris prophetici ratione egit et scripsit. Ozia rege regnum iudaicum prospere floruit. Ipse enim rex « fecit quod erat rectum in oculis Domini et exquisivit Dominum in diebus Zachariae.. cumque requireret Dominum, direxit eum in omnibus » (2 Par. 26, 4. 5. 4 Reg. 15, 3). Bella gessit felicia, regni fines et valide tuitus est et extendit, populi opes et prosperitatem auxit, praeclaro apparatu bellico regnum instruxit. Ailath urbem ad sinum aelaniticum (Akaba) sitam iterum ditioni iudaicae recuperavit (4 Reg. 14, 22. 2 Par. 26, 2) et pro commercio et navigatione valde oppor tunam et utilem munivit; unde apud Iudaeos eo tempore commercium refloruisse videmus (cf. Is. 2, 16). Uti Ailath urbe occupata Edomitas devicit, ita Philisthaeis quoque arma felicia intulit, « destruxit murum Geth et murum Iabniae murumque Azoti » ; insuper aliquas regiones Philisthaeorum occupavit occupatasque arcibus exstructis urbibusque munitis sub ditione retinuit i. e. « aedificavit quoque oppida in Azoto et in Philisthiim » (2 Par. 26, 6). Etiam contra Arabes qui habitabant in Gurbaal et contra Maunitas (hebr. prope Petram urbem ?) adiuvit eum Deus (l. c. 7); Ammonitae quoque « appendebant munera Oziae et divulgatum est nomen eius usque ad introitum Aegypti propter crebras victorias » (l. c. 8). Uti regni gloriam apud exteros propagabat, ita illam solide stabilire apud suos studebat. Quem in finem urbem Ierusalem aedificatis turribus strenue munivit, exercitum quoque numero et apparatu bellico auxit (l. c. 11-15). Neque minorem curam impendit divitiis augendis quae ex gregibus et agris vineisque oriuntur, simulque

aedificatis castellis providit, ut labores illi adeo utiles tuto exerceri possent (l. c. 10). Ita factum est, ut nomen Oziae egrederetur procul, eo quod auxiliaretur ei Dominus et corroborasset eum (l. c. 15).

Verum hanc prosperitatem non comitabatur neque stabili modo fulciebat vera in Deum pietas morumque integritas. De ipso rege s. literae narrant : « sed cum roboratus esset, elevatum est cor eius in interitum suum et neglexit Dominum Deum suum ingressusque templum Domini adolere voluit incensum super altare thymiamatis » (l. c. 16). Lepra percussus habitabat in domo separata et Ioatham filius eius rexit domum regis et iudicabat populum terrae (l. c. 21 ; 4 Reg. 15, 5). Populus autem in excelsis immolabat (4 Reg. 15, 4) et praeterea morum corruptionem longe lateque serpsisse, et reprehensionibus quae apud Osee et Amos leguntur (cf. Os. 4, 15. Am. 2, 4 etc.) nimis certo constat. Quare Isaias propheta externam hanc regni gloriam et prosperitatem ultimo Oziae anno in visione inaugurali iam cernit ruinae ineluctabili traditam neque aliud superesse remedium salutis voce divina edocetur, nisi ut arbor regni succidatur et destruatur manente trunco quasi semine sancto ex quo instauratio oriatur (Is. 6, 10-13). Dum igitur gloria et prosperitas regno iudaico quam maxime adesse videtur, vates ruinam eius et salutem ex ruinis oriundam annuntiare iubetur.

In regni administratione successit Ioatham ; ipse quoque laudem habet : fecit quod placitum erat coram Domino (4 Reg. 15, 34. 2 Par. 27, 2) templumque exornavit aedificata porta domus Domini sublimissima neque quod Ozias pater eius attentavit, iura sacerdotalia et auctoritatem sacram in se transferre conatus est. Quod eius pater ad regni gloriam et fortitudinem inceperat, Ioatham felici successu auxit : munitiones aedificavit et castella : « in muro Ophel multa construxit, urbes quoque aedificavit in montibus Iuda et in saltibus castella et turres » (2 Par. 27, 3. 4) ; feliciter quoque bellum gessit contra Ammonitas, quos ad tributa pendenda coegit ; « corroboratusque est Ioatham eo quod direxisset vias suas coram Domino Deo suo » (l. c. 5. 6). Alia de magnificentia aedificiorum, de apparatu bellico, de luxu per commercium inducto Isaias (2, 7. 16; 3, 2 etc.) satis clare innuit. Verum omnia magna morum corruptione inficiebantur. Eam Isaias cp. 2-5 multis exagitat, eam auctor Paralipomenon breviter, sed nervose declarat : *adhuc populus delinquebat* (2 Par. 27, 2). Quare Isaias poenas Dei ingruentes praedicit, poenas idololatriae et luxuriei annuntiat, populi animum durum et ingratum parabola vineae (5, 1 seq.) exagitat et reipublicae ruinam et abductionem populi minatur. Neque immerito ; nam versus finem regni Ioatham iam Dei tonitrua dudum annuntiata audiri coepta sunt, regnum iudaicum a vicinis infestatur et paulatim ruinae obviam fertur : « in

diebus illis coepit Dominus mittere in Iuda Rasin regem Syriae et Phacee filium Romeliae » (4 Reg. 15, 37). Exortum est bellum syro-ephraimiticum quo regno iudaico magnae clades inflictae sunt, praecipue sub rege Achaz.

Post Ioatham successit Achaz rex impius et idololatriae deditus, qui ambulavit in via regum Israel et gentilium abominationibus indulsit (cf. 4 Reg. 16, 3. 4. 2 Par. 28, 2-5). Quare « tradidit eum Dominus Deus eius in manu regis Syriae, qui percussit eum magnamque praedam cepit de eius imperio et adduxit in Damascum » (2 Par. 28, 5) : inter alia Rasin rex Syriae Ailath Iudaeis eripuit (4 Reg. 16, 6) ; praeterea maiorem etiam stragem regno iudaico intulit Phacee, rex Israel ; nam « occidit Phacee de Iuda centum viginti millia in die uno, omnes viros bellatores, eo quod reliquissent Dominum Deum patrum suorum ; ceperuntque filii Israel de fratribus suis ducenta millia mulierum, puerorum et puellarum et infinitam praedam pertuleruntque eam in Samariam » (2 Par. 28, 6 seq.). Duo isti reges mox foedere iuncto bellum regno iudaico intulerunt idque funditus evertere statuerunt (— initio enim eos bellum movisse viribus haud unitis, elucet ex modo narrandi 2 Par. 28, 5—). Quare domum David regno privare et filium quendam Tabeel regem constituere decreverunt communi consilio. In ea rerum conditione cum ageretur de domo David evertenda, Isaias a Deo missus regi idololatrae opem divinam offert eique certissime praedicit fore, ut machinationes inimicorum irritae sint (Is. 7, 5 seq.). Verum rex impius opem divinam spernit et suae prudentiae confisus aliam salutis viam quam iam tenere coeperat obstinatus et contumax ingreditur : Theglathphalasar regem Assyriorum auxilium flagitaturus adit per nuntios : « servus tuus et filius tuus ego sum ; ascende et salvum me fac de manu regis Syriae et de manu regis Israel qui consurrexerunt adversum me » (4 Reg. 16, 7) eique spoliata domo Domini larga misit munera. Ita se regnumque suum vendidit Assyrio frustra monente propheta et longam calamitatum seriem in regnum iudaicum induxit. Rex enim Assyriorum Damascum quidem expugnavit, Rasin regem interfecit et Israelitas quoque varie afflixit multosque ex utroque regno in captivitatem abduxit (cf. 4 Reg. 15, 29. 30), at haec minime ab Assyrio in commodum regis Iuda esse patrata per se liquet et confirmatur testimonio sacri scriptoris : « adduxit (Dominus) contra eum Thelgatphalnasar, qui et afflixit eum et nullo resistente vastavit » (2 Par. 28, 20). Vendiderat Achaz regni sui libertatem et independentiam ; ipse recensetur in inscriptionibus cuneiformibus a Theglathphalasar inter eos qui tributa solverint regi ; quam servili ingenio Achaz placere studuerit oppressoribus suis, refertur 4 Reg. 16, 10 seq. 2 Par. 28, 22 ; in quantas miserias autem regnum

iudaicum coniecerit, exponit Isaias 7, 17 seq. Praeterea a Philisthaeis quoque regnum iudaicum varie est afflictum et spoliatum (2 Par. 28, 18); « humiliaverat enim Dominus Iudam propter Achaz regem Iuda eo quod nudasset eum auxilio et contemptui habuisset Dominum » (l. c. 19).

De bellis hisce quae gessit Theglathphalasar contra Damascum et regnum israeliticum etiam sermo est in inscriptionibus cuneiformibus; de quibus vide *Layard*, Inscriptions in the cuneiform character, pl. 72. 73; *Smith*, Assyrian discoveries p. 282 seq. The Assyrian Eponym Canon p. 121 seq. *G. Rawlinson*, Five Monarchies, 2 edit. II p. 130. *Schrader*, Keilinschriften u. A. Test.; *Civiltà cattolica* XI. 3 p. 419 seq. *Vigouroux*, la Bible et les découvertes modernes 3 ed. IV p. 110 seq. Quae praecipue ad narrationem s. librorum illustrandam inservire possunt, haec accipe : narrat Theglathphalasar regem Damasci a se esse plane devictum fugatumque, currus eius destructos, milites eius equites, sagittarios factos esse captivos, duces militares cruci affixos; urbem Damascum esse obsessam, regionem circumquaque vastatam, varias urbes expugnatas et plura millia captivorum abducta. *G. Rawlinson* l. c. p. 132 asserit quoque a se inventam inscriptionem quae de occisione Razin explicitam mentionem fecerit; quae tamen inscriptio perdita esse videtur. — Ex anno 733 (734) refertur expeditio regis in *Pilasta* i. e. Palaestinam; varias urbes occupat in parte septemtrionali, dein regnum israeliticum aggreditur et oppida eius varia sibi subiicit; ex fragmentis cuneiformibus inter alia nomina leguntur partim solummodo iniuria temporum servata : *Gal, Abel,* quae nominum rudera optime conveniunt cum Galaad, Abel-beth-maacha, quae 4 Reg. 15, 29 inter ea oppida recensentur quae Theglathphalasar in diebus Phacee cepit. Praeterea legitur in cuneiformibus, incolas nobiles terrae Beth Omri (domus Amri, ita regnum israeliticum designari solet; cf. 3 Reg. 16, 16) cum suis opibus esse abductos in Assyriam; Pakaha (Phacee) regem eorum ab ipsis esse occisum; pro eo esse regem institutum Ausih (Osee); tamquam vectigal decem talenta auri, mille talenta argenti esse soluta.

Rempublicam igitur multis vulneribus laborantem post Achaz gubernandam suscepit Ezechias rex pius et vere theocraticus. Malis illis mederi studuit uno eo modo quo revera sperari poterat optimus rerum eventus : idololatriam funditus tollere et vitia grassantia cohibere, religionem pietatemque fere emortuam apud plerosque denuo excitare studuit; quem in finem omnia idololatriae loca et instrumenta delevit (4 Reg. 18, 4), cultum divinum debito modo restituit sacerdotesque et levitas strenue officii sui admonuit (2 Par. 29, 4 seq.) et sollemnitatem paschalem ab universo populo celebrandam curavit : « facta est grandis celebritas in Ierusalem qualis a diebus Salomonis, filii David, regis Israel in ea urbe non fuerat » (2 Par. 30, 26). Ipse rex pietate et fiducia in Deum et fideli legis mosaicae observatione prae omnibus excel-

luit ita, ut magnis laudibus in s. literis extollatur. Instaurata vero per regem religione et pietate ex norma veteris legis etiam in rebus civilibus rediit prosperitas. « Unde et erat Dominus cum eo et in cunctis ad quae procedebat, sapienter se agebat; rebellavit quoque contra regem Assyriorum et non servivit ei; ipse percussit Philisthaeos usque ad Gazam et omnes terminos eorum » (4 Reg. 18, 7). In qua morum instauratione validum habuit adiutorem et monitorem Isaiam prophetam, uti praesertim ex cap. 28-39 elucet, sed rem fuisse difficultatibus multis implicitam et impietatem apud multos altas egisse radices ibidem quoque patet.

Ezechias viginti novem annis regnavit (4 Reg. 18, 2. 2 Par. 29, 1). Unde morbus eius, in quo vitae eius additi sunt quindecim anni (4 Reg. 20, 6), in annum 14 regni eius incidit. Morbum hunc et legationem regis Merodach Baladan (4 Reg. 20, 12) quae mox post sanationem Ezechiae advenit in Ierusalem, ante invasionem Sennacherib regis Assyriorum evenisse, plerique hodie assumunt et quamvis isti eventus non solum apud Isaiam sed etiam 4 Reg. 20 et 2 Par. 32, 24 serie alia referantur, tamen in ipsa narratione ea insunt ex quibus quo ordine acciderint concludi facile possit. Nam simul cum promissione sanationis audit Ezechias : « sed et de manu regis Assyriorum liberabo te et civitatem hanc et protegam urbem istam propter me et propter David servum meum » (4 Reg. 20, 6. Is. 38, 6); quae promissio certe valet et data est tempore quo periculum invasionis revera aderat, non eo tempore quo Sennacherib clade accepta iam non meditabatur expeditionem in Palaestinam; insuper verba dicunt non periculum a longe impendens — quale esset, si Deus post cladem Sennacherib promitteret regem a se cohibitum iri ne redeat ad vindictam capiendam — verum periculum regi ipsi et urbi iam imminens describunt; a tali enim periculo quis dicitur liberari, liberari de manu regis, protegi. Deinde bene notandum est, legatis regis Babyloniorum ostensos fuisse thesauros Ezechiae; « ostendit eis domum aromatum et aurum et argentum et pigmenta varia, unguenta quoque et domum vasorum suorum et omnia quae habere poterat in thesauris suis » (4 Reg. 20, 13. Is. 39, 2). Sed cum Sennacherib irrueret et civitates Iuda munitas caperet, Ezechias rex ad regem placandum non solummodo thesauros regios exhausit, verum cum isti non sufficerent tributo solvendo, ipsos templi thesauros expendit : « dedit Ezechias omne argentum quod repertum fuerat in domo Domini et in thesauris regis; in tempore illo confregit Ezechias valvas templi Domini et laminas auri quas ipse affixerat et dedit eas regi Assyriorum » (4 Reg. 18, 15. 16).

Cur eventus isti ordine inverso referantur, ratio perspicua adest in libro Isaiae. Cum enim Isaias a cap. 28 tempus illud describeret quod

praecederet invasionem Assyriorum et modum exponeret, quo regem populumque ad eventum illum praeparasset, apte ipsius eventus narratio subiungitur cap. 36-37. In altera vero libri parte a cp. 40-66 Isaias de tempore exsilii babylonici et de liberatione ab exsilio (et de liberatione messianica) agit; unde ei parti illam praemittit narrationem, qua quomodo exsilium babylonicum fuerit in poenam praedictum iam Ezechiae tempore refertur. Quare capita illa quattuor historica 36-39 apud Isaiam non ordine temporis collocata inter se subsequuntur, sed duo priora partem absolvunt antecedentem, reliqua duo viam parant ad subsequentia. Sed series haec quae ipsa dispositione libri Isaiae necessario exigebatur, in tantum valuit, ut in libris quoque Regum adoptaretur. Temporis quoque designatio « anno quarto decimo regis Ezechiae » (4 Reg. 18, 13. Is. 36, 1) non ad invasionem pertinet regis Assyriorum, sed ut ipso numero iam proditur, ad morbum Ezechiae, in quo 15 anni vitae eius adduntur, ita ut tandem viginti novem anni regni eius efficiantur. Per errorem igitur temporis eius designatio in locum irrepsit alienum.

Fidei et virtuti eximiae quam Ezechias in morbo ostenderat non plane stetit, cum legati Merodach Baladan regis Babyloniorum advenirent. Reguli enim Babylone potiti non semel conati sunt se iugo Assyriorum subtrahere. Ad quem finem haec quoque legatio missa erat ad Ezechiam, cuius praeclare gesta (cf. 4 Reg. 18, 8) et fortitudo bellica Babylonium non latebant. Babylonii regis quam maxime intererat rebellionem et foedus contra Assyrios fovere in Asia occidentali. Quare cum audisset aegrotasse Ezechiam, sane praetendens gratulationem Ezechiae offerendam, quo res melius tegeretur, legatos ad eum misit foederis contra Assyrios ineundi causa. Ezechias autem de gloria nominis sui quae ad regem usque Babyloniorum pervenerit et de tali honore sibi praestito superbia est elatus et gloriabundus omnes thesauros et opes ostendit gentilibus et « elevatum est cor eius » (2 Par. 32, 25) et Deo « non iuxta beneficia quae acceperat retribuit » ; unde videtur foedus illud oblatum avide arripuisse et ita contra indolem theocraticam peccasse fiduciam ponens et spem in alienigenis et pactum antitheocraticum concludens. Unde propheta, vindex theocratiae, severe eum reprehendit Deique consilium ei aperit, quo omnia demum ablatum iri in Babylonem constitutum sit. Magna humilitate et animi submissione Ezechias sententiam Dei in se suosque latam excepit, quare ipse iram Dei in se non est expertus : « humiliatusque est postea... et idcirco non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiae » (2 Par. l. c. 26). Reversus ad pietatem et mente vero theocratica imbutus eximium Dei auxilium expertus est in invasione Sennacherib.

Sennacherib primo et secundo regni sui anno bella gessit contra Babyloniam et regiones orientales; tertio demum anno arma vertit in Syriam et Palaestinam. Primo aggreditur Phoenicen; Luli (Elulaeus) rex Sidoniorum, aufugit Cyprum; urbes Phoenicum subiiciuntur, rex instituitur ab Assyrio Tubal, cui vectigal singulis annis solvendum imponitur; alii quoque reges urbium Phoenicum sese subiecerunt et pedes Sennacherib osculati sunt. Praeter eos mox accurrerunt ad eum obedientiam et subiectionem spondentes Mitinti, rex Azoti, Puduil, rex Ammonitarum, Kamosnadab rex Moabitarum et Malikram rex Edom. Sed Zidka regem Ascalon qui renuebat vicit eumque cum familia in Assyriam asportandum curavit; tum subiecit urbes Beth-Dagon, Joppen, Benebarak, Azor incolis in captivitatem abductis. Tum arma movit contra Amgarunna (Accaron, probabilissime), cuius urbis incolae Padi regem qui a partibus erat Assyriorum vinctum tradiderant regi Ezechiae. Sed antequam ipsam urbem Accaron expugnaret, pugna ei erat ineunda prope Altaqu cum exercitu aegyptiaco et aethiopico; quo devicto urbes expugnavit Altaqu (Elteqe, Elthece Ios. 19, 44) et Timnath et Accaron, cui urbi regem Padi restituit tributo imposito. Postea Iudaeam devastare aggressus est; narrat quadraginta sex urbes munitas, oppida vero innumerabilia a se esse expugnata; in captivitatem abducta esse ducenta millia centum quinquaginta hominum, animalia et greges; ipsum vero regem in urbe sua Ierusalem inclusum fuisse sicut avem in cavea; urbes Iuda a se esse separatas a regno iudaico et datas regibus Azot, Accaron, Gaza; demum addit Ezechiam solvisse timore perculsum tributum triginta talenta auri et octingenta talenta argenti aliasque res pretiosas (cf. Civiltà cattolica XI. 6 p. 401 etc. *Vigouroux* l. c. p. 192; *Schrader* l. c.). Haec in inscriptionibus cuneiformibus. Sennacherib quae narrat vera refert; at aliqua omittit; alia ita callide collocat, ut victor e Palaestina recessisse videatur. Qua in re eius narratio e s. literis suppletur. Utique Ezechias solvit tributum (4 Reg. 18, 15) et fuit inclusus in urbe; at Sennacherib suam tacet cladem et ultimo loco collocans tributum Ezechiam demum a se subiectum mentitur. Ceterum quo itinere Sennacherib pervenerit ad Palaestinam, utile est adnotare, ut quo sensu iter illud 10, 28 seq. accipiendum sit innotescat. Sed ex utraque narratione, et biblica et assyriaca, abundanter efficitur, quanta calamitate in invasione assyriaca regnum iudaicum fuerit afflictum quantoque in periculo revera tota respublica constituta sit, ita ut intelligamus, cur adeo sedulo Isaias regem populumque ad eam calamitatem vincendam fide et spe divina praeparaverit.

De quaestione chronologica pauca adnotasse sufficiat. Ope catalogorum epo-

nymorum assyriologi concorditer statuunt hanc annorum computationem : Theglathphalasar regnavit 745-727 ; Salmanassar 727-722 (721) ; Sargon 722-705 (704) ; Sennacherib 705-681 (680) ; de qua re vide *Schrader* l. c. *Al. Schaefer,* die bibl. Chronologie p. 140 ; *Fried. Delitzsch* in Realencyklopaedie f. prot. Theol. XIII p. 383 seq.

Pro regibus Iuda hos plerique statuunt annos : Ozias regnavit 809-757; Ioatham 757-741 ; Achaz 741-726 ; Ezechias 726-698 ; vide *Oppert,* Salomon et ses successeurs ; *Al. Schaefer* l. c., *Kleinert* in bibl. Handwoerterb. ed. *Riehm ;* a sententia adeo communiter recepta recedit *Neteler,* qui post mutationes minores ultimatim ita annorum seriem definiri posse censet : Ozias 787-736; Ioatham 739-724 ; Achaz 724-709 ; Ezechias 710-682 (cf. Zusammenhang der alttestamentlichen Zeitrechnung mit der Profangeschichte, II Heft p. 27). *Neteler* pro expeditione Sennacherib retinet annum decimum quartum Ezechiae, sed eam expeditionem non censet eandem quam Sennacherib tertiam suam describit ; verum aliam de qua Sennacherib propter cladem acceptam penitus tacuerit. Sed quae supra allata sunt, tamen ita cum narratione biblica concordant, ut unam eandemque expeditionem referri omnino suadeatur ; cui sententiae quantum scio omnes adhaerent.

Ut autem res componatur cum monumentis assyriacis certis, *Bickell* hunc ordinem annorum statuit : incepisse regnum Oziae 792, Ioatham 740, Achaz 734, Ezechiae 728 ; et pro regno israelitico Menahem 748, regnum Phaceiae 738, Phacee 736 ; Osee 731. Ex monumentis enim Assyriorum colligitur ope catalogorum eponymorum Menahem adhuc anno 738 tributum solvisse ; Phacee proinde, cum Phaceia per duos annos regnaret, non potuit capessere regnum ante 736 ; unde simul efficitur Phacee non per 20 annos regnum tenuisse. Quod autem annos spectat Ioatham, censet *Bickell* ei attribui 16 annos non quia *solus* tamdiu regnasset, sed simul computari annos per quos pro Ozia leproso rem administraverit ; etiam Achaz non annos 16 sed 6 esse attribuendos (cf. Zeitschrift für kath. Theologie, Innsbruck 1883 ; VII p. 152). — Sed cum ad intelligendum textum Isaiae, annorum numerus quis fuerit parum conferat, aliquas de ea re opiniones h. l. indicasse sufficiat.

II. — De ipso propheta.

De ipso Isaia solummodo pauca nota sunt ; « Amos autem pater Isaiae non ut plerique autumant tertius duodecim prophetarum est, sed alius, diversisque apud Hebraeos scribuntur literis » (*S. Hier.*) [1]. Praeter librum quem habemus res gestas Oziae regis literis consignavit : « reliqua sermonum (i. e. rerum gestarum ; cf. hebr. דָּבָר) Oziae priorum

1. אָמוֹץ pater Isaiae; עָמוֹס propheta; uterque apud LXX scribitur Ἀμώς; unde sententia illa apud Clementem alex. aliosque enata est, de qua *S. Hier.* — Traditione quadam talmudica pater eius dicitur fuisse frater Amasiae regis (Megilla 10 b; cf. *Rohl.*).

et novissimorum scripsit Isaias filius Amos, propheta » (2 Par. 26 22); eum praeter librum nostrum etiam res Ezechiae regis descripsisse, aliqui ex 2 Par. 32, 32 concluserunt; at id saltem valde dubium videtur, quia l. c. solum asseritur res Ezechiae et beneficia ei divinitus collata scripta esse in *visione* Isaiae; sed *visio* חָזוֹן titulus est prophetici libri. — Traditio est antiqua et satis pervulgata, eum vixisse usque ad tempora Manasse impii regis ab eoque « qui sanguinem innoxium fudit multum nimis, donec impleret Ierusalem usque ad os » (4 Reg. 21, 16) crudeli mortis genere fuisse interemptum, scil. serratum. Esse hanc ait *S. Hier.* apud Iudaeos certissimam traditionem, « unde et nostrorum plurimi illud quod de passione sanctorum in epistola ad Hebraeos legitur *serrati sunt* (11, 37) ad Isaiae referunt passionem » (ad Is. 57, 2; cf. *Tertullian.* de patientia c. 14; *Iustin.* c. Tryph. n. 120 « serra lignea dissecuistis »; *Chronicon pasch.* p. 155; *M.* 1, 1270; 6, 756; 92, 381); eiusque mortis generis etiam in talmude mentio fit (tr. Iebamoth 49 b) et in targum ad 2 Reg. 21, 16 (Sanhedrin 103 b; cf. *Rohling,* der Prophet Iesaja p. 1). Alia vide plane tamen incerta apud Ps. Epiphanium de vitis prophetarum (*M.* 43, 397. 419). — Uti ipsius nomen, quod explicatur vel *salus Domini* vel *salvat Dominus* [1], ita et filiorum eius nomina, quos e prophetissa genuerat (cf. ad 8, 3), prophetica erant populi sortem adumbrantia; unde iure dicere potuit : « ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israel » (8, 18; cf. 7, 3; 8, 1-4). Qua animi celsitudine et fortitudine munere prophetico functus sit, ipse liber abunde testatur. In vitia omnium etiam principum acriter invehitur; id unum agere et spirare videtur, ut deiecta impietate fidem et spem in Dominum apud omnes excitet et salutem messianicam annuntiet. Hanc autem et gloriam regni messianici nemo prophetarum adeo egregie ac splendide descripsit, ut Isaias, ita iam hoc solo titulo iuremerito prophetarum princeps appellandus sit. Laudes eius ipsis s. literis continentur; quid egerit, satis accurate in s. libris historicis refertur (4 Reg. 19. 20. 2 Par. 32); celebratur « Isaias propheta magnus et fidelis in conspectu Dei... spiritu magno vidit ultima et consolatus est lugentes in Sion; usque in sempiternum ostendit futura et abscondita antequam evenirent » (Eccli. 48, 25-28). Neque parvo ei cedit encomio quod

1. יְשַׁעְיָהוּ ita in libro ipso et in aliis locis scribitur. Titulus libri in hebr. breviorem fert formam ישעיה; LXX Ἡσαΐας. Plerique explicant nomen *salus Iahve;* alii *Iahve salvat; S. Hier.* modo σωτηρία κυρίου, modo *salvator Domini* vel ut aliis in codd. legitur *salvatus Domini;* quod ultimum ipso eius confirmatur commentario : « qui igitur Domino praesidente salvatur et est filius Amos i. e. fortis atque robusti ».

eius liber adeo frequenter ab ipso Christo et in scriptis apostolorum allegatur; nam, uti *Lap.* advertit, in novo testamento saepius citatur et auditur quam omnes reliqui prophetae simul iuncti, et revera si recensum locorum vet. test. in novo passim obvium lustraveris, fere centies invenies Isaiam allegatum.

Magnis laudibus Isaiam s. Patres quoque celebrant. *Eusebius* eum appellat magnum et admirabilem (θαυμάσιον) prophetam, maximum prophetarum (dem. evang. 2, 4; 5, 4); *Isidorus* pelusiota eum laudat τὸν διορατικώτατον, τῶν προφητῶν σαφέστατον (Epist. 1, 42. 366), *Theodoretus* τὸν θειότατον. Et *S. Cyrillus* alexandrinus : « mihi videtur beatus propheta Isaias non sola prophetiae gratia plurimum exornatus, sed et decoribus apostoli ; est enim hic propheta simul et apostolus et in hac scriptione sua habebit sermones evangelicae praedicationis splendore non carentes ». Eandem laudem ei tribuit *S. Hier.* : « universa Domini sacramenta praesens scriptura continet... quidquid sanctarum est scripturarum, quidquid potest humana lingua proferre et mortalium sensus accipere, isto volumine continetur » (prolog. in comment.) ; et ad Paulam et Eustochium idem scribit : « ac primum de Isaia sciendum, quod in sermone suo disertus sit, quippe ut vir nobilis et urbanae eloquentiae nec habens quidquam in eloquio rusticitatis admistum. Unde accidit, ut prae ceteris florem sermonis eius translatio non potuerit conservare. Deinde etiam hoc adiiciendum quod non tam propheta dicendus est quam evangelista. Ita enim universa Christi Ecclesiaeque mysteria ad liquidum prosecutus est, ut non putes eum de futuro vaticinari, sed de praeteritis historiam texere » (praefat. in translat.). Similiter *S. Augustinus* (de Civit. D. 18, 29) et Conf. 9, 5 narrat, cum per literas insinuasset Ambrosio antistiti pristinos suos errores et praesens votum, ut moneret quid potissimum ipsi de libris sacris legendum esset, quo percipiendae tantae gratiae paratior aptiorque fieret, Ambrosium iussisse legere Isaiam prophetam ; « credo quod prae ceteris evangelii vocationisque gentium sit praenuntiator apertior ».

Dicendi genus Isaiae omnes admirantur ; laudant splendorem, vim, maiestatem. Ex veteribus v. g. lege *S. Chrysostomum* (in Is.) ; e recentioribus audi quid de eo iudicet *Lowth* : « Isaias ut ordine ita dignitate prophetarum omnium princeps, sic omnibus abundat virtutibus, ut nihil in hoc genere perfectius concipi possit. Idem elegans et sublimis, ornatus et gravis, cum ubertate et copia, tum vi et pondere mirabilis. In sensibus incredibilis elatio, maiestas, divinitas, in imaginibus summa proprietas, dignitas, pulchritudo, fecunditas denique et varietas lectissima ; in dictione singularis elegantia et in tanta rerum obscuritate mira perspicuitas et candor ; ad haec in poetica sententiarum composi-

tione tanta dulcedo, id sive felicitatis sive artificii, ut si quidquam iam reliqui habent carmina hebraea pristinae iucunditatis et gratiae, id in Isaiae praecipue monumentis contineri clarissimeque perspici posse crediderim. Excellit etiam Isaias vel maxime in iusta partium dispositione facilique rerum connexione et ordine » etc. (cf. de sacra poesi Hebr. praelect. 21, ed. Rosenmüller p. 241). Et simili modo *Danko* : « argumento oraculorum convenit sublimitas et maiestas eloquii ; Isaiae genus dicendi omnium quae sacra lingua exstant scripta primas fert partes palmamque eloquentiae. In eo puritas hebraismi resplendet. Oratio prophetae viva est et efficax, pollet quidem figuris sententiarum, sed ornamentis quoque verborum omnis generis affluit » (cf. Histor. revel. vet. test. p. 396). — De carminibus in libro Isaiae contentis et ratione metrica descriptis vide quae scripsit *Bickell*, Carmina vet. test. metrice p. 200 seq. ; praeterea vide *Gietmann*, de re metrica Hebraeorum p. 59 seq. Systema illud etiam eo haud parum commendatur, quia ea versibus descripta invenies quae carminis indolem et naturam cumprimis prae se ferunt v. g. Is. 5, 1. 2 ; 9, 7 - 10, 4 ; 11, 1 - 8 ; 12, 1 6 ; 14, 4 - 21 ; 14, 29 - 32 ; 23, 16 ; 25, 1 5 ; 25, 9 - 11 ; 26, 1 - 10 ; 27, 3 - 5 etc.

III. — De argumento prioris partis libri.

Argumentum totius libri quam maxime amplum et generale ipso Isaiae nomine *salus Domini* vel *Dominus salvat* comprehenditur. Ad hanc salutem omnia in libro contenta convergunt; ut possit oriri salus Domini, ostendit quaenam impedimenta in vita privata et publica, apud singulos et nationes sint removenda; quomodo singuli et nationes sese debeant praeparare; demum eius salutis excellentiam, beatitatem in regno messianico contentam et expressam varie atque eleganter describit.

Liber Isaiae duabus partibus maioribus dividi solet. Priore oracula illa continentur quae occasione eventuum et temporum Ioatham, Achaz, Ezechiae regum potissimum data sunt et cap. 1-37 continentur. Altera parte oracula ea exhibentur quae de exsilio babylonico, de liberatione ex exsilio, et de altiore liberatione messianica agunt; iis praemittitur narratio qua occasione exsilium babylonicum propheta vaticinatus sit; unde altera haec pars complectitur cap. 38-66. Hae partes maiores in sectiones minores apte dispertiuntur, quae ipso argumento arctius inter se connectuntur et facile ab aliis distinguuntur. Atque in priore quidem parte praeter prologum, qui cap. 1 proponitur, quattuor deprehenduntur oraculorum series : prima quae tempus Ioatham spectat cp. 2-5; altera quae occasione belli syro-ephraimitici data est et cui visio inauguralis

praemittitur cp. 6-12; tertia quae ex secunda enata iam ad omnes nationes legem illam et normam applicat per iudicia esse perveniendum ad salutem cap. 13-27; quarta demum, qua praeparatio continetur ad invasionem assyriacam, eius invasionis narratio, victoria cap. 28-37. Haec generatim. Iam summam et nexum argumenti paucis accuratius describam.

Prologo quasi compendio quodam totius prophetiae summa continetur et proponitur, cum populi scelera exagitentur, poenae declarentur debitae, at simul poenis persolutis et iudiciis Dei exercitis spes instaurationis exhibeatur. Statim in prologo lex statuitur princeps, qua tota prophetia regitur et quasi animatur : *Sion in iudicio redimetur;* quae norma in subsequentibus declaratur et demum ad omnes nationes et orbem universum applicatur. Ita statim in prologo egregie apparet unitas consilii et veritatis concinnitas qua quasi vinculo concordi totum libri volumen continetur. Atque in prima quidem vaticiniorum serie oraculo de monte domus Domini proposito docet propheta de theocratia per orbem diffundenda; sed ut id fieri possit, omnia ea quae theocratiae obstant, removeri oportet; quare vates iudicium Dei annuntiat, quo excelsa omnia deiiciantur, Iuda et Ierusalem acerbis poenis visitetur et fastus omnis funditus evertatur. Quo facto efflorebit salus messianica i. e. germen Domini erit in magnificentia et gloria. Ut iudicii poenaeque necessitas clare demonstretur, appenditur parabola de vinea quam Dominus omni cura fovit, sed quae cum solum labruscas tulerit iamiam erit exscindenda. Inter hanc et sequentem seriem interseritur visio inauguralis prophetae, qua simul ratio redditur, cur admonitiones prophetae parum eousque fructus attulerint, et subsequentis temporis indoles, quae impietate et contumacia Achaz regis continetur, bene adumbratur.

In altera oraculorum serie tempus tangitur Achaz regis. Regi ob foedus initum a rege Syriae et Israel timore percusso vates offert opem Dei. Hanc cum Achaz respueret, Isaias ei vaticinatur domum David humiliatum in posterum iri, et iam mox regem populumque multum iri afflictum ab eo ipso in quo spem posuerint, a rege Assyriorum. Ingruet ergo pro Iudaeis tempus calamitatis; sed solatium in afflictione exhibetur Emmanuel, qui omnium gentium consiliis atque conatibus destructis regnum suum condet; quare vates pios iubet in Dei timore omnem collocare spem; adfore scil. post tenebras et afflictionem lucem messianicam regnumque pacis et beatitatis. Unde duplex exhibetur fidelibus signum : alterum pro liberatione mox futura in filio Isaiae (8, 1 seq.), alterum pro liberatione messianica, ex qua omnium hostium conatus irriti reddentur (8, 9. 10; 9, 6). Duplex haec liberatio in altera quoque huius seriei parte 9, 8-12, 6 proponitur. Ibi enim primo varia peccato-

rum et castigationum genera quibus populus est obnoxius recensentur; dein impetus, arrogantia et superbia hostium describitur, quos Deus ultores mittet sed quos punitione facta egregie deiiciet. Ruinam subsequitur descriptio Emmanuelis regnique eius, quod sit regnum iustitiae, pacis, orbem terrarum cognitione Dei replens, quod regnum salvati cantico laudis et gratiarum actionis consalutant. Ita in hac serie illustratur lex illa : Sion in iudicio redimetur.

In tertia vaticiniorum serie, cap. 13-27, eadem iudicii ac salutis norma ostenditur applicata ad gentes et orbem universum. Prologi instar et tamquam compendium potestatis universae Deo inimicae proponitur Babel : Deus evocat milites suos et diem furoris plenum quo coeli et terra concutiantur, immittet; Babylon in solitudinem redigetur; ea autem ruina populo Dei simul cum alienigenis via panditur ad salutem; qui autem in libertatem vindicati sunt, hostium interitum et superbiam carmine epinicio prosequuntur. Hoc quasi prooemio generali praemisso vates ad singulas iam descendit nationes eisque interitum annuntiat, at simul salutem in Sion consequendam, in cultu Domini et in theocratia omnibus praeparatam declarat. Et primo quidem gentes vicinas alloquitur : monet Philisthaeos de tempestate a septemtrione ingruente, qua intellecturi sint omnes Sionem peculiari ratione a Deo protegi; describit (cap. 15. 16) Moabitarum ruinam flebilem, causas calamitatis in superbia et fastu reponi ostendit; monet ut opem quaerant in Sion; ibi enim adesse thronum gratiae; ruina quoque annuntiatur Damasco et Israeli (cap. 17) et causae calamitatis in oblivione Dei et idololatria sitae recensentur; quare is ex iudicio fructus exsistet, ut homo inclinetur ad Factorem suum et oculi eius ad Sanctum Israel respiciant. A gentibus vicinis transit vates ad longe dissitas : iubet nuntiari Aethiopibus (cap. 18) Deum hostes esse subito prostraturum; quo facto fore ait ut ipsi quoque Aethiopes maiestatem Domini venerentur. Aegyptiorum quoque idolis et fastui castigationes denuntiantur severae (cap. 19); at fore promittitur, ut in tribulatione agnoscant Dominum et demum cum Assur et Israel populo Dei accenseantur; in cuius rei pignus initium humiliationis iamiam instare (cap. 20) actione symbolica propheta declarare iubetur. Vaticiniis de gentibus meridionalibus adiungit vates oraculum in gentem aquilonarem, in Babylonios (cap. 21) : inexspectato urbem captum iri; eam autem expugnationem Israelitis solatio esse. Quo melius iudicium Dei universale repraesentetur, etiam gentes minores, Edomitas et Arabes (21, 11-17) ei substare et humiliatum iri annuntiatur et ipsa etiam urbs hierosolymitana media apparet inter gentes iudicanda et punienda; gentium mores imitata est, cum gentibus et per gentes merito iudicatur. Illud ostenditur (cap. 22) eo modo quo et cives se habent miseria ingruente,

dum humana quidem subsidia anxie circumspiciunt, Dei autem monita frivole spernunt, et quo agit ille qui est praepositus domus regiae, qui publicum exhibet exemplum contumaciae et contemptus minarum divinarum. Demum oraculum funditur in Tyrum, ergo in illam civitatem quae occidentem versus latissimum exercuit per commercium et colonias imperium (cap. 23); ita populi omnes, vicini et longinqui, in quattuor plagis habitantes Dei iudicio subiecti exhibentur. Sed etiam Tyriis post ruinam a Domino effectam conceditur instauratio et aperitur spes fore ut prospere agant, dummodo Domino servierint.— Iam iudicia haec particularia comprehenduntur et absolvuntur (uti in prologo cap. 13 innuitur) iudicio quodam generali in orbem universum et in omnem potestatem Deo adversariam sive humanam sive diabolicam (cap. 24), quo iudicio regnum Dei gloriosum constituitur. Norma enim illa : Sion in iudicio redimetur, iam quam late pateat in orbem universum exhibetur. Unde eodem modo sicut per iudicia priora particularia Dei gloria est manifestata et sanctus Deo populus est effectus et eruditus, ita hoc iudicio maiestas Dei revelatur, quam electi ex omnibus orbis partibus summis laudibus celebrant. Qualia bona Deus in regno suo civibus theocratiae paraverit, symbolo declaratur convivii divinitus parati (cap. 25) et explicatur variis hymnis laudis et actionis gratiarum, quas cives theocratiae laetis animis concinunt (cap. 26). Absolvit propheta hanc seriem (cap. 27) monens populum, ut dum Dei iudicia devolvuntur, cum spe et patientia Deum punientem revereatur, et admirans benignam Dei providentiam et misericordiam, qui populum castigat, ut fructus salutis exoriatur, et qui expiatos denuo colliget, ut Dominum adorent in monte sancto in Ierusalem. Unde quod statim ab initio exhibuit, oraculum de monte Sion elevato ad quem omnes confluent, ad id aptissime revertitur vates via iudiciorum omnium delineata.

Uti in tertia oraculorum serie vates id exsecutus esse videtur, quod 8, 9. 10 (cf. 2, 12 seq.) statuerat, ita in quarta serie (cap. 28-37) id latius proponit quod iam 8, 11 seq. et 10, 5 seq. de invasione assyriaca et de fide et fiducia in solo Deo habenda docuerat. Quare in hac quarta serie duo potissimum inculcat : fiduciam omnem quae reponatur in hominibus vel in subsidiis humanis esse penitus abiiciendam; omni autem vi et modo enitendum esse ut firmissima in Deum fides ac spes concipiatur. Ad duo haec efficienda, quibus optima contineatur praeparatio ad invasionem assyriacam debito modo subeundam, omnia in hac serie diriguntur. Quare primo sex orationibus quae a *vae* incipiunt adminicula falsae prudentiae humanae subvertit et ubi verum auxilium et firmissima sit salutis spes ostendit. Quam perniciosum sit recedere a Domino, exemplo discant Samariae eversae (cap. 28); quam indignum pro ci-

vibus Sion imitari stupiditatem, impietatem Israelitarum et ab hominibus sperare opem, ita ut contra Deum animos obdurent! Ubi verum sit atque inconcussum spei fundamentum, vates eodem modo docet, sicuti 7, 9; prudentiam illam humanam, foedus cum extraneis iis fore in perniciem docet, fide vero in Deum piis allatum iri salutem; utinam divinae providentiae suavem agnoscerent dispositionem! Quae sit divini consilii dispositio, declaratur cap. 29 : Ierusalem ita iri angustiis pressum, ut prudentissimi quique quo se vertant iam nesciant; vae illis qui divinis obniti velint consiliis! eo modo quo Domino placuerit, inexspectato liberationem iri concessum. Cum igitur Dominus pro suo beneplacito opem laturus sit, quam stultum sit atque perversum monet propheta (cap. 30), in Aegypto spem ponere; acerbas fore poenas luendas ad hanc perversitatem expiandam; infidelitate sua perituros esse multos; unicam salutis tesseram contineri in spe divina; hac pios iri confortatum; hanc Deum esse remuneraturum eo quod terribili sua maiestate Assyrios sit subito devicturus. Quare denuo vae ingeminat (cap. 31) in eos qui ab Aegyptiis opem efflagitant; Deus enim, iterato vates inculcat, ipse sui populi causam fortiter tuendam suscipiet, non humana vi, sed nutu divino cadet Assur; post ruinam eius in populo Dei reflorebit pietas et iustitia (cap. 32), sed ut hisce virtutibus via paretur, igne vindictae ac punitionis divinae vitia sunt exurenda : hac exustione facta iustitia florebit. Spem divinam ulterius erigit vates (cap. 33) praeclare describens impetum Assyriorum, repentinam eorum ruinam, praeclaram piorum in Deum spem, impotentiam humanam, opem divinam, laetitiam et exsultationem de tanta gloria urbi Ierusalem civibusque concessa. Hisce orationibus sex *vae* comprehensis subdit propheta duas orationes, quibus modo maxime generali sortem depingit contrariam quae maneat pios et impios, fideles et infideles. Describit enim cap. 34 quantam desolationem, iram, vindictam Deus contemptoribus suis sit illaturus; sed cap. 35 laetissimam proponit atque beatissimam salutis imaginem. Unde eligant, utrum iudicem terribilem provocare velint an iucundissima eius bonorum communicatione perfrui! Ita ad quem exitum demum et infidelitas et fides perventura sit, aeque nervose atque eleganter vates proposuit. Tali ergo ratione et huiusmodi sermonibus populum praeparare studuit, ut calamitatem illam quam Achaz impietate sua (cap. 7) adduxerat, pietate ac fide vinceret. Quomodo id revera factum sit, quomodo Ezechias rex pius et cum eo populus fide sua ac fiducia pristinam illam regis populique expiaverint impietatem et poenas luerint et demum servati fuerint, vates cap. 36. 37 enarrat et ita hanc quartam vaticiniorum seriem simulque priorem libri partem absolvit.

Alterius partis argumentum exponetur in Prolegg. ad illa Isaiae oracula in altero huius commentarii tomo.

IV. — De Isaia auctore libri.

Quanta cum cura et fidelitate sua cuique prophetae vaticinia servata fuerint, testimonia insignia habentur in libro duodecim prophetarum, in quo minora quoque effata, uti Abdiae, non solum religiose servata et custodita cernuntur, verum etiam propriis prophetarum nominibus inscripta atque distincta habentur. Eandem curam et sollicitudinem etiam in libris historicis advertere poteris. Ita iam in Pentateucho vaticinia suis auctoribus diligenter attribuuntur; cogita de Lamech Gen. 5, 29, de Noe Gen. 9, 25 - 27, de Isaac Gen. 27, 27, de Iacob Gen. 49; de Balaam Num. 24; de Moyse Deut. 18, 18; de Iosue Ios. 6, 25; de Nathan 2 Reg. 7, 5 seq.; de Michaea 3 Reg. 22, 17; de Iona 4 Reg. 14, 25 etc. etc. Quam curam adeo constanter adhibitam si rite perpenderis et praeterea consideraveris prophetarum libros sedulo fuisse asservatos, id quod ex eorum nominibus atque titulis in libris historicis allegatis [1] patet, facere non poteris quin concedas iam eo ipso quod vaticinia haec omnia uno in libro sub nomine Isaiae fuerint collecta et tradita, firmum gigni argumentum ea revera ad Isaiam auctorem esse referenda. Cur enim apud unum Isaiam id statuendum sit, quod apud alios non evenisse perspicimus, scil. ut vaticinia alterius alteri vati perperam attribuerentur, rationes oportet adesse plane convincentes et eo magis convincentes, quo maiora et graviora sunt vaticinia. Talia enim vaticinia qualia apud Isaiam legimus propter argumenti gravitatem, sublimitatem nemo facile supponet vel ab auctore ignoto fuisse in vulgus emissa vel postquam emissa fuerint ab eorum vero auctore, esse alii prophetae priori cuius oracula iam cognita essent perperam adscripta. Quaero enim, quandonam falso adscripta esse censenda sint? Aut ab auctore ipso emittebantur in vulgus, aut diu post auctoris mortem demum innotuerunt. Prius si dixeris, fieri nequit, ut ita auctor in oblivionem abierit, ut demum alii falso attribuerentur; alterum si assumpseris, iterum fateri cogeris, eo ipso quod Isaiae libro coniuncta sint certum adesse indicium tum cum innotuerint exstitisse de auctore certam atque indubitatam doctrinam et traditionem. Id suadetur a contrario. Exstant enim in canone Iudaeorum multi libri quibus nomen auctoris nullo modo praefixum est vel etiam cernis quasdam partes quae nominibus additis a reliquo volumine distinguuntur (cf. Prov. 25, 1; 24, 23; 30, 1; 31, 1);

1. Vide de libris Samuel, Nathan, Gad prophetarum 1 Par. 29, 29; de Ahia 2 Par. 9, 29; de Addo, de Semeia (2 Par. 12, 15), de Iehu (2 Par. 20, 34), de Hozai (2 Par. 33, 19) etc.

unde iure concludere debebis, si nomina praefixa sunt, collectoribus certis atque indubitatis argumentis de auctore constitisse; si nulla nomina legantur, tum vel ex ipsius libri testimonio de auctore patere (uti est in Pentateucho; Deut. 31, 24), vel ipsis collectoribus de auctore certam scientiam non adfuisse. Temere autem collectores nomina addidisse vel ex coniectura debili si asserueris, eo ipso revinceris, quia multis libris nullum adscripserunt auctoris nomen.

Huic considerationi adde, carmina illa quae apud criticos recentiores in dubium vocantur, iam nota fuisse Ieremiae, Sophoniae; unde eo tempore illa iam exstitisse negari nequit; iam eo tempore innotescere potuit quis eorum sit auctor, et cum semper fuerint coniuncta cum volumine Isaiae, Isaiam quoque auctorem habitum fuisse certum est. Iam si hoc, redit argumentum modo expositum. Quae autem in priore parte hodie Isaiae esse auctoris negantur, haec sunt : 13, 1-14, 23; capp. 15. 16. 21, 1-10; aliqui etiam cap. 23; capp. 24-27; capp. 34. 35. Et de primo quidem, de oraculo in Babel, sufficit commemorasse vaticinium Ieremiae capp. 50. 51, in quo uti *Keil* dicit (Lehrbuch der hist. krit. Einleitung, 2 ed. §. 37, 10) fere singuli versus Isaiae retractati inveniri possint. Idem vaticinium notum erat Sophoniae; cf. Soph. 1, 7; 3, 11 et Is. 13, 3; Soph. 2, 13 - 15 et Is. 13, 20-22 et 34, 11. — Si quis vero contendit, oraculum in Moab capp. 15. 16 ab antiquiore propheta depromptum et ab Isaia operi fuisse insertum, nihil asserit, quod iure possit reprehendi, cum ipse Isaias vaticinium hisce concludat : hoc verbum quod locutus est Dominus ad Moab *ex tunc, et nunc* locutus est etc. (vide in comment.). Vaticinium in Tyrum cap. 23 aliqui Isaiae abiudicarunt (ita *Eichhorn, Ros. Movers, Hitzig, Ewald*) qui illud vel alicui Isaiae discipulo vel Ieremiae attribuunt; at ipse *Ges.* et *de Wette* eorum rationes non rem evincere contendunt; unde alii merito oraculum hoc Isaiae vindicant (cf. *Keil* l. c. *Drechsl. Del. Naeg.*). Oracula vero capp. 24-27 minime possunt in dubium vocari; nam arcte adnectuntur ad antecedentia, ita ut si ab illis avellantur intelligi nequeant; adverte enim sermonem in iis fieri de hoste, de tyrannis, de urbe, de terra sine ullo nomine vel determinatione ulteriore non adiecta; id intelligitur, si vaticinia antecedentia supponuntur, recoluntur, absolvuntur (vide in comment.); nullo modo autem, si vaticinium hoc separatum exstitisset. Insuper horum capitum argumentum quam maxime pendet a prioribus et priora haud raro tanguntur; cf. 24, 13 et 17, 5. 6; 24, 16 et 21, 2; 27, 9 et 17, 8; 27, 2 seq. et 5, 7; praeterea haec vaticinia iam nota fuerunt prophetis Nahum, Ieremiae, Ezechieli; cf. Nah. 2, 10 et 24, 1. Ier. 4, 23-26 et Is. 24, 1-12. 19. 20. 23; Ier. 4, 7 et Is. 24, 10; Ier. 8, 13 et Is. 24, 4 (cf. *Scholz*, Commentar z. Buche

d. Pr. Ier. p. 62. 125. 166 etc.); Ez. 24, 8 et Is. 26, 21; Ez. 29, 3 et Is. 27, 1 (cf. *Keil* l. c.). Eaedem rationes etiam militant pro capp. 34. 35. Arcte enim ad antecedentia pertinent et iam a Sophonia, Ieremia, Ezechiele cognita esse ex eorum libris colligitur; cf. Is. 34, 6. 11 et Soph. 1, 7. 8 et 2, 14; Is. 34, 5-8 et Ier. 46, 10; Is. 34, 6 et Ier. 25, 31; Is. 34, 2 et Ier. 25, 33. 34; Is. 34, 7 et Ier. 50, 27; Is. 34, 6 et Ier. 51, 40; Is. 34, 16 et Ier. 51, 60 seq. Is. 34, 13 et Ier. 50, 39; Is. 34, 3 et Ez. 32, 5. 6 et 39, 11; Is. 34, 6. 7 et Ez. 39, 17-19 (cf. *Keil* l. c.). Ceterum quantopere hae quoque partes in dicendi genere, in metaphoris, in sensibus accedant ad oracula ea quae ab omnibus genuina habentur et ad Isaiam referuntur, in ipsa explanatione satis patebit. De qua re utiliter etiam conferri possunt *Herbst-Welte* (Hist. krit. Einleitung II p. 9. 33 seq.), *Scholz* (Einleitung III p. 313-380), *Horne* (An Introduction II p. 814 seq.), *Keil*, *Drechsler* (in comment.), *von Himpel* (Tübing. theol. Quartalschrift 1878 p. 477. 491 seq.).

Deinde minime omitti debet in serie hac oraculorum consideranda et diiudicanda, quomodo ex illis revera constituatur unum aliquod opus firmo consilio constans, unitate interna compactum, ita ut quae in prioribus partibus quasi semina sparsa fuerint, in subsequentibus crescere et explicari cernantur. Id autem ita esse iam ex argumento proposito (sub n. III) facile perspicitur et in libri explanatione etiam clarius uberiusque demonstrabitur. Talem autem unitatem internam et argumenti incepti explicationem non posse oriri ex fragmentis variis fortuito collectis vel inter se assutis demonstratione haud videtur indigere.

Denique minime tacendum est unam ex primis rationibus, cur vaticinia quaedam Isaiae fuerint abiudicata, eam fuisse quia rerum futurarum certa praedictione a vate facta critici illi offendebantur.. Ita enim ex cap. 13 de expugnatione urbis Babylonis quae tanto tempore post Isaiam facta sit statim concludunt, oraculum illud non esse ab Isaia profectum; dicunt nempe ipso oraculi argumento nos omnino edoceri effatum ultimo exsilii tempore esse ortum (cf. *Bleek-Kamphausen*, Einl. § 201) vel: oraculi auctor loquitur de regno potentissimo babylonico, quo Iudaei exsules opprimerentur; ruinam regni et liberationem exsulum mox fore videt; nominat Medos qui expugnaturi sint Babylonem: haec omnia autem Isaiae non congruunt, quippe qui alias semper de uno regno Assyriorum agat et ad summum vaticinari potuerit nihil aliud nisi fortasse fore aliquando regnum babylonicum et fortasse pericula ex eo regno iudaico iri illatum (ita *Knobel*). Praescribunt scil. critici isti Deo, quid possit et debeat cum suis prophetis communicare et quid non possit, non attendentes quantis se contradictionibus involvant et quot veri nominis vaticinia nullo modo ex libris veteris novique foede-

ris amoveri possint. Insuper falsum est Isaiam solum regno assyriaco occupari (cf. capp. 38. 39; eventus enim ibi narratos tempore Isaiae accidisse nemo negat); et cum regnum babylonicum iam dudum ante Isaiam exstiterit et saepe cum Assyriis de summo imperio varia fortuna pugnatum sit, etsi revelationem divinam omiseris, non adeo difficile erat praevidere Babylonios demum fore Assyriis iterum superiores, uti olim per longum tempus fuerant.

Isaiam esse quoque auctorem alterius partis (cap. 40-66) in Prolegg. ad eam partem demonstrabitur, in altero huius commentarii volumine.

V. — De praecipuis in Isaiam commentariis.

De primis quae exstiterint in Isaiam commentationibus nos docet *S. Hieronymus* (Prolog. comment. in Is. *M.* 24, 20) : « magni laboris et operis est omnem Isaiae librum velle edisserere, in quo maiorum nostrorum ingenia sudaverunt, Graecorum dico. Ceterum apud Latinos grande silentium est praeter sanctae memoriae martyrem *Victorinum,* qui cum apostolo dicere poterat : etsi imperitus sermone, non tamen scientia (2 Cor. 11, 9). Scripsit enim in hunc prophetam iuxta editiones quattuor usque ad visionem quadrupedum in deserto (30, 6) *Origenes* triginta volumina, e quibus vicesimus sextus liber non invenitur. Feruntur et alii sub nomine eius de visione τετραπόδων duo ad Gratam libri, qui pseudographi putantur, et viginti quinque homiliae et σημειώσεις quas nos excerpta possumus appellare. *Eusebius* quoque Pamphili iuxta historicam explanationem quindecim [1] edidit volumina et *Didymus* cuius amicitiis nuper usi sumus, ab eo loco ubi scriptum est : consolamini, consolamini populum meum, sacerdotes, loquimini ad cor Ierusalem (40, 1) usque ad finem voluminis decem et octo edidit tomos. *Apollinaris* autem more suo sic exponit omnia, ut universa transcurrat et punctis quibusdam atque intervallis, immo compendiis grandis viae spatia praetervolet, ut non tam commentarios quam indices capitulorum nos legere credamus ».

Secundum haec *Origenes* Isaiam commentatus est triplici illo modo quo explanationes scribere solebat; per commentarios (tomos), scholia vel breves adnotationes, homilias. Horum autem perpauca usque ad nos perlata sunt fragmenta : duo scil. ex primo et vigesimo octavo libro in Apologia Pamphili pro Origene et novem homiliae in translatione latina

---

1. In libro de scriptoribus eccles. *decem* Eusebii libros in Is. commemorat *S. Hier.* Ceterum haec seu voluminum seu librorum distinctio iam diu periit eiusque ne vestigium quidem in codicibus reperitur; cf. *M.* gr. 24, 79.

quam *S. Hier.* confecit (cf. *M.* gr. 13, 217-234). Tractantur hi loci : cap. 6; 7, 14 seq. 4, 1 ; 41, 2; 8, 18 seq. 10, 10 seq. ; sed pro explicatione parum vel nihil utilitatis ibi invenies. Ceterum de interpretandi ratione Origenis *S. Hier.* inter alia ita loquitur : « liberis allegoriae spatiis evagatur et interpretatis nominibus singulorum ingenium suum facit Ecclesiae sacramenta » (*M.* 24, 154). At dubium non est, quin *S. Hier.* varia ex Origenis commentariis in suum usum derivaverit praesertim in explicationibus mysticis quibus textum graecum exponere solet (cf. contra Rufin. 3, 11). Primum commentarium integrum ex ecclesia graeca habemus ab *Eusebio,* Caesareae Palaestinae episcopo Ὑπομνήματα εἰς Ἡσαΐαν (*M.* 24, 89-526); praeter hunc commentarium, qui interpreti saepe utilis est et varia quoque ex aliis versionibus graecis praebet, consulendae sunt Eclogae propheticae eiusdem Eusebii (*M.* 22, 1192-1261) et explicationes vaticiniorum messianicorum in demonstratione evangelica, praesertim libr. 5. 6. 7. 9 (*M.* 22). De eius commentandi ratione ita iudicium fert *S. Hier.* : « historicam interpretationem titulo repromittens interdum obliviscitur propositi et in Origenis scita concedit » (*M.* 24, 154) et : « Eusebius caesariensis historicam interpretationem titulo repromittens diversis sensibus evagatur, cuius cum libros legerem, aliud multo reperi quam indice promittebat. Ubicumque enim eum historia defecerit, transit ad allegoriam et ita separata consociat, ut mirer eum nova sermonis fabrica in unum corpus lapidem ferrumque coniungere. Hoc breviter admonui, ne quis nos putet ex illius fontibus mutuasse quae dicimus » (ad Is. 18, 2; *M.* 24, 179). At non immerito dicit *Montfaucon* : « attamen ille (*S. Hier.*) bene multa ex hisce commentariis expiscatus est, quorum minimam partem nos variis in locis notavimus » (*M.* 24, 80).

S. Chrysostomi interpretatio (ἑρμηνεία) solum complectitur octo Isaiae capita (1-8, 10); praeterea sex exsistunt homiliae de 6 cap. et una de 45, 7 (*M.* 66, 11-152). Praeter sensum literalem s. doctor applicationes et adhortationes ad mores pertinentes quandoque prosequitur. Inter opera *S. Basilii* fertur quoque explicatio satis diffusa 16 capitum Isaiae (*M.* 30, 118-668) qua praeter sensum literalem tropologicae et allegoricae applicationes proponuntur. Utrum opus sit genuinum S. Basilii necne, disceptant. Aliqui omnino negant, uti Petavius (cf. *M.* 30, 118); iam Drungarius a multis in dubium vocari refert (*M.* gr. 24, 81); sed multi recentiorum opus S. Basilii agnoscendum esse censent (cf. *Alzog*, Patrologie p. 267; *Nirschl*, Patrologie II p. 155; *Cornely*, Introd. I. p. 621); complura ex Origenis et Eusebii commentariis transsumpta videntur. Maioris utilitatis est commentarius *S. Cyrilli* alexandrini (*M.* 70, 1-1450), qui sensum literalem bene explicat, multa ex rerum gestarum

historia ad textum elucidandum affert et dictionis vim et pulchritudinem qua usus est Isaias saepe feliciter declarat; praeterea sensum allegoricum minime negligit et multa ad vitam moresque utilia explicationi aspergit. Multo brevior, soli sensui literali insistens, clarus, concinnus est commentarius *Theodoreti* episcopi Cyri (*M.* 81, 215-494). *Theodori* heracleotae fragmenta explicationis collecta sunt *M.* 18, 1308-1378; κεφάλαια, capitula *Hesychii*, presbyteri hierosolymitani, breve argumentum exhibent oraculorum Isaiae et praesertim quae sint messianica et typica paucis indicant (*M.* 93, 1369-1386). Per modum fere *catenarum* quas vocant antecedentium interpretum commentationes colligit et reliquas quoque versiones graecas saepe affert *Procopius* gazaeus : ἐπιτομὴ τῶν εἰς τὸν προφήτην Ἡσαΐαν καταβεβλημένων διαφόρων ἐξηγήσεων (*M.* 87, 1817-2717).

Ex ecclesia syriaca nominandus est commentarius *S. Ephraem*, qui brevis est (nec omnes locos Isaiae explicat), sensum literalem investigat et rerum gestarum historia breviter relata textum illustrat; vaticinia messianica uberius exponuntur ; editus est syriace cum versione latina (quae tamen est liberior, et potius paraphrasin et varia additamenta refert) in tomo secundo editionis romanae : S. P. N. Ephraem Syri opera omnia quae exstant graece, syriace, latine... syriacum textum recensuit Petrus Benedictus S. I., notis vocalibus animavit, latine vertit et variorum scholiis locupletavit, Romae 1740 (t. 2 p. 20-97).—Scholia *Gregorii Barhebraei* (*Barh.*) in Isaiam e codicibus mss. syriacis musaei britannici londinensis et bibliothecae bodleianae oxoniensis edidit et annotationibus illustravit O. Fr. Tullberg, Upsaliae 1842; satis brevia sunt; ad textum syr. legendum et explicandum utilia sunt.

Inter antiquitatis commentarios principem locum obtinent *S. Hieronymi* commentariorum in Isaiam prophetam libri duodeviginti (*M.* 24, 17-678). Sensum literalem s. doctor diligenter investigat; multa ex Hebraeorum explicationibus, ex historia, geographia, archaeologia affert quae interpreti valde utilia sunt; primus inter interpretes ubique fere textum hebr. ob oculos habet, in vocum difficilium significationem inquirit, saepe referens versiones Aquilae, Theodotionis, Symmachi. Simul cum textu hebr. quem versione latina fideliter reddit, explicat (verum plerumque allegorice vel mystice vel tropologice) textum graecum LXX. Presse vestigia sequitur S. Hieronymi eiusque explicationes fere recolit *Haimo*, episcopus halberstatensis (*M.* 116, 717-1086) ; saepe non exhibet nisi commentarium S. Hieronymi in breviorem formam redactum ; in allegoriis afferendis sobrius est. *Rupertus* abbas tuitiensis in amplo opere « de Trinitate et operibus eius libri 42 » (*M.* 167) etiam explicat Is. capp. 1-12. 51-65; saepius sensum literalem bene explicat; at non placet quod capp. 1-12 plerumque immediate de Christo et de tempore

Romanorum exponit. Allegoricam et moralem explanationem plerumque sequitur *Herveus*, monachus burgidolensis in commentariorum in Isaiam libris octo (*M.* 181, 17-592). Hisce longe utilior est expositio in Isaiam prophetam, quam *S. Thomas aquinas* composuit; explanatio sensum literalem consequitur quem saepe feliciter s. doctor eruit; valde solers est ac diligens in nexu sententiarum indagando, quem quo clarius certiusque investiget, divisiones ac subdivisiones singularum partium subtiliter adhibet; ad verborum sententiarumque sensum explicandum mirum est quot locos s. literarum parallelos adhibeat. Soli textui latino inhaeret, quem (utpote qui sit versio saepius ex textu originali explicanda) linguae hebraicae ignarus non semper rite intelligere potuit. Olim a multis in quaestionem vocabatur sitne haec expositio genuinum S. Thomae opus necne; ita dubitarunt Sixtus senensis, Sasbout, Delrio, Cornelius a Lapide; et dubitatum quandoque est ob expositionem literalem, quae hodie s. doctori laudi vertitur, at quae a communiter tunc temporis recepta recedebat. Ita Cornelius a Lapide rationibus internis expositionem non esse s. doctoris ostendere conatur : « in multis iudaizat; exempli instar sit 8, 1 accede ad prophetissam, hoc est, inquit, ad uxorem tuam, o Isaia, qui sensus iudaicus est ». Opus genuinum defendunt Trivetus (in chronico ad ann. 1274), Bernardus Guidonis apud Oudin (cf. *Werner*, der hl. Thomas I p. 123), de Rubeis (dissert. 2 c. 1. t. 14) et esse genuinum hodie certo omnino constat (cf. Theolog. Zeitschrift, Innsbr. 1878, p. 222). Hoc commentario frequenter usus est *Nicolaus Lyranus* in sua Postilla, una re S. Thomam superans, linguae scil. hebraicae scientia (cf. *Cornely*, Introd. I p. 661).

Thomas de Vio Card. *Caietanus* morte praeventus reliquis suis operibus exegeticis explicationem prophetarum addere non potuit; de eius in Isaiam explanatione non exstat nisi explicatio trium priorum capitum Is. (1, 1-3, 8). — *Hieronymus Oleaster* († 1562) ord. praed. in sua commentatione sequitur versionem Santis Pagnini; sensum literalem sequitur et verborum etymologias et significationes diligenter exquirere studet (cf. Nic. Antonius, bibl. hisp. nova I p. 592). — *Franciscus Forerius* (Foreiro) ord. praed. († 1581) ubique diligenter textum hebr. expendit, saepe feliciter explicat; de eo iudicat *Rosenmüller* : « indagavit in singularum vocum proprias significationes et integrarum sententiarum sensum et nexum non minori diligentia quam iudicio ». Eius commentarius quoque receptus est in opere illo grandi cui titulus est Critici sacri (tom. 4) et denuo excusus est in Scripturae sacrae Cursu completo, quem edidit *Migne*, Parisiis 1852, tom. 18. — Commentarium *Adami Sasbout* iuremerito laudat Cornelius a Lapide tamquam quo litera docte ac pie apteque ad mores explicetur; insuper commentarius est

brevis et literae inhaerens neque ad allegorias evagatur. — Haud spernenda est *Hieronymi Osorii* lusitani, episcopi silvensis paraphrasis in Isaiam ; haud raro bene vim et elegantiam textus imitatur et saepe feliciter sensum attingit, solum nimia verborum affluentia frequenter turgida; variae habentur editiones : Bononiae 1577 ; Coloniae 1579, 1584 (cf. *Hurter*, nomenclator liter. I p. 57). — Quamvis *Ioannes Maldonatus* S. I.(† 1583) in veteris testamenti explanatione non eam adeptus sit laudem quam suo iure sibi vindicat in explanatione evangeliorum, tamen commentarius eius in Isaiam laude dignus et ab interprete non est negligendus; textum enim hebr. diligenter consulit et expendit et sensum literalem breviter ac dilucide proponit. Receptus est commentarius eius in opus biblicum editum Venetiis in 28 tomis : Biblia sacra... cum selectissimis litteralibus commentariis. — Composuit *Leo Castrensis* (Castrius, † 1586) commentaria in Esaiam prophetam ex sacris scriptoribus graecis et latinis confecta adversus aliquot commentaria et interpretationes quasdam ex rabbinorum scriniis compilatas ; ingens, ut ait Cornelius a Lapide, scripsit volumen; totus est in versione LXX explananda estque in Patribus versatissimus ac hostis acerrimus Iudaeorum, contra quos omnia pene Isaiae dicta torquet (cf. *Nic. Antonius*, bibl. hisp. nova II p. 14; *Hurter*, nomenclator lit. I p. 163).— Mentione digna sunt et quandoque etiam consulenda *Hectoris Pinti* lusitani, ordinis divi Hieronymi, in Esaiam prophetam commentaria, quae saepius edita sunt (Lugduni 1561. 1567. 1584. 1617. Antwerpiae 1567. 1572. Parisiis 1617. Coloniae 1616); verum est quod de eo Nic. Antonius : hunc stilum semper secutus fuit Hector, ut literalem prius libri sensum explicaret, deinde ad finem singulorum capitum ex hebraeo, chaldaeo graecoque annotationes subnecteret; et Cornelius a Lapide : scripsit succulenter, saepe ad moralia excurrit.

Alios quoque accipe commentarios quibus quanta diligentia lectio Isaiae fota sit luculenter probatur : *Arias Montanus* († 1598) scripsit commentaria in Esaiae sermones, Antwerp. 1599 (cf. *Nic. Antonius* l. c. I p. 208; *Hurter* l. c. 151). *Michael de Palacios* tribus voluminibus edidit dilucidationum et declamationum tropologicarum in Esaiam prophetam libros quindecim (Salmanticae, 1572 — cf. *Nic. Antonius* l. c. II p. 143); *Thaddaeus Guidellus* († 1606) ord. s. Aug. duo edidit in Isaiam volumina (cf. *Calmet*, biblioth. s. *Hurter* l. c. I p. 365); *Gabriel Alvarez* S. I. († 1645) in duobus voluminibus Lugduni 1622 edidit Isaiam expositum; *Andreas Lucas de Arcones* S. I. († 1658) scripsit Isaiae prophetae dilucidationem literalem, mysticam et moralem, exornatam discursuum varietate, Lugduni 1642. 1652 (cf. *de Backer*, bibliothèque des écrivains de la C. de J. I. p. 271; *Nic. Antonius* l. c. I p. 79. 503). *Didacus*

Alvarez († 1632) ord. praed. publici iuris fecit commentaria in Isaiam prophetam iuxta sensum literalem et moralem cum annotationibus ss. Patrum et aliquibus animadversionibus in gratiam praedicatorum in unum collectis, Romae 1599. 1615 etc. (cf. *Nic. Antonius* l. c. I p. 265; *Hurter* l. c. I p. 517).

Tum commemorandi sunt ii qui integram s. Scripturam vel saltem libros plerosque commentariis vel adnotationibus illustrarunt; verum quia de iis iam sermo erat in commentariis quos in Iobum et in prophetas minores edidi et insuper eos recensitos invenies apud *Cornely,* Introd. I p. 678 seq., nomina aliquorum h. l. adscripsisse sufficiat: *Sa, Mariana (Mar.), Malvenda (Malv.) Sanctius, Tirinus (Tir.), Cornelius a Lapide (Lap.), Menochius (Men.), Gordonus, Calmet;* scholia vel annotationes quoque ediderunt *Vatablus (Vat.), Clarius, Estius;* alios qui totam s. Scripturam commentati sunt recensui in Comment. in Iobum p. 26. 27. Iis adde *Dionysium Carthusianum* (cf. *Cornely,* Introd. I p. 665), *Danielem Huetium,* qui in demonstratione evangelica vaticinia messianica exponit et utriusque testamenti parallelismum exhibet, *Henricum Kilber,* unum ex praecipuis theologiae wirceburgensis auctoribus, qui omnium sacrorum librorum analysin reliquit (Heidelbergae 1773-79), cuius meliorem editionem curavit *Tailhan* S. I. Parisiis 1856, additis multis notis, in quibus ad omnia fere vaticinia messianica locos ss. Patrum fideliter et accurate indicat (cf. *Cornely* l. c. p. 698).

Ex tempore recentiore hos accipe: *Laurentius Reinke* insigni diligentia vaticinia messianica explicavit, difficultates criticas et exegeticas fuse pertractans, aliorum interpretum sententias copiose referens et diiudicans; ad Isaiam spectant: Exegesis critica in Is. 2, 2-4 (Monast. Guestfal. 1838); in Is. 52, 13-53, 12 (ibid. 1836) et praecipue: Die messianischen Weissagungen, Band I und II (Giessen, 1859. 1860); in priore tomo p. 19-46 amplus exhibetur conspectus commentariorum in Isaiam, qui a ss. Patribus, interpretibus catholicis, protestanticis, iudaicis adornati sunt. Praeterea: Weissagung von der Jungfrau und Emmanuel (1848). — *Petrus Schegg*: der Prophet Isaias übersetzt und erklaert, München 1850.

Ioh. Bade, Christologie des alten Testamentes, III. Theil in qua parte praesertim loci messianici Isaiae explicantur (p. 1-492), Münster 1851. — *G. K. Mayer,* die messianischen Prophezieen des Jesaias, Wien 1863. — *Aug. Rohling,* der Prophet Jesaja übersetzt und erklaert, Münster 1872. — *B. Neteler,* das Buch Isaias aus dem Urtext übersetzt und mit Berücksichtigung seiner Gliederung und der auf seinen Inhalt sich beziehenden assyrischen Inschriften erklaert, Münster 1876.

— *Trochon,* Isaïe, introduction critique et commentaire, 2. ed. Parisiis 1883. — Aliquos locos ex Isaia messianicos etiam explicavit *Corluy* S. I. Spicilegium dogmatico-biblicum (I p. 394-442. II p. 82-111), Gandavi 1884. — Ipse quoque edidi ante aliquot annos commentarium lingua germanica conscriptum : *Knabenbauer,* Erklaerung des Propheten Isaias, Freiburg i. B. 1881.

Commentarios editos a protestantibus luculenter enumerant : *E. F. C. Rosenmüller* (*Ros.*), scholia in v. test. p. III 1. X-XXIV; *Gesenius,* der Prophet Jesaja, II 1 p. 127; *Keil,* Lehrbuch der historisch-kritischen Einleitung p. 205; *Naegelsbach,* der Prophet Jesaja p. XXXII; *Delitzsch,* biblischer Commentar über den Propheten Jesaja; 3° ed. p. XXXVI seq., *Zoeckler,* Handbuch der theolog. Wissenschaften 1885.

Specimina interpretationis rationalisticae habes in comment. quem edidit *Gesenius* (*Ges.*), quem edidit *Knobel* (*Kn.*) : der Prophet Jesaja; vierte Auflage, herausgegeben von *Diestel,* Leipzig 1872. Ad protestantes, qui vocari solent orthodoxi et qui vera tuentur vaticinia et inspirationem s. literarum defendunt et hisce innixi Scripturam s. exponere et vindicare ab incredulorum obiectionibus conantur, cumprimis in Isaia explanando adnumerandi sunt : *Drechsler,* der Prophet Jesaja, 3 Theile, Stuttgart 1845. 1849 (capita 28-39 ex schedis auctoris edita sunt a Franc. Delitzsch et Aug. Hahn; capita 40-66 retractavit et explanavit Aug. Hahn); *Naegelsbach* (*Naeg.*), der Prophet Jesaja, theologisch-homiletisch bearbeitet, Bielefeld und Leipzig 1877; *Fr. Delitzsch,* biblischer Commentar über den Propheten Jesaja, 3. Ausgabe, Leipzig 1879; (*Del.*) . *C. I. Bredenkamp* (*Bred.*), der Prophet Jesaja, Erlangen 1886, erste Lieferung cap. 1-12.

LIBER ISAIAE

PARS PRIOR CAP. 1-37.

Prologus Cap. 1.

Arg. — Titulo prophetiae praemisso sollemni attestatione coeli et terrae accusantur Israelitae maximae in Deum ingratitudinis, stuporis, perfidiae; ea autem scelerum enormitas cernitur in maximis poenis et calamitatibus, quibus regnum universum prostratum iacet et Sion vastitate et luctu afficitur ita, ut ab interitu et ruina pauci solum per Dei misericordiam servati sint (1, 1-9). Quantopere corde et animo a Deo sint alieni, vates graviter denuntiat nomine Dei reprobans sacrificia ab iis oblata, sollemnitates celebratas et orationes factas, quia manus eorum caedibus et iniustitiis maculatae sunt. Postulat enim Deus animos a scelere puros, postulat probitatem, iustitiam, misericordiam; si talia praestiterint, veniam iis pollicetur et prosperitatem; si renuerint, gladio eos consumptum iri minatur (1, 10-20). Miratur vates conversionem luctuosam quae nunc cernatur: olim in Israel aderant iusti ac probi, nunc duces iniustitiis pleni sunt. Quare acerrimum iudicium necessario ingruit et quidem tale iudicium quo Deus sanctitatem et iustitiam restituet, induratos autem peccatores punitionis severitate conteret (1, 21-31).

Tribus igitur strophis prologus absolvitur, quarum unaquaeque populi scelera, poenas debitas, instaurationis spem proponit. Uti in prima populus accusatur in universum, ita in altera reprehensio continetur tacita sacerdotum, cum sane non sine eorum culpa talis Deo exhibeatur cultus qui propter colentium scelera Deo nauseam creet et fastidium; in tertia vero reprehenduntur principes et iudices, qui vi muneris legum esse deberent custodes ac vindices, verum ipsi omne fas et ius turpiter calcant. In prima stropha poenae ob oculos ponuntur, quibus respublica iam undique afflicta est; in altera interitus per gladium, in tertia varia excidii genera proponuntur. Simili ratione spes instaurationis triplici gradu exhibetur; et in prima quidem stropha v. 9 spes illucescere eo saltem incipit, quia sine ullo merito ab extremo excidio et plena abiec-

tione a Domino servati sunt; in altera stropha conditiones declarantur, quibus impletis Deus ad bona praeclara largienda paratus est; in tertia autem ipsa instauratio tamquam finis et terminus statuitur, ad quem omnia Dei iudicia contra Israel exercenda recta tendant atque convergant. Vult enim Deus sibi parare populum perfectum; quare iudicia devolvuntur quibus deleta peccatorum iniquitate demum efflorescat vera iustitia. Quare iudicia Dei sunt *in ruinam et in resurrectionem.*

Ut *S. Thom.* dicit, inducitur titulus ad manifestandum operis genus, auctorem, materiam, tempus: « *Visio Isaiae filii Amos quam vidit super Iudam et Ierusalem in diebus Oziae, Ioathan, Achaz et Ezechiae, regum Iuda* »; — *visio* generatim eiusdem notionis est ac prophetia; petitur appellatio e modo quo prophetae vel *videnti* res interne a Deo demonstrantur; erant enim vates, ut *S. Cyr.* ait, saepe rerum spectatores vel res futuras tamquam praesentes menti exhibitas cernebant (*Theod.*). Simul autem, ut bene monent *Procop. Caiet. Pint. Malv.*, in nomine visionis maxima exprimitur certitudo qua propheta sibi intime conscius est se res a Deo acceptas communicare. Quare iuremerito in tali titulo simul id exprimi censet *S. Chrys.* vatem non sua cum hominibus communicare, sed ea quae ipsi a Deo sint commissa et indita, simili modo, prout idem adnotat, ac S. Paulus nomine apostoli epistolis praemisso suum asserebat ius et suam tuebatur auctoritatem; proinde visionis nomen titulum exhiberi iuris quo loquatur et cum reverentia ac submissione audiendus sit tamquam Dei interpres ac internuntius qui Dei mandata ad homines perferat. Cur vates dicat *super Iudam et Ierusalem,* cum tamen in subsequentibus de aliis quoque populis bene multis sermo fiat, ex recta theocratiae notione facile explicatur. Munus enim propheticum theocratiam spectat seu regnum Dei, quod hisce in terris sit stabiliendum et propagandum et demum omnes populos in suum sinum ac gremium collecturum. Quare quaecumque propheta videt et loquitur, ad regnum Dei referuntur et ad eam providentiam divinam qua regni eius institutio, defensio ab hostibus, indoles, incrementum regitur et declaratur. Haec autem theocratia in V. T. consistebat in Iuda et Ierusalem; Ierusalem et templum et arx regia huius theocratiae centrum erat; ibi enim verus Dei cultus exercebatur, rex Iuda sedebat in throno regni Iahve super Israel (1 Par. 29, 23; cf. 2 Reg. 7, 13. 24. 26) et populus Israel electus erat in regnum sacerdotale (Ex. 19, 6). Atque uti multis iam vaticiniis antea datis constabat, ex illa theocratia salus et benedictio promanatura erat in omnes gentes, vel aliis verbis: theocratia illa in Iuda et Ierusalem fundata ratione quadam sublimiore cum plenitudo temporis advenisset, extendenda erat per universum

orbem. Quare cunctorum vaticiniorum ratio ac summa iuremerito continetur atque concluditur in Iuda et Ierusalem. Idque eo magis quoque pro tempore Isaiae cernitur, quia quidquid de aliis populis vel minarum annuntiat vel fausti ominis praedicit, intimo nexu cum rebus Israelitarum invenies colligatum. Aut enim populi extranei perhibentur a Deo missi et adhibiti, ut populum theocraticum propter peccata admissa castigent eumque edoceant quam malum sit et amarum dereliquisse Dominum Deum, aut tamquam hostes regni Dei sese exhibent, quorum superbia et potestas iudicio Dei sit prosternenda, ut impedimentis remotis regnum Dei in universos diffundatur. Si igitur vates materiam prophetiae designat esse *de Iuda et Ierusalem*, tantum abest ut incompletum aliquid asserat, ut id potissimum efferat quod totius muneris prophetici culmen est atque perfectio. Ad quod utique opus est Iudam et Ierusalem eo quo dixi sensu intelligere; ea autem ratione ab Isaia revera Iudam et Ierusalem considerari, non opus est hoc loco latius prosequi, quia totius libri explicatione absoluta quam vere id dicatur luculentissime innotescet.

Cum titulum hunc multi interpretum non sensu theocratico, sed mere historico et profano, non ex mente prophetae quae ex eius vaticiniis indubie colligitur, sed ex obvio quasi sono et cortice explanarint, mirum non est quod ad amplissimum libri argumentum eum parum esse aptum iudicaverint. Inde autem in varias abierunt sententias: alii enim titulum non ab Isaia positum esse opinabantur; alii priorem solum partem ei attribuebant, alteram autem ei adscribebant quem varia vaticinia sub Isaiae nomine collegisse sibi persuadebant; alii titulum esse quidem ab Isaia positum, sed solum ad 12 priora capita referri asserebant (cf. *Diest.*). Sed haec omnia frustra coniectantur. Alii qui omnia vaticinia in libro contenta Isaiae attribuunt, titulum ita explanant, ut eum ex parte totum declarasse dicant (*Barh.*), vel ut quae potissima sint ac praecipua, eo protulisse censeatur (*Calm.*) aut ea solum titulo consignasse, quibus reliqua magno licet numero ac mole serviant (*Sanct.*); id quod prope accedit ad explicationem supra propositam. Etiam propius accedit quod adnotant *Caiet.* et *Pint.*, principalem intentionem libri esse tractare mysterium Messiae, cuius praecipua mysteria futura essent in Iudaea et Ierusalem.

Secundum explicationem datam etiam illud *super* sensu generico accipi debet, ut significentur vaticinia et rerum futurarum visiones *de* Iuda et speciatim de Ierusalem quae urbs tamquam regni caput post mentionem totius regni peculiari emphasi effertur. Hanc acceptionem etiam commendat *S. Hier.* laudans Symmachum, quia non ut LXX et Theodotio *contra Iudaeam et Ierusalem* interpretatus sit, sed « more suo manifestius *de Iuda et Ierusalem*, ut nec prospera nec adversa velit titulo demonstrari, sed ea quae de Iuda et Ierusalem in utramque partem propheticus sermo praedixerit ».

a) **Populi ingratitudo ac scelera exagitantur 1, 2-9.**

Ut vates sceleris israelitici enormitatem et Dei indignationem maximo pondere efferat, grandi utitur exordio; illa enim animo repetens beneficia maxima quibus Israel erat cumulatus et cernens eorum stupiditatem et incredibilem animorum duritiem magna cum emphasi clamat v. 2 « *Audite coeli et auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est: filios enutrivi et exaltavi; ipsi autem spreverunt me* »! — bene monet *Pint.*: « intuere huius principii amplitudinem et maiestatem! Voluit sanctissimus vates et eloquentissimus orator coelum terramque in exordio invocare, ut rerum dicendarum magnitudinem ostenderet et auditorum animos attentos redderet ». Sed non id tantum, verum etiam, ut advertit *S. Chrys.*: « multa plenum est ira hoc exordium; nisi enim ingens esset et ineffabilis indignatio nequaquam missis hominibus ad elementa sermonem vertisset ». Praeterea sermonis vis ex eo crescit quia verba deprompta sunt ex cantico Moysis (Deut. 32, 1), Moyses autem coelum et terram invocaverat testes, quod legem populo tradidisset et quod per inobedientiam legis essent perituri (cf. Deut. 4, 26; 30, 19) et canticum illud voluit esse in testimonium contra eos (Deut. 31, 28). Cum ergo vates istis utatur vocibus, eventum auditorum mentibus obviam fert grandem: Moysen eis ostendit coelum et terram obtestantem, ut sicut fuerint testes legis divinitus datae, ita etiam sint vindices legis a perfidis turpiter violatae. Requirit enim, ut ait *S. Thom.*, creaturam in testem in iudicium peccati, quae etiam fuerat testis in obligatione praecepti (sim. *S. Hier. Theod. Basil.*). Cur autem coeli advocentur et terra, ipsa sacra historia edocemur; non enim solum propterea invitantur, quia ipsa nutui Dei obsequentia pluviam et fertilitatem afferant et beneficia populo Dei conferant, ideoque merito testes contra ingratos citentur (cf. *S. Ephr. Zeno veron. M.* 11, 462), sed quia erant quasi instrumenta Dei in liberatione populi ex servitute aegyptiaca: « creatura enim a Domino contra inobedientes et rebelles est armata; e supernis enim et e coelo plurima et conspicua signa facta sunt, plurima item et in ipsa terra mirabilia.... itaque perinde quasi ipsa elementa tantum non frustra pro his qui liberati fuerunt laborassent, *audi*, inquit, *coelum..* » (*S. Cyr.*). Adde quod in ipsa legis promulgatione coelum et terra suas quoque partes ad legis reverentiam inculcandam praestiterunt: « de coelo te fecit audire vocem suam et in terra ostendit tibi ignem maximum » (Deut. 4, 36). Quare iuremerito nunc invocantur ut arbitri transgressionis, cum alias quoque ut instrumenta divinae ultionis appellentur (Ps. 49, 4. Sap. 16, 24. *S. Thom.*).

Quando autem illis ut instrumentis divinae vindictae scelera hominum panduntur vel si tamquam testes advocantur, non adeo longe aberit cum multis cogitare etiam de iis quae in coelis et in terra continentur, cogitare de angelis et hominibus, quos universos tamquam scelerum testes et vindices contra ingratum populum appellet vates (cf. *S. Hier. Theod. heracl. Procop. Barh. Herv. Pint. Rohl.*).

Compellari coelos et terram tamquam testes vera est plurimorum interpretum et veterum et recentiorum explicatio. Pauci contra eam excipiunt, solum advocari coelos et terram, ut *audiant*, quia sequatur *quoniam Dominus loquitur* (cf. *Kn. Diest.*), et si Dominus loquatur, utique decere ut omnia attente audiant (*Ros. Hitz.*). At isti non attendunt, admonitionem minime fieri in universum ac quasi indeterminate, ut audiant, verum ut audiant Dominum conquerentem de populi electi infidelitate et apostasia. Sed cum populi electio et legis promulgatio signis iis sit facta quibus coelum et terra in unum quasi conspirabant, cum insuper Moyses coelum et terram testes invocaverit et canticum populo tradiderit eadem invocatione insignitum, fieri non potuit quin propheta eum sensum verbis inderet quem ex historia populi electi et ex Moysis verbis iis inesse perspicuum est. Quam efficacia verba sint eo sensu accepta et quam praeclarum efficiant prooemium, quantas simul minas perfidis indicent, facile assequeris, si tecum perpenderis Deum qui tantis miraculis populum sibi elegerit sane maximis poenis esse perfidos prosecuturum. Simul eadem verba animum prophetae intime tangi ac commoveri de tanta populi infidelitate clarissime produnt. Similia vide Ier. 2, 13. Mich. 1, 2 ; 6, 2.

Iam causa tanti affectus et obtestationis panditur : divina enim maiestas benignitate immensa tot ac tanta conferre dignata est beneficia et naturalia et supernaturalia eaque maxima fidelitate per longum iam saeculorum cursum populo servari voluit; illi vero non opponunt nisi infidelitatem, contemptum, apostasiam. Quare dicit *filios educavi* vel *crescere feci* (hebr.) [1] i. e. populum hunc Deus peculiari ratione sibi elegit et in filium primogenitum adoptavit (Ex. 4, 22) electumque omni cura et sollicitudine fovit. Cernitur id iam in vocatione et electione Abraham et in promissis divinis ei factis — quare ea saepe in memoriam revocantur; cf. Is. 29, 22; 41, 8; 51, 2; 63, 16 — cernitur in peculiari providentia tempore patriarcharum ei stirpi impensa; inde repetitur li-

---

1. Bene advertit *For.* · « verbum proprie *magnos facere* notat; hoc tamen verbo Hebraei etiam *educationem* seu *nutricationem* significant, ut 2 Reg. 10, 6 *educantes* ». Adde v. g similem notionem in Num. 6, 5. Is. 44, 14; 49, 21. Ez. 31, 4. Ion. 4, 10. Dan. 1, 5; cf. *Ges.* Thes. p. 266. Notat *Caiet.* dictionem sonare *grandivi*. LXX habent ἐγέννησα; cf. Deut. 32, 18 Deum (hebr. *petram*) *qui te genuit dereliquisti. Chald.* sensum exprimit : vocavi eos filios, dilexi eos.

beratio ex Aegypto; inde enascitur electio « in peculium de cunctis populis » et foedus sollemniter in Sinai monte conclusum (Ex. 19, 4 seq.). Crescit beneficii magnitudo, si cum *S. Chrys.* expendimus, ex qua conditione fuerint assumpti; cf. Ez. 16, 3 seq. Hos autem filios etiam *exaltavit* i. e. « quae in Aegypto, quae in deserto, quae in Palaestina gessit, uno verbo carptim tetigit » *(S. Chrys.)* et « enutrivi filios in Abraham, Isaac, Iacob; exaltavi in Moyse, Iosue, David, educendo illos mirabiliter de terra Aegypti, dividendo illis terram, decorando illos regalibus victoriis » *(Rup.)*. Omnia decora populo olim collata, legislationem, regni splendorem, victorias et hostium deiectionem, insignium prophetarum missionem etc. in exaltatione comprehensa facile intellexeris (cf. *S. Cyr. Theod. heracl. Procop. Thom. Pint.)*; inde petuntur nomina quibus Israel honoratur *gens sancta, electa, regnum sacerdotale.* Haec divinorum beneficiorum commemoratio (cf. Deut. 4, 32-66; 32, 9 etc.) eo magis tempore Isaiae Iudaeorum animos tangere debuit et maiore pudore afficere, quia Azaria rege conditio prospera et florens iis concessa erat (cf. 2 Par. 26, 8); unde gravior quoque exsistit accusatio et reprehensio. Eundem in finem prophetae beneficia Dei ingratis solent in memoriam revocare; cf. Os. 7, 15; 9, 10; 11, 1. Am., 2, 10. 3, 2. Mich. 6, 4.

Sed quid tot ac tantis Dei favoribus rependerunt? illi vero *defecerunt a me* (hebr.) i. e. perfide desciverunt, rebellarunt (cf. *Caiet. Mald. Malv.)*. Quantopere foedifragi et rebelles facti sint et in rebus religiosis et civilibus, in subsequentibus prophetae sermonibus satis declaratur. Hic nervose et breviter uno verbo פָּשַׁע perfidiam et defectionem omnis generis designat vates. Statimque quam enorme sit crimen et quantopere ab omni veri rectique sensu recedat, comparatione illustrat v. 3 « *cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe domini sui; Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit* »; — bruta animalia beneficiis demulcentur [1]; iumenta heros agnoscunt et sequuntur; *Israel* (nomine utitur honorifico ad pudorem incutiendum; cf. Gen. 32, 28) *non scit, populus meus non intelligit;* hebr. enim dicitur absolute i. e. populus *meus*, a me exaltatus et ex nomine meo appellatus mihique addictus sensu caret et intelligentia. In hac compellatione et dolor et indignatio et tantae stupiditatis et ingratitudinis admiratio efficaciter notantur; « illi autem ne hoc quidem fecerunt quod bruta faciunt animalia, ut beneficiis vincerentur et intelligerent pastorem ac nutricium suum; nec comparavit eos canibus, quod sagacissimum genus animantium

---

1. De huius loci accommodatione quae saepius invenitur, vide quae notavi ad Hab. 3, 2.

est et pro parvo cibo dominorum tecta defendit, sed stolidioris sensus bovi et asino » *(S. Hier.)* vel, ut ait *S. Chrys.* : « brutorum stupidissimis eos confert illisque peiores esse ostendit »; in tauro enim, ut notat *For.*, ferocia, in asino stoliditas non auferunt cognitionem sive sensum dominorum; plus ergo quam tauri sunt intractabiles Iudaei et magis quam asini stolidi qui non cognoverunt Deum (sim. *Ephr. Haim. Caiet. Mald. Calm.)*. Ea enim comparatione stupor et vecordia hominum ita significantur, ut non videantur exprimi posse significantius *(Sanct.)*. Duplicem in ea argui ignorantiam *S. Thom.* censet : scil. ipsius Domini eiusque legis, vel forte melius ad *praesepe*, beneficiorum eius. Quae igitur natura duce et mero naturae impulsu atque instinctu fiunt, ea ratione praeditis proponuntur, ut quantopere a recto ordine deviaverint, cum sui erubescentia agnoscant. Talis loquendi modus simul loquentis dolorem et indignationem effert et significanter prodit, in quantum ea scelera detestetur; cf. Ier. 8, 7. Prov. 6, 6. Adde quod animalia illa in heri utilitatem aluntur; Deus autem populum adoptavit, non ut sibi quidquam commodi afferret, sed ut bona cuncta soli obtingerent populo.

Iam exponitur quam vere talia reprehendantur et quantopere defecerint a Domino : v. 4 « *vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis! dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum* »; — *vae* vox est abominantis, detestantis, indignantis et ob crimina iustam punitionem imprecantis (cf. *For.)*; attende paronomasiam in hebr. *hoi goi* et « respice congeriem rhetoricam, qua significat esse Hebraeos omni scelerum genere contaminatos » (*Pint.*). Vocantur enim *quattuor* nominibus, quibus undique scelesti declarantur; et quantopere desciverint a Domino (v. 2) *tribus* modis exprimitur; en numerus septenarius talis qui sit quam maxime sanctitati oppositus! Singula membra explicatius exponunt, quam longo iam intervallo distent ab ea populi electi forma quam in lege mosaica expressam cernimus : nomine *gentis* appellantur, quae vox plerumque extraneos et idolorum cultores dicit; iam non est populus *sanctus* (cf. Ex. 19, 6; 22, 31. Lev. 20, 7) sed *gens peccatrix;* non est « populus sapiens et intelligens, gens inclyta, populus sanctus, peculiaris, populus hereditarius Dei, pars Domini » (Deut. 4, 6. 20; 7, 6; 9, 29; 14, 2. 21 ; 32, 9), sed populus iniquitate onustus et pondere iniquitatis oppressus (*Osor.*); iam non sunt semen sanctum et pia sanctorum patrum soboles, verum *semen iniquorum* (hebr.) [1] i. e. proge-

1. Notat *S. Hier.* : « ceteri (alios interpretes dicit praeter LXX) hebraicum מרעים *mereim* interpretati sunt *pessimorum* ».

nies a malis parentibus sata et prognata, quae proinde inolitam habet impietatem; sunt scil. ex parentibus improbis filii improbi (cf. *S. Cyr. For. Sanct. Vat. Mald. Mar.*). Ita locutionem esse accipiendam, ipso contextu et gradatione suadetur. Nam quod aliis placet explicare *genus constans improbis* (cf. *Kn. Drechsl. Rohl.*), nec verbis satisfacit (attende enim quid sibi velit encomium illud : *semen Abraham* Is. 41, 8; 45, 19), nec enumerationis gradationi; nunc enim subditur eos qui ab improbis descendentes improbitatem quasi iure hereditario habeant, etiam popria iniquitate hanc hereditatem auxisse, sunt enim iam non filii Dei, sed *filii scelerati,* filii *corruptores* vel *perditores* ex hebr. qui agunt *perdite,* seipsos et alios perdunt. Et tales facti sunt, quia *dereliquerunt Iahve,* Deum foederis et fontem omnis perfectionis; immo eum respuerunt, dicteriis prosciderunt et ore blasphemo *Sanctum Israel* violarunt. *Sanctus Israel* Deus cum emphasi dicitur (cf. Is. 6, 3), qui quo magis est ipse sanctus et imaginem sanctitatis suae relucere vult in populo electo [1], eo maiore odio eos persequetur qui linguis sacrilegis sanctitati eius conviciari non verentur. Eos iam describit vates qui Deum odio habent quia sanctus est et sanctitatem postulat, qui igitur altiore quodam gradu Deum dereliquerunt. Tertio demum eos designat, qui *abalienati sunt retrorsum,* qui plane a Deo aversi in hac abalienatione iam obdurati sunt et consulto mente et voluntate omnem Deo nuntium remittentes et terga vertentes nec hilum de eo curant. Et talis quidem apostasia culmen perversitatis ascendit.

Idem eo quoque ostenditur, quia poenae et castigationes in correptionem a Deo inflictae nullum fructum attulerunt. Ita scil. Deus eos castigavit, ut in toto corpore iam non sit sine vulnere locus, ut omnes reipublicae partes poenis sint afflictae; attamen peccare non cessant. Unde quia nihilominus peccatum quodvis suam exigit poenam, Deus humanos induens affectus (*Sanct.*) eos non sine sarcasmo interrogat, qua in parte se demum percuti velint quia continuo augeant praevaricationem : v. 5 « *super quo percutiam vos ultra addentes praevaricationem* »? — hebr. *super quo percuti vultis adhuc? additis* (augetis) *defectionem;* ut peccantes ad scelerum conscientiam revocet, eos quasi consulit dicens : ecce iam tot plagas excepistis, ut iam nullus supersit vulneri locus, et tamen peccata additis peccatis; in qua ergo parte debitas vobis poenas infligam? Qua interrogatione simul indicatur frustra omnia remedia correctionis esse tentata; quare adnotat *S. Basil.* :

---

1. Inde facile quoque perspicitur, cur idola et cultus idolorum spurcitiis plenus iis nominibus designentur, quae *abominationes, foeditates* dicunt; cf. שִׁקּוּץ, תּוֹעֵבָה et sim.

« haec vox est deficientis et de correctione desperantis » et *S. Thom.* hinc peccati incorrigibilitatem ostendi merito asserit; neque minus ea quaestione panditur, Deum instar solliciti medici, ut ait *Sanct.*, quem morbi prolixitas et in dies peior status gravat et frangit, significare nullum esse supplicii aut medicamenti genus quod in corrigendo populo non ante sit expertus; « afflixit enim fame, bello, peste, servitute, quare in illius caput totam videbatur hoplothecam exhausisse ».

In vertenda et explicanda particula עַל־מֶה in varias partes abeunt interpretes. Alii enim interpretantur locutionem ex usu communi quo saepe adhibetur : *quare* vel *propetr quid ? quorsum* (cf. Iob 13, 14; Comment. p. 185) ? Ita v. g. *Vat. For. Sa, Mar. Calm. Drechsl. Del. Rohl. Naeg.* in quam acceptionem iam praeierunt LXX τί ἔτι πληγῆτε ; *Syrus* (למנא) et *Chald.* qui habet : « non animadverterunt dicentes : quare percussi sumus » ? Sed cum statim tota civitas exhibeatur imagine corporis quod totum sit vulneribus saucium et discissum, praeplacet altera explicatio quae etiam vocibus omnino aptatur *super quo ?* ubi, in qua parte vel in quo membro ? Ita rem concipiunt *S. Hier. Haim. Mald. Pint. Umbreit, Ges. Ros. Ewald, Kn. Allioli, Loch, Schegg, Troch.* Accedit quod prioris explicationis sensus non adeo aptus esse videtur. Nam *quare vos percutiam addentes praevaricationem ?* dicit : iam non operae pretium vos punire quia punitione non corrigimini; nihil prodest vos punire; quare quod inutile est iam non faciam; quae tamen sententia certe neque cum norma providentiae divinae neque cum indole poenae concordat, non enim est poenae finis *unicus* emendatio, verum exsistit poena mere vindicativa — neque in historia Israelitarum ullum habet fundamentum. Haec difficultas in textu hebr. quidem satis evitari potest. Debet enim verti : *quare percutiemini ?* i. e. quamobrem percuti vultis ? cur continuo per peccata vestra plagas vobis infligi expostulatis ? Sed nihilominus prior explicatio sensum effert magis efficacem, magis ad concitatos affectus factum, et cum imago *corporis* reipublicae statim adeo explicite proponatur, magis est ad sensus concinnitatem, ut in quaestione *super quo* iam quasi totum enuntietur implicite quod per partes in subsequentibus declaratur. — Alii tertiam interpretationem afferunt : *quo plagae genere ?* cf. *Lap. Est. Sanct. Tir. Men.* Ita graecum textum quoque intellexit *Theod.* : « quonam, inquit, supplicio vos ultra afficiam » ? et *S. Cyr* : « quaenam ultionis mensura vobis erit satis ad emendationem ? in summa quae acerbitas, quae calamitas inferri possit quae iam non accidit » ?

Apte ad quaestionem propositam adnectitur miserrimae reipublicae totius conditionis descriptio, qua de scelerum effectibus apertissime edocentur, ut prae afflictionum magnitudine nauseam et fastidium peccatorum concipiant; « *omne caput languidum et omne cor moerens,* v. 6 *a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas; vulnus et livor et plaga tumens, non est circumligata nec curata medicamine*

neque fota oleo » ; — hebr. verte : *totum caput aegritudini* (est), *totum cor languor;* ita enim verba de *toto* [1] capite, non de *quovis,* intelligi oportet propter unitatem imaginis, qua respublica corpori confertur. Uti ex quaestione proposita : *super quo percutiam?* elucet et v. 7. 8 comprobatur, non est hic sermo proxime de morum corruptione, de scelerum morbis, sed de poenis et afflictionibus quibus omnes ordines et partes reipublicae multiplici ratione iam afficiebantur. Sed per se patet has ipsas afflictiones et plagas esse luculentissima documenta quanta morum perversitas adfuerit, quia inflictae sunt propter scelera, uti ex nexu inter v. 4 et 5 et ex ipsa quaestione v. 5 et ex norma generali pro V. T. statuta (cf. Deut. 28) indubie colligitur. *Caput* reipublicae principes esse censentur, *cor* vero sapientes et doctores vel sacerdotes, uti communiter explicant; proinde et principes et sacerdotes iam variis calamitatibus puniti esse dicuntur. Membra igitur praecipua, a quibus reliqua gubernari et in officio dirigi oportet (*Sasb.*), multis vulneribus saucia exhibentur i. e. « tota administratio politica et ecclesiastica infirmata est et quod maxime in populo firmum esse debet, id ipsum est tenuissimum » (*Malv.*), vel « percussi estis in iis partibus in quibus vita maxime consistit » (*Mald.*). Quae hae partes praecipuae sint, fortasse melius explicabimus ex mente prophetae, si accurate id respicimus quod v. 7 et 8 proponitur. Ibi enim apertum est ab eo explanari id quod antea sub corporis saucii metaphora dixerat. Iam vero hoc si assumimus quod vix in dubio versari potest, *caput* et *cor* dici videtur ipsa filia Sion, civitas Ierusalem, caput regni et theocratiae centrum. Referuntur quippe versus 7 et 8 *chiastice* ad antecedentia. Tum aegritudo et languor ea conditione exprimitur, qua urbs in v. 8 nobis describitur. Etsi *modus* iste explanationis alius sit, *sensus* tamen non adest magnum discrimen. Nam in ipsa urbe principali afflicta ordines praecipui reipublicae afflicti cernuntur. Simul cum iis reliqui omnes miserum in modum iam poenas dederunt; unde *a planta pedis*... cf. Deut. 28, 35. Iob 2, 7.

Corpus vario genere saucium exhibetur : adest *vulnus* quo caro finditur ac scinditur (cf. פצע), *vibex* sive tumor, plagarum scil. vestigium lividum in cute remanens, demum *plaga recens* saniosa et purulenta. Similiter *Basil.* et *Procop.* explicant : « est *vulnus* continuitatis in corpore solutio, livor (μώλωψ) autem plagae vestigium subcruentum; φλεγμονή tumor ignitus, ὄγκος πυρώδης, cum in debiliorem partem decumbit humor et affectam calore praeter naturam accendit » ; cf. de nominum explicatione *For. Malv. Vat. Ros. Ges. Del.* Hisce remedia

1. Neque obstat quod in hebr. non iungitur articulus cum כל; vide enim 2 Reg. 23, 3. Is. 9, 11. Ez. 36, 5 et quae adnotat *Ewald,* Lehrbuch §. 277 b. §. 290 c.

debita et opportuna minime applicantur ; ea (hebr.) enumerantur : plaga sanie fluens *exprimi* debet, vulnus carnisque scissio fasciis est *liganda, contusio oleo est delinienda ;* at nihil horum factum est. « His ergo vocibus significat Deus et olim vulnera populum accepisse gravia quae nunc etiam sanie puteant et nunc etiam nova quae stillant sanguine ex recenti vulnere ; neque illa antiqua aliqua medicina levata sunt, ut oleo vel malagmate confota, neque recentia circumligata » (*Sanct.*) ; « aut enim verberibus livent corpora,aut plagis tument, aut hiant vulneribus » (*S. Hier.*). Exprimi hisce flagella et supplicia populo inflicta rite agnoscunt *S. Cyr. Chrys. Basil. Theod. Osor. Mald. Malv. Rohl.* ; alii ea proxime referunt ad vitia et mala moralia, uti *S. Hier. Barh. Thom. Haim. Est. Sasb. Caiet. Lap. Men. Tir. Pint. Naeg.* Sed haec postrema explicatio potius conclusio quaedam est ex flagellis immissis ducta ; quia vulneribus spiritualibus saucii sunt, rerum conditionem habent adeo desperatam ; hoc utique verissimum est ; at proxime tanguntur poenae et afflictiones. Idque eo quoque confirmatur, quia v. 7 iam relicta imagine rerum status propriis verbis exponitur.

Bene nexum effert *S. Cyr.* : « quod dictum videbatur quodammodo obscurius, id planum et apertum facit » (sim. *Theod.*) ; v. 7 « *terra vestra deserta, civitates vestrae succensae igni ; regionem vestram coram vobis alieni devorant et desolabitur sicut in vastitate hostili* » ; — hebr. nervosius miseram rerum conditionem depingit : *terra vestra desolatio* (solitudo, vastitas).. *regionem vestram alieni devorantes et desolatio sicut eversio* (subversio) *hostium* (cf. *Malv. For. Caiet.*). Ecce fructus peccati ! et cum tamen nulla subsecuta sit emendatio, quo iure quaestio ponatur v. 5 iam plane perspicitur. Vastationem propheta eo modo descriptam proponit quo iam in lege mosaica peccatoribus intentatur (cf. Lev. 26, 16. 31. 33. Deut. 28, 23). Minae ibi expressae iam cernuntur opere completae, quae totidem sunt documenta et argumenta scelerum patratorum. Quare Dominus quasi hostis insurgit contra terram suam eamque subversione delet haud adeo absimili illi qua olim pentapolin subvertit. Talem quippe subversionem hebr. מַהְפֵּכָה innuit ; cf. Deut. 29, 22. Is. 13, 19. Am. 4, 11 ; ita compellatio quae fit v. 9 iam praeparatur [1], et si in poena (et proin in scelere quoque) similes facti sunt pentapoli, abunde probatum est eos iuremerito v. 3 et 4 diris onerari accusationibus. Deus hereditatem suam peccatis pollutam alienis conculcandam permisit, insigne irae divinae documentum ; et subversio

1. Verum inde minime sequitur pro זָרִים legendum esse et corrigendum סְדֹם, id quod *Ewald* vult et aliqui approbant.

talis facta est qualem hostium furor et exterorum odium facere solent; rei horrorem nomina abstracta in hebr. bene depingunt.

Caput quidem regni nondum truncatum est, *cor* theocratiae nondum vulnere letali est percussum; at ipsum quoque non uno plagarum genere laborat; qualis sit in vastitate universa urbs regia, describitur v. 8 « *et derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea et sicut tugurium in cucumerario et sicut civitas quae vastatur* » ; — in hebr. descriptio pergit eodem modo, ut v. 7 ; unde : *et reliqua est filia Sion;* quare non de tempore futuro est sermo. Ex more loquendi terrae, regiones, urbes considerantur tamquam matres incolarum, incolae tamquam filii earum ; omnes habitatores simul etiam nomine abstracto designantur *habitatrix* vel *filia;* unde *filia Sion* idem dicit quod habitatores Sion. Sed praeterea usus quoque obtinuit, ut urbes metaphorice nominibus filiae, virginis, dominae appellarentur; id quod nostro loco obtinet. Est filia Sion ipsa urbs Ierusalem, nominata a parte potiore, a monte Sion, in quo arx regia et urbs Davidis erat collocata et qui colles reliquos altitudine superabat. Ipsa igitur urbs superest sed qua in conditione? Comparatio cum miseris illis et humilibus casulis et tuguriis, quae in vineis agrisque eriguntur ad breve tempus et mox deseruntur et collabuntur, miseriam et pauperiem urbis et conditionem humilem et afflictam bene connotat et simul regionis vastationem denuo illustrat. Membrum tertium *sicut urbs obsessa* (hebr. LXX, *Syrus*) labores, timores, angustias, pericula continua et plurimas molestias breviter sed efficaciter innuit. Quare bene dictum erat : *caput languidum, cor moerens* v. 5.

Interpretes non pauci iam v. 7 de tempore futuro, de expugnatione per Nabuchodonosor facta vel etiam de Titi et Vespasiani tempore explicant (cf. *S. Hier. Chrys. Basil. Pint. Sanct. Sasb. Mald. Mar. Lap. Men. Troch.*). Ratio qua inducuntur est, quia multi putant sermonem hunc sub Ozia esse habitum, quando res Iudaeorum florentes erant : ergo non posse esse nisi vaticinium de futuro. Sed si caput istud tamquam prologus et totius libri argumentum (*For.*) consideratur, haec ratio concidit. Ceterum de ea re postmodum commodius in fine capitis sermo recurret. Alterum quo ea explicatio suadebatur, in versione graeca et latina v. 8 habetur, in qua tempus exprimitur *futurum*; unde facile consequebatur ut simul cum v. 8 etiam praecedens intime ei cohaerens de eodem tempore acciperetur. Sed tale futurum in hebr. non adest, idque etiam ex v. 9 excluditur, sicut ex antecedentibus quoque. Nam uti in v. 3-6 rerum conditio tunc exsistens describitur, ita idem necessario obtinet in v. 7 et 8 qui non sunt nisi propria explicatio locutionis praecedentis metaphoricae.

Quomodo v. 8 verti debeat עִיר נְצוּרָה, multum disceptant. Alii urbem intelligunt *servatam*, alii *munitam*, alii *custoditam*, alii urbem *vigiliarum* etc. (cf. *Ros. Ges.*

Kn. Diest. Drechsl.; varia etiam afferunt *Malv. For.*). Aptissima videtur explanatio quam dederunt LXX, *Syrus, Chald.* de urbe obsessa. Si cum punctatione *mas.* verbum נצר assumitur, a notione *custodiendi* ad significationem obsidendi erit deveniendum; est igitur custodire sensu hostili; simili modo quo 2 Sam. 11, 16 et Ier. 4, 16 (Chaldaei *custodes*) et 5, 6. Sed forte praestabit legere נְצוּרָה a verbo צור *arctare, obsidere, cingere* quod (quamvis non in niphal) verbum est satis frequens; cf. Deut. 20, 12. 19. Is. 21, 2; 29, 3. Ier. 32, 2. 2 Reg. 6, 25 etc. Alii ea verba ut apodosin capiunt : ut tugurium... ita est urbs haec servata.

At ad Dei miserentis beneficium referendum est, quod caput regni non sit obtruncatum et theocratia non penitus abiecta et destructa. Populi enim ac principum iniquitas tanta est, ut nisi Deus gratia et misericordia poenam temperasset, peccatorum pondere opprimendi ac funditus delendi fuissent. Utrumque propheta ad pudorem omnibus incutiendum sine cunctatione profitetur dicens v. 9 « *nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus et quasi Gomorrha similes essemus* »; — hebr. *nisi... reliquisset nobis residuum sicut parvum* i. e. paucas aliquas reliquias et valde parvas Dominus servavit; *quasi Sodoma* completum dicit interitum et exstirpationem ; praeterea ipsa haec urbium illarum male famosarum mentio etiam accusationem criminum haud absimilem indicat contra Iudaeos prolatam; cf. v. 10; 3, 9. Ier. 23, 14. Ez. 16, 48. Appellatur *Dominus exercituum* nomine quo Dei potestas et maiestas in angelorum agminibus, in stellarum splendoribus, in totius mundi ornatu atque etiam in exercitibus praedicatur [1]; hoc loco speciatim eo sensu, ut Deus tamquam dux et imperator agminum hostilium agnoscatur, cuius nutu illa tamquam Dei instrumenta vastitatem et ruinam intulerint. Sed eo ipso quod consummationem non fecerit, ponitur hic, ut *S. Thom.* recte monet, consolatio ex promissis. Est quasi primus radius spei et salutis qui hic illucescere coepit, ut in subsequentibus maiore splendore gratiam Dei et opem illustret. Habet enim Israel, habet theocratia tamquam sibi propria magna illa promissa messianica quae frustrari nequeunt, ideoque Israel et theocratia deleri nequit. Verum *in parvis reliquiis* ex ruina servatis etiam iam adumbratur norma quae adeo constanter in historia Israelitarum cernitur : *reliquiae* salvantur. Eam enim videmus monente *S. Cyr.* in deserto servatam, cum universis in deserto morte ablatis solum Iosue et Caleb ex illa generatione quae vidit Dei magnalia in Aegypto, in terram promissam superstites ingressi sint; eam Isaias

---

1. Cf. Gen. 2, 1. Ios. 5, 14. 15. 3 Reg. 22, 19 etc. Vide quae notavi ad Os. 12, 5. Ubertim de eo nomine tractat *Reinke*, Proph. Malachi p. 231-240 et *Zschokke*, Theologie der Proph. p. 17 seq.

saepe declarat (10, 21. 22), eandem reliqui prophetae efferunt (cf. Am. 5, 14. Mich. 7, 18. Ier. 30, 11. Ez. 5, 3 etc.); eadem iterum cernitur in regni messianici institutione, de qua re S. Paulus monet (Rom. 9, 29), idque « iure, quia multa est affinitas vetus inter et novum testamentum » *(S. Chrys.)*; eadem demum fit, ut multi sint vocati, pauci electi.

In totius regni desolatione, cui una urbs Ierusalem superest eaque non uno solum vulnere afflicta, id spei et consolationis effert propheta, quod postea similiter Ieremias : « misericordiae Domini quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius » (Lament. 3, 22).

b) Impiorum sacrificia reprobantur 1, 10-20.

Hac parte accusationes antea prolatae ulterius probantur; praescinduntur ea quibus crimina obtegere vel veniam sine emendatione se consequi posse falso sibi promittebant; in ipsa ratione qua cultum Dei obeunt clare cernitur, quantum a Deo eiusque lege sancta defecerint, et cum id sine sacerdotum culpa accidere minime potuerit, huius ordinis theocratici negligentia et corruptio quoque exponitur. Quare quae in antecedentibus ducta sunt lineamenta his iam accuratius et uberius adumbrantur. Sermo ad v. 9 arcte adnexus latentem idi accusationem audacter effert et uti v. 2 interpellatio fiebat coeli et terrae, ita nunc scelerum fautores ducesque compellantur cum tota populi perversi multitudine : v. 10 « *Audite verbum Domini, principes Sodomorum! percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhae* »! — uti v. 2 initium captum est ex Deut. 32, 1, ita nunc quoque compellatio et reprehensio ad idem carmen memoriale adaptatur : Deut. 32, 32. Quanta cum libertate et audacia primores quoque propheta officii admonuerit [1] et quam severe eos reprehenderit, sola haec appellatio iam probat. Quid enim superbis principum animis et etiam plebeculae arroganti molestius accidere potuit quam compellatio haec contemptu et opprobriis plena, cum tamen utrique se generosam esse Abrahae sobolem non sine supercilio iactantes reliquas gentes fastidiose despicerent (cf. *Euseb.)*? Et ne excusationes obtendant, os eis occludit clamans ut audiant verbum Domini, idque declarat esse *legem* eam quam iam dederit sed quam nunc denuo tamquam *verbum* suum iis mittat [2] utpote specialem doctrinam eorum

1. Ex Iudaeorum traditione quam refert *S. Hier.* Isaias propter eam vocem interfectus est. Quanti igitur periculi, sed etiam quantae fuerit fortitudinis tam severam accusationem in principes populumque iactare, ea quoque traditione ostenditur.

2. Apte *Osor.* : « discite iam tandem, discite quae sit legis mens et sententia, ipsumque Dominum qui legem tulit eam explicantem et de sensu illius gravissime disserentem audite »!

conditioni accommodatam sed legi iam promulgatae plane consonam et ex ea consequentem. Ita enim Deus revelationem datam conservat, explicat, pro temporis necessitatibus applicat et in memoriam reducit per prophetas. In lege quippe mosaica non uno loco vera expostulatur pietas et in vera cordis circumcisione, in obedientia et amore Dei rei vitaeque summam contineri clare docetur (Deut. 10, 16; 30, 6 etc.); unde consequens est, istis Deum placari; quae si defuerint, nihil Deo posse esse acceptum.

Verum quae fuit indoles iudaica ad externos ritus prona facile fieri potuit, ut summa legis seposita de caerimoniis sacrificiisque sibi blandientes praesumerent, quamdiu rite ea perficerentur, omnia esse in tuto collocata et impietatis insimulationem argui mendacii. Quare *quid* Deus revera velit et qua norma iudicet, cum emphasi effertur v. 11 « *quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus; plenus sum; holocausta arietum et adipem pinguium et sanguinem vitulorum et agnorum et hircorum nolui* »; — ne scil. more gentilium putent se hisce Deo aliquid afferre commodi vel utilitatis (cf. Ps. 49, 7); hebr. *satiatus sum* i. e. ipsi iam sunt nauseae et fastidio; nam « victimae impiorum abominabiles Domino, vota iustorum placabilia » (Prov. 15, 8; 21, 27. Eccli. 34, 21). Longiore et distincta enumeratione cum emphasi ostendit se singula cum animi indignatione spernere et reiicere; ita enim loqui solent qui impatientia et ira accensi alios de male factis carpunt, singula scil. recensentes et reprehendentes, quo rei maiore confusione obruantur; insuper solet ira quandoque esse liberalior in verbis profundendis. Sacrificia recensentur *cruenta;* tangitur quoque in *adipe* et *sanguine* offerendi ritus, qui alius erat in holocaustis, alius in sacrificiis pro peccato et in pacificis. Ipsa enumeratione ostenditur, cultum externum eo tempore satis floruisse; at isto solo Deum minime placari vates monet. Debet enim cultus externus consecrari et animari mentis animique pietate, cuius est indicium et exhibitio. Quare similia frequenter apud prophetas monentur; cf. Os. 6, 6. Am. 5, 21. Mich. 6, 6. Ier. 7, 22 etc. Sacrificia enim Deo solum placebant propter devotionem offerentis et propter significationem rei oblatae (*S. Thom.*); haec autem significatio duplex erat : agnitio summae maiestatis divinae eiusque adoratio et ratio typica quatenus Christi sacrificium portendebant (cf. *S. Cyr. Procop. Thom. Sanct. Pint. Lap.*). Apte monet *Caiet.* (dico *apte*, quia hodie non desunt qui ex hisce sacrificiorum reprehensionibus concludunt leges de sacrificiis mosaicis nondum exstitisse) : « quod autem dicit *non volui,* non contrariatur legi divinae in qua Deus voluit sibi offerri ista. Nam hic est sermo de sacrificiis et holocaustis incorrigibilium, in lege autem de sacrificiis et holocaustis iustorum vel poenitentium ; et

propterea nulla est contrarietas inter haec Dei verba et legem; immo haec Dei verba declarant legem quoad hoc quod sacrificia non sunt secundum se ipsa grata Deo sed ratione personarum iustarum seu poenitentium ».

Eodem modo reprobantur alia genera cultus externi v. 12 « *cum veniretis ante conspectum meum, quis quaesivit haec de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis* »? — efficacius in hebr. *conculcare atria mea;* ita cum contemptu loquitur de aditu ad templum, Deum nihil aliud cernere in eo cultu, nisi atriorum suorum *conculcationem*, cum solum pedibus veniant, non animis (*Mald.* sim. *Malv. Sanct.*). Dicitur *apparere ante faciem Domini* (hebr.), quia Dominus speciali ratione in templo habitat; ceterum *facies Domini* etiam dici potest nubes illa lucida (schechina) qua Deus vel angelus Domini personam Dei gerens ac repraesentans in deserto supra arcam foederis et etiam saepius in templo suae praesentiae atque inhabitationis in populo signum ac symbolum exhibuit (cf. Ex. 33, 11. 14. Deut. 5, 4. Is. 63, 9); *apparere ante faciem Domini* vel in conspectu Domini de aditu ad templum adhibetur qui ter in anno Israelitis erat praeceptus (Ex. 23, 17; 34, 23) et de alio quovis accessu ad templum adorationis causa (Ps. 41, 3; 83, 8).

Et cum praescriptum sit: « non apparebis in conspectu meo vacuus » (Ex. 23, 15), facilis est nexus et transitus, quo reliqua quoque sacrificia et generatim coetus religiosi ab iis celebrati repudiantur: v. 13 « *ne offeratis ultra sacrificium frustra; incensum abominatio est mihi. Neomeniam et sabbatum et festivitates alias non feram, iniqui sunt coetus vestri;* v. 14 *calendas vestras et sollemnitates vestras odivit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens* »; — hebr. *ne addatis offerre oblationem* (fertum) *inanitatis* i. e. talem oblationem quae sit vana, inanis, mendacii plena, utpote ab impiis et sceleratis facta. Apte commemoratur post sacrificia cruenta v. 11 nunc sacrificium incruentum, *fertum*, מִנְחָה, [1] quod vel solum vel cum cruentis offerebatur (cf. Lev. 7, 11; Num. 15, 4); commemoratur *incensum*, quod singulis diebus cum iugi sacrificio offerebatur (Ex. 30, 7) et fertis quoque addi solebat (Lev. 2, 1. 15; 6, 15) et panibus propositionis (Lev. 24, 7), ut eo modo omnia sacrificiorum genera [2] propter offerentium immundi-

---

1. Contextus omnino suadet, ut מִנְחָה retineatur significatione consueta oblationis incruentae, uti explicant h. l. *Ros. Bauer* (scholia Schulzii continuata), *For. Diest. Del. Troch. Rohl. Naeg.*; vide quae notavi ad Mal. 1, 11.

2. Cum igitur omnia sacrificiorum genera recenseantur, argutius aliqui in *incenso* (LXX θυμίαμα) speciatim notari volunt arrogantiam Azariae regis, de qua 2 Par. 26, 16 seq. refertur.

tiem reiiciantur enumeratione completa. Cum oblationibus etiam dierum festorum celebrationes reprobantur : *neomenia et sabbatum et convocatio coetuum* (hebr.) i. e. singulis enim sabbatis ac primo quoque ac septimo die trium maiorum sollemnitatum coetus sacer populi convocabatur ex lege (cf. Lev. 23, 3. 7. 8. 24. Num. 28, 25 ; 29, 1. 7 etc.). Indignabundus clamat ex hebr. : *flagitium et coetus* ad dies sacros agendos ; quomodo scil. duo haec adeo inter se diversa consociari feram ! Et ut est indignantis et expostulantis, non abstinet a repetita eiusdem rei denuntiatione ; unde v. 14 *novilunia vestra* (iam non sunt *mea* festa, a me praecepta) qualia scil. a vobis aguntur impiis, et *sollemnitates vestras* i. e. tempora sacra a vobis celebrata *odit anima mea, facta sunt super me oneri* vel in gravamen, sunt mihi vexationi ; *fatigatus sum sustinendo* vel defessus sum ferendo (cf. *Malv. Sanct. Vat.*). Taedium et fastidium quam maxime effertur ; LXX : facti estis mihi in satietatem.

In hebr. v. 13 מִקְרָא explicatur a LXX ἡμέρα μεγάλη ; fortasse intellexerunt festum tabernaculorum quod a Philone et Iosepho ἑορτὴ μεγίστη appellatur, vel generatim quemvis diem festum. *S. Hier.* explanavit generatim de festivitatibus ; *coetus sacros* ibi agnoscunt *Syrus* et *Chald.* et agnoverunt quoque Theodotio et Symmachus, qui referente *S. Basil.* (*M.* 30, 180) habent : κλητὴν ἐπίκλητον οὐκ ἀνέχομαι *Theod.*, κλητὴν ἐπίκλησιν οὐκ ἀνέξομαι *Sym.* In interpretatione *vulg.* haec vocis significatio plerumque non comparet ; nam legitur plerumque : *dies... erit sancta* vel *dies vocabitur sanctus* vel *erit celeberrimus sanctusque* vel *dies venerabilis et sancta* (cf. Ex. 12, 16. Lev. 23, 3. 7. 8. 24. 27. 35. 36. 37. Num. 28, 18. 25. 26 ; 29, 1. 7. 12), quibus in locis hebr. habetur : *in die* erit מִקְרָא קֹדֶשׁ ; solum Num. 10, 2 etiam in *vulg.* notio *coetus* innuitur ; ibi enim vertitur : fac tibi duas tubas... quibus convocare possis multitudinem, et in hebr. et erunt tibi לְמִקְרָא הָעֵדָה, ubi LXX quoque vertunt ἀνακαλεῖν τὴν συναγωγήν. Aliis in locis versio graeca non sibi constat ; habet enim saepius : ἡ ἡμέρα κληθήσεται ἁγία vel κλητὴ ἁγία ἔσται ὑμῖν vel etiam ἐπίκλητος ἁγία, ita Ex. 12, 16. Lev. 23, 7. 8. 24. 27. 35-37. Num. 28, 18. 25 ; verum etiam legitur τῇ ἡμέρᾳ κλητὴ ἁγία ἔσται vel ἐπίκλητος ἁγία ; ita Lev. 23, 3. Num, 28, 26 ; 29, 1. 7. 12. Praeterea vox occurrit Is. 4, 5, ubi interpres graecus eam sensu *locali* accepit τὰ περικύκλῳ. Hisce locis consideratis vocem iure capiunt recentiores eadem notione, qua etiam apud veteres (*Syrum, Chald.* saepius uti videtur etiam apud LXX et semel in *vulg.*) invenitur, scil. notione *convocationis, coetus sacri* (cf. apud *Caiet. For. Malv. Vat. Drechsl. Troch.* etc.). Isti coetus instituti esse videntur (quamvis lex non tradat quid in eis agendum fuerit) ad Dei adorationem communem et ad legis lectionem ; ad quam rem vide Act. 15, 21 : « Moyses enim a temporibus antiquis habet, qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur », qui loquendi modus ἐκ γενεῶν ἀρχαίων *antiquam* consuetudinem denotat.

Textum hebr. non omnes eodem modo iungunt ac vertunt. Placet enim aliquibus vertere v. 13 *incensum abominationis est mihi* scil. fertum ; ita *Ewald, Rohl. Drechsl. Del.* ; ita quidem accentus *mas.* postulare videntur et fortasse concinnitatis quaedam ratio, ut scil. habeatur : *suffitus abominationis*, prout modo dictum est : *fer-*

tum vanitatis. At obstat sensus, neque enim fertum apte nominatur ex addito thymiamate *suffitus.* Unde versio alia retinenda est, quam iam LXX (θυμίαμα βδέλυγμά μοι ἐστίν), *Syrus, S. Hier.* etc. exprimunt. Propheta enim varia oblationum genera recenset, unde verba apte explicantur ex legibus de sacrificiis et proinde קְטֹרֶת quoque non ex Ps. 66, 15, sed ex Ex. Lev. Num. exponi debet. In altero versus membro varie coniungunt : *neomenia et sabbatum et coetus convocatio* (scil. abominatio est mihi); *non feram iniquitatem et coetum sollemnem;* vel prima iam verba faciunt dependentia : *neomeniam... non feram,* sicut ultima quoque ; vel absolute, ut supra propositum est (cf. *For. Malv.*), qui modus abruptus et per brevia incisa incedens magnam habet ad commotionem animi exprimendam efficaciam.

Contra eos qui hisce et similibus locis abutuntur, ut legem mosaicam de sacrificiis nondum eo tempore exstitisse asserant, advertere liceat : non reprobari sacrificia, sed sacrificia *iniquitatis;* quod additum iam demonstrat exsistere vera sacrificia quae Deus accipere velit. Pari ratione v. 15 *orationes* reiiciuntur; sed quis ex eo loco concludat, Deum nunquam velle aut praecepisse orationem? Annon hi loci aperte dicunt sacrificia esse oblata? Ergo ex eo quod fierent talia sacrificia, qualia in lege mosaica praecipiuntur, potius colligendum est legem illam notam fuisse.

Reiecit Deus orationis adorationisque actus praecipuos et publicos, qui in *sacrificiis* exercentur, reiecit cultum qui in celebratione festorum dierum cernitur, iam ulterius progressus etiam orationem omnem reprobat et obsecrationem, quamdiu non sincere scelera eluant : v. 15 « *et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestrae sanguine plenae sunt* »; — hebr. *obvelabo oculos meos* i. e. Deo nullo modo curae erit, etsi ritu supplicantium se sistunt; manus enim quas implorantium ritu ad coelum tendunt iniustitiis, oppressionibus, rapinis, caedibus maculatae sunt. Qui enim officia negligunt erga Deum (v. 2. 3), erga homines quomodo iusti et pii erunt? Ita versus scelerum descriptionem complet. Eadem scelera 58, 4; 59, 3 seq. accusantur.

Sed quamvis eos dure increpaverit (v. 10), immo se nausea et fastidio adversus eos affici asseruerit (v. 11-14), tamen salutis viam aperit simul manifestans quem in finem reprehenderit et punierit et quae sit lex ipsius quam percipere eos iubeat. Unde v. 16 « *lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse;* v. 17 *discite benefacere, quaerite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam* »! — quantae sit haec adhortatio miserationis Dei, apte declarat *Sanct*: « hic observa quo evaserint illae tam incensae ac horribiles minae. Quis putaret non eruptura fulmina ex tam obscura ac densa minarum nube? Sed descendit quasi mollis pluvia in vellus et stillavit misericordiam ». Nam ut e tantis malis emergant, ponit hic salubre consilium et efficax indicat remedium (*S. Thom.*). Hortatur scil. ut antiquorum peccatorum sordes

ex animis removeant, ut corda emundent, ut scelerum radices evellant i. e. ut *malum cogitationum* ex mente auferant propter reverentiam quam debent Deo inter eos inhabitanti et cuncta omniscientia sua complectenti. *Interna* mentis emundatio et renovatio quam maxime postulatur; de corde enim exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria (Matth. 15, 19). Ibi igitur remedium est applicandum. Ipsa autem officiorum summa continetur in illo : declina a malo et fac bonum (Ps. 36, 27). Atque *bonum* quidem quod praestandum sit, ex ea virtute declarat quae et facillime ipsa natura duce ab omnibus cognoscitur necessaria et omnis vitae civilis ac socialis sacrosanctum esse debet fundamentum, cuius proinde regulae ac normae praecipuae omnium mentibus clara luce affulgent et ad quam sancte servandam naturali quodam impulsu omnes se induci sentiunt, *iustitiam* dico. Quare admonentur primo generatim, ut *iudicium quaerant* i. e. ut ius ac iustitiam appetant, desiderent, eius in omnibus normam sequantur atque vita et opere exprimere studeant. Deinde id agant quod huic quam maxime cognatum est, *dirigite violentum* (hebr.) i. e. eum qui vi et oppressione uti solebat, docete et in viam iustitiae reducite [1]. Qui enim ius sincere amat, id ab omnibus sancte custodiri et omnem averti iniuriam strenue vult et ut id fiat, pro viribus et munere suo laborat. Porro praecipue admonentur, ut iis opem ferant qui omnium maxime ea indigent utpote derelicti et auxilio destituti, in quibus iuvandis cum amore iustitiae simul exercitium caritatis ac misericordiae egregium habetur et qui ipsa sua lamentabili conditione omnium pietati natura duce commendantur. Accedit quod orphanorum et viduarum cura in lege habetur praecipua; cf. Ex. 22, 22. Deut. 10, 18; 27, 19 etc. Quare : *ius dicite pupillo, suscipite causam viduae* (hebr. cf. *For. Malv. Vat.)* ; id quod proxime spectat ad principes qui et iudices sunt, ut scil. pupillo ius suum restituant et contra potentem etiam actorem vel oppressorem defendant, ut litem et causam viduae ne respuant, sed agendam et urgendam et ex iure definiendam suscipiant, ne scil. miseri isti impune bonis spolientur et opprimantur. Textum lat. ita paucis ordinat *S. Thom.* : « hic ponit impletionem operis in subveniendo miseris; miserum autem facit vel violentia aut aetatis ignorantia aut sexus impotentia ». Si primores emendantur, eorum exemplum etiam valebit in vulgus. Quare haec quoque adhortatio ad omnes spectat; potes enim dicere cum *Sasb.* :

---

1. Ita recentiorum plerique. Ceterum vide notam. Num verbum אִשֵּׁר non mitius dici videtur de oppressore reprimendo? Id censet *Bredenkamp*, der Prophet Jesaja, Erlangen 1886.

istis paucis synecdochicos significare vult propheta omne genus bonorum operum quibus proximo quoquo modo subveniri potest », vel cum *Euseb.* : « a malitia translati ne in eo steteritis, sed vitam virtute ornatam suscipite ».

Hebr. אשר in piel plerumque significat *felicem praedicare*; ita in *vulg.* exprimitur Gen. 30, 13. Is. 3, 12; 9, 15. Mal. 3, 12. Prov. 3, 18; 4, 14; 31, 28. Iob 29, 11. Cant. 6, 9. Ps. 71, 17; sed etiam *regere, dirigere* denotat, uti Prov. 23, 19 : « dirige in via animum tuum ». Nostro loco hac altera sane significatione capienda erit vox. Veteres interpretes חָמוֹץ intellexerunt *oppressum*, afflictum (*S. Hier. Syrus, Chald.*), ἀδικούμενον LXX. Unde ei notioni significationem verbi אשר adaptantes verterunt subvenite, ῥύσασθε, benefacite (*Syrus*), innocentem declarate (*Chald.*); sim. *Vat.* dirigite negotia oppressi; *For.* consolamini afflictum; alii : iter praebete oppresso etc. (cf. *Malv. Ros.*) vel : emendate quod corruptum est (*Bauer*). Verum recentiores plerumque explicant חָמוֹץ *violentum*, qui vi et violentia utitur (cf. *Del. Naeg.*), eadem notione qua Ps. 71, 4 חוֹמֵץ adhibetur, quae notio *formae* vocis ex aliarum analogia magis est conformis, quamvis etiam prior explicatio analogia ex simili formatione petita non careat (cf. חָגוּר *cinctus* et sim.). Et verbum *dirigere*, in planam viam ducere non tam quadrat ad violentum emendandum quam ad oppressum iuvandum. Quare recentiorum interpretationi (cf. *Ges. Drechsl. Diest. Rohl. Del. Naeg.*) non omnino certo standum erit. De vocis formatione cf. *Ewald*, Lehrbuch §. 152 b. Aliis placet legere חָמוּץ sensu utique passivo.

Quid Deus ab eis postularet, proposuit. Hac norma considerata iam fieri nequit, ut quis de illata populo calamitate conqueratur, sed iudiciis Dei assentiri eisque tamquam secundum omnem iustitiam prolatis adstipulari cogitur (cf. *S. Basil.*). Unde Dominus dicit : v. 18 « *et venite et arguite me, dicit Dominus* » ; — si respicimus ad v. 10. 11 et ad obiectionem ibi praeoccupatam, sensus esse potest : venite si placet et lege mea percepta arguite me, si quid arguere et reprehendere potestis ! sed communiter interpretes verba referunt ad sequentia, ita ut Deus lege sua tamquam norma proposita iis novum quasi pactum secum ineundum offerat : *venite disceptemus* (hebr.) scil. « cum autem, inquit, haec feceritis, arguite me, si non reddidero praemia quae pollicitus sum » (*S. Hier.* sim. *Ephr. Thom. Sanct. Sasb. Pint. For. Lap. Mald. Sa, Mar. Men.* etc.). Et ad qualem disceptationem ipse paratus sit, i. e. quantopere desideret causas iudicii et afflictionum removere et gratiae suae ubertate eos donare, sequentia mirum in modum declarant : « *si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt* » ; — ait enim hisce se minime scelerum enormitate prohiberi quominus gratiam largiatur et quam efficax ea sit, comparatione declaratur ; animam enim peccatorum fuco millies infec-

tam ac delibutam ad candorem usque nivis reducit et significat, hominem a peccatis mundari posse quamvis illa alte et diu infixa sint et inoleverint animo; « lana deponere non potest quantavis hominum industria atque labore quos bibit ante a vermiculo aut e conchylio succos; dicit ergo Deus se eluiturum esse sordes ex animis eosque ita puros et candidos redditurum ac si nullas a peccato sordes contraxissent » (*Sanct.*). Peccata ut « opera cruoris et sanguinis » (*S. Hier.*) rubra sunt; cf. v. 15 « manus vestrae sanguine plenae sunt ». Similiter in Apoc. 17, 4 mulier illa peccatrix est circumdata purpura et coccino, dum sancti vestimentis albis refulgent (Apoc. 3, 4. 5; 7, 14). Color albus et splendida lucis forma emblema est puritatis et ut Deus lumine cinctus est tamquam vestimento et vestimentum eius est quasi nix et capilli capitis eius quasi lana munda (Ps. 103, 2. Dan. 7, 9; cf. Ps. 50, 9. Matth. 17, 2), ita lux ipsius divinitatis et proin omnis sanctitatis ac beatitatis symbolum est ex ipsa quasi natura oriundum et apud omnes gentes receptum, quippe quae numen divum in lucis regione collocant. Ipsa comparatio internam animi purgationem et renovationem indicat, qua sordibus maculisque peccatorum amotis animus redditur candidus ac lumine perfusus ac delibutus, ut iustitia accepta resplendeat in luce sancta tamquam eius imago qui est lux et tenebrae in eo non sunt ullae (1 Ioan. 1, 5). Est igitur iustificatio descripta ut peccatorum ablatio et novi splendoris et candoris infusio. — *Vermiculus* est vermis coccifer; unde *coccus, color coccineus* qui istis animalculis debetur; quare rite etiam LXX reddiderunt ὡς κόκκινον; שָׁנִים vestes *coccineae* sunt (cf. Prov. 31, 21), LXX ὡς φοινικοῦν sicut purpura.

Deus igitur se paratissimum declarat ad vetera delicta condonanda et ad statum prosperitatis felicissimum restituendum. Quare in hac quasi foederis innovatione, ut olim Moyses vitam et mortem, benedictionem et maledictionem proposuit (Deut. 30, 15. 19), etiam illis optio datur: v. 19 « *si volueritis et audieritis me, bona terrae comedetis;* v. 20 *quodsi nolueritis et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est* »; — nota paronomasias in hebr. *thobu - tub*; *tokelu teukkelu* [1]; *bona* terrae scil. ab eorum *bona* voluntate dependent quam in obedientia erga Deum manifestent; aut *comedent* Deo servientes aut comedentur gladio [2] hostium rebelles Deo. Ergo ruina illa sodomitica i. e. interitus et excidium singulis instat, nisi ad meliorem frugem redierint (cf. v. 9). Et promissio et minae legem mo-

---

1. תאבו־טוב; תאכלו־תאכלו.

2. Ita חֶרֶב accus. instrum.; aliqui vertunt: cogemini comedere gladium. Sane mirum!

saicam iis in mentem revocant ; cf. Lev. 26, 25. Deut. 28, 11 ; quare iuremerito v. 10 *lex* Domini iis denuo percipienda proponitur. Hebr. v. 20 *si renueritis et rebelles fueritis* vel contumaces ; ita oppositio ad v. 19 quam maxime effertur ex parte eorum ; quid ex Dei parte inobedientes consequatur, Dei scil. indignatio, textus lat. explicite effert. Liberum asseri arbitrium, bene hic aliqui monent (cf. *S. Hier. Chrys.*). Promittuntur *bona terrae* i. e. pax, felicitas, frugum abundantia, uti fert indoles veteris foederis ; erat enim tranquilla terrae possessio et vitae suavitas externum beneplaciti divini indicium quod populo promiserat utique tamquam maiorum bonorum pignus et arrham. « Orationem vero suam propheta fide dignam esse demonstrat : *os Domini...* cum enim fieri non possit ut Deus mentiatur, manet enim semper idem quod est nempe veritas, annon est necessario intelligendum ea quae praenuntiata sunt certissime ad finem esse perventura » (*S. Cyr.*)? Concludit ergo *quia os Domini..* ne dicta parvi pendant (*Procop.*) sed ut sciant esse immutabile iudicium (*S. Thom.*) eius qui se tamquam *Iahve* populo suo sit exhibiturus, promissiones scil. et minas in opus deducturus (cf. ad Os. 2, 22 ; 12, 5. Ioel 2, 32. Hab. 3, 18. Zach. 13, 9. Mal. 3, 6). Ceterum *quia Dominus locutus est* saepius additur vaticinii confirmatio quasi sigillo divino roborata ; cf. 40., 5 ; 58, 14. Ioel 3, 8. Abd. 18. Mich. 4, 4. Ier. 13, 15 et sim. Is. 22, 25; 25, 8 ; 21, 17 ; 24, 3.

c) **Dei iudicia in resurrectionem et in ruinam 1, 21-31.**

Tertio vates redit ad perversitatem aequalium castigandam. Sed uti v. 4 et 10 praevaluit sacra quaedam indignatio de tanta iniquitate, ita nunc dolorem magis prae se fert de tam luctuosa conversione et quandam admirationem tristitia plenam ; confert enim conditionem praesentem cum excelsa dignitate ad quam populus electus erat et qua olim non indignum se praestitit. Quare ex lamentationibus voce petita querelam luctuosam orditur v. 21 « *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena iudicii ? iustitia habitavit in ea, nunc autem homicidae* » ! — foedus cum Deo initum tamquam sacrum quoddam connubium consideratur : Deus enim populum sibi elegit in peculium et possessionem praecipuam ; in miseria et abiectione repertam puellam ad sponsae dignitatem evexit, praeclaris monilibus ornavit ; sponsa haec prompto animo vocem Dei secuta Aegypto relicta per desertum ad montem Sinai ad foedus concludendum sponsum invitantem subsecuta est (cf. Ier. 2, 2 Ez. 16, 8) ; inde sermo infertur de matre, cui Deus libellum repudii non dederit, quam non dimiserit uxorem infidelem (Is. 50, 1) ; inde a Dei cultu deficere et idola sequi est fornicari ; inde idola colere vel

etiam Deo neglecto ad exteras gentes auxilii petendi causa confugere, foedera cum illis appetere, eorum mores imitari est *sequi amatores*, est adulteros admittere, est opera patrare meretricia (cf. Os. 2, 13. 16; et iam Ex. 34, 16. Lev. 20, 6. Num. 15, 39. Deut. 31, 16. Ier. 2, 23. Ez. 16, 15; 23, 3 etc.). Atque idololatria eo aptius eo nomine designatur, quia quantopere in cultibus aegyptiaco, canaanitico, assyriaco, babylonico etiam varia impudicitiarum genera exercita sint, et monumenta sacra et profana satis superque testantur (cf. ad Os. 4, 14. Nah. 3, 4. Baruch 6, 42 etc.). Quare civitas quae fidem Deo datam multiplici ratione violavit, iure merito turpi *meretricis* nomine compellatur (*Mald.*). Dolet propheta quod a pristina exciderit dignitate, quam tripliciter describit non sine auxesi quadam, uti fieri solet in lamentatione boni amissi : olim *fidem* servavit Deo, omnia in ea ex *iuris* norma et regula erant constituta, unde talis in ea invaluit ratione stabili conditio quae exactam referebat *iustitiam*, eum scil. recti verique ordinem quem Deus adesse voluit et ita quidem, ut ibi iustitia firmum suum collocasse videretur ac permanens domicilium (hebr. יָלִין quasi *pernoctat*, habitat continuo). Verum en, quae luctuosa mutatio : nunc ibi *homicidae;* fide enim in Deum abiecta omnis etiam fides humana et ius omne collabitur, quam ruinam declarat *caedibus* perpetratis, quippe quae maximam sane iustitiae aliis debitae violationem involvunt. Videntur vati obversata esse tempora illa prisca, quibus reges vere theocratici ad normam theocraticam regnum administrabant, vitia compescebant, v. g. quae de David, Asa, Iosaphat, Ioas referuntur (3 Reg. 15, 11. 2 Par. 17, 3; 24, 2).

Iam declarat, qui sint eius luctuosissimae conversionis auctores et fautores praecipui, qui scil. quo altiore nobilitate praediti erant eo turpius dignitatem suam proiecerint; declarat id per metaphoram, cui statim locutionem propriam subiungit : v. 22 « *argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistum est aqua*; v. 23 *principes tui infideles, socii furum; omnes diligunt munera, sequuntur retributiones; pupillo non iudicant et causa viduae non ingreditur ad illos* » ;—i. e. qui *nobiles* esse debent, perversi sunt et corrupti. Hebr. *principes tui rebelles*, contumaces contra Deum; nota paronomasiam in hebr. *sarim sorerim;* et quia in Deum rebellant, quid mirum, si contra homines iura omnia divina et humana conculcant? Ut principes sunt participes potestatis divinae ad bonam reipublicae administrationem et quasi socii Dei, per quos Deus partem gubernationis exerceri vult; sed facti sunt *socii furum :* proiecta avaritia furantur, rapiunt, iuris administrationem venalem habent, non iustitiam, sed pecuniam prosequuntur, et quos Deus sua praecipua cura protexit et fovit pupillos scil. et viduas, hos

iam quasi a limine repellunt. Tam praeclare scil. Dei vicem gerunt et eius personam sustinent qui vi muneris אלהים quoque vocantur! Et si principes ac duces *tales* se exhibent, « nihil iam mirum est si repudiata fide civitas ipsa meretrix evaserit » (*Procop.*).

Plerique veterum interpretum v. 22 aliter accipiunt; explicant enim de lege sacraque doctrina, quam illi adulteraverint et corruperint (cf. *S. Hier. Cyr. Basil. Euseb. Barh. Procop. Thom. For. Pint.* etc.); *S. Chrys.* textum graecum: *argentum vestrum reprobum, caupones tui miscent vinum aqua*, accipit de nummulariorum vafritie et de cauponum corruptela et dolis, eosque reprehendit qui talia dici indignum censent magno et sublimi propheta; nam etiam Salvatorem sermonem intulisse de salutationibus, de medio loco, de primo accubitu; « nam haec quae exigua videntur esse si negligantur, magni peccatorum fomites sunt ». Sed praestat cum *Sa, Malv.* aliisque metaphoram ita accipere, uti statim v. sequenti declaratur. Ita ea metaphora argenti etc. cernitur usurpata Ier. 6, 27. Ez. 22, 18 et statim v. 25 eodem modo a propheta adhibetur. — Ad locutionem hebr. מָהוּל notant similes locutiones *vinum castrare* Plin. H. N. 19, 19, 2. *iugulare Falernum* Mart. 1, 18 et alias apud Arabes obvias vide *Ges.* in h. l. *Diest. Del. Naeg.* — Ad textum graecum advertit *For.*, forte S. Paulum ex hoc loco locutionem deprompsisse *adulterare* verbum Dei καπηλεύοντας et comparat illud apud Ennium: *cauponantes bellum, non belligerantes* (cf. *Sanct.*).

At istis criminibus (v. 21-23) vindicta Dei necessario provocatur: v. 24 « *propter hoc ait Dominus Deus exercituum, fortis Israel: heu, consolabor super hostibus meis et vindicabor de inimicis meis* »! — nomina Dei hic accumulata, ut nullibi, terrorem maiestatis divinae et tremendae ultionis horrorem audientibus incutere debent; qui punit, est *Iahve,* Deus foederis quem spreverunt, cuius sacramenti fidem tot beneficiis devinctam abiecerunt; est *Dominus exercituum,* cui ad ultionem praesto sunt universa creaturarum agmina tamquam Dominatori; est *fortis Israel* (Gen. 49, 24), qui sicut in bonis populo praestandis se potentissimum praestitit omnibus eorum hostibus prostratis et praeclaris de coelo et in terra editis miraculis, ita cum amorem suum cernat contemptum, non minore potentia contemptores suos diris excruciare potest ac miris suppliciis. Nam « non leve est quod Dominus exercituum dicit *heu,* non parvi ponderis est quod fortis Israel dicit *heu;* grandis causa, magnus dolor quo afflictus iste fortis dicit *heu* » *(Rup.).* Istud *heu* magnitudinem poenae indicat (hebr. *hoi,* ut v. 4 *vae*), fore scil. lamentationes et planctus et *vae* populo isti. Modus loquendi *consolationem capiam de hostibus meis* (hebr. cf. *Malv. For.*) ostendit, quantopere Deus pro sua iustitia quasi urgeatur ad scelera punienda; ceterum

« humanitus est dictum ac si Deus levamen ex ultionibus perciperet. Sane in graviter offensis summa est vindictae dulcedo ac voluptas, qua animus commotus penitus sedatur ac quiescit » (*Malv.*); sim. Ez. 5, 13. Quanta rerum mutatio! « sicut ante laetatus est Dominus super vos bene vobis faciens, sic laetabitur dispergens vos atque subvertens, ut auferamini » (Deut. 28, 63. *For.*). En, quomodo duces et fautores scelerum et mali iustitiae administratores *hostes* Dei et *inimici* dicuntur, quorum castigatione Deus se laetari dicit; cf. Prov. 1, 26.

Post iudicii denuntiationem subditur modus quo illud Deus sit exsecuturus et finis quem in poena infligenda obtinere cupit v. 25 « *et convertam manum meam ad te et excoquam ad purum scoriam tuam et auferam omne stannum tuum* »; — hebr. *excoquam quasi sale lixivii*[1] *scorias tuas;* adest igitur in Israel pretiosum metallum, sed commixtum cum scoriis et stanno; vi enim electionis divinae cum dona Dei sint sine poenitentia, populus electus plane interire nequit, sed semper adesse debet *semen sanctum* (cf. 6, 13). Id ergo agitur, ut iudiciis divinis boni purgentur, separentur a malis, mali vero interimantur; quem duplicem castigationum divinarum effectum *in resurrectionem et ruinam* optime ea comparatione illustrat vates et declarat. Nota in sale lixivii castigationis severitatem, in stanno auferendo interitum peccatorum obstinatorum, in excoctione purgationem et probationem bonorum. Deus dicitur *manum convertere,* admovere i. e. iam non scelera in immensum augeri permittet, verum qui eousque quiescere videbatur exsurget contra contemptores suos; locutio ea saepe sensu infenso adhibetur (cf. ad Am. 1, 8), sed etiam sensu prospero (Zach. 13, 7); hic denotat iudicium emendationis et expurgationis, quale illud est: « cuius ventilabrum in manu eius et expurgabit aream suam congregabitque triticum suum in horreum, paleam autem comburet igni inexstinguibili » (Matth. 3, 12. *S. Cyr.*).

Iam castigationis finem et fructum quem modo per allegoriam exposuit, verbis declarat propriis (cf. v. 22. 23): v. 26 « *et restituam iudices tuos ut fuerunt prius et consiliarios tuos sicut antiquitus; post haec vocaberis civitas iusti, urbs fidelis* »; — iudices prisci et consiliarii *in initio* (hebr.) sunt duces illi praeclari, fide et pietate insignes, qui populo ad veram pietatem et felicitatem suasores et auctores exstiterunt: Moyses, Iosue, Gedeon, Samuel, David etc. Ergo promittit iudicio de-

---

1. Hebr. כַּבֹּר cf. ad Iob 9, 30. Mal. 3, 2. LXX εἰς καθαρόν, uti *S. Hier.* et *Syrus, Sym. Theod.* qui igitur 'בּ legerunt. Lectionem *mas.* exprimit *Chald.*, quae retinenda est, quia ad excoctionem et conflationem accelerandam salem alcali vel lixivii veteres adhibebant; cf. *Ros. Del. Troch.*

voluto fore in theocratia duces et principes, qui ita populum doctrina et exemplis erudient, ut theocratia nomine civitatis iustitiae, urbis fidelis sit cohonestanda. Proinde periodum indigitat verae sanctitatis, in qua fides in Deum et omnis generis iustitia florebit. Hisce ergo via et regula data est pro Israel : ex castigatione salus exsurget ; per punitionem et afflictionem populus Dei quasi per gradus quosdam adducendus est ad veram illam theocratiae et sanctitatis formam quam Deus obtinendam proposuit. Nota in hebr. ab eodem verbo incipere v. 25 et 26 *et reducam,* ut etiam eodem sono et verbo idem utriusque versus argumentum vestiatur. Cum haec lex proposita adeo sit generalis, eius usus saepius in historia populi electi deprehendi potest ; quare non immerito multi interpretes censent, inchoatione quadam hanc restitutionem iam tentatam fuisse tempore Zorobabel, Esdrae, Nehemiae, Machabaeorum, qui praeclari populi duces fuerint, sed plane et perfecte hanc instaurationem et iustitiae fideique splendorem pertinere ad tempora messianica (cf. *S. Hier. Haim. For. Sanct. Lap. Tir. Calm.)* ; cf. Ier. 3, 15 ; 23, 4 ; 33, 15. 16.

Iam haec norma qua in posterum sortes populi Israel eiusque vicissitudines dirigendae sunt, breviter et lucide quasi per modum axiomatis proponitur : v. 27 « *Sion in iudicio redimetur et reducent eam in iustitia* » ; — hebr. *et reduces eius in iustitia* i. e. erit redemptio et salus pro Sion, pro Israel ; sed ope *iudicii ;* eo quod Deus iustus iudex punit et castigat, redimentur et salvabuntur. Ergo illa via iam est constanter ineunda, de qua Deus ad David locutus est regno messianico promisso et optione proposita, qua ratione domus davidica ad gloriae fastigium tendere velit : « qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum et in plagis filiorum hominum, misericordiam autem meam non auferam ab eo » (2 Reg. 7, 14. 15). Alii *iudicium* explicant ius et normam iusti scil. eo quod incolae ius et iustitiam sancte servant, Sion redimetur, salus in iuris observatione consistit (cf. *Ros. Ges. Schegg, Diest. Drechsl. Naeg. Loch, Allioli, Troch.*) ; at rectius alii de iudicio divino accipiunt (cf. *S. Ephr. Chrys. Malv. Mar. Lap. Men. Tir. Gord. Net. Rohl. Del.*), quod sane illud v. 25 denuntiatum intelligi oportet. Atque ea explicatio et propter antecedentes versus (v. 24. 25) et propter subsequentes qui hoc iudicium peccatoribus inflictum magis amplificant, omnino videtur praeferenda neque est ea ullo modo ab usu vocis aliena (cf. *Ges.* Thes. p. 1464). Haec autem redemptio in eo consistit, ut poenis eruditi et purgati veram consequantur iustitiam eamque ita in se exprimant indole sanctitatis, ut appellatio illa v. 26 iis iuremerito indatur. Hac enim iustitia et sanctitate Sion aedificabitur et consistet. Id demum plene factum est in Christi Ecclesia, cuius typus et praeparatio erat Sion,

Alii aliter iudicium concipiunt. Et *S. Cyr.* ita : « quoniam autem non citra delectum, sed cum sollicitudine et ratione et iustitia Dei excoctio sive exploratio habetur quae genus per fidem approbatum discernit planeque detegit, porro addit et dicit : *quia cum iudicio servabitur captivitas eius.*. discretis enim generibus et eo qui credidit approbato, altero autem graviter impingente, electum quidem servatum est, sed periit quidquid nefandum ac odiosum fuit ». Sim. *Sanct.* explicat : « rediere in iudicio et iustitia i. e. non temere et sine delectu ».

Alii *iudicium* intelligunt de iudicio passionis et mortis Messiae et pretio redemptionis rite persoluto (cf. *Caiet. Pint. Sasb.*). *S. Basil.* explicationem de delectu et de iudicio divino castigationis coniungere videtur, scribit enim : « consiliarii quae ad salutem pertinerent suadebant, ut civitatis huius captivitas efficeretur digna quae salutem consequeretur ; hoc est enim salvari cum iudicio i. e. κεκριμένως καὶ ἐξητασμένως. Deinde quoniam si iniquitates observaverit, sustinebit nemo, connexuit misericordiam iudicio, ut misericordiae temperatura iudicii severitatem mitigaret; itaque per iudicium addita civitas est captivitati, sed revocata est per misericordiam ».

Quas supra commemoratas habes explicationes non ita multum quoad sensum inter se differunt. Nam in utraque verum est ope iudicii iri restitutum ex norma divina ius ac iustitiam i. e. conditionem legi divinae ac voluntati consentaneam. — Aptam eo loco inserit *For.* considerationem, esse scil. vastationes ceterasque plagas, immo et haeresum inundationes veluti divinitus missas conflagrationes in *vindictam* hostium Dei et ad *absumendas scorias* et ut fides electorum probata inveniatur ; esse flagella et quasi initium damnationis impiorum ; si autem mentem Dei attenderis, esse beneficia in pios etc.

Sed vae illis qui iudicio divino non se sinent reduci ad veram iustitiam, qui divinis poenis non emendabuntur ; illis erit idem iudicium in ruinam quia « edictum gratiae » (*Rup.*) in illo expressum abiecerunt. Et hanc iudicii viam ad terrorem incutiendum magna cum emphasi in subsequentibus (v. 28-31) vates delineat. Primo interitum eorum generatim annuntiat : v. 28 « *et conteret scelestos et peccatores simul, et qui dereliquerunt Dominum consumentur* » ; — hebr. magis nervose per modum exclamationis : *confractio apostatarum et peccatorum simul.* Ita minae v. 9 et 20 contentae clarius efferuntur et adhortatio v. 16. 17 data magis e contrario inculcatur. Deinde qui sint illi apostatae (vel *deficientes* hebr. cf. v. 2) et qualis poena criminibus consentanea iis sit inferenda, declaratur v. 29 « *confundentur enim ab idolis quibus sacrificaverunt et erubescetis super hortis quos elegeratis,* v. 30 *cum fueritis velut quercus defluentibus foliis et velut hortus absque aqua* » ; — hebr. *quia confundentur propter terebinthos quibus delectati estis ;* transitus fit ad allocutionem animi commoti causa. Commemorantur terebinthi et horti, quia ibi idololatria et spurcitiae ei coniunctae exercebantur ; cf. 57, 5 ; 65, 3 ; 66, 17. Ier. 2, 20 ; 3, 6. Ez. 6, 13 ; 20, 28. Os. 4, 13. 3 Reg. 14, 23 et vide

quae notata sunt ad Mich. 5, 13. Pudor vero et confusio inde orietur, quia idola opem nullam ferre possunt tempore calamitatis quo cum irrisione eis dicetur : ubi sunt dii tui quos fecisti tibi? surgant et liberent te in tempore afflictionis (cf. Ier. 2, 28. *S. Cyr.*). Idololatriae instrumenta destruentur, montes et colles et regiones cultu illo turpiter infectae vastatione poenas datas exhibebunt et ita abundantissima confusionis materia aderit. Populi ipsius felicitas, prosperitas, regni vigor et potentia, divitiae, omnia iacebunt prostrata et conculcata; sicut enim terebinthi et horti, idololatriae testes et adiumenta, vastatione et excidio peribunt, ita eodem modo ii qui in illis suam collocaverant fiduciam, qui illa *elegerant* iisque *delectati* sunt. Et ita *elegit* populus ille *electus* a Deo et qui ipse sollemni foedere Deum sibi elegit (cf. Ex. 19, 5. Deut. 7, 6. Ios. 24, 15 seq. etc.). Quare cum emphasi sors eorum et poena v. 30 ita describitur, ut plane fiant sicut ea quae turpiter dilexerant. Comparatio autem diiudicari debet ex regione orientali, ubi aquae penuria sterilitatem, horrorem, solitudinem quam maxime inducit. « Quid tristius quercu seu terebintho, ubi frigus aut aestus aut acrior aliqua vis florum pulchritudinem excusserit? quid horto miserabilius cuius luxuriae atque amoenitati squalor successit et vastitas » (*Sanct.*)?

Ut appareat quantus miseriae cumulus in aversione a Deo contineatur, ad horrorem vastitatis addit vates horrorem incendii inexstincti v. 31 « *et erit fortitudo vestra ut favilla stupae et opus vestrum quasi scintilla, et succendetur utrumque simul et non erit qui exstinguat* » ; — hebr. *et erit opulentus in stupam et opus eius in scintillam* i. e. omnia scil. ingenii, artis, naturae praesidia quae opem afferre et stabilem fortunam praebere videntur erunt quasi stupa et opera eorum flagitiosa erunt scintilla cadens in stupam et ingens excitans incendium quod exstinguere nemo poterit. Ipsi igitur sibi operibus suis interitum accersunt, divinas in se attrahunt castigationes ; « hinc vides peccatores esse sibimetipsis et operibus manuum suarum conflagrationis et perditionis auctores ; ecce quod v. 28 dixerat ; nempe fiduciam impiorum simul cum ipsis interituram esse » (*For.* sim. *S. Chrys. Cyr. Hier. Basil. Haim. Lap. Men. Mar. Calm.*), et addit *S. Chrys.* indicari quoque inexpugnabilem Dei potentiam et ipso puniente et vindictam sumente neminem posse resistere et mala solvere. Indicat enim sacer vates eundem interitum malorum quem in fine trium sermonum partis alterius affert: « non est pax impiis... ignis eorum non exstinguetur » (48, 22 ; 57, 21 ; 66, 24), ita ut prologus eadem ratione finiatur qua liber integer ostendens ruinam irreparabilem et miseriam eorum qui salutem a Domino oblatam repudiaverint.

Alii in v. 31 specialem fieri volunt mentionem idolorum, dum vel *fortitudinem* explicant *idolum* (cf. *Pint. Malv. Mald. Osor. Sasb.*) vel ita *opus* esse concipiendum volunt (cf. *S. Thom. Rohl. Kn. Del. Naeg.*). Sed quamvis in iis quae sibi praesidio ac munimento fore confidebant etiam idola contineantur, ea tamen primo ac per se minime istis nominibus designantur; alias enim idola constanter dicuntur *opera manuum hominum* (cf. 2, 8 ; 37, 19) et ita, ut ea appellatio proxime ipsis idolorum nominibus adiungatur. Nostro autem loco neque in antecedentibus idola in textu hebr. explicite efferuntur neque contextus is est, ut *opus vestrum* ad idola ab iis confecta commode referatur, sed potius totam eorum agendi rationem significet.

Ex verbis ipsis et tota orationis serie patet reprehensiones dirigi in urbis conditionem prout fuit tempore Isaiae, idque etiam valere de v. 21 seq. qui versus eodem prorsus modo uti v. 4. 11 populi corruptionem carpunt. Quare nullo modo opus est ea verba de synagoga tempore Christi prophetice accipere vaticinio proprie dicto quasi sacer vates tempus messianicum proxime et per se spectasset. Contra hanc explicationem quae sat multis aut unice aut saltem *plenius* vel *praecipue* arrisit (cf. *S. Hier. Haim. Caiet. Pint.*) iam agunt *Sasb. Sanct.*

Demum antequam cap. 1 mittamus, pauca dicenda sunt de quaestione in varias agitata partes : quo tempore haec oratio habita sit qualemve temporis conditionem prae se ferat. Tempus Azariae regis designari vult *Caspari* (Beitraege zur Einl. in d. Buch Jesaia), unde v. 7-9 prophetice dici affirmat de tempore futuro. Sed durus est iste sermo et omnibus interpretationis regulis contrarius. Nam illi versus ut qui maxime rem factam et oculis loquentis subiectam designant, et si nexum attenderis cum v. 5 et 6, de futuro intelligi plane nequeunt. Idem valet de sententia a *Schegg* propugnata, qua ultimum tempus Ioatham designari et vastationem futuram per modum minarum exhiberi censet. Neque dici potest cum *Vigouroux* (Manuel bibl. II p. 504) intelligi Syrorum et Israelitarum invasionem sub finem regni Ioatham et ad illud tempus caput hoc esse referendum. Nam ista invasione nullo pacto tanta est edita strages, quantam in v. 5 et seq. descriptam cernimus ; id quod iam ex modo colligitur, quo in s. literis sermo est de illa invasione : *in diebus illis coepit Dominus mittere in Iuda Rasin regem Syriae et Phacee filium Romeliae* (4 Reg. 15, 37). Ceterum etiam mirum est cl. auctorem illum asserere, plerosque interpretum ei sententiae subscribere. Nam qui invasionem illam cum tanta strage coniunctam esse asserat, equidem scio neminem. Hoc scio alios tempora Azariae et Ioatham ad talem descriptionem minime esse apta rite perspicientes tempus exquisivisse, quo similis strages revera regioni sit illata. Est autem illata tempore Achaz tempore belli syriaco-ephraimitici (de quo vide ad cap. 7) et denuo tempore invasionis Assyriorum sub rege Ezechia (cf. cap. 36, 37). Unde ad haec tempora multi sermonem referunt, et ad Achaz regnum quidem *Ges. Ros. Maurer, Movers, Kn. Haevernick, Rohl. Del.* ; ad invasionem autem Assyriorum a Sennacherib factam *Eichhorn, Hitzig, Umbreit, Drechsl. Luzzatto, Küper, Naeg.* Sed utraque sententia non levibus urgetur difficultatibus. Nam cum in v. 11-15

cultus publicus et ritus sacrificiorum et variae caerimoniae ita commemorentur ut dubium esse nequeat quin sedulo ac diligenter fuerint observata et exercita, statim cuique in mentem veniet, haec in tempus Achaz minime posse convenire. Erat enim ipse idololatra, qui non uno sacrilegio templum Domini maculavit et spoliavit, immo (utique post bellum syriacum) ianuas templi Dei clausit (cf. 4 Reg. 16, 14. 17. 2 Par. 28, 2-25). Floruit cultus Dei sub Ezechia rege. Num ergo eius tempus describi censebis ? Verum obstat gravissima idololatriae accusatio, quae in v. 29 exprimitur ; at sub Ezechia vestigia et documenta idololatriae destruebantur non solum in Ierusalem et Iuda, sed etiam in finibus Ephraim et Manasse ; cf. 4 Reg. 18, 4. 2 Par. 30, 14 ; 31, 1. Obstant querelae quae de iniustitiis ac caedibus commissis, de principibus tamquam rebellibus et sociis furum et iniquitate ut Sodoma oneratis funduntur, quae ad regni et gubernationis indolem qualem eam sub Ezechia fuisse sacri libri testantur, haud bene aptantur. Ad neutrum igitur tempus sermo integer referri posse videtur, nisi dixeris ex apostasia a Manasse facta cui maior pars nobilium et populi adstipulata est (cf. 2 Par. 33, 9) satis patere etiam ultimo Ezechiae tempore non adfuisse apud plerosque veram animorum conversionem et sinceram morum emendationem ; unde prophetam fucatae illi apud plerosque pietati larvam detrahere et nobiles describere tales quales mente et animo sint. Inde facile quoque explicari, cur Manasse rege praeeunte tanta invaluerit morum corruptio. Optime quidem invectivae explicarentur ex ipso Manassis regis tempore. Sed initio regni eius invasionem hostilem talem regioni intulisse stragem, qualem hic descriptam legimus prorsus non constat.

Cum ergo in unaquaque sententia adsint difficultates, fortasse poterimus acquiescere opinioni qua censetur sermonem talem esse concipiendum qualem eius indoles eum plane prodat et qualem eum esse iam ii innuerint, qui in eo totius libri argumentum quasi concludi eumque prologi instar libro praemitti iudicabant (cf. *For. Lap.*). Si enim libri argumentum exhibet et prooemii loco praemittitur sermo, non ad unius regni tempus et conditionem adaptari debet, verum omnium temporum quae vixit Isaias imaginem quandam ac speciem referre censendus erit ; si libri prooemium est, non certo aliquo tempore ita, ut scriptus est, a vate publice recitatus est, sed compositus atque contextus esse potest ex iis quae vario tempore pro varia regum rerumque conditione propheta monuerat vel vituperaverat. Singula igitur quae dicuntur vera sunt, singula quoque in aliqua vitae Isaiae epocha ita gerebantur et fiebant, uti vates conqueritur, forte singulae quoque sententiae pro varia rerum vel necessitate vel opportunitate etiam publice a vate enuntiatae sunt, totus autem sermo ut talis ab Isaia compositus esse videtur, ut libro praefigeretur et libri quandam summam exhiberet. Ita facillime explicantur omnia ; ita liquet, cur aliqua ad Achaz tempus, alia vero ad Ezechiae regnum conveniant. Ceterum ex opinionibus propositis eam selige quae tibi videtur magis probabilis.

I. — PRIMA VATICINIORUM SERIES CP. 2-5.

Arg. — Orditur vates ab oraculo de monte domus Domini elevato ad quem omnes gentes confluent, quo vaticinio theocratia ex Israel oriunda et per orbem propaganda designatur et simul egregie illustratur, quae sint populi electi partes in salute diffundenda (2, 1-4). Hanc populi dignitatem theocraticam intuitus propheta oculos iam coniicit in studia plane contraria, quibus eius aequales longissime a vera theocratia absunt quaeque sacra quadam indignatione castigat (2, 5-9). Iis enim imminet terribile iudicium Dei, quo omnis fastus et pompa, omnia subsidia humana et praeprimis idola prosternentur cum magna idololatrarum ignominia (2, 10-22). Iudicio ita generatim proposito iam distinctius exsequitur vates afflictionum genera in Iudam et Ierusalem devolvenda: auferet enim Deus omnia illa quibus regnum firmiter consistit, immittet perturbationes quibus regnum sit ruiturum; ruinam enim merentur ob peccatorum scelerumque impudentiam : unde iustis quidem salus obtinget, interitus vero impios involvet (3, 1-11). Ruinae auctoribus accensendi sunt principes ac duces, qui populum seducunt, exspoliant, opprimunt, nec minore vituperatione dignae sunt mulieres superbiae ac voluptati deditae, quas Deus ignominia, squalore, orbitate puniet (3, 12-4, 1). Sed si omnis fastus mundanus iusto Dei iudicio prostratus iacet et conculcatus, tunc efflorebit salus messianica : germen Domini erit in magnificentia et gloria, reliquiae Sion sanctitati restituentur, Ecclesia Dei miris favoribus et protectione divina illustrabitur sicuti olim in egressu ex Aegypto et in migratione per desertum (4, 2-6). Sic igitur vaticinium hoc redit ad oraculum unde initium duxit. Tempus enim messianicum i. e. terminus ille illustrissimus ad quem omnes res gestae Israelitarum divina disponente providentia et gratia tendunt, uti ab initio, ita in fine huius sermonis clarissime proponitur. Quae interiacent, eam delineant viam qua Israel ad illum terminum est adducendus. Cum enim quam maxime ab indole theocratica defecissent, nihil aliud restat, nisi ut Deus severo iudicio castiget, prosternat et deleat omnia impedimenta. Ergo quod vates in prologo iam indicavit, in hoc vaticinio clarius et distinctius effertur : Sion in iudicio redimetur.

Huic vaticinio subiungitur cp. 5 carmen parabolicum de vinea Domini, quo ostenditur, quanta cura et sollicitudine Deus vineam excoluerit quae tamen cum non uvas, sed labruscas protulerit, vastationi et direptioni iamiam tradetur ; in qua parabola populus Dei delineatur (5, 1-7). Qua enim ingratitudine et perversitate beneficia divinitus sibi collata

rependerint, propheta longiore enumeratione explicat, vae dicens et competentem poenam annuntians avaris et ebriis voluptuosisque (5, 8-17), illusoribus verbique divini contemptoribus et corruptoribus, superbis, iudicibus iniquis (5, 18-23). Tales igitur labruscas cum attulerit vinea Domini, devastanda erit et exscindenda ; ad quod Deus suos mittet milites ab extremis terrae, fortitudine insignes, armis instructos egregiis, qui horrorem et vastitatem ubique spargent (5, 24-30).

Hac igitur oratione vates iis in memoriam revocat beneficia a Deo accepta, quibus tanta criminum enormitate responderint ; unde necessitas iudicii et castigationis nova ratione ostenditur. Modum autem castigationis eius quae cp. 3 in universum erat denuntiata, iam accuratius effert, cum hostium a longinquo irruentium turbas et furorem describat, stragem et vastitatem universam annuntiet.

Habet haec series propriam inscriptionem : « *Verbum Domini quod vidit Isaias, filius Amos, super Iudam et Ierusalem* » ; — non est inusitatum in libris propheticis, ut varia vaticinia propriis titulis distinguantur (cf. 13, 1 ; 15, 1 ; 17, 1 etc. Ier. 7, 1 ; 11, 1 ; 14, 1 etc.) ; quare specialis ratio cur in singulis ita fiat, non erit inquirenda. Sunt qui censeant eam vaticiniorum partem eo titulo inscriptam ab Isaia esse editam antequam integra eius oraculorum collectio institueretur ; quare ei titulo retento quo iam praedita esset demum insertam esse opinantur ; id quod neque negare neque affirmare possumus, sed neque multum refert cui sententiae quis adhaereat, cum inter omnes constet hoc oraculum ab Isaia et annuntiatum et scripto relictum fuisse.

Ex hebraismo noto *verbum* דָּבָר sensu latiore [1] dicitur de rebus illis, argumentis, doctrinis, praeceptis etc. quae Deus cum vate suo communicare voluit, qui usus in s. Scriptura late omnino patet. Communicationis modum, certitudinem, claritatem designat illud *vidit* visione scil. interna intellectuali vel etiam visione symbolica, ita ut res sub involucris quibusdam ac symbolis menti prophetae repraesententur. Iam cum in sequenti vaticinio eiusmodi imago vel repraesentatio symbolica aperte habeatur : mons scil. domus Domini elevatus ad quem omnes populi confluunt, hac ipsa voce etiam monemur, ut sedulo imaginem distinguamus et rem seu veritatem imagine expressam. Imago ex iis peti debet quae vati iam nota sunt, ut ex notis ducatur in incognita quae revelatione ei patefiunt ; imago talis ut est sensibus internis obiecta mul-

1. Ita in *vulg.* saepius *verbum, sermo* adhibetur v. g. 1 Reg. 3, 11. 2 Reg. 12, 21 ; 15, 5. Ier. 44, 4. Luc. 1, 37.

ta in se comprehendere potest quae in rebus gestis nonnisi paulatim et variis intervallis separata exprimuntur. Talis enim repraesentatio symbolica considerari debet eodem modo quo *idea* alicuius rei concipitur ; in ipsis autem symbolis et involucris diligenter distinguendum est, quid repraesentationi suo modo sensibili et formis sensibilibus alligatae adscribi oporteat quidve ad ideam rei efformandam pertineat. —Dicitur *super Iuda*.... cum omnia quae sequuntur ad theocratiam quae in Iuda et Ierusalem vel iam adest vel typice repraesentatur, intime referantur (cf. *S. Cyr*. et vide ad 1, 1).

a) **De theocratia universali 2, 2-4.**

Cum hoc loco Isaias subito et immediate incipiat sermonem ab oraculo de monte templi, quo in Israel esse fontem doctrinae ac salutis pro omnibus conclusum designatur, haud immerito supponendum erit, oraculum afferri iam notum et saepius iam populo propositum. Sic enim exordium hoc quasi ex abrupto facillime intelligitur, sic maiore quoque cum efficacia animi audientium pulsantur, si tam excelsa dignitate proposita quam turpiter ab ea defecerint sermone gravissimo vates declarat. Rem autem ita esse etiam eo facile tibi persuaseris, quia a nullo propheta vaticinium de re sublimi futura ita repente et nulla praeparatione praemissa introducatur. Atque revera idem vaticinium invenitur apud Michaeam (4, 1-3) et invenitur ibi non abrupte positum, sed in nexu intimo cum antecedentibus. Michaeas enim in altero suo sermone (cap. 3-5) annuntiat interitum Iudae propter peccata principum, pseudoprophetarum, sacerdotum : « propter hoc causa vestri *Sion* quasi ager arabitur et *Ierusalem* quasi acervus lapidum erit et *mons templi* in excelsa silvarum » (3, 12). Sed statim more prophetico subiungit ruinae instaurationem et quidem ut nexus apertissime pateat, triplici ruinae triplicem instaurationem modo chiastico : *mons templi* elevatus ad quem omnes confluent 4, 1-5 proponitur, 4, 6-7 populi reductio (Ierusalem) celebratur, 4, 8 ad *Sionem* redituram esse priscam dominationem praedicitur (vide ad Mich. 4, 1 in comment.). Cum igitur vaticinium suo loco et quasi propria in sede apud Michaeam reperiatur, satis certum esse videtur illud non per Michaeam ab Isaia esse desumptum, verum potius Isaiam illud a Michaea accepisse. Neque obstat quod seniores apud Ieremiam (26, 17 seq.) narrant Michaeam istud vaticinium dixisse sub Ezechia rege, dum tamen sermo iste Isaiae quem nunc prae manibus habemus ad tempus ante Achaz referendus sit. Nam seniores id narrant quod recordantur neque asserunt, Michaeam vel semel tantum vel primum sub Ezechia minas illas edidisse, sed id monent quanta cum reve-

rentia et pietate minae propheticae eo tempore sint acceptae. Quocum optime anterior quaedam vaticinii cognitio consistit. — Aliis demum placet coniectare, utrumque prophetam, Isaiam et Michaeam oraculum ab antiquiore propheta, forte ab Ioele, accepisse (ita *Hitz. Cheyne*, neque dissentit *Ewald* ; cf. *Del. Naeg.*).

Quam magnificum sit divinum consilium de centro theocratiae eiusque gloria et proin de gloria Israel, praeclaro symbolo propheta proponit v. 2 « *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium et elevabitur super colles et fluent ad eum omnes gentes ;* v. 3 *et ibunt populi multi et dicent : venite et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob et docebit nos vias suas et ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem* » ; — si vaticinium iam notum proponitur, facilius etiam intelligitur, cur ab *et* incipiatur (cf. notam ad Ion. 1, 1); apud Michaeam enim וְהָיָה suo loco et ordine ponitur *et erit*, minime autem apud Isaiam [1]. Locutio *in fine dierum* [2] frequenter obvia apud prophetas fatentibus omnibus de tempore messianico usurpatur; est quippe tempus hoc ultimum, « quia non succedet alia religionis observatio » (*S. Thom.*), sed quia est ultima theocratiae hisce in terris periodus quam sola consummatio ac perfectio coelestis consequitur; est finis dierum, in quem finem saecula anteacta tendunt et ad quem praeparandum et significandum vetus ordinatur testamentum; unde τέλη τῶν αἰώνων cf. 1 Cor. 10, 11 et ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν Hebr. 1, 1. 1 Petr. 1, 20. 1 Ioan. 2, 18 etc. Tempore igitur messianico quod est tempus impletionis promissionum et hoc quoque sensu tempus extremum (quasi plenitudo temporis), erit *fundatus* (hebr.) vel *constitutus firmiter* mons templi, stabili modo, inconcussus, iam a nullo hoste loco movendus erit; adhibet vates in hebr. eandem vocem qua 2 Reg. 7, 26. 3 Reg. 2, 45 thronus David iugiter

---

1. Illud *et* subtiliter rimatur *Herv.* : « hac in re sciendum quia sicut nos corporalia, sic prophetarum sensus spiritualia aspiciunt eisque et illa sunt praesentia quae nostrae ignorantiae absentia videntur. Unde fit, ut in mente prophetarum ita coniuncta sint exterioribus interiora, quatenus simul utraque videant simulque in eis fiat et intus verbum quod audiunt et foris quod dicunt. Patet igitur causa cur inchoavit dicens *et erit,* quia illud verbum quod foris protulit, illi verbo quod intus audierat coniunxit. Continuavit itaque verba quae foris protulit visioni intimae, idcirco incepit dicens *et erit,* subiungit enim hoc quod exterius loqui inchoat, ac si et illud foris sit quod intus videt ».

2. Vide de toto hoc vaticinio ea quae scripsi in Erklaerung des Proph. Is. p. 59 et seq. et in comment. ad Mich. 4, 1. De eo luculenter quoque tractat *Reinke,* Exegesis critica in Iesaiae cap. 2, 2-4 et in libro : Die messian. Weissagungen I p. 46 et in comment. ad Mich.; item *Bade,* Christologie III 1 p. 12-30; *Selbst,* die Kirche Iesu Christi nach den Weissagungen der Propheten, Mainz 1883.

firmus dicitur. Et tali firmitate instructus non in humili quodam colle, verum *in vertice montium* erit i. e. in altissimo fastigio collocatus, super omnes colles et montes elevatus, omnia quae in orbe terrarum alta sunt supergrediens. Undique igitur conspicuus mons templi tanta apud omnes valebit gloria, ut iam ad eum confluant omnes gentes; *fluent* i. e. multitudine ac festinantia (*S. Thom.)* properabunt; *fluere* motum dicit minime violentum cuiusmodi esse solet in rebus natura propensis (*For.*). Iam cur ad eum confluant, vel quid in illo monte cernant, ex verbis quibus inter se studiose cohortantur, facile colligitur; ibunt enim *populi multi* i. e. *numerosi*, populi qui maxima hominum multitudine constant, ergo populi praecipui et alacri studio pergent aliosque etiam propria salute non contenti invitabunt (cf. *S. Hier. Sasb.*): *venite, ascendamus..* et quid exspectant et appetunt? *docebit nos vias suas :* viae Domini sunt eius consilia, sunt agendi modi et illae rationes quas ipse sequitur et quas ab hominibus nosci et observari vult; divinam igitur doctrinam appetunt et divinam institutionem; hanc autem consequitur ratio vitae *et ambulabimus in semitis eius* vel ut est in hebr. per modum cohortationis *et ambulemus;* lumen igitur divinum efflagitant pro intellectu, vires et robur pro voluntate, ut ita et intellectus divina percipiat et quae percepta sint strenue operibus exprimantur. Perceperunt ergo in monte templi vel quod idem est apud Deum Iacob qui ibi sedem suam et regnum collocarat, adesse repositam sacram doctrinam et tale robur, ut lex Dei cum gaudio spiritus adimpleatur.

Verbis aliquantum explanatis iam ulterius est dispiciendum, quid eo oraculo portendatur. In visione prophetica vates cernit montem domus Dei elevatum super omnes montes, longe lateque per orbem omnibus conspicuum et gentes undique ad eum sacro studio et salutis desiderio confluentes. Symbolum aliquod proponi clarum est. Quomodo symbolum explicabimus ? An dicemus cum aliquibus (*Hofmann*, Weissagung und Erfüll. 2, 217; *Drechsl. Del.* et etiam *Naeg.*) montem templi revera in novo rerum ordine esse physice elevandum vel reliquum terrarum orbem esse in planitiem commutandum? Sed ratio symboli id minime postulat, e contra suadet elevationem esse aestimatione et dignitate metiendam. Dein cum fieri nequeat, ut omnes gentes et populi numerosi ad montem templi ascendant, eo ipso innuitur, populos non corporibus ad montem templi accedere. Ergo eo ipso etiam non requiritur elevatio vera physica, quae ita nullo fieri posset modo, ut saltem ab aliquibus populis cerneretur. Sed requiritur elevatio aestimationis et dignitatis qua mons cognoscatur et maximi fiat tamquam sacrae doctrinae et roboris divini fons et thesaurus, ex quo omnes hauriant. Cum igitur non ipse mons templi *qua talis* sit communis omnium gentium peregrina-

tionis scopus ac terminus, non relinquitur nisi ut mons templi sensu aliquo altiore pro ea re accipiatur quam mons templi ex suo usu et fine revera repraesentare potest.

Quae sit ea res, facile deprehenditur. Erat enim mons templi unicus ille in toto terrarum orbe locus, ubi religio et cultus veri Dei exercebatur, erat centrum theocratiae. Proinde si symbolo aliquo exprimendum erat, veram religionem et sacrum Dei cultum iri propagatum ad omnes late per orbem gentes, fatendum erit symbolum melius, clarius, simplicius inveniri non posse illo quod in nostro oraculo est descriptum. Sensus ergo planus est, tempore messianico veram religionem omnibus fore valde conspicuam, suo splendore ac lumine oculos omnium perculsuram et populos magno studio eam esse amplexaturos et uberes sacrae doctrinae et bonorum operum fructus ex ea percepturos. Sed hic nondum est sistendum. Nam in symbolo praeclaro quoque modo illustratur, qua ratione tempore messianico vera religio constituatur. Mons templi eousque solum notus ac conspicuus Iudaeis ex particulari hac et limitata conditione exsurgit ad centrum omnium populorum : ergo ex ipso veteri testamento exsurget novum tamquam illius absolutio et perfectio; adest nexus quidam internus atque habitudo inter utrumque ita, ut novum testamentum non tamquam res plane nova instituatur, sed inchoatione quadam et praeparatione iam in vetere tamquam in germine praeformetur et contineatur. Exsistit enim, ut aliis utar verbis, unum Dei regnum, una theocratia; vetus quidem illa proxime ad unum populum pertinens, imperfecta praelusio quaedam et umbra veri regni Dei, nova vero ex praecedente exorta, eius fundamentis aliquo modo superstructa, at perfectione, indole sublimiore et latissima propagatione ac destinatione insignis.

Iam quae est nova haec theocratia vel regnum Dei universale? Cernitur a propheta *in fine dierum* i. e. in periodo messianica ; est ergo regnum illud a Messia institutum, est aliis verbis *Ecclesia Christi* quae symbolica hac visione in se, in sua ad vetus testamentum habitudine, in suis attributis mire adumbratur. Declaratur enim *montis templi* symbolo tamquam institutio ad veram religionem verumque Dei cultum; eius elevatione indicatur, hanc Ecclesiam fore visibilem, conspicuam, insignem, cognitu facilem ; et cum videat vates omnes ad montem templi confluentes, eo ipso universalitas, catholicitas exprimitur. In vocibus populorum confluentium Ecclesia praedicatur tamquam sacrae doctrinae divinaeque revelationis thesaurus, tamquam fons ex quo omnes hauriant vires ad ambulandum in viis Domini, atque in laeta illa exhortatione *ambulemus in viis eius* egregie indicatur *sanctitas Ecclesiae.* Hae enim voces ad eum pertinent qui gratia Christi confortatus

et spiritu roboratus sanctitatem a Christo propositam studio indefesso consequitur, dum docente S. Paulo homo nondum regeneratus et gratia destitutus gemit : « perficere bonum non invenio » (Rom. 7, 18). Ceterum in omnibus vaticiniis messianicis sollemne est maiorem efferri Dei cognitionem et vitam sanctam ad Dei normam et beneplacitum exactam (cf. ad Mich. 4, 2). Cernitur *unitas* Ecclesiae in ipso quoque symbolo montis templi : erat enim unum theocratiae centrum, vinculum quoque et adiumentum unitatis quo singulae tribus israeliticae se ad unam Dei familiam pertinere cognoscebant, quo efficaciter in una religione et uno cultu Dei continerentur. Neque minus adest *apostolicitas* : ad *Deum Iacob* enim esse accedendum palam edicitur, i. e. ad Deum illum qui in certa familia, in certo aliquo coetu se manifestat. Deus se vocat Deum Iacob etiam propterea, quia in familia Iacob suas reposuit promissiones, et quicumque olim horum bonorum se participem reddere volebat, aliquo modo debuit se familiae Iacob adiungere, debuit aliqua ratione populo electo aggregari; ad quam rem vide quae de proselytis portae qui vocantur tradita sunt. Uti ergo veteris testamenti revelatio et religio certae cuidam stirpi erat concredita, ita Messias suam doctrinam et auctoritatem reposuit in certa quadam familia, in collegio nempe apostolorum, quod vivum et perpetua successione permanens adesse voluit in sua Ecclesia et cui oportet adiungi et ritu externo et interna subiectione et obedientia (cf. ad Mich. 4, 2). Porro in symbolo montis per se deprehenditur *firmitas inconcussa;* praeclare in hanc rem dicit *S. Chrys.* : « quemadmodum enim si quis adversus montes innumeros obiiciat exercitus arcus tendentes, hastas vibrantes, machinas admoventes, illos quidem nullo damno afficere poterunt, sed consumpta propria fortitudine recedent, sic et quicumque Ecclesiam impugnaverunt hanc quidem non laeserunt, sed sua amissa potentia pudore sunt affecti ».

Verbis *quia de Sion exibit lex..* propheta rationem reddit verbisque propriis declarat rem quam symbolica visione perceperat. Dei scil. doctrina, institutio, revelatio promanabit ex Sion, ex centro veteris theocratiae ad omnes gentes (*For.*); ex Sion longe lateque promulgabitur (cf. *Basil. Caiet. Sasb.*); inde sacrae doctrinae rivulis omnes gentes rigabuntur (cf. *Pint. Sanct. Malv.*); salus enim, ut Christus ait, ex Iudaeis est (Ioan. 4, 22) et apostoli iussi erant testimonium reddere de Christo in Ierusalem et Samaria et usque ad ultimos terrae terminos et ex Ierusalem profecti praedicaverunt ubique (Marc. 16, 20). Salutem ex Ierusalem in omnes redundaturam adumbrant Ez. 47, 1 et Zach. 14, 8.

Quamvis maxima sit interpretum concordia in vaticinio hoc de regno messia-

nico explicando, singulas tamen partes alii quandoque aliter enarrant. Haud pauci enim *montem* intelligunt ipsum Christum v. g. *Euseb.* [1] *S. Hier. Haim. Rup. Herv. Thom. Caiet. Pint. Sasb.*; Christus enim, ut apud Danielem legitur, lapis est, aiunt, qui abscissus de monte sine manibus crevit in montem magnum et replevit terram; vel Christus est mons in vertice montium i. e. apostolorum et prophetarum quos sua doctrina et gratia superat et excellit; *domum Dei* explicant Ecclesiam fundatam in monte i. e. in Christo et super Christum. Sed plerique *montem domus Domini* una notione accipientes, locutionemque complexam non separantes melius interpretantur de Christi Ecclesia; ita v. g. *S. Cyr. Theod. Basil. Chrys. Procop. Sanct. Mald. Malv. Lap. Est. Men. Tir. Gord. Calm. Bade, Rohl. Troch.* Ad eundem sensum refertur aliorum acceptio: « cultus Domini qui in Sione colitur perficiet, ut ceterae religiones contemptae atque abiectae sint ac perversae et impiae appareant, atque etiam ut nihil sic emineat in toto orbe ut Ecclesia et domus Dei » (*For.*). Singularis est explicatio a *S. Ephr.* data, crucem scil. exaltandam fore super omnia idola. Montes reliquos in quorum vertice elevandus sit mons templi vel Ecclesia, alii intelligunt de patriarchis, prophetis, apostolis, in quibus quasi fundamentis erecta sit Ecclesia (cf. Ephes. 2, 20; *S. Basil. Procop. Caiet. Pint. Sasb.*); alii monent in montibus et collibus cultus idolorum fuisse exercitos; hos igitur cultus iri subiectum, religionem autem veram omnia illa esse superaturam (cf. *Theod. For. Sanct. Tir. Bade*). Neque desunt qui in voce *fluunt* praeter affluentiam et celeritatem altius aliquid innui censeant. Audi v. g. *For.*: « verum cum flumina non in montes sed a montibus impetu fluant, satis vel hoc uno verbo significat nobis Spiritus sanctus, quod etiamsi hominibus iuxta carnis naturam ardua videatur christiana perfectio, sui tamen splendore ita animos hominum raperet ut eo impetu ad eam consequendam anhelarent, quo solent flumina in praeceps labi » (sim. *Malv. Lap. Bade*).

Cum protestantes vera notione Ecclesiae destituti sint et sane in variis illis sectis adeo inter se dissentientibus cerni nullo modo possit unus ille cultus adeo conspicuus, excelsus omnesque sui amore et admiratione replens, mirum non est quod aliqui interpretes protestantes demum redierunt ad explicationem rabbinicam de physica montis elevatione et oraculum hoc ad tempora futura ablegant in quibus mutationem talem fore exspectant. Provocant inter alia ad Is. 40, 4. Zach. 14, 9. 10, ut immutationem superficiei terrae reddant probabilem (cf. *Naeg.*). At res est plane ridicula, integram terram iri redactum ad magnam quandam planitiem, in qua unus emineat mons Moria. An tunc fortasse ex configuratione terrae et legibus opticis mons iste erit omnibus gentibus conspicuus? Ita illi quidem sacra vaticinia risibus et cachinnis exponunt et ea fingunt quae ab agendi modo Dei in creatione rerum et in revelatione manifestato quam maxime abhorrent. Talem explicationem iam nominat *Procop.* σωματικώτερον eamque Iudaeis attribuit; bene quoque scribit *Sanct.*: « ridiculum plane est et dignum rabbinorum cerebro quod, ut tradit *Galatinus* libr. 5 cap. 3, dixit rabbi

1. Ita saepius in eclogis prophetarum, libr. 4; *M.* 22, 1196. 1197.

Pinhas ex sententia rabbi Ruben tempore Messiae adducendos esse montes Thabor et Carmelum ad eum locum quo nunc est Ierusalem et supra illos elevandam esse civitatem, quod ex hoc Isaiae loco confirmant » ; et *Sasb.* : « Iudaei ut sunt crassi et carnales, ita nimis crassa est haec eorum interpretatio ».

Iam quis erit effectus religionis verae ubique dilatatae et agnitae? Quid populi discent ex viis Domini? Propter peccatum inductae sunt inimicitiae et odia implacabilia. Homo enim contra Deum rebellis pace animi amissa odio quoque exardescit in hominem, malis inflammatur cupiditatibus, quae perpetua sunt iurgiorum atque inimicitiarum fomenta. Et quod in singulis contingit, idem in populis deprehenditur. Unde cruenta bella, caedes, servitutes, inimicitiae totidem sunt fructus peccati. Quare lege Dei promulgata et promptis animis ab omnibus accepta causae illae bellorum feraces ablatae sunt. Una enim regnat et valet Dei norma et lex, Deus autem Deus *pacis* est. Inde igitur vates pergit v. 4 « *et iudicabit gentes et arguet populos multos et conflabunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces; non levabit gens contra gentem gladium nec exercebuntur ultra ad proelium* » ; — Deus ius dicet; eius lex est norma suprema, ex qua omnes lites et disceptationes dirimentur; ipse *erit arbiter* (hebr.) populis. Et si omnes huic iudici dicto audientes erunt eiusque legem caritatis, iustitiae, patientiae omniumque virtutum summam alte animis insculpserint, cessabunt rixae et dissidia, odia evellentur, summa pace et concordia omnia componentur. Quare bellica instrumenta — « tum quae in congressu et in pugnis cominus commissis ac statariis adhiberi solent, quae vocavit propheta *gladium*, tum quae ad vindictam eminus sumendam cuduntur, quae ait esse hastas et lanceas » (*Basil. Procop.*) — ad usus pacificos convertuntur; iam non bellis, sed agriculturae student homines, non arma tractant sed pacis negotia sedulo obibunt. Id ergo propheta effert et describit, quod locum habebit, si omnes Deum iudicem supremum et arbitrum agnoverint. Quamdiu populi non in una Dei lege tamquam norma suprema acquieverint plene ac perfecte, fieri nequit, ut talis pax habeatur. Est enim pax illa ex clarissimis prophetae verbis *fructus* et *effectus* illius communis ac studiosae ad montem templi peregrinationis et maximi ardoris quo vias Domini addiscere et in eius semitis ambulare desiderant. Quamdiu igitur et quicumque non ita animati sunt, quid mirum si apud eos fructus et effectus non cernatur, cum causa et radix plane absit? Describit itaque vates vim illam salutarem quae per se legi Dei inest. « His enim tropis i. e. verborum immutationibus, ut monet *For.*, hoc tantum significare vult propheta, quod quantum ex evangelio est qui praedicaverint et qui evangelio obedierint, pacis erunt cultores, ut qui didicerint citius bona omnia externa

ipsamque vitam quam caritatem amittere »; vel ut *Sanct.* dicit, illam fore Christi oeconomiam et illam evangelii legem, ut homines non ad bellum inflamment, sed ad pacem adducant; « quod sane durum non videtur ei qui noverit Scripturae morem esse, ut illa ab aliquo fieri dicantur ad quae ut legitime faciat, naturam et facultatem habet ..; cum igitur evangelii lex ad pacem instituat et illius sanctitas id mereatur, ut bella ex hominum societate depellat, ideo Christi et evangelii tempore non ultra homines dicuntur ad proelium exercendi ».

Vaticinium hoc varias tulit explicationes. Illud aliqui impletum esse volunt eo quod Christus natus sit toto orbe in pace composito (cf. *S. Hier. Theod. Haim. Sasb. Mald. Mar. Calm.*). Sed id nequit sufficere. Quamvis enim non sine occulto providentiae divinae consilio factum esse fatearis, ut princeps pacis suum in mundum hunc ingressum pace inter gentes conciliata celebraret, tamen in ea pace non poteris oraculi nostri vim ac summam agnoscere; pax enim describitur quae evangelii propagationem subsequatur, quae universalis sit et perpetua. Neque dici potest id quod eius sententiae patroni fere addere solent, vel per Romanorum imperium iurgia esse composita vel saltem bella iam non esse adeo cruenta, perpetua, uti olim (cf. *S. Cyr. Chrys.*); id enim a veritate esse alienum liquet. Neque sufficiet cum *S. Basil.* bella haec translato sensu ad disceptationes de doctrina religionis referre quae veritate oborta conticuerint. Melius illi rem expediunt qui ea quae dicuntur de solis electis esse prolata dicunt; « ista quippe sententia de electis solum prolata est qui digne ambulant vocatione qua vocati sunt, cum omni humilitate et mansuetudine » (*Herv.*); iis enim qui Christi mentem plane in se exprimere volunt, dicitur : qui te percutit in unam maxillam, praebe ei et alteram; « unde electorum Ecclesia pugnare nescit ad invicem » (*Herv.*; sim. *Pint. Gord. Ribera* ad Mich. 4, 3, qui eandem explicationem comprobat locis ex Iustino, Irenaeo, Tertulliano, Origene allatis). Exhibet ergo vates quae *vis* insit evangelio. Aliud est in quantum ea vis per liberum hominum arbitrium eorumque cooperationem omnem suum effectum consequatur. Valet enim quod *Lap.* apposite monet : « cum Deus aliquid synagogae vel Ecclesiae promittit, quamvis amplis et universalibus verbis, id tamen de bonis ac probis tantum qui foedus et amicitiam cum Deo promittente et paciscente servant, intelligendum est ». De qua re vide infra 9, 6; 11, 6 ; 54, 13 et ad Os. 2, 20. Zach. 9, 10 etc. De populis autem *vere* christianis haud inconigrue tale fert iudicium *Tir.* : « quod si ex necessitate cogantur alteri bellum sib iniuste moventi resistere vel armis iniuste ablata recuperare, non tam bellum quaerunt vel gerunt quam iustitiam administrant et pacem ab aliis laesam redintegrant ». Atque ut unum adhuc addam interpretationis variae exemplum, *Eusebius* in comment. ad Is. locum explicat de cessatione bellorum et etiam oppugnationum illarum quas daemones piis inferunt; in alio opere (demonst. evang. 9, 17. *M.* 22, 712) pacem illam cernit impletam tempore nativitatis Christi et eo etiam quia post Christum bellorum furor multum sit imminutus;

in eclogis autem prophetarum (*M.* 22, 1196) pacem illam spiritualem interpretatur quae adsit malis cupiditatibus devictis.

Inter recentiores vero inveniuntur qui perfectum vaticinii eventum in ultima temporis messianici periodo exspectant hisce in terris; periodum enim sibi promittunt futuram qua haec vallis lacrimarum in alterum quasi paradisum transmutanda sit et qua Christi Ecclesia insigni splendore, maxima prosperitate, gloriae ac laudis apud omnes copia abundantissime sit exornata; ita aliqui chiliastae moderni in Gallia (de quibus cf. Études relig. 1868, II p. 552); ita fere *Del. Kurtz, Mayer, Bisping* (Erklaerung der Apoc. p. 316. 320) aliique. Verum huic opinioni, ut alia taceam, obstant duo: uti statum illum describunt, ille exsistere nequit, nisi fere concupiscentiis malis ablatis hominis naturam ad illam revocaveris integritatem quae propria erat iustitiae originalis; sed eiusmodi fore vel effectus peccati originalis fere iri ablatum fomite quasi exstincto, non est cur sperare liceat, quia nullibi promittitur; alterum est quod Christus suae Ecclesiae crucem abnegationem, persecutiones, pressuras praedixit, viam arctam assignavit. Num haec pro aliquo tantum tempore valebunt? Minime; insuper Ecclesiam suam describit per parabolam agri, in quo triticum et zizania simul adsunt usque ad messem i. e. usque ad consummationem saeculorum (cf. Matth. 13, 38-42). Alia vide ad cap. 11.

De explicatione SS. Patrum vide *Tailhan*, Kilber, Analysis bibl. I p. 350, qui singulari diligentia ad hunc locum et alios locos messianicos Patrum testimonia collegit.

b) **Quantopere alieni sint a theocratia 2, 5-9.**

Nexum cum antecedentibus clare effert *S. Hier.*: « post vocationem gentium et ostensionem montis Domini super verticem montium ad populum suum i. e. populum Iudaeorum, qui appellatur domus Iacob, propheta convertitur et hortatur eos, ut qui in tenebris versantur erroris lumen suscipiant veritatis et ambulent in lumine Domini ». Obversatur enim menti prophetae alta quaedam ac sublimis species de dignitate Sionis, viderat omnes *gentes* avide accurrentes ad montem templi et inde maxima beari felicitate et pace; quid quaeso iam maiore desiderio expetere potest, quam ut populus ipse electus tantis bonis potiatur, ut ea familia, in qua tot bonorum thesauros Deus reposuit et ex qua totus orbis largissime accepturus est, ipsa quoque iisdem bonis locupletetur! Quare magna animi commotione et verbis ad symbolicam visionem adaptatis clamat v. 5 « *Domus Iacob venite et ambulemus in lumine Domini* »! — i. e. familia Iacob, populus ex Iacob progenie; gentes enim viderat summo studio accurrentes ad Deum Iacob; aequissimum ergo est, ut ipsa familia Iacob maiore etiam desiderio suum Deum qui hanc familiam ad tantam evexerat dignitatem, amplectatur. Gentes inter se adhortantur; solus Israel videtur haerere anceps et cunctari, immo

recedere a Domino, quare propheta populum appellat nomine patriarchae qui tanta fide et constantia per tribulationes Dominum est secutus (cf. ad Os. 12, 3 seq.), et quibus verbis *gentes* inter se admonent et excitant, iisdem populum ad sacram quandam aemulationem provocare studet, ne scil. sinant se superari a gentibus, ne tanta bona a gentibus percipi, seipsos autem spoliari et promissionum expertes fieri aequo animo ferant. Gentium exemplo et gentium felicitate ad sacram quandam invidiam et aemulationem eos accendere studet, ut ita mentium torporem et rerum divinarum negligentiam excutiat, imitatus ipsius Dei exemplum qui eadem aemulatione tamquam extremo subsidio se usurum dixerat ad populum ad se reducendum (Deut. 32, 21). Quantopere ad animos exstimulandos talis apta sit aemulatio, in aperto est positum; eadem se uti profitetur S. Paulus qui omni studio gentium conversionem promoturum se spondet, « si quomodo ad aemulandum provocem carnem meam » (Rom. 11, 14). Ita scil. propheta oracula de rebus futuris et de bonis messianicis in praesentem etiam usum et utilitatem populi convertere studet. Quare etiam cum plerisque prophetam hic loqui censeo (cf. *S. Hier. Cyr. Chrys. Pint. Lap.*), non quod alii volunt (*Rup. For. Sanct. Mald.*) eas esse gentium voces; accedit quod sane in antecedentibus v. 4 et in subsequentibus v. 6 etc. prophetae verba habentur.

Ipsa autem adhortatio iis verbis est concepta quae quam maxime ad animos alliciendos et suaviter pertrahendos valent: *ambulare in lumine Domini;* luminis enim appellatio menti repraesentat quidquid est magnificum, faustum, laetum, dum tenebrarum nomen id designat quod est triste, miserum, calamitosum. Deus enim, summa illa omnium bonorum infinitas, lux est et appellatur et quando eius maiestas homini describitur, amictus lumine dicitur sicut vestimento vel lumine se cingi vel in lumine habitare inaccessibili; quando sese manifestat oculis hominum, aut in splendenti et lucida angeli apparitione cernitur aut in nube lucida se praesentem exhibet. Et quia revelatio divina lucem nobis affundit de Deo et tenebras erroris et ignorantiae removet et altissima quaeque et remotissima, alias homini impervia, illustrat et lumen infundit mentibus easque nova cognitionum luce nobilitat, ipsa revelatio et lex divina, per quam lumen vultus Domini i. e. beneplacitum eius et gratiam et benevolentiam in nos convertimus, aptissimo nomine luminis designatur. Nam ut iam *S. Chrys.* ex s. literis monet: « praeceptum legis est lucerna et lux et vita (Prov. 6, 23); praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos (Ps. 18, 9); lucerna pedibus meis lex tua et lumen semitis meis (Ps. 118, 105) et ubique legem ita vocari perspicias ». Quare ut legem Dei amplectantur et vita exprimant, legem suavissimo vocat vocabulo, quo maxima simul beatitudo declaratur; unde bene

Procop. : « peramanter domesticos adhortatur, ut effusam in gentes omnes pacem amplectantur apta valde et ad incendendum commoda adhortatione ».

Quantopere vero tali adhortatione indigeant, sequentia docent. Dum enim propheta oculos ad populum suum convertit, non sine magna indignatione advertit omnia in contrariam plane partem esse mutata, populum scil. gentilium moribus infici, ad gentilium ritus et fastum diffluere, gentilium consuetudinem ambabus manibus complecti. Quare [1] magna animi commotione ad Deum conversus exclamat v. 6 « *proiecisti enim populum tuum, domum Iacob, quia repleti sunt ut olim et augures habuerunt ut Philisthiim et pueris alienis adhaeserunt* » ; — illud *enim* causam ostendit proximae exhortationis (*Sanct.*); quam maxime quippe ad reditum exhortandi sunt, cum iamiam in eo sit, ut Deus populum suum repudiet, eum hostibus puniendum et conculcandum tradat. Huius enim derelictionis indicia satis aperta et tremenda iam adsunt. Regnum Israel iam Assyriorum invasioni et vastationi patuit non semel (cf. 4 Reg. 15, 19 et vide quae ad Ion. 1, 1 notata sunt); regnum quoque iudaicum hostium finitimorum incursionibus exponebatur ultimis regis Ioatham annis (4 Reg. 15, 37). Ita poenis repetitis iam ostenderat Deus se favorem suum ac protectionem peculiarem populo subtraxisse, quare necessario fieri debebat, ut regnum iudaicum a tot hostibus circumdatum et oppugnatum modo ab Assyriis, modo a Syris, modo ab Aegyptiis, facile demum hostibus adeo potentibus in praedam cederet. Cur autem Deus populum derelinquat et hostibus conculcandum permittat, ratio redditur *quia*... usque ad v. 9 longiore enumeratione, qua vates sermone concitato ad oculum iis demonstrat, quantum in omni vitae ratione, in re privata et publica, civili et religiosa a vera theocratia et Dei lege recesserint et ad gentilium mores defluxerint. Et primo quidem ait : *repleti sunt ut olim;* accusatio magis generalis est, scil. sicut olim in deserto vel saepius tempore iudicum pleni erant abominationibus criminibusque, ita nunc in nulla re pessimis temporibus anteactis sunt inferiores. Et ita ex textu lat. et eundem sensum referunt LXX, *Syrus, Chald.* Textus autem hebr. מִקֶּדֶם verti potest *ab oriente*, uti iam explicant *Lyranus, Vat. Malv. Mald. Pint. Lap.* et passim recentiores, i. e. pleni sunt moribus et ritibus quos a gentibus orientalibus petierunt [2]. Ad quam explicationem optime convenit quod statim mentio fit, eo: ut gentem *occidentalem*, versus occidentem a Ierusalem habitantem, Philisthiim, augures habuisse; un-

1. Ita nexus adest quem aliqui, ut *de Lagarde*, penitus non inveniunt.
2. Alii legi volunt מִקֶּסֶם; alii קֶסֶם מִקֶּדֶם; prius iam apud *Houbig.* invenitur.

dique igitur ritus gentium adoptant et aemulantur. Nomine quidem *orientis* Hebraeis designatur Arabia usque ad Sinai et etiam regiones euphraticae. Ditio Iudaeorum sub Azaria et Ioatham usque ad Ailam extendebatur, Ioatham contra Ammonitas feliciter pugnavit (4 Reg. 14, 22 ; 16, 6. 2 Par. 27, 5) ; unde facile liquet quomodo mores *orientales* in Iudaea serpere potuerint. Auguria et divinationes quae intime cum idololatria coniunguntur, sollemni praecepto Israelitis interdicebantur (cf. Deut. 18, 9 seq.) ; in usu erant apud Philisthaeos (cf. 1 Reg. 6, 2. 4 Reg. 1, 2).

Uti Iudaei alienorum mores et ritus aemulantur, ita foedera cum iis inierunt ; eiusmodi autem pacta periculum idololatriae facile inducebant, regnum iudaicum modo indebito cum regnis gentium coniungebant et theocratiam, in qua Dominus solus rex ac protector esse debebat, summopere dedecebant. Quare saepe a Deo reprehenduntur tamquam apostasiae genus a vera theocratia. Ita hic quoque : *cum filiis alienorum foedera pepigerunt* (hebr. cf. *Ges. Rohl. Naeg.*), vel generatim societatem et familiarem inierunt consuetudinem cum extraneis. Id commode quoque referes ad commercia cum iis inita, quorum opportunitas v. g. aderat in Aila ; talia vero Domino valde displicere, collige ex iis quae dicta sunt ad Iosaphat regem postquam amicitiis initis cum Ochozia classem fecerat in Asiongaber : « quia habuisti foedus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua contritaeque sunt naves nec potuerunt ire in Tharsis » (2 Par. 20, 36. 37). Neque enim Iudaeos voluit Deus spem et securitatem suam reponere in armis et in apparatu bellico et in foederibus cum aliis, verum in sola pietate et fideli mandatorum Dei observatione ; quae si adesset, ipse Dominus ut theocratiae rex se populi sui fore defensorem et vindicem sollemniter spopondit simul edicens pacta cum exteris iis fore perniciei (cf. Lev. 26, 6-9. 14 seq. Deut. 7, 17 ; 20, 1 ; 28, 7. 10, 25).

Quid proprie significet עֹנֵן, dubium est. Iam veteres vocem aliis in locis aliter explicant. Ita LXX vocem referunt ad auguria ex sono vel ex avibus petita — κληδονίζεσθαι Deut. 18, 10. 14. 4 Reg. 21, 6. 2 Par. 33, 6 et sim. Mich. 5, 11 ; οἰωνίσματα Ier. 27, 9 ; ὀρνιθοσκοπεῖν Lev. 19, 26. *S. Hier.* etiam varie vertit : *augures* hic et Deut. 18, 14. Ier. 27, 9 et etiam sim. Is. 57, 3 ; *ariolari* 4 Reg. 21, 6, dum in loco parallelo 2 Par. 33, 6 *somnia observare* legitur, quod item habetur Deut. 18, 10 et Lev. 19, 26 ; sed Mich. 5, 11 *divinationes*. Varia quoque apud recentiores proponuntur ; alii enim vocem connectunt cum עָנָן et explicant vel *ex nubibus auguria capere* vel *esse tempestarium*, qui sciat tempestates excitare, nubes ciere vel abigere ; ali cum עַיִן vocem nectentes explicant *oculo maligno petere et fascinare* (*For.*) ; alii ex arabico et syriaco *impedire* scil. usum matrimonialem (cf. *Ros. Del. Naeg.*).

Varie quoque ultimum versus membrum accipiunt. LXX quidem « transtulerunt : *et filii multi alienigenae nati sunt eis.* Symmachus : *et cum filiis alienis applause-*

runt. Pro quo scriptum est in hebr. *jesphicu*, quod Hebraei interpretantur ἐσφηνώθησαν et nos vertimus *adhaeserunt*, ut vitiorum in gente iudaea turpitudo monstretur » (*S. Hier.*), et in eundem sensum etiam *Symmachi* versionem accipit *S. Hier*. At de pathicis non videtur esse sermo. *Syrus* sequitur versionem LXX; *Chald.* habet : et in legibus populorum ambulant. Verbum שָׂפַק idem forte est cum סָפַק manus complodere cf. Iob 27, 23, id quod versione quoque *Symmachi* comprobatur. Unde alii exponunt : filiis exterorum plaudunt i. e. illorum studiis, superstitionibus, vitiis sese oblectant (cf. *Clarius, Montanus, Ros.*), alii : in filiis nothis (spuriis) sibi satisfaciunt, sibi placent (*For.*). Sed commodior est significatio *manus complodere cum aliquo* i. e. foedus inire, consuetudinem habere familiarem, quam recentiores sequuntur (cf. *Ges. Diest. Del. Naeg. Rohl.*). Si verbum שָׂפַק 1 Reg. 20, 10 *sufficere* respexeris, poteris etiam cum *Drechsl.* explicare formam *hiphil* : sibi sufficiunt, seu contenti sunt cum filiis alienorum vel cum illis conversari volunt. Alii, uti *Bauer, Ewald*, verbo tribuunt notionem *abundare;* sed id arbitrarium esse videtur. Illa quam dedimus explicatio optime ad seriem et nexum cogitationum convenit et facile ad verbi notionem accommodatur.

Quam alienam a theocratia mentem gerant, in eo quoque luculentissime apparet quod more gentilium immodicum fastum et luxum fovent, bellicum apparatum in immensum augent, omnia idolis replent v. 7 « *repleta est terra argento et auro et non est finis thesaurorum eius*, v. 8 *et repleta est terra eius equis et innumerabiles quadrigae eius, et repleta est terra idolis, opus manuum suarum adoraverunt quod fecerunt digiti eorum* » ; — ter repetitur *repleta est terra*, bis in hebr. *non est finis* (modus) *thesauris eius, non est finis quadrigis eius;* qua aequalitate enumeratio multum habet ponderis et indignationis. Terra hisce repleta diversam et prorsus contrariam prae se fert speciem ab ea quam Deus voluit theocratiam instituens ; lex enim regis ita habet : « non multiplicabit sibi equos. . non habebit uxores plurimas neque argenti et auri immensa pondera » (Deut. 17, 16. 17). Commerciorum negotiis cum finitimis gentibus initis — possedit enim Azarias et Ioatham Ailam — divitiae affluebant ; cum divitiis autem adest, ut *S. Cyr.* monet, insolentia, fastus, iniustitia, et ad proventus nefariarum et exsecratissimarum voluptatum magna proclivitas. Ioatham rex rei bellicae peritus et amans apparatum bellicum auxit ; « urbes aedificavit in montibus Iuda et in saltibus castella et turres « et feliciter bella gessit (2 Par. 27, 4. 5). Sed in copia munimentorum et armorum ponere fiduciam ideoque talia ultra modum augere, alienum esse debuit a theocratia, cuius lex haec est : « hi in curribus et hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus » (Ps. 19, 8 ; cf. Ps. 32, 17) ; eodem enim modo quo terram a Deo sibi datam occuparunt illam retinere et defendere debebant : « nec enim in gladio suo possederunt terram et brachium eorum non salvabit eos ; sed dextera tua et brachium tuum et illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis ; tu es ipse rex meus,.. in te inimicos nostros

ventilabimus cornu et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis » (Ps. 43, 4-7 ; cf. Ps. 146, 10 et iam Deut. 7, 17 ; 9, 3 seq. 11, 22 etc.). Ultimo demum « ostendit eos ad eam impietatis mensuram processisse, ut ad omnium malorum quasi culmen pertigerint et ultimam moliti meditatique fuerint defectionem a Deo » (*S. Cyr.*). Quae praecedunt, quasi viam sternunt et applanant idololatriae. Eius stultitiam incredibilem et maximam perversitatem declarat propheta dicens ab eis coli et adorari *opus manuum*, id quod *digiti* eorum fecerunt (cf. 44, 11 seq.).

En fastigium iniquitatis : ii qui ceteroquin adeo tument fastu et superbia et rerum divinarum contemptu implentur, coram idolis quam maxima devotione et subiectione sese prosternunt et, non dico inflationem et pompam, sed omnem dignitatis suae sensum abiiciunt v. 9 « *et incurvavit se homo et humiliatus est vir* » ! — homo ad Dei imaginem creatus (*S. Thom.*), rationale animal (*S. Hier.*), « in terra praestantissimus, secundum angelos in rationalibus collocatus, Dei imagine cohonestatus, qui rationis artes excogitavit, qui terrena novit, mare nequaquam extimuit, qui aeris cognovit naturam, ventorum originem, stellarum situm, motus, intervalla, concursus, terrae ornatum et ordinem, civitates, leges, exercituum praefecturas, artes... ille ipse ante idolum procidit tamquam ab eo salutem rogaturus, adeo ut animatus ab inanimato et ratione praeditus a sensus experti petat. Is cuius manu subduntur animalia... ille ipse cum timore et vultu in terram demisso coram adest. Mali accessio est *virum* qui ad principatum aptior est, qui perfectior est intelligentia, qui fortius validiusque agit, hunc eundem dignitatis suae oblitum idolo sese submisisse » (*S. Basil.*). Adde legis divinae institutionem, prophetarum monitiones, frequentes illos et mirabiles interventus divinos in rebus gestis Iudaeorum conspicuos, flagella quoque divinitus at frustra immissa multaque alia, et intelliges cur propheta tanta rei indignitate commotus exclamet : « *ne ergo dimittas eis* » ! — « *ne ergo*.. epiphonema est patheticum quo propheta exardescens zelo gloriae Dei iudicium ipsius severissimum in idololatras imprecatur » (*Malv.*). De idolorum frequentia cf. Os. 8, 11. Ier. 2, 18; 11, 13; et quod de Ioatham regno dicitur 2 Par. 27, 2 « et adhuc populus delinquebat » et de Achaz tempore 2 Par. 28, 2 seq. 4 Reg. 16, 3. 4. Ostendit enim, ut advertit *Sanct.*, latissime patere hanc labem, quando non vulgo tantum Iudaei qui hominis nomine significantur, sed etiam principes qui in viro intelliguntur, corruisse proni ante muta simulacra dicuntur (sim. *For. Pint. Lap. Men. Tir.*). « Immane facinus, dirum scelus ! excellens viri praestantia mutas imagines deprecetur ? et qui summi Dei opem implorare neglexit, signis supplex sit ? Vindica, Domine, tantum scelus, exerce summa cum severitate iudicium » (*Osor.*) !

Eodem modo etiam textus hebr. intelligendus est; verti enim debet : *incurvatus est homo ... et ne dimittas* (ignoscas) *illis;* prius scil. membrum eodem temporis ordine ponitur et in eadem serie qua antecedentia. Ita rite intellexerunt LXX, *Syrus, S. Hier.*; at multi recentiorum (iam apud *Vat. Malv.*) explicant v. 9 de tempore futuro, uti iam *Chald.*, et de iudicio imminente *et incurvetur* vel *incurvabitur* (cf. *Drechsl. Diest. Del. Rohl.*). At immerito. Nam וַיִּשַּׁח eodem prorsus modo intelligi debet quo וַתִּמָּלֵא; est enim ibi *vav* quod conversivum vocant eadem ratione qua in membris antecedentibus, ergo eadem quoque ratione accipi debet. Praeterea imprecatio prophetae aptius adiungitur ad facinus eorum, cuius enormitate provocatur, quam ad futuri iudicii annuntiationem propheticam. Cur huic annuntiationi imprecationem addat vates, non satis cernitur; facillime autem fluit, cur eo modo scelus immane detestetur. — Aliter rem *Naeg.* concipit; vertit quidem *et incurvatus est* idque bene; at id explicat de castigationibus iam immissis. Sed de iis hoc loco vix sermo esse potest, cum v. 7. 8 prospera populi conditio describatur et a v. 10 et seq. demum deiectio ac humiliatio *futura* graviter denuntietur. Quare in explicatione proposita, quam interpretes latini tuentur et etiam *Schegg, Allioli, Loch, Troch.* approbant, omnino standum est.

c) Dies Domini super omnia superba 2, 10-22.

Scelerum enormitati vates divinam vindictam imprecatus est v. 9. Iam immediate irruens cernit iudicium divinum, cernit hostiles exercitus a Deo vindice missos impetu maximo irrumpere et omnem fastum ac pompam deiicere, vastare, conculcare. Quare « non quasi instantibus sed potius velut praesentibus malis et iam intra portas et in ipsa regione versantibus abscondi iubet eosque qui adhuc viverent tantum non abdi in terram a timore Domini et a gloria fortitudinis eius » (*S. Cyr.*). Tutos enim et falsa securitate quietos vocibus terrore plenis et extremam calamitatem minitantibus exagitat v. 10 « *Ingredere in petram et abscondere in fossa humo a facie timoris Domini et a gloria maiestatis eius* »! — una sententia quem exitum habiturum sit iudicium, annuntiat et non sine emphasi eam ab initio pronuntiat. Tantus est terror iudicis Dei suos ministros vindictae ablegantis, ut in speluncas et cavernas aufugiant, *in pulvere* (hebr.) se abscondant! Huccine tandem omnes thesauri, instrumenta bellica et munimenta reciderunt? Nihil reliquum est nisi fuga turpissima, nisi terror summus, quo uti maiores saepius fecerant hostium impetu superati (Iud. 6, 2. 1 Reg. 13, 6; 14, 11) in petrarum scissuras et in terrae cavernas se proripiant. Tali modo se illis manifestabit *terror Domini et gloria maiestatis eius*; quem enim propitium ac beneficum agnoscere noluerunt, hunc maiestate terrificum venerentur et confiteantur oportet.

Qualis autem futurus sit iudicii exitus, summatim declaratur v. 11

« *oculi sublimes hominis humiliati sunt et incurvabitur altitudo virorum, exaltabitur autem Dominus solus in die illa* » ; — superbia humana Deo inimica concidit ; solus Deus gloriose regnat ; Deus enim gloriam suam alteri dare nequit et cum summa necessitate exigere debeat, ut ipsius gloria ab omnibus agnoscatur, omnia illa quae huic gloriae se opponunt funditus evertere debet. Quare apud Ieremiam quoque postquam universae res iudaicae conciderunt, tamquam ruinarum epitaphium et documentum quid doctrinae ex eis sit colligendum legimus : « non glorietur sapiens in sapientia sua et non glorietur fortis in fortitudine sua et non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me » (Ier. 9, 23. 24). In hebr. *oculi altitudinis* i. e. superbiae, fastus (cf. 10, 12. Ps. 17, 28) *hominis humiliantur*. Humana potentia prostrata omnes fateri debebunt : Domine, tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus ! Deus enim finem operum omnium externum, gloriam suam, consequitur semper neque ea unquam frustrari potest. Si homines sua sponte eam rependunt et fini Dei necessario cooperantur, sibi ipsi beatitatem et gloriam acquirunt ; si renuunt, sua miseria et ruina gloriam Dei inviti praedicabunt.

Iam quis est dies ille exaltationis gloriae Dei v. 11 ? Respondet vates per subsequentia ; hic enim, ut *S. Thom.* ait, ponitur modus exsecutionis praedictorum ; unde v. 12 « *quia dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum et super omnem arrogantem, et humiliabitur* » ; — etiam magis in universum ideoque nervosius quoque fert textus hebr. *super omne superbum et elatum et excelsum et humiliatur*. Vocatur *dies Domini* dies quo Dominus iudicio aliquo et suae potentiae manifestatione triumphum agere constituit (cf. Ioel 2, 31. Soph. 1, 7. 14) ; « belli ipsum tempus et irae expletionem in illos diem appellat Domini » (*S. Cyr.*). Dei maiestas exhibetur *Iahve exercituum*, cui vindici et iudici praesto sunt agmina cuncta coelestis militiae et terrestris cunctarumque creaturarum (cf. 1, 9).

Quae v. 12 summatim proposita sunt, iam longiore enumeratione explicantur [1], ut ad vivum demonstretur, quomodo cuncta quae aut pulchra et excelsa cernuntur in rerum natura aut magnifica habentur arte et industria in hominum operibus, uno impetu corruant, quia humanae superbiae pabulum sunt et nutrimenta ; illis vero fastus humani fulcris sublatis solus Deus tamquam magnus adorabitur. Partium enumeratione primum arbores procerae et montes excelsi recensentur ex iis quae *natura* gignit magnifica et pulchra ; dein *opera hominum* grandia quae

1. Hac consideratione adhibita carere possumus coniectura a *de Lagarde*, Semitica I p. 6 proposita pro שפל legendum esse contrarium נשגב.

terra marique fiunt ; demum cunctis prostratis quasi epinicion recurrit v. 12 summam omnium in se comprehendens et triumphum gloriae Dei annuntians : v. 13 « *et super omnes cedros Libani sublimes et erectas et super omnes quercus Basan,* v. 14 *et super omnes montes excelsos et super omnes colles elevatos,* v. 15 *et super omnem turrim excelsam et super omnem murum munitum,* v. 16 *et super omnes naves Tharsis et super omne quod visu pulchrum est ;* v. 17 *et incurvabitur sublimitas hominum et humiliabitur altitudo virorum et elevabitur Dominus solus in die illa* » ; — sed cur et quomodo iudicium devolvetur in arbores et montes? Veterum quidem plerique metaphorice verba ea accipientes de hominibus superbis vel de principibus fastu elatis etc. explicant (cf. *S. Hier. Cyr. Basil. Chrys. Procop. Barh. Pint. Mald. Sanct. Sa, Mar. For. Lap. Calm.*) vel de idolis (*S. Ephr.*) et etiam recentiorum aliqui non renuunt (*Loch, Troch.*) vel de aedificiis ex cedris constructis interpretantur (*Euseb.* dem. ev. 8, 4. *S. Thom. Lyranus, Kn.*); at non opus est ab obvio sensu verborum recedere, et si antecedentia et sequentia attenderis, nullo modo licebit. Nam de hominum humiliatione iam erat sermo v. 11 et recurret v. 17; ergo si etiam cedri etc. homines dicunt, molestam habes tautologiam. Turres certe et moenia proprie intelligi debent, cum aperte allusio fiat ad varia aedificia et munimenta ab Azaria et Ioatham erecta (cf. 2 Par. 26, 9 ; 27, 3. 4), etiam naves Tharsis proprie accipiendae sunt, cur ergo non ea quoque quae antecedunt? Bene monet iam *Theod.* : « cum irruentes hostes advenerint, non solum viros occident sed et terram populantur et arbores exscindunt et machinas moenibus admovent et occupato mari commercia prohibent ». Cum populo afflicto et punito etiam campi et agri devastantur (cf. 14, 7. 8) et generatim iudicio Dei cum homine reo etiam creatura punitur ; ita iam post peccatum primum auditur : maledicta sit terra in opere tuo ; et quot exsistunt regiones olim amoenae et fertiles quae hominibus punitis et deletis vastitatis iam et solitudinis horrorem induerunt? Cogita regionem pentapolis, cogita Niniven et Babylonem, cogita ipsam Palaestinam etc. Quare in intimo illo nexu quem Deus statuit inter hominem et naturam fundatum est, ut in tot vaticiniis cum homine simul terra affligenda dicatur (cf. 13, 21 ; 24, 1 ; 33, 9 etc.). Valet enim quod apud Amos legimus : « Dominus de Sion rugiet.. et luxerunt speciosa deserti et exsiccatus est vertex Carmeli » (Am. 1, 2).

Inde facile quoque colligitur, cur in vaticiniis messianicis simul cum hominis salute, beatitate, gloria etiam celebretur naturae novus splendor, amoenitas summa, maxima fertilitas ; de qua re infra latius erit tractandum. Interea sufficiat ad illum nexum inter hominem et rerum naturam comprobandum in mentem revocare, quae S. Paulus docet de

servitute corruptionis cui creatura non volens est subiecta et de exspectatione qua revelationem filiorum Dei et suam liberationem exspectat (Rom. 8, 19-22). — De *Tharsis* vide quae notavi ad Ion. 1, 3. Ceterum navis Tharsis etiam generali quodam modo dici potest de navi grandi quae alto mari [1] apta sit, etiamsi non unice ad navigationem Tartessum versus adhibetur (cf. *For. Sanct. Ges. Troch. Del. Rohl.*). At cum Iudaei sub Azaria et Ioatham portum aelaniticum possiderent, fieri potuit quod aliqui censent, ut Iudaeorum quoque naves cum Phoenicibus per mare rubrum euntes et Africam circumnavigantes in Tartessum tenderent. His aliisque commerciis inter alia etiam in Iudaeam invehebatur *omne quod visu pulchrum est* i. e. res luxui inservientes, supellex pretiosa, varia et artificiis exquisitis affabre facta, quae admirationem hominum et cupiditatem ciebant et fastum pompamque fovebant.

Vocem שְׂכִיּוֹת optime quoad sensum expressit *S. Hier.* et recentiores quoque similiter explicant (cf. *Del. Naeg. Rohl.*); est enim שׂכה ex cognatis dialectis *aspicere, spectare;* unde rite iam LXX h. l. θέαν efferunt; significat ergo phrasis res illas quae cum voluptate et desiderio suspiciuntur et appetuntur vel quae ad oculos voluptate quadam et admiratione pascendos aptae sunt; neque ab his longe absunt *For. Malv. Caiet. Vat. Mar.* etc.; quamvis enim aliqui vertant *picturas desiderii,* tamen explicant res desideratas ad ornatum, « et appellantur picturae, eo quod tamquam si essent pictae miris artium operibus apparent » (*Caiet.*). *For.* interpretatur *ingeniose facta,* quae Graeci τορεύματα vocant, referens vocem ad notionem sapientiae (cf. Iob 38, 36) vel ad מַשְׂכִּית; cf. Lev. 26, 1. Num. 33, 52. Prov. 18, 11; 25, 11. Ez. 8, 12. Alii explicant *signa* navis vel *vexilla* i. e. res in navibus excelsas et conspicuas : vexilla velaque quae apud Phoenices et Aegyptios purpurea et pulcherrimis coloribus singulari luxu exornata esse solebant (*Ges.* Thes. p. 1329); alii *species* vel *figuras* (*Fürst C.*), *simulacra deorum* (*Doederlein*), *speculas* vel aedificia in hortis (ut sit idem ac סכות vox; cf. *Buxtorf,* Lex. Chald. p. 1472; ita interpretantur *Ewald, Cheyne*); similiter vocem iam intellexit *Chald.*, qui *castella* vel *palatia* interpretatur (cf. *Levy,* Chald. Woerterb. I p. 95) et *Syrus* qui *speculas* vertit vel *aspectus ?* cf. *Bernstein,* Lex. syr. chrestom. Kirsch. p. 104.

Denique gloria Domini manifestatur in idolorum destructione v. 18 « *et idola penitus conterentur* » ; — uti supra in enumeratione rerum theocratiae adversariarum (v. 8) culmen et fastigium iniquitatis exprimebant, ita nunc quoque ultimo loco iudicio prosternuntur et cum iis fatui eorum cultores v. 19 « *et introibunt in speluncas petrarum et in vo-*

---

1. *S. Hier.* de Iudaeis sui temporis adnotat : « Hebraei putant lingua proprie sua mare *Tharsis* appellari, quando autem dicitur *jam* ים non hebraico sermone appellari sed syriaco » (!); ipse variis opinionibus recensitis concludit : « melius est Tharsis vel mare vel pelagus absolute accipere »; reiicit intelligi urbem Ciliciae Tarsum vel regionem Indiae.

ragines terrae a facie formidinis Domini et a gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram » ; — vel cum paronomasia in hebr. quasi dicas : ut conterat terram (*Malv. Vat.*) vel terreat terram (*Del.*). Maiestas iudicis tanto eos terrore percutiet, ut dicant montibus : operite nos, et collibus : cadite super nos (cf. ad Os. 10, 8). Ita vero confusione condigna obruti et Domini terrore quem adeo et tamdiu neglexerant perculsi idola sua ipsi maximo contemptu abiicient ; ceteris omnibus spoliati tantum virium et roboris retinuerunt, ut idola summa ignominia dissipent : v. 20 « *in die illa proiiciet homo idola argenti sui et simulacra auri sui quae fecerat sibi ut adoraret, talpas et vespertiliones,* v. 21 *et ingredietur scissuras petrarum et in cavernas saxorum a facie formidinis Domini et a gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram* » ; — ad id adigentur, ut quae sibi fecerant idola ea ipsi evertant magno suo pudore se ipsos maximae fatuitatis reos profitentes et quam inanis sit fiducia idolorum suo damno omnibus declarantes. Iterata eiusdem versus repetitione altius infigere studet omnium animis documentum iudicii divini ; iam habes, quomodo ex 1, 29 confundantur ab idolis. Stultitia cultus in idolis argenti *sui,* auri *sui* depingitur ; homo enim artes suas opesque confert, ut idola exsistant. Vocat ea vates *talpas et vespertiliones,* ergo ea perstringit simulacra, quibus sub animalium formis dii exhibebantur, qui cultus homine ratione praedito quam maxime est indignus. Notum est in cultibus Aegyptiorum et etiam Phoenicum saepe sub animalium formis ac symbolis numina esse expressa ; hanc rem perstringit Ezechiel : « et ingressus vidi et ecce omnis similitudo reptilium et animalium, abominatio, et universa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum » (Ez. 8, 10 — vide de cultu animalium *Movers*, Die Phoenizier p. 373. 503. 593). Cum Ezechiel adeo in universum loquatur, nil refert etiamsi de talpis et vespertilionibus cultum speciali modo testimoniis veterum comprobare non possimus. At de talpis quidem iuvat referre quae *Plinius* habet (30, 3) referente *Malv.* : « peculiare vanitatis fit argumentum quod animalium cunctorum talpas maxime mirantur... nullis aeque credunt extis, nullum religionis capacius iudicant animal, ut si quis cor eius recens palpitansque devorarit, divinationes et rerum efficiendarum eventus promittant ». Ceterum iuvat meminisse Beelzebub, dominum muscarum, deum Accaron etiam ab Israelitis fuisse consultum (4 Reg. 1, 2) et etiam Is. 66, 17 murem commemorari tamquam animal sacrum. Quare sententia in textu *vulg.* proposita iure sustineri potest, uti multi eam sustinent. De cultu enim animalium verba intelligunt *S. Ephr. Theod. Barh. For. Sanct. Pint. Mald. Mar. Lap. Men. Calm. Schegg* et ita iam acceperunt textum hebr. LXX, *Syrus* et certe etiam

Chald. qui nominatim animalia quidem non effert, at eorum loco habet : ut adoraret idola et simulacra.

Alii tamen aliter verba concipiunt. Iam *S. Hier.* ea per modum comparationis dici existimat ; « istiusmodi animantibus idola comparata sunt quae caeca e tenebrosa coluntur a caecis ». Similiter *S. Chrys.* : « idola vespertiliones vocavit sive ob imbecillitatem sive ob erroris tenebras et quia omnia a daemonibus clam geruntur » ; sim. *S. Basil.* ; aliter *S. Cyr.* : « fortasse vespertilionibus solis templa aedificarunt ». — Iam *Caiet. Vat.* et recentiores plerique aliter verba coniungunt et vertunt : *et proiicient idola ... talpis et vespertilionibus* i. e. fugam quo facilius arripiant, idola abiiciunt in foramina, ea abscondunt iis in locis, ubi talpae et vespertiliones commorantur (cf. *Diest. Drechsl. Del. Naeg. Bred. Rohl.*). At textus hebr. omnino concipi *potest*, uti LXX, *Syrus*, *S. Hier. Chald.* eum intellexerunt ; coniungitur enim השתחוה cum ל ; cf. Gen. 23, 7 ; immo melius ac rectius ita concipitur propter verborum collocationem ; si enim verba retuleris ad *proiiciet*, longo intervallo et multis interpositis demum sensus aegre absolvitur. Neque sensus ex ea explicatione ortus valde placet. Nam cur finguntur celeri fuga sese iam proripere cupientes sedulo abscondere in foraminibus vespertilionum idola sua? Respondet *Del.*, ut ea obtutibus iudicis quasi subtrahant. Sed talis cura et sedulitas est putida et ridicula. Melius sane diceretur cum *S. Cyr.*, ut parcerent materiae, ut aurum et argentum sibi conservarent, eos abscondere illa ab hostibus. Sed cum iudicium tanto impetu ingruens describatur et idola penitus iri consumptum (v. 18) annuntiatum sit, non videtur probabilis expositio. Adde quod etiam alias ad idolorum opprobrium pertinet, asportari ab hostibus (cf. Is. 46, 1. 2. Am. 1, 15. Ier. 48, 7). At ad animorum commotionem, iram, terrorem quam maxime accommodatum est in fuga adeo praecipite, ut idola quibus adeo misere decepti sint quam citissime a se proiiciant.

Descripserat vates quomodo quaecumque ab hominibus excelsa putantur a divino iudice prosternenda essent. Et cum populus in talibus spem suam ponat et fiduciam (v. 6 seq.), quid aptius iam vates monere potest quam ut a spe adeo vana et fragili [1] recedant? Deus enim omnia adminicula illis adimet et ea quae propria se possidere putant (v. 15) et quae forte a foedere cum Phoenicibus aliisque (cf. v. 16; *S. Cyr.*) sibi promittunt. Quare post omnium rerum humanarum ruinam per singula descriptam graviter eos admonet v. 22 « *quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus eius est, quia excelsus reputatus est ille* »! — ultimam versus partem lege vel per ironiam vel per interrogationem; sensus enim est : en ex iudicio divino quam imbecillus et vilis sit homo; desinite ergo in homine spem ponere, cuius vita tota

1. Unde minime opus est sententiam hanc cum *Diest. Bred.* tamquam glossema eiicere.

dependet a spiritu in naribus, qui spiritu intercluso facillime et citissime exstinguitur; en qualis potentia! Hebr. verte : *desistite ab homine... quid enim reputatus est ipse*? cf. *Pagninus, Mald. Caiet. Mar. Calm. Rohl. Troch.* Bene ad rem *Theod.*. : « hortatur nos sermo propheticus, ut ipsam quoque hominum naturam cognoscamus in eorumque tutela non confidamus. Vitam enim habent, inquit, in naribus et has si obstruxeris, vitam illis eripies; quibus affinia sunt quae a Davide dicuntur : nolite confidere in principibus neque in filiis hominum » etc. (Ps. 145, 2-4); sim. *S. Ephr. Basil. Chrys. Vat. Sa, Mald. Mar. Est. Caiet. Calm. Troch. Loch.* De spiritu in naribus vide Gen. 2, 7. Iob 7, 7; 27, 3.

Notat *S. Hier.* : « ubi nos diximus *excelsus reputatus est iste*, Aquila interpretatus est *in quo reputatus est iste;* verbum hebr. *bama* (במה) vel ὕψωμα dicitur i. e. excelsum... vel certe *in quo* et eisdem literis scribitur *beth, mem, he* ac pro locorum qualitate si voluerimus legere *in quo*, dicimus *bamma*, sin autem *excelsum* vel *excelsus*, legimus *bama*. Intelligentes ergo Iudaei prophetiam esse de Christo verbum ambiguum in deteriorem partem interpretati sunt, ut viderentur non laudare Christum sed nihili pendere ». Unde S. Doctor locum esse messianicum putavit eumque sequuntur *Haim. Herv. S. Thom. Osor. Pint. Sanct. Lap. Men. Tir. Houbig.* — At contextus et verba talem interpretationem non admittunt. Quam in rem bene advertit *Est.* : « alii fere omnes tam vetusti quam recentiores interpretes illam posteriorem sententiae partem vertunt per interrogationem : in quo enim reputatus est ipse? et sensum reddunt : desinite timere hominem mortalem cui vita consistit in spiratione, qua cessante exstingui eum necesse est; nam quanti talis aestimandus est? quasi dicat nihili ». Ita nexum adesse optimum liquet. — Versum hunc a LXX praetermissum et in graecis exemplaribus ab Origene sub asteriscis de editione Aquilae additum esse *S. Hier.* monet. Et revera eum non explicant *S. Cyr. Euseb. Procop.*; eum legunt *S. Chrys. Theod.* et *S. Basil.* adnotat in exemplaribus editionis κοινῆς non apponi, at in hebr. poni et ex reliquis interpretibus esse huc translatum. Etiam in cod. syr. hexapl. versus adest sub asteriscis tamen et nota adiecta esse haec sub asterisco signata posita in hebr. et apud reliquos, non vero apud LXX; cf. *Middeldorpf*, cod. syr. hexapl. p. 70. Abest versus in cod. vatic.; legitur autem in alex. aliisque.

d) Iudicium in Iudam et Ierusalem 3, 1-8.

Normam divini iudicii proposuit sacer vates generalem, esse scil. pompam humanam deiiciendam, ut Deus solus exaltetur — inde concluserat, desistendum esse a fiducia humana (2, 22). Hanc admonitionem nunc illustrat eo modo qui proxime ad aequales refertur; ne scil. ob regni splendorem qui sub Azaria et Ioatham adfuerit vanae se securitati committant. Quare graviter exhortationem datam fulcit dicens : v. 1 « *Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet a Ierusalem et a Iuda validum et fortem, omne robur panis et omne robur aquae,* v. 2 *fortem et virum bellatorem, iudicem et prophetam et ariolum et*

senem, v. 3 *principem super quinquaginta et honorabilem vultu et consiliarium et sapientem de architectis et prudentem eloquii mystici* »; — titulis magnificis Dei potentia describitur, quo magis humanae fragilitatis impotentia sentiatur. Ipsa enumeratio incipit summatim: auferet Dominus omne fulcrum, *fulcrum et adminiculum* (hebr.) [1]; dein singula recensentur; primo quae ad vitam sustentandam necessaria sunt, cibus et potus; dein quae tempore pacis bellique rempublicam sustinent serie duplici efferuntur; ab initio enim v. 3 et 4 belli praesidia, in altera autem versuum parte ea enarrantur quibus res civiles et religiosae continentur. Quae omnia si Deus dicitur esse ablaturus, quam ingens futura sit rerum omnium ruina patet. De *fulcro* vel baculo panis — eo enim vita, vis et vigor fulcitur, sustentatur — cf. Lev. 26, 26. Ez. 4, 16; 14, 13. Ps. 104, 16. Vastationibus hostium annonae caritatem et penuriam ortam esse liquet; quae quanta fuerit in obsidione Chaldaeorum, vide Lament. 2, 20. Unde simul elucet, quam immerito aliqui recentiores (*Hitz. Kn. Cheyne, Reuss, Bred.*) hoc membrum ut glossema eiiciant vel alii (*Ewald, Drechsl.*) improprie de principibus, reipublicae fulcris explicent. Quid plura? Abundantia frumenti et vini in V. T. promissa erat observantibus mandata Dei; eorum subtractione iuremerito rebelles puniuntur (Deut. 28, 20. 48). Deinde cum 2, 8 bellicum apparatum reprehendisset, iam quam inanes eiusmodi conatus futuri sint denuntiat: Deus auferet fortem... fortitudo, arma nihil afferent utilitatis; auferet eos quoque qui ordinem reipublicae debitum tuentur vel qui saltem tueri et res privatas tuto dirigere censentur; eos qui in auctoritate constituti sunt, vel propter aetatem sapientiae et experientiae laude florere creduntur; eos quoque qui artium periti varia vitae commoda praebent. Si enim in aliqua civitate desint qui ius dicant et lites dirimant et iustitiam administrent (*iudices*), si desint qui rerum civilium administrationem auctoritate et sapientibus consiliis promoveant (*senes, consiliarii, honorabiles vultu*), si desint viri militiae periti ad hostium impetus retundendos, maxima eius civitatis perturbatio et proxima ruina imminet. Neque aliquid adiumenti afferre poterunt *prophetae;* ii enim si qui exsistant non invenient responsum a Domino (Lament. 2, 9) aut nemo iis erit dicto audiens (Ier. 43, 2) — vel Deus munus propheticum in poenam omnino cessare sinit (cf. Ps. 73, 9). Multo minus ruinam civitatis sanare poterunt *divini* et *periti incantationis*

---

1. Vel *fulcrum et fulturam* (*Ges.* Thes. p. 1458), vel: « scipionem *marem* et scipionem *feminam* i. e. omne fulcrum atque praesidium; nam voces eiusdem potestatis sed generis diversi coniunctae universitatem eius rei de qua susceptus sermo significant » (*Ros.*); cf. Ez. 21, 3. Soph. 1, 15.

(vel periti in mussitando) [1] quorum mendacia et fallaciae excidium non amovent sed promovent. Demum quo superstites eo maiore paupertate et vili conditione premantur, etiam auferuntur *prudentes fabrorum* vel accuratius ex hebr. [2] prudentes artium fabrilium i. e. qui in artibus mechanicis exercitati erant easque callide tractabant (cf. *S. Hier. Mald. Malv. For. Mar. Sasb.*). Quam solliciti fuerint Chaldaei id revera opere exsequi et fabros e terra abducere, lege 4 Reg. 24, 14. Ier. 24, 1; 29, 2; « nihilque relictum est exceptis pauperibus populi terrae ».

Ceterum de impletione bene monet *Malv.* : « haec autem iudicia non uno tantum certo tempore effecta sunt, sed ad tempora omnia subsequentia pertinent, quibus omnia haec mala mutationesque Iudaei perpessi sunt ». Propheta enim uno quasi intuitu excidium videt normamque generalem proponit. Parum refert pro annuntiatione prophetica quae adeo fit in universum, utrum haec uno quasi impetu atque ictu fiant, an per longam rerum seriem casusque repetitos demum ad exitum sint perducenda. Totius reipublicae dissolutio et cessatio praedicitur, quae utique non statim subsecuta est, at demum eam verissime accidisse quis negare poterit?

Verum quo excidium maius et periculosius evadat, pessimos ait reipublicae praefectum iri duces. Rite enim advertit *S. Chrys.* : « qui principem non habet, duce privatur; qui vero malum nactus est ducem, habet qui se in praecipitia coniiciat ». Sublatis igitur bonis, ita connectit *S. Hier.*, dabit Dominus mala, vel ex *S. Thoma* : « subtrahuntur idonei, praeficiuntur indigni ». Ita v. 4 « *et dabo pueros principes eorum et effeminati dominabuntur eis* » ; — hebr. *et ludificationes* (i. e. facinorosi, illusores) *dominabuntur eis* (cf. *Malv. For.*); nomen abstractum maiorem vim habet. Rerum administratio igitur describitur quae tota ex arbitrio, lubidine, crudelitate, insania composita est; cf. Eccl. 10, 16 : « vae tibi terra, cuius rex puer est » i. e. iuveniliter agens; dabo principes lascivos et dissolutos more puerorum, pueros moribus, imprudentia, stultitia, imbelles, temerarios (*Haim. Tir.*). Regnum Achaz ita delineari potest. « Deinceps quo tandem res evadet et in quantum detrimentum ipsis erumpet, manifeste aperit, cum mox subdit » (*S. Cyr.*) v. 5 « *et irruet populus, vir ad virum et unusquisque ad proxi-*

---

1. « Sive *susurrator* et ut Theodotio voluit, *incantator* » (*S. Hier.*); significat לחש preces submissa voce mussitare. Habet *Aq.* συνετὸς ψιθυρισμῷ, *Theod.* ἐπῳδῇ, *Sym.* ὁμιλίᾳ μυστικῇ; cf. Hexapl. fragm. *M.* 16 b, 1628. Pro קֹסֵם aliqui legi volunt כֹּהֵן; cf. *Bred.*

2. Ita חֲרָשִׁים a חֶרֶשׁ *artificium, fabricatio, opus fabrile* (cf. *Ges.* Thes. p. 530). Vocem non oportet cum aliquibus (*Vat. Men. Tir. Naeg.*) restringere ad machinarum bellicarum confectionem; contra est 1 Par. 4, 14. Neh. 11, 35. Neque vox de artibus magicis est interpretanda, uti aliqui volunt (*Ges. Hitz.*).

mum suum; tumultuabitur puer contra senem et ignobilis contra nobilem »; — sensum exhibet *Osor.* : « hanc igitur rerum conversionem (i. e. temeritatem et amentiam dominatorum) magna quaedam perturbatio consequetur et ex eo intestinae seditiones excitabuntur; nec enim plebs effrenatam suam libidinem et inconsideratam temeritatem a nobilitate cohibebit, nec nobilitas a plebe impotentiam animi continebit, nec iuventus senilem aetatem verebitur neque senes iuventuti prospicient, sed pueri senibus erunt infesti et plebs nobilitati pestem et exitium machinabitur, omnisque civitas pestifera partium contentione divulsa atque dissipata corruet ». Omnis scil. pietas ac reverentia concidet; odiis mutuis et infestationibus omnia flagrabunt, neque aetati grandaevae neque nobilitati meritisque ullus iam erit honor, ulla reverentia. Vinculis istis dissolutis maxima solet designari calamitas (cf. ad Mich. 7, 5. 6). Interprete *S. Thom.* tria indicantur, perturbatio populi in universali dissensione, in amicitiae dissolutione, in ordinis confusione.

Hinc quod magnum signum est communis exitii, summa imperii vilitas exsistet (*Osor.*) et adeo omnia sunt conclamata et desperata, ut qui tantum habet quantum ad vestitum honestum requiratur iam ad regnum capessendum aptus et dignus censeatur; v. 6 « *apprehendet enim vir fratrem suum domesticum patris sui : vestimentum tibi est, princeps esto noster, ruina autem haec sub manu tua!* v. 7 *respondebit in die illa dicens : non sum medicus et in domo mea non est panis neque vestimentum; nolite constituere me principem populi* » ! — hebr. *cum apprehenderit quis alterum in domo patris sui....* in tanta rerum perturbatione qui aliquid facultatum possident, *domi* se continent; unde in domo patris ille ab aliis apprehenditur; eum regem volunt constituere qui in rerum summa penuria vestimentum habens honestius iam potens et dives et inclytus esse credatur (*S. Hier.*); « haec dicendi figura aliquid redolet proverbiale, qua significari videtur usque adeo exhaustas esse hominum fortunas, ut dignus aut idoneus existimetur regno, cui paulo honestius vestimentum habere contigerit » (*Sanct.*). Ei scil. committere volunt *ruinam hanc* i. e. ruinosam provinciam ac desperatam, quam instauret atque constituat. Verum unusquisque tale onus refugit; adeo prae rerum angustiis viluit dignitas omnis, adeo praevalet summa omnium inopia. Responsum declarat *S. Chrys.* comparatione instituta ex communi loquendi consuetudine : « sicut multi dicunt : si contingeret urbem totam obolo venumdari, non possem illam emere, extremam paupertatem ostendens, sic et propheta dicit : si principatus veneat vestimento uno aut pane solo, nemo erit qui emat ». Aptissime talia monet vates; nam tabernaculum David quod collapsum est (cf. ad Am. 9, 11), iam *nemo hominum* instaurabit; abiecta est enim corona, donec veniat is cui est

ius (cf. Ez. 21, 27 et quae notavi ad Agg. 1, 1). Respondet ille : non potero curare aut sanare vulnera vestra (*Malv.*); cf. 1, 5. 6; nam ne meis quidem domesticis difficultatibus possum consulere, quanto minus suscipere vestras! Ergo revera « insanabilis est fractura tua, pessima plaga tua » (Ier. 30, 12).

Quid sibi velit *in domo patris sui*, varie concipiunt : indicari, ei esse hereditatem paternam, proinde eum esse sat opulentum (cf. *Kn.*) — sed cur tunc additur : *vestimentum est tibi?* — vel illum esse primogenitum (*Schegg*) — sed qua ratione id ea locutione designetur non apparet; — vel fore incolas terrae tam paucos eosque ita animis deiectos, ut qui rex sit faciendus, facile ab una familia possit constitui reliquisque imponi (cf. *Del.*); sed etiam hoc longius abesse videtur. Vult enim propheta totius populi dissolutionem et miseriam depingere. Haec autem in eo cernitur, quod res ita desperatae sint, ut nullus velit oblatam dignitatem admittere, et quod parati sint incolae cuicumque se submittere, dummodo tenuissimam praebeat spem fore ut aliquid levaminis afferat. — Alii in hoc versu eam rerum perturbationem exhiberi censent, qua unusquisque velit regem constituere eum qui sibi sit propinquus et familiaris ; in hac diversa et multiplici principum electione cerni seditionem (cf. *Pint. Sasb. Lap.*). Sed iniri quasi concertationem et certamen, quis princeps sit constituendus aliis alium arripientibus et regem proclamantibus, iis verbis minime indicatur. — Rerum conditionem satis effert *Sanct.* : « duo habebat incommoda illa Iudaeorum respublica, et quod a planta pedis usque ad verticem capitis esset saucia et quod famem extremam aut pateretur aut timeret. Quare ad illud quidquid erat incommodi levandum medicus erat necessarius qui corpori mederetur aegro et a pecunia sive a frumento satis instructus, qui laborantem aut potius deficientem populum recrearet ».

Et cur iuremerito quisque respuat et horreat regnum, ratio affertur v. 8 « *ruit enim Ierusalem et Iuda concidit, quia lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos maiestatis eius* » ; — verbis et factis sanctissimum Dei numen quod peculiari ratione inter eos in templo habitat ad iram provocant, *gloriae* (hebr.) Domini enim maxima iniuria infertur, quod populus theocraticus totus (urbs principalis et regio) contra Dominum praesentem adeo impudenter peccat. Quam impudentiam vates perstringit v. 9 « *agnitio vultus eorum respondebit eis et peccatum suum quasi Sodoma praedicaverunt nec absconderunt; vae animae eorum, quoniam reddita sunt eis mala* » ! — cf. 1, 10. Si contra minas propheticas excipere voluerint, cur talia ipsis immineant, respondebit vel *contestabitur* eis (hebr.) intuitus vultus, ipsos hoc excidium meritos esse ; ibi enim scriptam legent causam et culpam suam ; frons impudens dabit luculentum procacitatis et nequitiae testimonium (*Lap.*) ; oculis, toto vultu et habitu peccata palam prae se ferunt

et de iis gloriantur omni pudore abiecto ; quare *quasi Sodoma*... « quomodo Sodomitae cum omni libertate peccantes et ne pudorem quidem ullum habentes in scelere dixerunt ad Lot : educ foras viros (Gen. 19, 5), sic et isti publice proclamantes suum praedicavere peccatum nec ullam in blasphemando habuere verecundiam » (*S. Hier.*). Talis procacitas — frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere Ier. 3, 3 — provocat Dei vindictam ; unde *vae.. quia reddunt sibi mala* (hebr.) i. e. se ipsos affligunt.

Annuntiavit vates iudicium in Iudam et Ierusalem (3, 1-7) eiusque causam et rationem in universum reddidit (3, 8. 9). Iam uti supra 2, 22 post iudicii denuntiationem declaravit, quale documentum pro omnibus ex Dei norma proposita consequatur, ita nunc monet, qualem normam Deus in ruina et casu regni sit observaturus. Etsi calamitas sit publica et universalis, Deo tamen docet minime deesse vias et subsidia, quibus inter pii impiique sortes ingens ponat discrimen. Quare vates normam Dei proclamat : v. 10 « *dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet* » ; — id ergo consolationis piis annuntiatur : pietas mercede et fructu non carebit ; bene erit iusto, etsi omnia ruinis sint implenda. Hac fide et spe se soletur ; etsi forte dubius quaerere velit, quomodo id fieri possit, Deo omnipotenti et fideli omni fiducia se committat ! Quare ut pii virtuti studere non negligant, ut hac spe se erigant, publice et per multorum ministerium haec Dei norma est promulganda ; unde *dicite* [1] ! « Generale documentum edicit quod alta mente reponendum esse sua illa brevitate significat : hoc sentite, hoc praedicate quod iustum esse sit *bonum* i. e. amabile, volupe, iucundum, utile et gratum (nam hoc proprie *tob* significat) » (*For.*). Et bona quae eis contingent, *fructus* sunt operum i. e. in eorum mercedem et merita iis rependentur.

Sed alia prorsus improbi ex malo flagitiorum semine metent v. 11 « *vae impio in malum ! retributio enim manuum eius fiet ei* » ; — i. e. quae seminaverit homo, haec et metet (Gal. 6, 5). Iudicia Dei hisce in terris facta iis solum sunt in veram ruinam qui in impietate persistunt. Haec norma duplex : bene iusto, vae impio, omnibus iudiciis quae annuntiantur praefigenda est ; ea fides iustorum in angustiis erigitur, ea habetur continua quaedam adhortatio, ut impii derelinquant vias suas et ad Deum sincere redeant.

---

1. Pro quo corrigendum censet *Bred.* אַשְׁרֵי (LXX δήσωμεν i. e. אסרו ?), ut adsit parallelismus cum *vae* et difficultas in אִמְרוּ צַדִּיק deficiente אַל evitetur.

LXX alia proponere, iam diligenter notat *S. Hier.* In fine v. 8 habent : *quia nunc humiliata est gloria eorum;* v. 9 *confusio vultus eorum restitit eis* i. e. ut *S. Hier.* explicat : ante oculos suos propria semper habuere delicta; vel secundum *S. Chrys.* suis ipsorum peccatis probrosis se supplicio maximo affecerunt. Sequentia autem sic efferunt : *vae animae eorum* ; *quoniam cogitaverunt consilium pessimum contra semetipsos dicentes : alligemus iustum, quoniam inutilis est nobis* ; *itaque fructus operum suorum comedent* (*S. Hier.*). Quam sententiam *S. Hier. Cyr. Basil. Theod.* de Christicidio explicant, *S. Chrys.* vero de quovis iusto quem insidiose insectentur.

e) Iudicium in principes et mulieres 3, 12-4, 1.

Iudicio in Iudam et Ierusalem annuntiato iam modo speciali ad duces et mulieres sermonem convertit eos arguens scelerum et debitam iis denuntians poenam. Ita enim vates a generali sententia 2, 11 et seq. magis magisque ad specialia et singularia descendit et singulis ordinibus quae sint eorum vitia et quantopere ad communem ruinam efficiendam conspirent, graviter et aperte intimat. Duos hoc loco ordines notat qui malorum fautores sunt ceterosque in calamitatem et iniquitatem protrudunt, duces et mulieres v. 12; illis v. 12-15, his v. 16-4, 1 crimina et debitae poenae exponuntur.

Qui sint malorum promotores et ruinae auctores et qua ratione, breviter docet v. 12 « *Populum meum exactores sui spoliaverunt et mulieres dominatae sunt eis* ; *popule meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt et viam gressuum tuorum dissipant* » ; — hebr. *exactores eius sunt pueri* (cf. v. 4) i. e. qui populum tyrannide vexant, qui v. 14 senes populi et principes vocantur. Ratio gubernandi lascivia, arrogantia, crudelitate continetur; inde *pueri* vel illusores; non *pueri* aetate, vel si etiam aetate, certe magis moribus, petulantia, amentia, qua gravissima quaeque negotia negligunt et populum pessumdant. Cum iis in populi perniciem conspirant *mulieres;* qua ratione istae ruinam promoveant, vide a v. 16. Inde quoque patet, intelligi mulieres, non viros molles et effeminatos, ut multi volunt (cf. *S. Hier. Haim. For. Mald. Malv. Tir. Calm.*); sed nulla est ratio talem tropum assumendi, cum et alibi mulieres a prophetis reprehendantur (cf. 32, 9. Am. 4, 1. Prov. 5 etc.) et earum auctoritas et potentia certe non sit minima. Quare eo magis mulieres sensu obvio intelligi debent (cum *Herv. S. Thom. Osor.* et recentioribus), quia et Athaliae tempus et Iezabel mores ostendunt quid valeant mulieres in malum et quia Achaz rex voluptatibus deditus sane nimium mulierum cupiditatibus indulsit. Mulieres valuisse auctoritate aliqua in rerum publicarum administratione forte etiam concludi potest

ex eo, quod in libris historicis tam diligenter nomen matris regis recenseri soleat (cf. Ier. 22, 26; 29, 2).

Hebr. מְעוֹלֵל hoc solum loco invenitur. Veteres explicant a verbo עלל *racematus est;* cf. Lev. 19, 10. Deut. 24, 21. Ier. 6, 9 (in forma *poel*). Ita LXX h. l. καλαμῶνται ὑμᾶς, sim. *Syrus*; idem exprimit *S. Hier.* et *Chald.* periphrastice : populum meum moderatores sui spoliarunt quasi vindemiantes vindemiam. Sed plerisque praeplacet vocem eadem significatione capere qua עוֹלֵל *puer, infans* et uti supra v. 4 vox eiusdem radicis ac notionis habita est. Ita iam *Pagninus, Vat. Mald. For. Malv. Mar.* et recentiores.

Non sine sensu commiserationis de misera plebe male habita et seducta bis dicitur *populus meus.* Iis autem qui ruinam moliuntur accensentur pseudoprophetae : *qui te dirigunt, decipiunt* (hebr. cf. 1, 17) scil. peccata populi non arguunt, pacem et prosperitatem promittentes et malis populi cupiditatibus blandientes tantum abest ut eos a peccatis retrahant, ut eos praesumptione et falsa securitate repleant (cf. Mich. 3, 5. Ier. 23, 13. Lament. 2, 14. Ez. 13, 10 etc.); dicuntur *viam* qua populus incedere deberet *absorbere* (hebr.) i. e. perdere, corrumpere, iis rectum tramitem reddere impervium et abscondere, ut misera plebs demum misere erret et vagetur. Notari pseudoprophetas, plerique recte statuunt (cf. *S. Ephr. Chrys. For. Mald. Sanct. Est. Calm. Troch.*) neque refert quod v. 14 non eorum mentio fiat explicita; nam quae in principibus reprehenduntur, etiam pseudoprophetis magnam partem culpae vertuntur; adde quod ipsi quoque vero sensu duces populi et principes, i. e. qui auctoritate pollent et suo imperio valent, nominari possunt.

Cum Deus populum *suum* ita male tractari doleat, eo ipso iam iudicium in vexatores exercendum esse declarat. Quare propheta Deum statim proponit tamquam universorum iudicem v. 13 « *stat ad iudicandum Dominus et stat ad iudicandos populos* »; — nihil scil. eius oculos fugit, omnia iustissima lance administrat semper intentus, ut iustitiae norma sancte consistat, promptus et paratus, ut iura violata vindicet. Quare v. 14 « *Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui et principibus eius; vos enim depasti estis vineam et rapina pauperis in domo vestra;* v. 15 *quare atteritis populum meum et facies pauperum commolitis? dicit Dominus Deus exercituum* »; — veniet scil. ut iudicium exerceat contra seniores populi i. e. magistratus et principes; *venire* dicitur quando singulari ratione suam ostendit potentiam, iustitiam etc. (cf. ad Mich. 1, 2). Avaritiam, oppressionem, crudelitatem in magistratibus accusat. Populus Dei *vinea* dicitur (cf. Deut. 32, 32. Ps. 79, 9); qui vineam colere et custodire debebant, eam ferarum instar

depasti vastaverunt (hebr.) i. e. se iniuste locupletabant, populum misere opprimebant et vectigalibus onerabant. Rei indignitas v. 15 in hebr. magis effertur : *quid vobis est quod contunditis populum meum?* i. e. quae est haec inhumanitas ? qua ratione ad tantam audaciam et ferocitatem progredimini (cf. *For. Malv.*) ? Praeter exspoliationem populum opprobriis et afflictionibus atterunt. Vide quam benigne Deus causam oppressorum suscipiat et iniurias illis illatas poenis ulciscatur. Unde « vae pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos . . . cum austeritate imperabatis eis et cum potentia » (Ez. 34, 2 seq.). Similes duces ac tyrannos plebs habuit Christi tempore ; unde « misertus est eis quia erant vexati et iacentes sicut oves non habentes pastorem » (Matth. 9, 36). — Hisce simul declaratur quam late serpserit iniquitas et quam impudenter leges Dei conculcent ; unde habetur commentarius ad 3, 8. 9.

Iudicio exactoribus denuntiato transit ad eorum mulieres (cf. v. 12). Quarum partes quae fuerint in iniustitiis ac oppressione populi, indicat *S. Hier.* : « ob quarum delicias atque luxuriam depasti sunt exactores vineam Domini » ; sim. *S. Chrys. Cyr.* ; nam, ut *Sanct.* notat, dum lautitiam atque elegantiam amant et viris nimium uxoriis dominantur et pene pro imperio cogunt in pretiosas illas nugas prolixe impendere, exactores reddunt compilatoresque pauperum, quorum ipsae sudore ac sanguine ad lasciviam comptae luxuriantur et splendent. Tales quoque mulieres ob oculos habet Amos propheta : « dicitis dominis vestris : afferte et bibemus » (Am. 4, 1) et haud incongrue potest cum *S. Thom.* in memoriam revocari, quantum mulieres olim in ipsum quoque Salomonem valuerint. Hic ergo ponitur, ut idem *S. Thom.* ait, divinum iudicium contra eas et primo aperitur culpa, secundo praedicitur poena ; arguuntur autem de superbia et lascivia ; v. 16 « *et dixit Dominus : pro eo quod elevatae sunt filiae Sion et ambulaverunt extento collo et nutibus oculorum ibant et plaudebant, ambulabant pedibus suis et composito gradu incedebant,* v. 17 *decalvabit Dominus verticem filiarum Sion et Dominus crinem earum nudabit* » ; — primo notatur fastus ac superbia in universum : *elevatae sunt* i. e. superbiunt vel efferuntur, elatae sunt et fastuosae animos altiores sumentes (cf. גבה). Dein qua ratione fastus, pompa, lascivia se prodat : *incedunt erectae gutture* (hebr.) « instar gruum vel cygnorum ; habitus hic est insolentis ac procacis » (*Lap.*) ; « nam modesta ac verecunda vultum demittit ; impudica vero et quae supra ceteras videri vult substrato sibi cothurnorum adminiculo ut nihil de illa celsitudine demittat, quam potest superbissime cervicem extendit » (*Sanct.*). Ipsa autem descriptio ita est conformata, ut quam indigna res sit et quam contemptibilis ex vocibus selectis appa-

reat. Porro lasciviam *oculis* et *incessu* palam faciunt : *oculis nictitantes* [1] (hebr.) i. e. oblique oculos in iuvenes et amasios convertendo et petulanter illis adnictando et ad turpem voluptatem alliciendo (cf. *Sanct. Lap. Men. Tir.*) ; « id amasiarum proprium est pupillas vertere mollitiemque multam et lasciviam hinc exprimere » (*S. Chrys.*). Incessus quoque animos prodit meretricios : *plaudebant* i. e. crepitacula in pedibus gerebant (*Mar.*), incedentes plausum excitabant (cf. *Sanct.*) ; ipse incessus ad artificium et numerum erat compositus ; « pompatice credo dicuntur incedere et composito gradu sive ad maiestatem sive ad elegantiam et palaestram » (*Sanct.*). In hebr. ad verbum *incedendo et saliendo incedunt et in pedibus suis periscelides habebant* i. e. catenulas habebant pedibus affixas quibus gressus moderabantur et strepitum et tinnitum edebant ; « non naturam sequuntur ducem sed histriones redimunt praeceptores » (*S. Hier.*). Verum pro fastu et libidine condigna poena iis annuntiatur : caput quod tam superbe extollunt ornatu suo ignominiosum in modum privabitur ; immo ex textu hebr. scabie vel *porrigine* eas inficiet (cf. Lev. 13, 2 ; 14, 56 ; *Vat. Mald. Malv. Lap. Tir. Calm.* et recentiores passim) *et ignominiam earum revelabit* (cf. ad Nah. 3, 5) i. e. maximo opprobrio afficientur, uti verba hebr. passim intelligunt ; cf. *Malv. Sanct. Rohl. Troch. Del.* etc.

Hebr. טָפוֹף v. 16 varie accipiunt; *Fürst C.* explicat minutis lubricisque gressibus incedere et affert tres a *Kimchi* propositas significationes : ludere et cum puerilibus ineptiis incedere per plateas; cum gestu ferientium tympana; aequali dimetatoque gressu incedere. Alii interpretantur molli gressu incedere seu tripudiando. Ad gressus minutos et affectatione compositos adigebantur catenulis et perisceledibus, quas pedibus gerebant et quibus incedentes sonitum edebant, uti olim mos erat (cf. *Sanct. Ros.*) et etiamnum apud saltatrices in regionibus orientalibus invenitur. LXX paulo aliter : *et incessu pedum trahentes simul tunicas simulque pedibus lusitantes ; Syrus* pedibus suis pulsant (tripudiant) et Dominum ad iram provocant. Aliter *Chald.* : ca-pillamentis se circumdantes et pedibus provocantes (cf. *Buxtorf*, Lexic. chald. p. 1689; *Levy*, Chald. Woerterb. II p. 128. 252 ; aliter tamen ea verba interpretatur *Ges.* Thes. p. 554). Varias aliorum sententias affert *Malv.*, qui etiam monet in locutione *pedibus suis* hebr. masculeum in pronomine feminis tribui, « forte ut innuat feminas usas eiusmodi lasciviis permissu vel etiam voluntate virorum, qui hisce vanitatibus applauderent ». Id quod sane subtilius est dictum. Alii in ea generis enallage adumbrari volunt insaniam et libidinem qua viros ambiant (cf. *Del.*) ; sed haec quoque explicatio nimium redolet artificium. Est enim in numero plurali eiusmodi enallage non adeo infrequens; cf. Gen. 31, 9. Ier. 9, 19. Am. 3, 2. Zach. 11, 5. 1 Sam. 11, 5; vide

1. Aliqui hebr. explicant *oculos stibio tingere* vel collyrio, quod moris est in oriente (cf. *Ros.*); et ita *Chald.* intellexit; sed plerique interpretantur, uti iam *LXX, Syrus, S. Hier.* verterunt. Codices aliqui hebr. et editiones multae verbum legunt per שׂ *mentientes oculis*; sed in plerisque iure alia lectio adoptatur ; cf. *de Rossi*, suppl.

Ewald, Lehrb. §. 184 c, qui etiam plura profert exempla. — *Barh.* textum syriacum intelligit de saltationibus in templis idolorum, quibus ira Dei provocatur.

Etiam v. 17 veteres vario modo concipiunt LXX *et humiliabit Deus principes filias Sion et revelabit habitum* (σχῆμα) *earum* i. e. sumptuosi cultus ademptionem iis minatur (*Theod.* sim. *S. Chrys. Basil. Cyr.*). Idem *Syrus* exprimit; *Chald.* quoque de gloria filiarum Sion prosternenda et auferenda textum explicat in universum. Sed nervosior est textus hebr. qui feminarum pulchritudini et honestati maximum inferri dedecus declarat. Peccarunt pompa et luxuria; quare in quo peccarunt, in eo quoque punientur. — Versio *S. Hier.* *crinem earum nudabit* accedere videtur ad significationem vocis chald. פְּתָא; vel *S. Hier.* vocem hebr. eadem significatione accepit, qua פֵּאָה pollet, uti iam explicat *Lap.*, est enim *angulus, extrema pars* et vox ad capillos refertur Lev. 19, 27. Ier. 9, 25; 25, 23; 49, 32. Haec explicatio eo commendari potest, quia exacte parallelismus servatur; « in qua repetitione non vulgaris epitasis est, quae magis confirmat dicta insignemque contumeliam ostendit » (*Sanct.*). Sed hebr. plerumque intelligunt de pudendo (vox non occurrit פת nisi hoc loco et 1 Reg. 7, 50 *cardines* ostiorum; cf. *Vat. Malv. Sanct. Lap.*) idemque nomine *crinis* denotari pro certo habent *Malv. Sa.*

Emphasi non caret quod mulieres istae luxu et luxuria diffluentes *filiae Sion* appellantur et ipso nomine admonentur indolis pietatisque *theocraticae* quae in iis ex iure nativitatis et electionis adesse debebat, sed quam petulanti suo et lascivo agendi modo adeo turpiter negligunt. Quantopere immersae sint rebus vanis et luxuriosis, propheta iam insigni enumeratione ostendit; sed simul ea omnia iri ablatum et molles illas feminas maximis calamitatibus iri punitum serio et clare annuntiat. Reculas recenset 21 quae ad ornatum et vanitatem muliebrem pertinent et quibus denuo querelae antea propositae de pompa et fastu (cf. v. g. 2, 7) egregie illustrantur et iudicii necessitas (2, 12) comprobatur; v. 18 « *in die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum et lunulas* v. 19 *et torques et monilia et armillas et mitras* v. 20 *et discriminalia et periscelidas et murenulas et olfactoria et inaures* v. 21 *et annulos et gemmas in fronte pendentes* v. 22 *et mutatoria et palliola et linteamina et acus* v. 23 *et specula et sindones et vittas et theristra* »; — de vocibus haec adnotat *S. Hier.* : « habent mulieres in lunae similitudinem bullulas dependentes, torques quoque ad pectus usque pendentes;.. monilia uno sermone omnia ornamenta significant; murenulae auri atque argenti texuntur virgulis... mutatoria et pallia quae significantius Symmachus transtulit ἀναβόλαια ornamenta sunt vestium muliebrium quibus humeri et pectora proteguntur; habent acus mulieres quibus ornatorum crinium compago retinetur; habent sindones quae vocantur amictoria, et vittas quibus crines ligantur, quas appellant ταινίας; habent et theristra, quae nos pallia possumus appellare,.. dicuntur ab eo quod in θέρει, hoc est, in aestate et caumate

corpora protegunt feminarum ». Bene notat *S. Chrys.* : « ut onerosiorem ipsis texeret sermonem aut auditorum mentem perstringeret, ornamentum vestium mulierum illarum minutatim recenset » ; ea quippe enumeratione ad amussim facta et acris continetur reprehensio et singulari cum pondere annuntiatur « futuram esse inopiam et abiectionem omnium exquisite inventorum et pristinae illius felicitatis et deliciarum » (*S. Cyr.*). Ex harum rerum numero et copia « videre est quam insatiabiliter elegantiae et ornandi se, immo magis iam scortandi studio ardeant; probae enim et honestae mulieres harum rerum studia aversantur eaque ex quibus habitus illiberalis nascitur, illudque potius propositum habent ex bonis factis laudem consequi » (*S. Cyr.*).

S. Hier. de sua huius loci versione ita reddit rationem : « quae omnia licet LXX interpretes, Aquila et Symmachus ac Theodotio diversis modis interpretentur, nos ut potuimus vel de hebraeo vel de ipsorum translatione texuimus, nec volumus diutius in singulis immorari, ne frivola sit expositio et prudenti lectori fastidium faciat ». Exemplum eius secuti longiorem de singulis vocibus hebr. disquisitionem lexicographis et rerum archaeologicarum tractatoribus relinquentes solum aliqua esse delibanda censemus. Inter graecos *S. Basil.* singulas voces diligenter exponit, inter latinos interpretes satis fuse de iisdem agunt *Sanct.* et *Malv.* qui praesertim multas aliorum interpretationes more suo refert; plura quoque exponuntur in thesauro antiquitatum sacrarum, quem edidit *Ugolinus*, t. 29 p. 419-452. Data opera locum hunc illustravit *Schroederus*, de vestitu mulierum hebr. ad Ies. 3, 16-24 (Lugd. Bat. 1745) et *Hartmann*, die Hebraeerinn am Putztische (Amstel. 1810). Ex interpretibus uberius eadem explicant *Ros. Ges. Kn. Del. Naeg.*; paucioribus rem declarant et absolvunt *Drechsl. Troch. Rohl.*

Atque auferendum dicit vates 1) *ornamentum periscelidum*, vel *compedum*; gestabant enim in articulis pedum circa talos annulos ex argento, auro, ebore factos, qui nonnunquam catenis aureis argenteisve ex pede altero ad alterum transeuntibus nexi erant (cf. *Iahn*, archaeolog. bibl. §. 129). Eas ita accuratius describit *Ros.* : « sunt hae *periscelides* s. compedes, laminae, unum duosve vix plures digitos latae, figurae orbicularis, non tamen continue in orbem redeuntes, sed quia crus ambiunt strictius ab aliqua parte apertae; ad unam extremitatem orbiculo seu fibula, ad alteram unco qui fibulae innectitur instructae, quibus deinde catenulam interponebant » ; cf. v. 16. Vox עֶכֶס *compes* legitur quoque Prov. 7, 22; de ea fuse agitur apud *Ugolinum* l. c. p. 439 et seq. — *S. Hier.* vertit *ornamentum calceamentorum;* idem habet *Chald.* dum LXX et *Syrus* magis in universum de ornatu vestimentorum explicant. Auferentur 2) שְׁבִיסִים *reticula* vel calauticae; erat forte species operis reticulati ad caput ornandum, vel ornamenta capitis filis aureis, sericis aliisque pretiosis inter se implicatis constantia. Alii vocem accipiunt de vestimentorum genere tessellis vel ocellis distincto et variegato; *Schroederus* explicat ex arabico (?) soliculum bullamve solarem i. e. colli monile, cuius bulla ad solis imaginem efformata est. Quadrat quidem quod sequitur de lunulis; at explicatio illa et derivatio ex arabico est valde incerta (cf. *Ges.*). LXX praebent τὰ ἐμπλόκια. *Chald.* vocem hebr. retinuit, quam *reticulum* exponunt (cf. *Levy*, Chald. Woerterb. II 449). Auferentur 3) *lunulae;* de voce cf. Iud. 8, 21. 26, ubi LXX sicut h. l. μηνίσκους interpretati sunt, cui explicationi omnes acquiescunt.

Erat ornamenti genus circa collum lunari forma (*S. Chrys.* sim. *S. Basil.*); sed lunulas istas esse figurae falcatae advertunt (cf. *Ros.*) ad formam lunae crescentis sive cornutae; ornamenti genus etiam uti ex Iud. 8, 21 elucet iumentis appensum, quod fortasse idololatricum quendam ac superstitiosum usum redolet. *Chald.* vocem habet סִיבְּכָא quam *reticulum* explicant; cf. *Levy* l. c. II 137.

Nominantur v. 19 4) נְטִפוֹת, proprie guttae? ergo margaritae? inaures? LXX habent τὸ κάθεμα; de quo ita *Basil.* : « quidam mundus est et ipse quidem demissus et ad pectus usque descendens levibus ac laxatis quibusdam catenulis dependens ». *S. Chrys.* vero vocem explicat : « forte theristrum dicit ». *Chald.* praebet sicuti *vulg.* *torques*. Nominantur 5) *armillae*; proprie *catenulae* scil. manuum ut explicat *Chald.*; dein 6) רְעָלוֹת quam vocem *vela* vel *pepla tremula* explicant; tegumentum est capitis ipsam quoque faciem obvelans; « nomen inde sortitum quod anterior eius pars vultum tegens e regione oculorum fibulis sive circellis ita coniuncta, ut nonnihil spatii relinquatur per quod oculi transpiciant, *tremere* et quod a tenuibus loris dependeat, huc illuc in incessu iactari solet » (*Ros.*). LXX explicant *ornatum faciei;* id quod *S. Basil.* et *Chrys.* de fuco et pigmentis intelligunt. Vocem *chald.* explicant de peplis faciei obductis ne a sole colorentur.

Recensentur v. 20 7) פְּאֵרִים quam vocem *S. Hier.* Ez. 24, 23 *coronas* vertit; item Ez. 24, 17. Is. 61, 3. 10; et Ez. 44, 18 *vittas*; intelligunt diademata, fascias capiti circumligandas, vel tiaras, vel tutulos (ita enim Latini vocabant capitis ornamentum, quod fit vitta purpurea innexa crinibus et exstructum in altitudinem). Etiam *Chald.* vertit *coronas*. Porro 8) *catenulae* scil. crurales, quas utriusque cruris periscelidi annexas gerebant, ut passus minuti et aequales formarentur; cf. v. 16. 18; de quibus catenulis eorumque usu plura leguntur apud talmudicos; vide *Ugolin.* l. c. p. 443. *Chald.* explicat *catenulas pedum*. Porro 9) *zonae*, cingula; vocem hebr. eandem *S. Hier.* aliter atque hic vertit Ier. 2, 32 : numquid obliviscetur sponsa *fasciae pectoralis* suae? *Chald.* vocem reddit ex graeco καλαμίς : pectines vel discriminalia (*Levy* l. c. II 364) vel generatim ornamenta capitis ad ligandos capillos muliebres (*Burtorf* p. 2043). Dein 10) *domunculae halitus* i. e. olfactoriola, quae fortasse zonis appensa gerebantur. *Chald.* vertit *inaures* vel annulos (cf. *Buxtorf* p. 1980). Aliqui vocem hebr. de retinaculis fascini exponere volunt, quibus feminae tutae reddantur a fascino (cf. *Ros.*; alia apud *Malv. Sanct.*). Sequuntur 11) *amuleta;* cf. לַחַשׁ 3, 3; « erant ornamenta superstitiosa, plerumque gemmae lapidesque pretiosi vel auri argentique laminae, quibus formulae magicae inscriptae erant, quaeque ex collo vel ex auribus suspendere solebant » (*Ges.* Thes. p. 755). *Chald.* generatim ornamenta pretiosa vel vestimenta mollia exprimit (voce *chald.* a χλιδή formata? cf. *Levy* I 259). Etiam *Sanct.* vocem *vulg.* *inaures* ad notionem vocis originalis trahere studet : « videntur inaures fuisse munimenta aut amuleta aurium contra incantationes et verba imprecatoria, ut etiam observavit Abenezra qui putat לחשים esse scripturas seu characteres in auro vel argento; inde vero quod necessitatis vel potius superstitionis gratia susceptum est adhiberi coepit ad ornatum ».

Sequuntur v. 21 12) *annuli* signatorii et 13) *annuli nasi,* ornatus gratia in naso gestati; alii censent ipsum nasum fuisse perforatum; alii annulos intelligunt ex fronte dependentes naribusque imminentes. Id apparet in *vulg.* *gemmas in fronte pendentes*. LXX hic et alibi vocem vertunt ἐνώτια; *Sym.* autem et *Theod.* נֶזֶם quandoque reddunt ἐπιῤῥίνιον. Ait *S. Hier.* in Ez. 16, 12 ornamentum hoc esse gemmam, circulum, aut inaurem quae a capite et fronte ad nasum usque pendet; usque hodie, inquit,

inter cetera ornamenta mulierum solent aurei circuli in os ex fronte pendere et imminere naribus (cf. *Sanct. Malv.*).

Enumerantur v. 22 14) *vestes pretiosae,* chlamydes plumatae? 15) *tunicae* exteriores, longiores, manicatae. *Chald.* pallia; 16) *pallia*; cf. Ruth 3, 15 : « expande *pallium* tuum quo operiris et tene utraque manu ; qua extendente et tenente mensus est sex modios hordei et posuit super eam » ; ergo forte intelligi debet velum satis magnum reliquis vestibus circumvolutum. *S. Hier.* hoc loco vertit *linteamina;* pannos magnos vel velamina etiam *Chald.* exprimit, dum LXX habent τὰ διαφανῆ Λακωνικά, si haec vox huc trahi potest et non potius ad v. 23. Dein 17) חֲרִיטִים quae vox 2 Reg. 23 *sacci* i. e. loculi, marsupia ad recipiendam pecuniam duorum talentorum argenti explicatur; unde h. l. intelligunt marsupia elegantiora et ornatiora. *S. Hier.* h. l. vertit *acus;* sim. *Chald.* fibulas (*Burtorf* p. 1187).

Sequuntur v. 23 18) *specula,* uti cum *vulg.* et *Chald.* plerique vocem hebr. explicant; sunt laminae ex metallo polito factae quas mulieres ornatus gratia secum circumferre solebant. Cum modo sermo fuerit de loculis circumgestatis apte mentio speculorum infertur. Quare non opus est aliam voci exquirere notionem, illam quam forte LXX iam exprimunt (nam quo ordine singula verba hebr. legerint vel interpretati fuerint, nemo dicere potest), cum habeant τὰ διαφανῆ Λακωνικά et quam h. l. aliqui sequendam esse censent explicantes vestes pellucidas, indumenta tenuia (cf. *Ros.* et apud *Malv.*). Dein 19) *sindones* i. e. interulae linteae seu tunicae interiores (*Ros. Ges.*) vel generatim vela et operimenta valde tenuia et pretiosa ; demum 20) *tiarae,* vel fasciae capiti circumvolutae; cf. Is. 62, 3. Zach. 3, 5. Iob 29, 14; denique 21) רְדִידִים quam vocem *S. Hier.* Cant. 5, 7 *pallium* vertit, h. l. *theristra*; significat tegumentum amplum, pretiosum, tenue vestibus aliis superinductum; recentiores aliqui non inepte vertunt *Flore, Florüberwürfe* (cf. *Del. Rohl. Net.*); alii : vêtement de dessus qu'on prend pour sortir (*Troch.*). *Chald.* vela vel velamina intellexisse videtur (cf. *Levy* I 351).

Iam « sublatis ornamentis lasciviae comminatur cultum miseriae » (*S. Thom.*) v. 24 « *et erit pro suavi odore foetor et pro zona funiculus et pro crispanti crine calvitium et pro fascia pectorali cilicium* » ; — i. e. pro suavi odore aromatum et unguentorum erit putredo, foetor, « sive a carceris situ atque squalore, sive ab illuvie et sordibus quae a captivis plerumque abesse non solent » (*Sanct.*); « forma ac specie erunt quam abiectissimae, ut zonae aureae loco solo fune circumligentur, patienturque nuditatem capitis, calvitium scilicet, licet quondam aureis capillorum nodis redimitum fuerit; indumentum etiam dat illis dignum captivis crassum et vile quod saccum nominat idque purpuratae vestis et lauti amictus vice » (*S. Cyr.*). In hebr. cura illa capillis exornandis impensa effertur : *pro opere tornatili calvitium* i. e. pro studio illo quo opere tornatoris quasi et calamistri cincinnos artificiose crispandos curabant, iam ad turpitudinem rasae apparebunt sive hostium petulantia id fiat, sive squalore et miseria captivitatis sordibusque crines defluant, sive crinium evulsione luctus notetur gravissimus. In hebr. quintum additur membrum, quod *Vat. Malv. Mald. Sanct. For.* aliique rite ver-

tunt : *adustio pro pulchritudine* i. e. pro eo quod colebant faciem venustatis causa, earum faciebus ac frontibus stigmata ab hostibus inurentur, uti quandoque servis fieri solebat (*Ges. Ros. Del. Naeg.*), vel ut alii explicant : facies coeli iniuriis solisque ardore adurentur (*Mald. Malv.*), vel luctu et desperatione sibi ipsae unguibus facies foede lacerabunt (*Kn. Rohl.*), vel quod fortasse optimum erit, sensu omnino generali : facies quas tam studiose ornabant iam foede nigrescent deformatae vulneribus, laboribus, miseriis et iniuriis ab hominibus et coeli inclementia illatis (cf. *Lap. Drechsl.*) similiter, uti Lament. 4, 8 : « denigrata est super carbones facies eorum ».

Vocem נִקְפָּה LXX, *S. Hier.* et *Syrus* quoque interpretati sunt de fune, de loris; quae explicatio ipsa iam oppositione ad *zonam* commendatur et a plerisque adoptatur. — Alii ex vocis etymo vertunt *pro cinctura perforatio* id quod vel de vestibus detritis vel de cute scissa et exulcerata, de vulneribus et ulceribus exponunt. Id iam exprimit *Chald.* : in loco ubi zonas ligabant, erunt stigmata percussionis.

Vocem פְּתִיגִיל *fasciam pectoralem* explicat *S. Hier.* secutus Symmachum, ut ipse refert; adnotat : « LXX tunicam μεσοπόρφυρον i. e. clavatam purpura transtulerunt, quod Aquila *cingulum exsultationis* expressit, Theodotio ipsum verbum hebr. posuit *phthigil,* quod genus ornamenti muliebris est. Fascia pectus tegit et eum possidet locum in feminis quem rationale in pontificibus ». Recentiores fere pallium amplum significari volunt. Ceterum vox est incertae notionis et originis; varia afferunt *Malv. Ges. Ros.* Iam *Chald.* quid significet ignorasse videtur; scribit enim : pro eo quod ambulabant in superbia, accingentur saccis. *Syrus* vocem adhibet quae pro hyacintho et etiam pro fimbria usurpatur (cf. Ex. 26, 1. 31. Matth. 23, 5). Vertit *Doederlein* : vestes candidae mutabuntur pullatis. — Ultimi quoque membri saltem vestigium quoddam superest in textu *vulg.* cum versus subsequens incipiat *pulcherrimi quoque;* sim. apud LXX *et filius tuus pulcherrimus quem diligis;* legerunt ergo saltem vocem *pulchritudinis.* Aliter legit *Syrus* : quoniam corrumpetur pulchritudo earum; ergo כִּי particulam explicat et pro תחת formam legisse videtur a שׁחת derivatam. *Chald.* hanc praebet paraphrasin huius membri : haec vindicta sumetur ex eis quia fornicatae sunt in pulchritudine sua.

Ut demum iudicio in mulieres devolvendo culmen imponatur, postquam vana eis et fucata ornamenta detracta sunt, omni etiam maritorum solatio et auxilio destituuntur ignobili viduitati et orbitati traditae. Hunc autem luctum vates ita exhibet, ut singularum mulierum privationem et tristitiam in moerore et luctu metropolis quasi matris totius populi repraesentet. Describit enim urbem Ierusalem tamquam omnium matrem lugentem de morte tot filiorum et heroum et habitu squalido animi moerorem palam profitentem. Hac clade universa tot virorum et his lamentationibus egregie illustratur, quod ante dictum est : proiecisti populum tuum . . . dies Domini super omnem superbum (2, 6. 12); v. 25 « *pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent et fortes tui in proe-*

lio ; v. 26 *et moerebunt atque lugebunt portae eius et desolata in terra sedebit* » ; — de additamento in *vulg. pulcherrimi* vide quae notata sunt modo ad v. 24. Sion vel Ierusalem tamquam mater liberis orbata luget ; ipsa est deserta, relicta ; portae eius et aedificia destructa ; ipsa abiecta in pulvere sedet moerore confecta. Insignis luctus et totius populi destructionis descriptio ! qua hypotyposi cum magna animorum commotione Ieremias in suis lamentationibus utitur (cf. Lament. 1, 1 etc.). Singulorum luctus colligitur et augetur strage universali ; nam praeter damna domestica excidium publicum lacrimis est prosequendum. *Sedet in terra* cf. 2, 9. 10. 17 ; 3, 8 ; « et in argenteo nummo Vespasiani Iudaea muliebri habitu fingitur sedens ad palmae radices cum hac inscriptione : Iudaea capta » (*Sanct. Lap. Calm. Rohl. Troch. D l.*). Bene monet *S. Chrys.* : « per haec omnia luctum amplificat, auget timorem, angorem reddit maiorem. Sub aspectum ducit aerumnas, extendit calamitatis narrationem quoquoversum circumcurrens, undique tristia colligens ob auditorum stoliditatem ».

Quam exhausta et desolata sit Sion, alia imagine ruinae et miseriae speciem ferente declaratur 4, 1 « *et apprehendent septem mulieres virum unum in die illa dicentes : panem nostrum comedemus et vestimentis nostris operiemur, tantummodo invocetur nomen tuum super nos ; aufer opprobrium nostrum* » !—numerus certus adhibetur pro incerto (*Mald.*), sed talis tamen, quo virorum paucitas designatur. Quot igitur iudiciis divinis consumpti sunt ! Mulieres ne maledicto illi subiaceant : maledicta sterilis et quae non facit semen in Israel (cf. Deut. 7, 14 ; *S. Hier. Basil. Cyr. Chrys. Sanct.*) et ab opprobrio solitudinis et orbitatis vindicentur, verecundia postposita — tantus est scil. miseriae timor atque horror — magno studio unum virum rogabunt eum quasi manu apprehendentes et retinentes, ut est instanter flagitantium, et quo facilius optatis potiantur : « non tibi, inquient, erimus oneri ; nos victum et vestitum nobis ipsae parabimus ; hoc unum a te contendimus, ut uxores tuae nominemur et hoc viri nomine dedecus nostrum tollas nosque a solitudine vindices, ne omnino desertae atque derelictae videamur » (*Osor.*). Ex lege ad viros spectat de victu cultuque uxoribus providere (Ex. 21, 10) ; sed ne forte labor ille et sumptus viri animum a nuptiis avocet, ipsae earum rerum curam in se suscepturas spondent ; *invocari nomen* i. e. « ut dicaris vir noster nosque dicamur uxores tuae » (*Mald. Sa, Mar.*).

Ita mulierum superbia (3, 16) omni genere poenarum est afflicta et quae ante iudicium fastuose dominabantur (3, 12), iam ignominia et abiectione et omnium rerum spoliatione afflictae et oppressae cernuntur, postquam Dominus steterit ad iudicandum (3, 13). Dies ille Domini qui

annuntiatur contra omnem fastum et superbiam (2, 12), hac ultima hypotyposi matris Sion desolatae et in pulvere sedentis et mulierum derelictarum egregie illustratur; non adsunt enim nisi ruinae : incurvata est altitudo hominum, sed eum in finem, ut exaltetur Deus solus in die illa (2, 11). — Quando autem hoc vaticinium impletum est? Vates normam exhibet iudicii divini, qua respublica Iudaeorum erit destruenda. Quod utique quomodo per saeculorum cursum factum sit, « usque hodie oculis cernimus» (*S. Hier.*). Hoc iudicium per varias partes et repetitis ictibus opere est impletum. Quare et ii interpretes non aberrant qui haec ad captivitatem babylonicam referunt neque frequentiores illi qui omnia haec ultimà tempora reipublicae iudaicae spectare contendunt. Propheta vero *normam* Dei annuntiat ab omni tempore absolutam : Sionem esse castigatione et iudicio reducendam ad Dominum; pompam humanam, superbiam, lasciviam esse poenis condignis ulciscendam.

Intelligi in hac descriptione mulieres, non solum propter nomen sed etiam propter tot ornamenta muliebria satis videtur evidens. Nihilominus etiam inter recentiores aliqui non mulieres sed urbes Iudaeae et speciatim Ierusalem ea figura describi volunt (cf. *Hupfeld*, Psalmen 2 edit. II p. 459 ad Ps. 48, 12). Quae sententia etiam veteres aliquos tenuit. Nam notat *S. Hier.* ad v. 16 : « alii metaphorice de urbibus Iudaeae dici arbitrantur quae appellantur filiae Sion, minores videlicet civitates, vici et oppida » ; et ipse, cum v. 25 sermo aperte fiat de Sione, advertit intelligi posse de animae statu quae post virtutes peccaverit, « sin autem sequamur historiam, ex his sermonibus docebimur non de mulieribus prophetae esse sermonem, quarum viri in proelio corruerunt, sed de urbibus Iudaeae quas filias Sion appellavit et quarum bellatores ceciderunt in certamine ». At figura ista loquendi adeo frequens apud prophetas qua metropolis tamquam *mater* appellatur, non est ratio cur sermo praecedens non ad mulieres dirigi dicatur, praesertim cum transitus ab allocutione mulierum ad matrem Sionem adeo sit facilis et omnium luctum et tristitiam una in imagine collectam exhibeat. Etiam *For.* principes et magistratus vult intelligi more feminarum deliciis deditos ; « sunt haec omnia figurate accipienda ; omnibus illis nominibus quae ad mundum muliebrem pertinent, effeminatos animos atque mores designat » (sim. *Rup.* et in aliquibus *Sasb.*). In quam rem iam adnotavit *Euseb.* : « possunt haec non de mulieribus tantum sed de mollibus etiam et effeminatis animabus dicta fuisse » ; de qua applicatione plura vide si lubet apud *S. Hier. Herv.* aliosque. — De mulieribus esse sermonem longe plurimi interpretes iure-merito tenent (cf. *S. Basil. Cyr. Theod. Chrys. Ephr. Thom. Sanct. Lap.* etc.).

f) Germen Domini in magnificentia 4, 2-6.

Sion in iudicio redimetur (1, 27) et exaltabitur Dominus solus in die illa (2, 11. 17), hic est terminus et fructus iudicii imminentis. Quare prophe-

ta iudicio descripto iam ad praeclarum eius exitum convertit sermonem. Quem nexum ita declarat *S. Chrys.* : « quia ex tristium comminatione animum illorum admodum concussit et calamitatem satis traduxit et longo sermone terribilia narravit, ad meliora demum se convertit. Illa enim medicinae optima ratio est non solum secare et urere, sed dolores inde partos dulcioribus pharmacis lenire ; id ipse nunc facit. Neque enim in tristia totum desiturum esse ait, sed malis de medio sublatis meliora eventura esse, neque tantum aerumnarum solutionem fore ait sed etiam multum splendorem magnamque claritatem ». Unde v. 2 « *In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria et fructus terrae sublimis et exsultatio his qui salvati fuerint de Israel* » ; — hebr. *germen Domini erit magnificentiae et gloriae fructusque terrae (erit) sublimitati et decori reliquiis Israel.* Rem dici praeclaram ipso verborum splendore indicatur et iam ex norma antea stabilita (1, 27 ; 2, 11. 17) exspectatur. *Germen Domini*, id quod Dominus germinare facit, in tali nexu cum de periodo futura splendidissima sermo inferatur, facillime et sua quasi sponte refertur ad promissiones Davidi factas quas ipse David ultimis suis verbis prorsus eodem modo expresserat. Postquam enim retulit David Domini verba, quibus ipsi ex posteris suis oriundus iustus Dominator promittebatur, et postquam beatitatem ab hoc Dominatore afferendam paucis delineavit et domum suam de tam laeta sorte et aeterno Domini pacto beatam dixit, iam omnia complectens in haec prorumpit verba : « omnem salutem meam et omne beneplacitum nonne *germinare faciet* » (hebr. 2 Sam. 23, 3-5) ? Unde *germen Domini* complexum quendam dicit et summam promissionum Davidi factarum, quae cum in Dominatore iusto i. e. in rege Messiae quam perfectissime continerentur et absolverentur, mirum non est ipsum Messiam *germinis* nomine apud prophetas designari. Habes id modo indubitato Ier. 23, 5 ; 33, 15 « germinare faciam David germen iustitiae », habes idem nomen tamquam Messiae proprium Zach. 3, 8 ; 6, 12 (hebr. — vide quae ad illos locos in comment. notavi). Atque apud nostrum etiam prophetam nomen eadem significatione esse accipiendum certum efficitur ex appellationibus omnino similibus quibus apud ipsum sine ullo dubio Messias designatur 11, 1. 10 ; 53, 2 virga, flos, radix, virgultum ; deinde uti hic *germen Domini* fore dicitur sublimitati et decori reliquiis Israel, ita eadem ratione 28, 5 : « in die illa erit Dominus corona gloriae et sertum exsultationis residuo populo suo » ; demum cum 2, 11. 17 tamquam fructus iudicii afferatur « exaltabitur Dominus solus in die illa », hoc nostro loco post iudicium illud per omnes rerum hominumque ordines descriptum iam nihil aliud exspectari potest, quam ut explicetur quae sit et qualis illa Domini exaltatio. Consistit ea igitur in Messia et in

regno sanctitatis quod ipse est fundaturus, prout versus sequentes explicant, consistit simul in ea gloria et beatitate quam suis Messias est largiturus, sicut in v. 2 iam clare effertur. Cum igitur exaltatio Domini in Messia habeatur, intima habitudo quae inter Deum et Messiam intercedit designatur. Dicitur *germen*, quia eum germinare facit Dominus tamquam omnium promissionum summam (cf. 2 Sam. 23, 5), quia surculus ille est quem Dominus ex trunco relicto (cf. 6, 13), ex radice Iesse (11, 1) suscitabit, quia ex Deo oriundus singulari prorsus ratione a Deo populo suo donatur. *Si germen Domini* magis denotat originem divinam et divinam actionem quae in Messiae missione intervenit, membrum parallelum *fructus terrae* explicite effert originem eius ex stirpe terrena, quippe qui secundum vaticinia iam data oriundus sit ex Iacob, ex stirpe David (Gen. 49, 10. 2 Reg. 7, 14). Unde facile concesseris divinam Messiae naturam et humanam ea appellatione duplici adumbrari (cf. *Mald. Malv.*). Messias autem, cui omne iudicium a Patre traditum est, iudicio exercito et ipse erit in summa gloria et maiestate et cum suis hanc gloriam communicabit ; qua ratione gloria Domini redundatura sit in electos et quantam beatitudinis copiam ex inexhausto fonte divino sint percepturi, Isaias saepe cum magnificentia praedicat (cf. 9, 3 ; 12, 2 ; 35, 1 ; 52, 1 ; 54, 1 ; 60, 1 etc.) et etiam hoc loco statim subdit, in quo proxime illa sublimitas et splendor ille consistat : in vera scil. sanctitate interna et in mira et abundantissima protectione qua suos circumdabit (v. 3-4 ; 5-6).

Rite igitur *Chald.* explicat : in tempore illo erit Messias Domini (מְשִׁיחָא) in gaudium et gloriam ; eamque explicationem etiam plerique interpretum amplectuntur (cf. *Haim. Herv. Mald. Malv. Sa, Lap. Mar. Men. Tir. Gord. Reinke*, die messian. Weissag. I p. 49-91, *Schegg, Rohl. Net. Troch. Loch* etc.). Alii *germen Domini* intelligunt plantationem a Domino factam i. e. ipsam Ecclesiam Christi et Christi fideles ; ita *S. Hier.* qui germen nominis christiani explicat, ita *For. Sasb. Pint.* ; at germen ex usu prophetico ipsum Messiam designat ; dein illi ipsi qui salvati fuerint de Israel sunt Christi fideles, ergo germen Domini quod illis sit in gloriam et exsultationem, non potest eos ipsos designare. Idem valet contra alios qui germen Domini de Iudaeis ex captivitate reducibus, de reliquiis populi electi exponunt (*S. Thom. Sanct. Grotius, Eichhorn, Ges. Kn.*) ; ex altera enim versus parte nimis clarum est reliquias distingui a germine, cum germen dicatur esse gloriae pro reliquiis. Ea quae de usu prophetico germinis adduximus sicuti ea quae de huius germinis effectibus ac operationibus iam v. 2 et in seq. dicuntur, sententiam quoque eorum excludunt, qui primo et per se Zorobabelem et sub eius imagine et typo demum Christum annuntiari volunt (cf. *Calm.*). Neque sufficit dicere cum *Naeg.* omnes fructus et effectus messianicos ac divinos voce germinis declarari : obstant enim loci ex Isaia allati, in quibus

tali nomine ipse Messias designatur, obstat ipse loquendi modus hic usurpatus ; neque enim adeo apte dixeris : fructus et opera divina erunt sublimitati et decori populo Dei, aptissime vero ea locutio de Messia usurpatur, de redemptore ac liberatore ; obstat nexus cum 2, 11. 17 quo exaltationem Domini directe et per se enuntiari omnino suadetur. Porro cum v. 2 una enuntiatio complexa contineatur, etiam *fructus terrae* de eodem dici debet, de quo dictum est germen. Sententia enim in priore membro incepta in altero demum absolvitur et uti germen, ita fructus terrae dicitur esse gloriae et exsultationi reliquiis Israel. Quare explicatio de uberrimis terrae frugibus (ita volunt *Hofmann, Ges. Cheyne*) admitti nequit et iam ipsa promissionis magnificentia excluditur, fructus enim et fruges non sunt sublimitati et ornatui decorive comedentibus, etsi verum est quod illi urgent, tempus messianicum etiam terrae fertilitate commendari apud prophetas (Os. 2, 21. Ioel 3, 18. Am. 9, 14 etc.). Neque iure dixeris : terrae fertilitatem laudi habitantibus verti, cum sit indicium beneplaciti divini et sanctitatis incolarum ex indole veteris foederis ; nam utut id vere dici potest, hoc loco tamen verbis prophetae nullo modo indicatur. Messiam h. l. etiam *de Lagarde*, Semitica I p. 9 agnoscit.

Apud LXX legitur ἐπιλάμψει ὁ θεὸς ; legit igitur interpres *verbum* צְבִי idque ex notione apud *Syros* obvia *fulsit, splenduit* (cf. *Bernstein*, Lex. syr. chrestom. Kirsch. p. 421 vel vide in bibliis syr. Hebr. 1, 3) explicavit, *Syrus* vertit: et erit ortus (apparitio, manifestatio) Domini in gloriam et honorem. In Deo qui splendescet Messiam designari, *S. Basil.* et *Cyr.* docent, splendebit autem ἐν βουλῇ in consilio i. e. « certo iudicio et consilio, non inconsulte aut effuse id quod ex iudicio bonum est tribuens » (*Basil.*) vel « prudenter omnia faciet et cum sapientia ipsi competenti » (*S. Chrys.*).

Iam explicatur quid iudicio divino efficiendum sit et qualem gloriam Messias praeprimis in suos sit effusurus ; aderit vera sanctitas (cf. 1, 26), ergo conditio a priore (cf. 2, 6 seq. 3, 9 seq.) omnino diversa ; v. 3 « *et erit omnis qui relictus fuerit in Sion et residuus in Ierusalem sanctus vocabitur, omnis qui scriptus fuerit in vita in Ierusalem* » ; — notatu dignum est, iam v. 2 et hic repetitis vicibus inculcari *reliquias* salvas fore, reliquias scil. secundum electionem gratiae (Rom. 11, 5 ; *S. Basil.*). Tempus Messiae vera sanctitate fore conspicuum, continuo apud prophetas asseritur (cf. ad Os. 2, 19 ; 3, 5. Mich. 4, 2 ; 7, 18. Soph. 3, 17. Zach. 3, 3 ; 13, 1 ; 14, 20)[1] ; vocabuntur sancti i. e. erunt sancti eorumque sanctitas ita nota erit, ut tali nomine appellentur et voce hac sibi propria ab aliis distinguantur. Hac ratione per Messiam

1. Inde simul elucet, apostolos dum Christifideles sollemni appellatione sanctos vocitent Rom. 1, 7; 12, 13; 15, 25; 16, 15. 1 Cor. 1, 2; 6, 1; 14, 33. 1 Petr. 1, 16; 2, 9. Iud. 3. Apoc. 13, 7 etc.), ipso nomine iam declarare periodum messianicam.

sanctitas Dei in terra refulget et canticum seraphicum quod Isaias in sua ad munus propheticum electione audivit (6, 3), terram fore plenam gloria Dei ter sancti, opere impletum iri ostenditur. Ab hac autem sanctitate divelli nequit alterum illud, ut quis *scriptus fuerit ad vitam in Ierusalem* (hebr.). Est enim Ierusalem, uti Ps. 86 canitur, mater populorum ; omnes quos Deus tamquam suos agnoscit et in suorum militum cultorumque censum refert, in Ierusalem natos esse et Sionis cives exsistere oportet. Qui ista civitate donatur, *ad vitam* scribitur, quia nativitas illa et civitas veram vitam coram Deo largitur et titulum iuris ad vitam coram Deo sempiternam confert. Scriptio autem haec analogice dicitur ad similitudinem genealogiarum, quibus probandum erat quo quis iuris titulo frueretur (cf. Esdr. 2, 62). Uti supra 2, 3 qui salutis participes esse volunt, ad domum *Dei Iacob* ascendere dicuntur, ita hoc loco ii quibus Messias gloriae et exsultationi futurus est, in Ierusalem ad vitam scribi debent i. e. cives debent esse Ierusalem, cives scil. theocratiae ; huic theocratiae debent adscribi, ergo ad eam externo etiam et visibili modo pertinere ita, ut tamquam tales cognosci et ab aliis dignosci possint. In Ierusalem autem, uti Ps. 86 praesertim ex verbis hebraeis edocemur, nova donantur nativitate : omnis qui natus est ibi et solum qui natus est ibi, in libros et censum Domini refertur. Egregie ergo adumbratur renascentia spiritualis, qua quis civis efficitur theocratiae. Cum dicatur *scriptus est*, sua sponte quoque admonemur libri vitae (cf. Ex. 32, 32. Dan. 12, 1. Phil. 4, 3. Luc. 10, 20. Hebr. 12, 13) — unde multi verba ea explicant de praedestinatis (*Malv.* qui affert Act. 13, 48 ; *Mald. For. Mar. Sasb.* ; sim. iam *S. Basil. Euseb. Cyr. Theod.*), idque eatenus vere, quia demum ii soli qui metam attingunt beatissimam stabili ratione scripti sunt ad vitam vel inter vivos (cf. *Lap. Men. Calm.*). Verba sane ita seliguntur, « ut scias non fortuito casu salutem nactos esse eos qui periculum effugerunt, sed coelestis sententiae decreto munitos etiam in mediis malis non captos fuisse » (*S. Chrys.*).

Denuo effertur « modus sanctificationis » (*S. Thom.*) i. e. qualiter et a quo sanctitas illa sit efficienda, per Dominum scil. sanctitatis auctorem et ultorem omnis iniquitatis ; ideo v. 4 « *si abluerit Dominus sordes filiarum Sion et sanguinem Ierusalem laverit de medio eius in spiritu iudicii et spiritu ardoris* » ; — idem duo ordines recensentur, qui v. 12 ; *sanguinem* de caedibus et variis iniustitiis dici planum est et designari perversitatem exactorum (cf. 1, 15) Deus, ignis consumens (Deut. 4, 24), iudiciis suis et castigationibus peccatorum maculas exuret et purgabit ; cf. 1, 25 « excoquam ad purum scoriam tuam » (cf. *S. Cyr. Chrys. Theod. Haim. Sanct. For. Tir.*). Hoc sensu igitur spiritus iudicii est punitio, vindicta, ultio ; idemque est spiritus ardoris vel com-

bustionis, ignis scil. urentis, purgantis et excoquentis [1]. Cernit *S. Thom.* in iudicio aequitatem poenae, in ardore tribulationis acerbitatem. Verba eo aptiora sunt quia Deus revera per spiritum suum i. e. ope gratiae qua in homines agit peccata emundat et infusione gratiae corda purgat. Quare latiore quodam sensu dici potest cum *Euseb.* : « consideres velim annon hic sermo apprime conveniat cum evangelico illo testimonio de Servatore nostro : ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne » sim. *S. Hier. Basil. Theod. Cyr. Theodorus heracl. Malv. Lap.* Hunc spiritum divinum cordibus infundit, « quo quidem homines a libidine et immanitate ad iustitiae et benignitatis summum studium traducet humanasque mentes cupiditate rerum coelestium atque divinarum acriter inflammabit » (*Osor.*).

Hisce ulterius adnectitur, quomodo gloria et exsultatio futura sit salvatis v. 5 « *et creabit Dominus super omnem locum montis Sion et ubi invocatus est, nubem per diem et fumum et splendorem ignis flammantis in nocte ; super omnem enim gloriam protectio* » ; — hebr. *super omnem locum montis Sion et super coetum eius* [2] (cf. 1, 13) i.e. super omnes qui ibi in monte Sion coetus sacros celebrant, ad montem domus Dei ascendunt. Mons enim, uti fert vaticinium 2, 2-4, sacrae theocratiae sedes est ad quam nationes congregantur. Mons ergo Sion et sacer eius coetus nihil aliud est nisi haec theocratia ex omnibus gentibus coalescens. Iste populus Dei iisdem fruitur favoribus et beneficiis divinis, quibus olim Israel ex Aegypto est liberatus et per desertum ductus ; immo maioribus. Prophetam enim alludere ad nubem et flammam ignis qua olim Deus populum suum ex Aegypto deduxit, manifestum est (cf. Ex. 13, 21 ; 14, 19 ; 40, 34. Num. 9, 15 ; 14, 14). Nubes illa et fumus quo templum Salomonis in die dedicationis implebatur (3 Reg. 8, 10) Deum peculiari ratione inter populum suum inhabitare eique praesentem assistere demonstravit. Operuit nubes tabernaculum foederis (Num. 9, 15 seq.) vel requievit in alis cherubim super arcam foederis (unde Deus sedens super cherubim dicebatur ; cf. 1 Reg. 4, 4. 2 Reg. 6, 2). Tum autem illam dicit expansum iri super omnem locum montis Sion et super coetum eius i. e. super omnem theocratiam, quae tota sanctuarium Dei est, ita ut remoto velamine veteris foederis omnibus pateat accessus ad Deum. Iam inde collige quantum praestet nova theocratia prae vetere. Nubes illa

---

1. Explicari quoque potest spiritus perditionis vel internecionis, quia בִּעֵר in *piel* saepe notione auferendi, delendi adhibetur; cf. Num. 24, 22. Deut. 13, 6; 17, 7. 12; 21, 21; 22, 21. 22. 24 etc. vide *Reinke* l. c. p. 81; *Bred.*

2. Vel ut codices multi et editiones legunt in numero plurali *coetus eius*; cf. *de Rossi.*

symbolum Dei praesentis non in solo requiescit sanctuario, verum omnem theocratiae regionem obumbrat, ergo omnem eius regionem ad sanctuarii dignitatem consecrat et elevat. Uti Deus populo israelitico suam praesentiam insigni modo exhibuit ac demonstravit, ita populo novi foederis i. e. temporis messianici etiam excellentiore ratione exhibebit. Et revera quidem, uti vetus sanctuarium symbolo illo erat dedicatum, ita templa nostra vera Christi Domini in s. Eucharistia praesentia sunt consecrata. Per nubem illam in deserto Deus populo viam demonstrabat; « Dominus autem praecedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis et per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore » (Ex. 13, 21); per nubem eos protegebat « expandit nubem in protectionem eorum » (Ps. 104, 39).

Proinde in nova quoque theocratia aderit quo certo et tuto atque modo omnibus claro et perspicuo via demonstretur tempore peregrinationis ad patriam coelestem, aderit insignis divina protectio : *super omnem gloriam protectio* i. e. haec theocratia gloriosa, in qua divina gloria resplendet et quae propterea ipsa vocatur *gloria*, excellentissimo modo opem divinam et protectionem habebit; eamque propheta alterius describit v. 6 « *et tabernaculum erit in umbraculum diei ab aestu et in securitatem et absconsionem a turbine et a pluvia* » ; — i. e. ea protectio erit instar tabernaculi quod Deus condidit, ut sit umbraculum ab aestu diei gratam praebens umbram et refrigerium ab aestu, ut sit simul refugium ac securum receptaculum et operimentum, quando imbres et pluviae ingruunt. Erunt igitur in nova quoque theocratia tempore peregrinationis *aestus* et *nimbi*, hostes varii et pericula, quibus theocratia obiicitur. Sed adversus omnes impetus hostiles tutum praebet refugium *tabernaculum* Dei. Videtur quidem tabernaculum esse fragile aliquid et humile neque satis aptum ad arcendos imbrium ac turbinum impetus; at cum posuerit illud Deus qui infirma eligit, ut confundat fortia, etiam hic valet illud : quod infirmum est Dei fortius est hominibus. Hac enim appellatione egregie designatur Ecclesia Dei, vera illa theocratia, quae inermis quidem ac debilis et bellico apparatu destituta videtur, at protectione Dei munita omnibus armis evadit fortior ; ea imagine adumbratur quod explicatius legimus apud Ezechielem, qui hostes theocratiae ita loquentes facit : « ascendam ad terram absque muro, veniam ad quiescentes habitantesque secure ; hi omnes habitant sine muro, vectes et portae non sunt eis » (Ez. 38, 11) i. e. quae est Ecclesiae conditio ab armis et munimentis humanis aliena, hostes quasi alliciuntur, ut audacius ac fidentius in eam irruant ; at, uti h. l. iam *Theod.* monet, portae inferi non praevalebunt adversus eam.

Hisce species illa ac forma Ecclesiae 2, 2-4 proposita praeclare absol-

vitur : docetur enim in ea adfore insigni quadam ratione praesentiam ac gloriam Dei, adfore eximiam sanctitatem ac protectionem divinam, qua omni impetu hostili evasura sit superior, adfore in ea demum cuncta illa quibus qui ad patriam coelestem iter instituunt indigent. « Magna quidem olim Deus praestitit veteri populo, sed multo maiora praestabit Ecclesiae suae ex omni natione congregandae, omni cura eam fovebit, peculiari auxilio defendet, omni diligentia in via veritatis diriget et in eminentiori salutis gradu collocabit » (*Sasb.*). Quae omnia bona uti a Messia redundant in Ecclesiam, ita vicissim ipsius Messiae gloriam ac sublimitatem annuntiant. Tali enim theocratia constituta Messias revera erit magnificentiae et gloriae, erit sublimitati et decori omnibus suis electis, eos defendet ab hostibus et internis et externis et larga gratiarum ac consolationum fluenta iis communicabit; « ut enim vitae huius aestum et probationes quae ex tentationibus proficiscuntur atque ustiones fugiant hi qui Sion intelligibilem habitant i. e. Ecclesiam, nubis instar propemodum impendebit et protector erit Christus, ipse ignorantiae et diabolicae nequitiae dispellet tenebras, illucescens menti tamquam lux in caligine et tamquam ignis coruscatio » (*S. Cyr.*).

Aliqui v. 6 ita concipiunt : Sion erit tabernaculum (cf. *Del. Rohl.*); alii verba arcte coniungunt cum antecedentibus : super omnem gloriam erit protectio et tabernaculum in umbraculum diei etc. (cf. *Naeg.*). Sed prius non placet, quia Sion etiam in antecedentibus non est subiectum grammaticale, ergo suppletio durior est neque ullo pacto necessaria. Alterum admitti potest; sensus erit idem, at sententia exsistet iusto longior atque protracta nimis neque adeo placet dici : *super* omnem gloriam erit *tugurium* (סֻכָּה). Quare praeferri debet quod habet *vulg.* et ita textum hebr. multi concipiunt (cf. *Kn. Drechsl. Net.*). Aliter iungit *Bred.* : super omnia (erit) gloria; tegumentum et tectum erit in umbram die ab aestu etc.

g) Canticum de vinea parabolicum 5, 1-7.

Accusationem in antecedentibus propositam propheta auget ostendens quanta a Deo beneficia acceperint et quantam ingratitudinem ac perversitatem rependerint. Uti ergo vaticiniis antecedentibus praesentem rerum israeliticarum conditionem vates castigavit ex consilio divino tempore futuro adimplendo, ita nunc eam perstringit ex beneficiis olim collatis. Unde conficitur populum israeliticum maximae reprehensioni esse obnoxium, sive rerum gestarum historia spectatur, sive consilium Dei de futuro tempore consideratur. Beneficia igitur recolens accepta iisque varia peccatorum genera opponens latius exsequitur vates, quod ab initio indicaverat : filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me (1, 2; cf. *S. Chrys. Rup.*) et mosaica pene verba usurpat : haeccine reddis Domino popule stulte et insipiens (Deut. 32, 6)?

Parabola ipsa vineae ad rem illustrandam aptissima est. Est enim utpote a re notissima petita ad omnium sensum et intelligentiam accommodata, et cum iam carmine mosaico haec ad populum Dei accommodatio et rerum israeliticarum illustratio omnibus effecta sit familiaris, non sine emphasi ea ad animos commovendos utitur propheta. Quare alii quoque prophetae mosaicam hanc parabolam in medium afferunt (cf. Os. 10, 1. Ier. 2, 21. Ez. 15, 2) eamque demum ipse Christus usu et explicatione sacravit (Matth. 21, 33).

Utitur vates prooemio ad sermonem parabolicum accommodato, quo audientium animi attenti reddantur; profitetur vates se referre carmen a *dilecto* secum communicato vel quod dilectus eius amicus canere solebat v. 1 « *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineae suae* »; — hebr. *cantabo dilecto meo* (vel *de dilecto meo*) *canticum dilecti de vinea eius;* prooemium satis aenigmaticum est; sed eius obscuritas consulto quaesita videtur, quo magis attentio provocetur. Verba quidem per se nihil aliud dicere videntur nisi proferri ac decantari carmen in honorem dilecti alicuius amici, quod ipse de vinea sua cantaverit (cf. *Calm.*) vel saltem cantare possit, narrari igitur de vinea rem quae amico contigerit. Sed cum iam v. 3 media in parabola non aliquis amicus vatis loquatur, verum rem agi inter Deum et populum satis distincte innuatur, idque demum v. 6 « et mandabo nubibus » et v. 7 sine ulla controversia clarissime statuatur, ad totius parabolae unitatem, concinnitatem immo etiam dignitatem pertinere videtur, ut statim ab initio vates hanc Dei causam et querelam ob oculos habuisse censeatur eamque ipsis illis verbis innuisse credatur. Quare *dilectus* erit ipse qui vineam plantavit et vineae possessor est i. e. ipse Dominus; canticum simul est *eius* canticum, quia id refert quod ipse Dominus de hac sua vinea et cogitavit et statuit. Propheta autem, utpote os Domini eiusque interpres et in familiare Dei consilium admissus, id proponit quod a Deo accepit et audivit, Dei verba ad populum perfert; quare canticum Domini canit; studia autem Dei eiusque opera annuntians simul laudem Dei et gloriam egregie praedicat et notam facit; unde optime dicit : *cantabo dilecto meo* i. e. in eius laudem, pro eius gloria aliis manifestanda, ad praeconia Domini palam annuntianda.

Deum esse *dilectum* illum, iam rite statuunt *S. Ephr.* et *Barh.;* plerique tamen *Christum* intelligunt; ita v. g. *S. Basil. Cyr. Theod. Pint. Sasb. Est. Mar. Lap. Men. Tir. Gord.*; sed si verbis prophetiae inhaeremus, ex v. 7 Dominus, *Iahve*, vineae possessor est, ergo ipse proxime et per se vocatur *dilectus* (cf. *Troch. Rohl.*). Duas explanationes proponit *S. Hier.* : « dilectus (Christus) carmen lugubre fecit vineae suae quod ego cantabo dilecto et miserabili populo meo; vel certe ita intelligendum : cantabo omnipotenti Deo patri canticum

Christi qui est patruelis meus, hoc est, ex eadem mecum gente generatus ». Etiam *S. Chrys.* et *S. Thom.* populum Israel interpretantur *dilectum* ; sed cum statim sequatur : « vinea facta est dilecto meo » et vinea sit domus Israel, haec explicatio nequit admitti ; neque concedi potest vocem *dilecti* semel ad Deum et semel ad populum referri, quia omnis concinnitatis ratio tali usu arbitrario destrueretur. Vocem hebr. דוד *S. Hier.* hoc loco secutus Aquilam (qui πατράδελφον interpretatus est) exposuit *patruelem* ; alias, uti in Cant., etiam *dilectum* vertit. Cum in altero membro hebr. ל certe significet, de qua re carmen instituatur, scil. de vinea eius, aliqui etiam in priore membro explicandum esse censent *de dilecto meo cantabo* (cf. *Kn. Naeg.*). Sed dubito, num ratio haec ex secundo membro deprompta iam statim valeat de priore. Est enim magis obvium ut in exordio sententiae particula illa in sua notione communissima relinquatur, quam sane statim ei quivis attribuit simulac audierit *cantabo ;* in altero utique ipsa re et argumento notio magis generalis et usitata ad certam quandam rationem significationis restringitur ; id autem in priore membro non per se innotescit. Alii exponunt : cantabo Dei personam suscipiens (*Mald.*), nomine et iussu Dei (*Drechsl.*). Etiam latinum *vineae suae* esse explicandum *de vinea*, iam statuunt *S. Thom. Mald. Sa* etc.

Proponitur quam exquisita cura et sollicitudine vinea illa fuerit plantata et culta, quae tamen contra exspectationem egregie fefellit omnem exspectationem : « *vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei;* v. 2 *et sepivit eam et lapides elegit ex illa et plantavit eam electam et aedificavit turrim in medio eius et torcular exstruxit in ea et exspectavit ut faceret uvas et fecit labruscas* » ; — vinea plantata est in loco vitibus quam maxime opportuno ; in cornu i. e. in colle, ut ita vinea solis calori et radiis sit exposita; iste collis erat *filius olei* i. e. pinguedinis, locus scil. pinguis et uber, talis scil. humus quae uvis gignendis fuerit quam aptissima. Ad haec naturae commoda accessit industria possessoris : fundum diligenter *sepivit*, macerie circumdedit, ut animalium nocivorum incursus vel etiam hominum inimicorum iniurias arceret, ne quod damnum plantationi inferretur, ad quod v. g. cf. Cant. 2, 15 : « capite nobis vulpes parvulas quae demoliuntur vineas ; vinea nostra floruit ». Fundum ita munitum et tutum etiam bene ad rem praeparavit : abstulit lapides atque ex humo extraxit, ne scil. radices vitis impedirentur et implicarentur. Humo fertili et bene praeparatae commisit optimum vitis genus ; plantavit vineam Sorec (ita vertit *S. Hier.*) i. e. eam consevit vite selectissima, generosa (cf. *Malv.*) ; « aiunt enim Hebraei Sorec genus esse vitis optimae quod uberes fructus faciat atque perpetuos » (*S. Hier.*) ; nomen ab uvis rubris seu caeruleis et nigricantibus dici volunt (cf. *Ges.* Thes. p. 1342). Porro ut vineae securitati ac defensioni prospiceretur, turrim aedificavit pro custode vineae rebusque in

vineae cultura necessariis. Atque tanta cum certitudine uberes sibi promittebat fructus, ut *etiam* (hebr.) torcular ibi excideret vel excavaret ad uvas calcandas et exprimendas. Sane aderat, cur optime speraret de vinea. Sed eheu, res aliter omnino cecidit; « cumque ex tam diligenti studio assiduoque labore uvas spectaret maturas et dulces, acerbas invenit et foetentes quae fellis instar essent et stomachum moverent ad nauseam » (*Sanct.*).

Hebr. עזק LXX transtulerunt φραγμὸν περιέθηκα et eos secutus *S. Hier. sepivit*; ita etiam aliqui ex rabbinis, quos vide apud *Ros.*; at vocem ex cognatis dialectis iam communiter explicant *fodere, rastro fodere et subigere*; cf. *Ges. Ros. Malv. Rohl. Naeg. Net. Del.*, quam notionem iam *Syrus* ob oculos habuit, dum *laboravit* vel *coluit eam* vertit. — Verbum סקל dicit *lapidare, lapidibus obruere*; formam in piel h. l. plerique explicant cum *S. Hier.* lapides removere, agrum *exossare* (ut *Persius* loquitur in satyr. 6, 52; cf. *Sanct. Bauer*); LXX vere intellexerunt *lapidibus communire*, habent enim ἐχαράκωσα hancque notionem sequendam esse docent *For. Doederlein, Koppe*, uti eandem iam *Syrus* quoque amplexus est. Sed ex 62, 10 apparet, retinendam esse omnino versionem communiter acceptam : lapidibus vacuum fecit. Notat *S. Hier.* : « et plantavit eam vineam Sorec, quam solus Symmachus *electam* interpretatus est, non verbum e verbo, ut mihi videtur, exprimens, sed sensum qui tenetur in verbo. Denique Sorec a quibusdam καλλίκαρπος interpretatur, quod nos in pulcherrimos fructus vertere possumus... pro labruscis quas nos vertimus, in hebr. scriptum est *busim* (בְּאֻשִׁים), quod Aquila interpretatus est σαπρία; i. e. *fructus pessimos*; Symmachus ἀτελῆ, hoc est, imperfectos, LXX et Theodotio *spinas* ».

Tot ac tanta cum frustra essent impensa, non sine indignatione omnes coram appellat, ut iudicium ferant v. 3 « *nunc ergo, habitatores Ierusalem et viri Iuda, iudicate inter me et vineam meam!* v. 4 *quid est quod debui ultra facere vineae meae et non feci ei? an quod exspectavi ut faceret uvas et fecit labruscas* »? — cum iam supra 3, 14 populus vineae sit comparatus (« vos depasti estis vineam meam »), sensus parabolae de vinea tanto cum studio culta sed fructus reddente pessimos (cf. 1, 2; 2, 6 seq.) latere non potest. Et si quos fugisset, iam sollemnis haec appellatio et attestatio, qua omnes regni iudaici incolae advocantur ad iudicium ferendum, non agi rem privatam, verum Dominum acerbe conqueri de populo ingrato manifesto declarat. Ea autem accusatio tanto maioris est ponderis, quia ita fertur, ut ipsa sana ratione duce rei se ipsos criminis insimulare et convincere debeant. « Magna iuris copia, cum ipsos reos constituit iudices inter ea quae ipse et inter ea quae illi fecerant » (*S. Chrys.*); nam « non alia ratione melius causae aequitas ostendi potest, quam si actor ipsi reo sententiam ferendi potestatem faciat » (*Men.*). Ita egisse monent Nathan ad David quem per parabolam interrogat, « ut dum de alio iudicat, de se promat sententiam » (*S. Hier.* sim. *S. Basil.* aliique). Vim interrogationis late

expendit *S. Cyr.* : « prodeant qui inter vos sunt sapientes, iudicent inter me vineae dominum et ipsas vites. Quid igitur boni illis defuit, ut inutiles fierent? Si enim rerum ad usum necessariarum quidpiam a me qui plantaveram forte praetermissum fuerit, causae nihil dicam nec poenas exigam. Cum vero rebus eam utilibus plenam nulliusque rei indigam fecerim, spinas tamen pepererit, quae tandem a iudice feretur sententia? num inertem, num desidiosum agricolam dicet? an potius illos accusabit... » ? In hebr. ultimum membrum effertur simpliciter : *cur exspectavi... et fecit labruscas*? Eodem modo ergo intelligendum *an quod exspectavi* i. e. an quid est quod exspectavi? quid ergo causae habuit, ut meam exspectationem falleret (*Mald. Malv. Sa, For. Calm.*)? Parumper alio modo verba concipit *S. Hier.* : « nisi forte in hoc erravi, quod pro labore meo exspectavi, ut uvas faceret, non labruscas, quas inculta ac deserta vinea afferre consuevit » ; sensus : an forte in hoc peccavi quod de vinea tam bene culta bene speravi? quem *Lap. Men.* etc. etiam sequuntur, emphasin habet, sed ab hebr. recedit.

« Illis tacentibus sibi ipse respondet » (*S. Hier.*), quam orationis formam admiratione non carere *S. Cyr.* sentit : v. 5 « *et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineae meae : auferam sepem eius et erit in direptionem; diruam maceriam eius et erit in conculcationem;* v. 6 *et ponam eam desertam; non putabitur et non fodietur et ascendent vepres et spinae, et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem* » ; — arbitri illi vocati tacent culpae conscientia pressi; Dominus cum gravi indignatione sententiam fert (quae in hebr. cum quadam emphasi v. 5 infinitivis absolute positis declaratur) : primo munimenta aufert; quo facto vastationi et direptioni patebit, *sepem* ex vepribus, maceriam i. e. murum ex lapidibus, qua duplici defensione vinea protegebatur, removet; tum erit depraedationi et ita conculcationi. Dein nulla iam cura ei impendetur; nulla cura vitibus, nulla humo; ita per se silvescet et quod maledictionis signum et indicium est (Gen. 3, 18), spinas solum et tribulos proferet; verum ne silvescere quidem ei licebit cum luxuria quadam et copia; quare imbribus prohibitis etiam silvae desertique fecunditas ei denegatur. Qui nubibus praecepta dat, Dominus est; quare quae sit parabola tum ex his, tum ex aliis iam patet; patet enim v. g. ex iudicio de vinea instituto, ex accusatione contra eam prolata, ex fructibus qui optimo semine sparso enati sunt, demum ex poenarum genere et modo in vineam pronuntiato. Quae omnia satis ostendunt, agi de populo Israel, de vinea quam ex Aegypto transtulit Dominus (Ps. 79, 9) sed quae facta est de vinea Sodomorum et de suburbanis Gomorrhae, uva eorum uva fellis et botri amarissimi (Deut. 32, 32).

Post talem praeparationem parabolam de se iam satis lucidam et ab

omnibus intellectam denuo verbis propriis explicare nihil aliud est quam repetitis ictibus animos ingratorum pulsare et contumaces et obduratos confusione et reprehensione onerare ; v. 7 « *vinea enim Domini exercituum domus Israel est et vir Iuda germen eius delectabile, et exspectavi ut faceret iudicium et ecce iniquitas, et iustitiam et ecce clamor* » ! — *enim* explicationis particula est : omnia quae dicta sunt et in parabola proposita opere vel completa sunt vel complebuntur in domo Israel i. e. in toto populo, in familia ab Israel vel Iacob propagata ; haec quippe familia i. e. totus populus vinea est Domini (cf. *S. Chrys. Theod. Sanct. Osor. Mald. Lap. Troch.*), sed in hac gente peculiari cura et dilectione amplexus est et insignivit *virum Iuda*, cui propterea nomen indit *plantationis deliciarum*, in qua suas quasi delicias constituit, quae ipsi erat in deliciis (cf. *Lap.*). Iuda enim, ut *S. Chrys.* rem declarat, « plus obtinuit quam ceterae tribus, eratque illic e vicino situm templum et reliquus cultus, atque illa tribus magis quam ceterae omnes florebat ad regiamque magis accedens potentior erat » ; Iudae enim insignius prae ceteris vaticinium iam a patriarcha Iacob datum (Gen. 49, 10), ex Iuda Deus elegit sibi principes, in Iuda collocavit thronum aeternum (cf. 2 Reg. 7, 14. 1 Par. 28, 4), ex Iuda demum Messias erat orriturus, filius David. Hisce igitur in Israel et Iuda impensis Dominus *exspectavit* (hebr.) iustitiae studium ; adest in hebr. « elegans structura sonusque verborum » (*S. Hier.*), duplex scil. paronomasia quae neque graecis verbis neque latinis exprimi potest (*Mald. Mar. Calm.*)[1] . Audiamus *S. Hier.* : « volumus latinis insinuare auribus quod ab Hebraeis didicimus : iudicium apud eos appellatur *mesphat* (מִשְׁפָּט), iniquitas sive dissipatio, ut interpretatus est Aquila, *mesphaa* (מִשְׂפָּח) ; rursum iustitia dicitur *sadaca* (צְדָקָה), clamor autem appellatur *saaca* (צְעָקָה) ; una itaque vel addita litera vel mutata sic verborum similitudinem temperavit, ut pro *mesphat mesphaa* et pro *sadaca* poneret *saaca* ». Cernitur scil. pro iure et iudicio effusio sanguinis — ita alii vocem hebr. explicant ; cf. *Ges. Ros. Doederlein, Drechsl. Kn. Naeg. Bred. Troch.* — vel direptio et rapina (*Del.*) [2] vel generatim ἀνομία (LXX,

---

1. Eam paronomasiam imitari conati sunt : exspectavi aequitatem et ecce iniquitas, iustitiae dispensationem et ecce dissipatio (*Lap.*); ich harrte auf des Rechtes Hut, aber siehe des Gerechten Blut, und auf des Gerichtes Heil, aber siehe da über Gericht Geheul (*Schegg*); Recht-Unrecht; Gerechtigkeit-Schlechtigkeit (*Ges.*); gerechtes Wort-Mord; Mild-Unbilde (*Kn.*); Rechtschaffung-Zusammenraffung; Gerechtigkeit-Wehgeschrei (*Del.*); Gutthat-Blutthat (*Naeg.*). *Troch.* notat : il y a dans l'hébreu un jeu de mots intraduisible, qu'il faut lire dans le texte ou dans le commentaire de saint Jérôme.

2. Ex notione *aggregandi* (?) cf. Is. 14, 1. 1 Sam. 2, 36; 26, 19. Alii ex Lev. 13, 6. 7. 8 etiam nostro loco explicant *de scabie*, de sordibus peccatorum vel de plaga aliis inflicta; verbum interpretantur ex ספח.

Rohl. Net.), et pro iustitiae administratione et recta rerum gubernatione non auditur nisi clamor oppressorum, quibus iustitia et ius denegatur impietate, avaritia, crudelitate iudicum et principum (cf. *Mar. For. Malv. Tir. Lap.*). Alii *clamorem* latius accipientes vel de furore et impetu peccatorum explicant vel speciatim de illis sceleribus quae ad coelum clamare dicuntur (cf. *Euseb. Sanct. Lap. Calm.* secundum ea quae Gen. 4, 10 ; 18, 21 ; 19, 13 habentur) ; sed cum clamor opponatur *iustitiae,* optime intelligitur clamor pauperum et oppressorum (Ps. 9, 13 ; cf. 1, 15 ; 3, 12-15).

Explicatione v. 7 summatim proposita ut singula quoque quae de vinea dicta sint, ad populum applicentur, haud obscure invitamur. Quare id interpretes minime omittunt. Iam *Chald.* ipsa paraphrasi hanc facit applicationem : populus meus dilectus Israel, dedi eis hereditatem in monte excelso, in terra pingui ; et sanctificavi eos et honorificavi eos et sustentavi eos sicut plantationem vitis electae et aedificavi sanctuarium meum inter eos et etiam altare meum dedi ad propitiandum super peccata eorum et praecepi eis ut facerent opera bona coram me... etc. Atque revera parabola ad conditionem Israelitarum adumbrandam valde est accommodata. In terra pingui facile cernes Palaestinam designari. Et revera, ut scribit *S. Hier.*, nihil terra repromissionis pinguius, si non montana quaeque atque deserta, sed omnem illius latitudinem consideres a rivo Aegypti usque ad flumen magnum Euphratem contra orientem et ad septemtrionalem plagam usque ad Taurum montem et Zephyrium Ciliciae, quod mari imminet. In *cornu* autem simul cum fertilitate locum munitum atque tutum adumbrari iure censebis (cf. *S. Basil. Chrys.*) vel quod aliis praeplacet, regiam potestatem ac potentiam populo concessam, cum cornu symbolum sit potentiae atque dominationis (*S. Hier. Euseb. Theod.*). Hanc autem plantationem Deus sepe cinxit i. e. lege sua atque praeceptis circumdedit atque communivit (*S. Ephr. Basil. Cyr. Barh. Pint. Men. Calm.*) vel sua providentia atque patrocinio (*S. Chrys.*) vel auxilio angelorum singulari ratione protexit (cf. *S. Hier. Euseb. Cyr. Herv. Tir.*). Lapides ex vinea elegit i. e. vel divini cultus impedimenta et offendicula removit (*S. Hier. Pint.*) vel alias gentes canaaniticas impias ex ea terra Deus delevit et expulit (*Herv. Sanct. Men.*), uti dicitur Ps. 43, 3 : « manus tua gentes disperdidit et plantasti eos ». Vineam autem vite electa atque praeclarissima consevit i. e. primos ei concessit patriarchas aliosque viros eximios, sacerdotes, iustos, nasiraeos a quibus omnes omnium virtutum exempla et incitamenta desumerent (*S. Ephr. Barh. Pint. Sasb. Men.*), vel « Scripturam divinitus inspiratam et piae religionis sermonem vel etiam ipsum Dei Verbum, quod in evangeliis haec de se docet ac loquitur : ego sum vitis vera ; ex ipso quippe prior etiam populus divinarum disciplinarum plantationem accepit » (*Euseb.*). In vinea turrim exstruxit i. e. templum in civitate collocavit « tamquam turrim quandam et hospitium Dei » (*S. Cyr. Hier. Basil. Barh. Pint. Tir.*), vel regnum et iudicium instituit (*S. Ephr.*) vel doctores providit et pastores qui quasi in specula constituti vineam a furibus custodiunt (*Men.*) ; torcular autem plerique al-

tare holocautomatum intelligunt (*Euseb. S. Hier. Ephr. Theod. Barh. Herv. Men.*) ; « sicut enim ad torcular omnes uvae comportantur atque calcantur, ut ex eis exprimatur vinum, sic altare omnis populi suscipit fructus et immolatas hostias devorat » (*S. Hier.*).

Haec omnia suo modo ad unamquamque animam applicari rite posse, iam bene docet *S. Hier.* : « cuncta quae dicuntur de vinea possunt et ad animae humanae referri statum, quae a Deo plantata in bonum non uvas attulerit sed labruscas et postea sit tradita bestiis conculcanda, nec divinum imbrem susceperit doctrinarum, quia praeterita dona contempserit ».

Quid minae v. 6 prolatae sibi velint, in sequenti parte capitis enucleatius declarabitur. Ultimum innui synagogae excidium et derelictionem verba ipsa suadent (cf. *S. Hier. Cyr.*). Censet *S. Basil.* has minas non esse rei certo eventurae denuntiationem sed proferri veluti comminationem eius qui a peccato avocare velit, simili modo, quo Deus apud Ieremiam testetur, se repente loqui mala adversus gentem ; sed si conversi fuerint, etiam se mala illa minime esse inflicturum (Ier. 18, 6-10). Id eo sensu verum est, quia Deus, ut adnotat *S. Hier.*, ideo truculenta quaedam et aspera comminatur, ut conversi ad poenitentiam imminentia tormenta devitent. Et sane priusquam mala inferat et puniat, minatur Deus se esse puniturum, ea mente, ut conversi ad poenitentiam ab imminentibus periculis liberentur (cf. *Pint.*). Poena quam minatur sincera conversione differri potest, uti ex Ier. 26, 19 elucet ; sed si scelera priora instaurata fuerint, etiam minae priores instaurantur. Igitur in hisce quoque norma quaedam generalis Dei proponitur quae ab omni temporum conditione libera et absoluta valet et demum effectu suo certo certius potietur, quamvis per quot gradus et veluti intervalla ad terminum sit provehenda, in ipsa dictione prophetica minime contineatur.

h) Vae avaris et voluptuosis 5, 8-17.

In subsequentibus quae ad antecedentia arcte adnectuntur exponitur, quae sint labruscae a vinea prolatae vel quae sit iniquitas (v. 7) ; recensentur sex ordines sceleratorum totidem *vae* distincti et hisce intermixta affertur vastationis et depraedationis descriptio quae vineae est praedicta (v. 6).

Initium fit a sacra auri fame, quae facile omne iniustitiae genus sibi adiungit ; est enim « radix omnium malorum cupiditas » (1 Tim. 6, 10) ; quod vitium quantum in eos dominatum sit, iam ex 3, 14. 15 elucet et ex similibus Michaeae querelis (2, 2 ; 3, 2) colligitur : v. 8 « *Vae qui coniungitis domum ad domum et agrum agro copulatis usque ad terminum loci ! numquid habitabitis vos soli in medio terrae* » ? — bene describitur insatiabilis habendi ac possidendi cupido ; domos, agros ii soli cupiunt habere ; possessiones oppressione aliorum et rapinis (v. 7) augent, extendunt, *donec locus non supersit* (cf. hebr.), donec totum spatium totamque regionem occupaverint *et collocati sitis vos*

soli in medio terrae (hebr.). Lege vero mosaica et anno iubilaeo instituto cautum erat ne qua familia perpetuo sua hereditate spoliata in pauperiem redigeretur (Lev. 25, 25 seq.); sed illi qui vineam Domini depascuntur (3, 14) ceteris exspoliatis omnia ad se rapere conantur, quamvis « maledictus qui transfert terminos proximi sui » (Deut. 27, 17).

Qualis autem maledictio obventura sit, annuntiatur modo sceleri congruo : peccarunt domorum agrorumque cupiditate et rapina, iisdem punientur v. 9 « *in auribus meis sunt haec : dicit Dominus exercituum : nisi domus multae desertae fuerint, grandes et pulchrae absque habitatore !* v. 10 *decem enim iugera vinearum facient laguncuIam unam et triginta modii sementis facient modios tres* » ; — hebr. *in auribus meis* (dicit) *Dominus exercituum* i. e. mihi revelavit, me audiente clare minas illas et iuramentum protulit. Eodem modo verba latina concipi debent ; scribit praeterea *S. Hier.* : « in auribus meis sunt haec Domini exercituum, id est : verba quae locutus est Dominus adhuc resonant in auribus meis » ; et ita rite explicant *Haim. Mald. Malv. Schegg, Rohl. Net. Del. Naeg.* praeeunte iam *Chald.* : « dixit propheta : in auribus meis accepi nuntium, si quidem decretum est hoc a facie Domini exercituum ». Alii scelera illa ad aures Domini pervenisse, eorum quasi clamorem aures Domini tetigisse explicant ; ita verba concipiunt LXX, *S. Ephr. Sanct. Pint. Mar. Lap. Men. Calm.* ; sed ex textu hebr. prior explicatio sola colligitur. Iureiurando igitur (*nisi*) Dominus suam obstringit fidem fore, ut domorum multitudo corruat, ut variis calamitatibus tam pauci relinquantur homines, ut ipsa grandia palatia non inveniant habitatorem vel potius fore, ut domus et palatia ruinis ac vastitate concidant. Ruent autem etiam ex eo quia terram maledicto sterilitatis a Deo percussam incolae derelinquere ac fugere coguntur. Ita in v. 10 כי *quia* ; iugum vel iugerum agri illud spatium agri vocatur quod uno boum iugo per unum diem arari potest. Decem igitur talia spatia vitibus consita non afferent nisi *unum bath* (hebr.), quae mensura (docente *Flavio Iosepho*, Ant. 8. 2, 9) sextarios romanos septuaginta duos capiebat vel secundum rabbinos tantum, quantum 432 uvis contineri potest ; dein semen tantum quantum *chomer* capit, dabit unum *epha* i. e. decimam sementis partem pro messe habebunt (ex hebr.) [1] ; epha eadem mensura est pro aridis atque *bath* pro liquidis ; *chomer* autem decem epha capiebat.

---

1. Quantae fuerint amplitudinis mensurae istae, non omnes consentiunt ; neque *Flavius Iosephus* sibi constare videtur ; cf. *Schenkel*, Bibellex. IV p. 133. Alii *bath* determinant *litris* 31, 54 (cf. *Ubaldi*, Introd. in s. Scr. III p. 687) vel 38, 88 (*Vigouroux*, Manuel bibl. I p. 241) vel 20, 1215 (*Thenius* ; cf. Bibellex. l. c.).

Divitiae pariunt voluptates; « homo quidam erat dives et epulabatur quotidie splendide » (Luc. 16, 19). Unde apte ad divitias iniustitiis congestas (v. 8) adiungitur vae in epulones et ebrios v. 11 « *vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam et potandum usque ad vesperam, ut vino aestuetis* »! — hebr. *vae, mane surgentes siceram prosequuntur, commorantes* (vel tempus protrahentes) *usque ad crepusculum, quos vinum inflammat; mane* iam incipiunt, id quod eorum est qui in omnem luxum diffluunt; cf. Eccl. 10, 16. Act. 2, 15. 1 Thess. 5, 7; et in noctem usque potationes et comessationes protrahunt. *Sicera* est, ut *S. Hier.* dicit, hebraeo sermone omnis potio inebrians sive illa quae frumento conficitur, sive pomorum succo aut cum favi decoquuntur in dulcem et barbaram potionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem coctisque frugibus aqua pinguior coloratur. Ita praecipue dici potum qui ex palmis conficitur *S. Chrys.* et *Theod.* asserunt. Praeterea vinum largiter bibunt; omni ergo potationum genere sese ingurgitant; « vinum incendit eos; excitat quippe in visceribus largiter bibentis plane quoddam incendium » (*S. Cyr.*). Calore vini iam ad omnem luxuriam accenduntur; « luxuriae se et voluptatibus tradiderunt, non solum in vescendo et bibendo, sed in aurium quoque oblectatione et in diversis musicae artis generibus » (*S. Hier.*); unde v. 12 « *cithara et lyra et tympanum et tibia et vinum in conviviis vestris et opus Domini non respicitis nec opera manuum eius consideratis* »! — notat *Iosephus* (Ant. 7, 12, 3) κιννύραν (citharam) decem habuisse chordas et plectro percuti solitum, nablon vero duodecim et tangi consuevisse digitis (cf. *For.*); tympanum, plerumque a mulieribus saltatricibus pulsatum, orbe ligneo constabat membrana obducto et crepitaculis aeneis instructo (cf. *Ges.* Thes. p. 1516). Cum igitur et animos et sensus omnes habeant voluptatibus immersos et obcaecatos, *ad opus Domini*, ad omne id quod Deus in rebus israeliticis iam fecit, ad ea quae facturus est et quae iam per prophetas annuntiat et calamitatibus portendit, verbo ad divina iudicia et consilia minime attendunt; ea et si verbis prophetarum annuntiantur caeci et surdi minime considerant. *Opus* igitur Dei omnia illa intelliguntur, quae Deus in historia populi gessit, quae mandavit, per prophetas declaravit et pro futuris quoque temporibus annuntiavit (cf. *S. Cyr. For. Sanct. Malv. Tir. Troch.*); cf. v. 19; 10, 12; 22, 11. Aciem mentis obtusam habent sua culpa, ita ut signa temporum et indicia quibus futura iudicia iam praeparantur non agnoscant neque illis moniti ad meliorem frugem revertantur. Talia v. g. in libris historicis indicantur ipso loquendi modo: « in diebus illis coepit Dominus mittere in Iuda Rasin regem Syriae et Phacee filium Romeliae » (4 Reg. 15, 37; cf. 16, 6. 2 Par. 28, 5 etc.).

Quare extremis tandem suppliciis iuremerito castigabuntur v. 13 « *propterea captivus ductus est populus meus quia non habuit scientiam, et nobiles eius interierunt fame et multitudo eius siti exaruit* » ; — condigna sceleribus rependitur poena ; luctus et captivitatis miseria pro vesana laetitia ; fames et sitis pro ingurgitatione, temulentia, conviviis lascivis. In hebr. *et gloria eius* (nobilitas, proceres) *viri* [1] *famis et turba eius arida* (erit) *siti*. Cum, ut proverbium habet, regis ad exemplum totus componatur orbis, in procerum sceleribus etiam vitia multitudinis describuntur ; et sane si duces et doctores caeci sunt et vesani, quid sperandum erit de iis qui ducuntur et docentur? Quare v. 13 *propterea* apte adiungitur ; et generatim excidii causa in principes reiicitur ; cf. Mich. 3, 12. Ier. 23, 1. Ez. 34, 2 ; peribunt propter incogitantiam, quia ab inscitia et stupore in illam intemperantiam et altioris consilii inconsiderantiam et oblivionem abducti sunt (*Sanct.*). Denuo ratio excidii affertur. Alii *absque scientia* explicant *inopinato, insperato* (cf. apud *Malv. For. Ges. Drechsl. Del. Naeg. Bred. Rohl. Net.*) ; at prior acceptio magis est emphatica et gravior, commendatur versu praecedenti et ipsa re, quia abductio in exsilium subito vel inopinato iis accidisse dici nequit ; erat enim non solum diu et saepe a prophetis praedicta, sed erat eiusmodi abductio in more posita et apud Assyrios et Chaldaeos ; unde clade facta iam non inexspectato accidit ; insuper cum populi abductio per partes et per temporum intervalla fieret, insperato totius populi abductionem evenisse nequit apte affirmari. Ipsa demum praepositio מִן (ad verbum : *ex non-scientia*) *ex, propter* huic explicationi favet. Ab lucuntur ergo, « eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae » (Luc. 19, 44. *Troch.*) ; ita LXX quoque διὰ τὸ μὴ εἰδέναι αὐτοὺς τὸν Κύριον.

Tandem morte et interitu cuncta esse absumenda vates minatur v. 14 « *propterea dilatavit infernus animam suam et aperuit os suum absque ullo termino, et descendent fortes eius et populus eius et sublimes gloriosique eius ad eum* » ; — etiam magis emphatice in hebr. *et descendet gloria eius et tumultus eius et strepitus eius et exsultans in ea* (cf. *For. Mald. Malv. Mar.*). Scheol ingenti cupiditate et aviditate inexhausta omnem illorum pompam et splendorem mox devorare dicitur ; « personae forma minas intentat, ut maiore cum emphasi loquatur ingentique timore auditorum animos percellat » (*S. Chrys.*) ; describit

1. Legitur scil. מתי in textu *mas.* ; sed LXX, *Syrus, S. Hier. Chald.* legebant מתי. At quia *mortis* mentio v. 14 demum inducitur, lectio *mas.* praeferenda erit quippe qua apta sermonis gradatio habeatur. Alii legendum esse coniectant מזי (Deut. 32, 24) tabescentes fame ; cf. *Del.*

enim, ut ruinae magnitudinem ad oculos demonstret, quomodo « infernus praelargo et inexplebili ore hiantibusque faucibus absorbens eos thesaurisque spolians sit quodammodo exsultaturus » (*S. Cyr.*). Illi itaque, ut *Tir.* notat, dilatant os suum ad cibum et potum absorbendum, sed infernus quoque rictum suum dilatabit ad eos absorbendos.

Verum si superbia humana prostrata est omnisque fastus depressus et exstinctus, tunc gloriosus et maiestate plenus apparebit Dominus; id post ruinam vehementer inculcat vates gravissima hac versuum repetitione v. 15 « *et incurvabitur homo et humiliabitur vir et oculi sublimium deprimentur*, v. 16 *et exaltabitur Dominus exercituum in iudicio et Deus sanctus sanctificabitur in iustitia* »; — hic scil. demum erit finis et scopus iudiciorum divinorum : illucescet gloria Dei eiusque sanctitas quae tanta scelerum nube quasi obscurari et abscondi videbatur, novo splendore hominibus innotescet, cognoscetur etenim ex iustitia quam exercebit erga impios (*Mald. Malv. Mar. Tir.*) eiusque testes iustum iudicem laudibus efferent (*Theod.*). Ita fiet id quod cantico seraphim annuntiatur : plena est omnis terra gloria eius (6, 3; cf. Ier. 9, 23. 24). « Duo ponit bona et illos tumore ablato meliores evasuros et Deum admirationi fore apud omnes » (*S. Chrys.*).

Iudicio autem in homines exercito populoque vel in exsilium abducto vel morte interempto (v. 13. 14) ipsa regio divinae huius castigationis testimonium feret et agri campique quos avari et iniusti rapuerant (v. 8), iam alienigenarum commodis servient. Ita apte ad occusationem et iudicii denuntiationem vates hanc concludit partem v. 17 « *et pascentur agni iuxta ordinem suum et deserta in ubertatem versa advenae comedent* »; — ubi antea urbes et palatia et hominum turba exsistebant iam ruinae sunt et solitudo et amplissima gregum pascua, quae in alienorum utilitatem cedunt. Bene adnotat *S. Hier.* : « id ipsum aliis verbis dicitur de quo supra legimus (1, 7) : regionem vestram in conspectu vestro alieni devorant et deserta est atque subversa a populis externis ». Hebr. verte *et pascentur agni sicut in suo campo et vastatas terras pinguium alieni comedent* vel *errabundi*; i. e. qui fixas certasque sedes non occupant sed nomadum more per regionem peregrinantur; *pingues* divites sunt et fastuosi illi, de quibus antea v. 8. 14. Atque revera terra Iudaeorum iam dudum exstincta gloria vetere alienis cessit in possessionem et ubi olim urbes incolis abundantes erant, iam greges accubant.

Hic sensus quem praeter *S. Hier.* etiam *S. Ephr. Haimo*, *Mar.* et recentiores fere omnes sequuntur, planus est et bene cohaeret antecedentibus. Quare iis non est adstipulandum, qui agnos metaphorice explicari volunt vel de pauperibus oppressis qui loca iam a potentioribus vacua occupabunt (*Sanct. Lap. Tir.*

Troch.), vel de Christianis, qui sint agni Christi ; *advenas* intelligunt gentes ad fidem conversas, quae illis potiantur bonis a quibus Iudaei exciderint (cf. *Pint. Sasb. Men.*) ; qua imagine simul, ut vult *Mald.*, futura inter gentes pax adumbratur. Cum LXX in ultimo membro habeant ἄρνες, non גָּרִים sed גדיים legisse vel כרים videntur (cf. Gen. 38, 17. Iud. 6, 19 ; 13, 15, 19), quam lectionem aliqui recentiores (*Ewald, Kn. Reuss, Bred.*) amplectuntur. Etiam in priore membro LXX differunt, de quibus iam *S. Hier.* dicit : « nescio quid volentes LXX transtulerunt *pascentur direpti quasi tauri*, pro agnis tauros intelligentes et rursum pro advenis interpretantes agnos ». Ipsa LXX verba a graecis interpretibus varie accipiuntur ; breviter ea expedit *S. Chrys.* : « relictorum paucitatem his subindicat et ingentem regionis solitudinem » ; *S. Cyr.* ea refert ad vastationem a Romanis et gentibus finitimis inferendam ; « qui enim olim, inquit, direptioni eorum facile patebant, quia Deus opem ferebat, hi regionem eorum depascent ceu tauri, id est feroces, magnanimi et qui invictam ad resistendum vim afferent ». Aliter *Theod.* ; direptos intelligit eos qui in Dominum credentes ab adversariis dogmatum evangelicorum spoliati bonis sint quique post hostium interitum cum tauris secure pascentibus comparentur, eosdem autem *agnos* quoque vocari ; aliter explicat *S. Basil.* etc. Unde non est a vero alienum quod iam de hoc v. *For.* conqueritur, tantam esse varietatem quot sint interpretes. Nihilominus ipse nova versione illam varietatem augere non dubitavit : « et pascentur agni iuxta verbum ipsorum et gladii medullata ruminantia devorabunt, vel etiam siccitates medullatorum (medullatorum exsanguia cadavera) advenae comedent ».

i) Vae contemptoribus Dei et iudicibus iniquis 5, 18-23.

Tertium vae in eos devolvitur qui verbis Dei et prophetis illudunt et minas ab eis prolatas in irrisionem vertunt. Apte adiunguntur isti epulonibus v. 11 quibus vae alterum erat denuntiatum; nam inter epulas et pocula linguas compotantium facilius solvi in dicteria et illusiones rerum sacrarum atque in iis licentius evagari heu nimis notum est. Praeterea cogita quantopere istis helluonibus censor assiduus et castigator morum, qualem esse prophetam oportebat, molestus fuerit. Eorum perversitatem vates prius per metaphoram v. 18, dein v. 19 propriis verbis declarat, similiter uti 1, 6. 7. 22. 23. 25. 26. Unde v. 18 « *Vae qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis et quasi vinculum plaustri peccatum* » ! — hebr. *vae trahentibus iniquitatem* (vel attrahentibus) *in funibus mendacii et quasi in fune plaustri peccatum* vel etiam *et quasi rudens carrucarius est peccatum* i. e. peccatum ingravescit, fit quasi densum, robustum sicut rudens carrucarius. Ii describuntur qui magno studio suis mendaciis et illusionibus iniquitatem augent; se ipsos quasi alligant perversitati eamque ut molem grandem trahunt vel studiose ad se pertrahunt funibus fraudis. Dum enim rident de minis pro-

pheticis, se ipsos decipiunt, culpam augent, poenam et ultionem Dei provocant, accelerant, et ita arctioribus in dies vinculis atque firmioribus ad peccatum adstringuntur. Nam, ut notat *S. Basil.* : «nobis ipsi tum cum peccamus, vincula conficimus et funiculos quibus vincimur; quippe iuxta multitudinem vel magnitudinem peccatorum vel maiora vel minora animabus nostris lora nectimus». In eadem imagine simul alii expressam cernunt curam, pertinaciam, perseverantiam peccandi (cf. *S. Chrys. Basil. Thom. Mald. Malv. Vat. Calm.*). Funiculos *vanitatis* hoc significat, inquit *S. Hier.*, quod facientibus peccatum facile texitur et tam inane et facile est, ut aranearum fila texuntur, sed cum inde voluerimus exire, solidissimis vinculis nectimur (sim. *Sasb.*).

Alii non peccatum, verum peccatorum poenas atque supplicia h. l. designari volunt. Explicant enim : vae vobis qui damnationem vestram adversum vos ipsos trahitis et magna vi nitimini, ut ad vos accedat, velut qui plaustrum onustum funibus trahunt; trahitis autem perditionem vestram funibus temeritatis i. e. vestra temeritate, audacia, protervia; ita *For.*; sim. iam *S. Cyr. Chrys. Procop. Sanct.*, cuius explicationis meminerunt *Malv. Lap. Men. Tir.* et quam aliqui recentiores adoptarunt v. g. *Ges. Kn. Bred.* Verum quidem est vocibus illis quibus peccatum et iniquitas designatur, saepius id quoque appellari quod intime cum peccato connexum est ab eoque separari nequit, scil. poenam et supplicium (cf. Gen. 19, 15. Os. 10, 13. Zach. 14, 19). At nostro loco non est, cur a primaria notione recedamus; vates enim in singulis membris hisce quibus vae denuntiat, peccata et scelera proxime recenset; poenas quae sint secuturae, postea adiungit. Accedit quod hoc loco statim v. 19 explicatur, qua ratione trahant iniquitatem; blasphemiis et illusionibus indulgent. Ergo veri nominis peccata vates h. l. intellexit.

Quot et quantis loris innodentur peccatis, iam declaratur v. 19 «*qui dicitis : festinet et cito veniat opus eius, ut videamus, et appropiet et veniat consilium Sancti Israel et sciemus illud*»! —minas Dei non solum contemnunt, verum iis illudunt; «cupimus tandem videre quale futurum sit hoc consilium quod tanta praemeditatione indiget, in quo per tot annos Dominus deliberare videtur» (*Men.*); *scire* est re et factis experiri. Nominant *Sanctum Israel*, quia Isaias hoc Dei nomine praeprimis utitur (de qua re postea ad 6, 3). Blasphemia ostendit iam per longius tempus prophetam munere esse functum et *opus* Dei i. e. iudicium divinum (cf. v. 12) iam repetitis vicibus esse denuntiatum. Sed quia Dominus longanimis spatium concedit poenitentiae et poenas infligere differt, hac ipsa patientia abutuntur secundum duritiem suam et impoenitens cor sibi thesaurizantes iram, digni scil. patres eorum quos eodem titulo S. Paulus increpat (Rom. 2, 4. 5). Eandem animorum perversi-

tatem et blasphemandi audaciam carpit Am. 5, 18. Ier. 17, 15. Ez. 11, 3; et infra denuo ipse Isaias 28, 9 seq. «Vertebant igitur oraculorum tonitrua in carmen; nimis aut insolenter aut stupide dicebant *festinet....*» (*Sanct.*).

Tali impietati et petulantiae intime cognatum est eorum studium, qui ita sceleribus imbuti sunt, ut omni veri honestique sensu abiecto atque conculcato ipsum crimen laudibus exornent et vitia quasi virtutes commendent; evaserunt scil. ut *S. Cyr.* dicit, nummularii improbi, turpiora in pretio habentes, notantes vero ut adulterinum citra discrimen id quod praestabilius est et ad suam ipsorum salutem utilissimum; v. 20 « *vae qui dicitis malum bonum et bonum malum, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce et dulce in amarum* »! — bonum describitur ut lux et dulce, quatenus et intellectum illuminat et affectum vel voluntatem beat; malum e contra tenebras offundit et miseria et amaritudine replet. Inde lex Domini quasi lux saepe describitur et quaecumque bona sunt et sancta, cum a Deo, luce increata, refulgeant, eodem nomine honorantur. Quid sit bonum et honestum et quales fructus et effectus afferat, duplici illa comparatione breviter declaratur. Ea simul innuitur, quantae sit perversitatis notiones honesti verique subvertere vel nobili nomine turpia scelera obtegere. Nota tritum illud ex affectu corrupto ipsam corrumpi doctrinam; vitam enim profligatam ita student cohonestare, ut ea quae a vate tamquam errore et scelere plena traducuntur, scientiae et virtuti affinia venditare conentur. Nil novi sub sole! ubi corruptio morum invaluit, non desunt qui illam fucatis doctrinis defendant atque speciosis rationibus commendent. Sed quam vana sit ac futilis talis peccatorum excusatio (*S. Thom.*), declaratur a simili; quid enim prodest tenebras appellare lucem? num propterea cessant esse tenebrae vel omnium hominum iudicia in contrarium mutantur? Quam parum igitur quis ordinem rerum et effectus immutare potest, tam parum illi falsa doctrina et mendaciis iuvantur. — Axioma a propheta enuntiatum est amplissimum. Alii id speciatim applicant ad iudices iniustos; alii ad pseudoprophetas, qui ita loqui solent, ut hominibus placet audire; « etsi dulcia sint verba pseudoprophetarum, sed nihil illis amarius, qui per gratiam verborum minas in rem et opera vertunt » *(S. Chrys.)*. Interpretatus est *Aq.* : vae qui dicit malo : bonus es, et bono : malus es ; id quod *S. Hier.* significantius vocat. At sensus generalis (LXX τὸ πονηρὸν) praeferendus est.

Isti, uti patet, iam nullam ferunt prophetae admonitionem. In eadem obstinatione concluduntur ii qui propria existimatione inflati a nullo se doceri patiuntur. Unde v. 21 « *vae qui sapientes estis in oculis vestris*

et coram vobismetipsis prudentes » ! — vere enim sapiens exquirit consilia, diffidit prudentiae propriae; « ne sis sapiens apud temetipsum — ne innitaris prudentiae tuae » (Prov. 3, 5. 7). Qui tali fastu tument, institutionis propheticae impatientes negotia publica et privata non ex norma divina per prophetas legemque declarata administrari volunt, sed arbitratu proprio et humanae prudentiae imperio et ductu. Iis v. g. et sapientiae et utilitatis maximae esse videbatur foedera inire cum extraneis, apparatum bellicum comparare (cf. 2, 8) ; sed rempublicam fulciri ope divina, fide, observatione mandatorum Dei, sincera pietate omnemque spem in uno Deo collocari prae humanis subsidiis, immo his repudiatis, talia utique ridebant ii qui prudentes erant *coram facie sua* (hebr.). Quam maxime igitur aberant ab institutione legis qua *docibiles Deo* erant efficiendi.

Ultimum vae in principes denuntiatur et iudices qui cum virtutem et iustitiam fulcire ac tueri debuerint, sua intemperantia et iniustitia fundamenta reipublicae subruunt ; v. 22 « *vae qui potentes estis ad bibendum vinum et viri fortes ad miscendam ebrietatem !* v. 23 *qui iustificatis impium pro muneribus et iustitiam iusti aufertis ab eo* » ! — cum ironia dicit : validi sunt et potentes, sed ad potandum vinum ; seduli sunt et prudentes atque solertes et robusti, *heroes* sunt, sed *ad miscendam siceram* (hebr.) i. e. ad vina variis aromatibus condienda, quibus reddantur suaviora. Cum hac temulentia intime nexum est iustitiam habere venalem. Qui non valet pecunia et muneribus ius suum ab istis iudicibus redimere, causa cadet. Ad haec ergo recidit inter alia cura viduarum et pupillorum, quam toties tamque graviter Deus in lege iniunxerat ! Principum iudicumque peccata quibus reipublicae status suffoditur, merito ultimo loco ponuntur in hac scelerum enumeratione ; illis enim uti perversitatis ita damni quam plurimum inest.

Hi ergo sunt fructus quos *germen delectabile* Domino attulit (v. 7), haec opera praeclara quibus edocti lege divina et continuis prophetarum institutionibus admoniti operam navarunt ! Avaritia, voluptas, irrisio sermonum propheticorum cum blasphemia coniuncta, perversio boni rectique et laus mali, superbia, apud iudices iustitia venalis, hi sunt sex veluti gradus quibus ad imam iniquitatem penetratur. Quam late igitur per omnes ordines serpsit impietas ! Quare, uti v. 13, statim subditur poena condigna.

k) Devastatio vineae 5, 24-30.

Tales igitur et tam atroces labruscas cum vinea attulerit, iam Dominus ostendit quid ei facturus sit ; in v. 24 imaginem excidii, in v. 25 excidium ipsum proponit ; v. 24 « *Propter hoc sicut devorat stipulam*

lingua ignis et calor flammae exurit, sic radix eorum quasi favilla erit et germen eorum ut pulvis ascendet; abiecerunt enim legem Domini exercituum et eloquium Sancti Israel blasphemaverunt »; — non sine emphasi repetitis vicibus *propter hoc* inculcari (v. 13. 14) monet *Procop.* i. e. « propter ea quae dicta sunt, non casu aliquo vel naturae necessitate vel fato, sed ob ea quae ipsi admiserunt facinora ». Ignis imagine et celeritas ultionis et facilitas sumendi supplicii et extrema punitorum pernicies exhibetur *(S. Chrys.)*. Hebr. in secundo membro intellige : *et* sicut *foenum flamma consumitur* (collabitur, evanescit). Radix et germen, hebr. *flos* eorum i. e. infima et summa funditus peribunt, uti in arbore omnis revirescendi spes aufertur, si non solum truncus, verum etiam radix igne absumitur (cf. 1, 30; 6, 13). Stipulas in agris relictas igne absumere solebant ; unde facile fluit comparatio instituta, quae insuper ad parabolam propositam de vinea bene consonat. Legis contemptum a maiestate legislatoris illustrat et auget vates ; est *Dominus exercituum*, coeli terraeque Dominator, cui ad ultionem capiendam praesto sunt cuncta agmina coelestia et terrestria ; est *Sanctus Israel* qui ut ipse est sanctus, ab omni defectu quam maxime alienus, omne peccatum odio infinito prosequens, ita sanctitatem suam relucentem in populo electo cernere vult, quem in finem tot ei concessit subsidia in lege et in prophetis. Huic vero Dei voluntati non modo non obsequuntur, sed etiam ad id audaciae progressi sunt, ut blasphemias in eum iactent (cf. v. 19).

Cum igitur tot punitionis infligendae tituli praesto sint Domino, merito pergit s. vates v. 25 « *ideo iratus est furor Domini in populum suum et extendit manum suam super eum et percussit eum et conturbati sunt montes et facta sunt morticinia eorum quasi stercus in medio platearum* » ! — *accensus est furor Domini* (hebr.) ; olim Deus *manu extenta* et brachio forti populum suum ex Aegypto liberaverat, hostes percusserat ; iam eandem potentiam quam olim ad beneficia praestanda exhibuerat (cf. Ex. 3, 20; 7, 5; 15, 12 etc.), exseret ad populum ingratum percutiendum. Et percussio adeo est vehemens, ut montes quoque ictu contremiscant ; est, ut *S. Hier.* ait, hyperbolice dictum. Sed in tali commotione adumbratam cerne iudicis maiestatem, quem apparentem creaturae tremore ac timore sentiant (cf. Ps. 95, 9 ; 96, 4. 5 ; 97, 7. Is. 13, 13; 24, 19; 29, 6. Mich. 1, 3. Hab. 3, 3) ; et merito quidem talis hypotyposis [1] adhibetur, quia simul cum homine etiam

---

1. Cum igitur *terram vel montes commoveri* et sim. symbola sint satis frequenter adhibita ad terrorem maiestatis iudicis Dei describendum, non potest dici cum aliquibus Isaiam h. l. terrae motum tempore Oziae factum (Am. 1, 1. Zach. 14, 5) ob oculos habuisse.

creatura affligitur iudicio divino. Ut *morticinia eorum* declarant, ea Dei percussio in clade ingenti consistet. Bellicum apparatum magno studio sibi comparant (cf. 2, 8), bellis et cladibus prosternentur. Talis est agendi et puniendi ratio apud Deum. Atque revera clades ingentes attulerunt varia bella ; ita syriaco-ephraimiticum : « occidit Phacee de Iuda centum viginti millia in uno die » 2 Par. 28, 6 ; postea assyriacae et chaldaicae invasiones (cf. Ier. 9, 21 ; 16, 4 ; 34, 20). Hoc loco aptissime prior illa clades intelligitur.

Verum una hac percussione et strage iudicium Dei non est absolutum ; aliae sequentur eaeque maiores ; quare « *in his omnibus non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta* » ; — cum enim punitio inflicta convenientem emendationis fructum non attulerit, ad alteram et tertiam progreditur iudex. Extrema igitur ruina non statim imminet, sed per gradus quosdam praeparatur. Illam tamen certo minatur *manus adhuc extenta* i. e. parata ad iudicium irae infligendum, « vexillo sublato accersens hostes et iudicia exsequens » *(Malv.)*, quia « licet crudeliter vastati, fame et siti pressi bellique calamitatibus impliciti fuerint miselli, tamen in hac aversione a Deo perstiterunt nec ab ira liberi immunesque fuerunt » (*S. Cyr.*).

Iam a v. 26 haec ruina extrema describitur, quae v. 24 erat annuntiata. Cum parabola proposita (5, 1 seq.) universam synagogae historiam complectatur eiusque ruinam et a Deo abiectionem adumbret, etiam non mirum est hoc loco describi impetum hostilem omnia funditus evertentem et exhiberi demum tenebras nulla lucis et salutis spe proposita. — Deus ipse milites suos conscriptos evocat, qui insigni robore et fortitudine praestant et pugnandi cupiditate ardent ; optimis armis instructi sunt ; ingenti terrore omnia replent. Id iam ad formidinem facit, quod gentes ignotae, a longinquo, a finibus terrae evocantur v. 26 « *et elevabit signum in nationibus procul et sibilabit ad eum de finibus terrae et ecce festinus velociter veniet* » ; — cf. Deut. 28, 49 : « adducet Dominus super te gentem de longinquo et de extremis terrae finibus » ; minae iam sunt a Moyse editae. Quam prompte et alacriter feroces illae gentes nutui Dei obsequuntur ; quam facile illarum turmas ingentes Deus adducit ! sibilo enim illos accersit [1], uti « apiarii sibilo apes excitant, eas ex alveariis ad flores et herbas educunt, ex agris reducunt, domique ut immorentur efficiunt » (*S. Cyr.*) ; cf. 7, 8. Illusores ridebant : festinet et cito veniat opus eius (v. 19) ; respondet vates : ecce festinus velociter veniet (cf. *Sanct.*).

---

1. « Convocabit minimo signo, maxima facilitate » (*Men.*). « In Deo sibilus est occulta inspiratio, qua homines in quamcumque vult partem movet » (*Mald.*).

Et qualis veniet ille Dei exercitus! v. 27 « *non est deficiens neque laborans in eo, non dormitabit neque dormiet, neque solvetur cingulum renum eius nec rumpetur corrigia calceamenti eius* » ; — venit quidem a longinquo, ab extremis terrae, at minime fatigatur ; nemo est lassus, nemo in ingressu titubat vel vacillat vel offendit ; maxima omnes pergunt alacritate et quasi inexhausta fortitudine, ita ut ab omni cessatione vel remissione sint alienissimi, morae vel quietis impatientes. Ipsa quoque vestimenta invictam fortitudinem prae se ferunt. Quod, ut monet *S. Ephr.*, Deus olim suo populo praestitisse dicitur (Deut. 29, 5), id roboris iam hostibus largiri videtur ; non enim cingulum militare, cui gladium insertum gerunt, solvitur, et ne corrigia quidem ocrearum rumpitur ; qua re simul indefessus militum vigor atque strenuitas declaratur ; semper enim diu noctuque loricati sunt.neque balteum dissolvent sed accincti et parati semper praesto sunt. Hisce accedunt arma optima et bellicus apparatus longe praestantissimus v. 28 « *sagittae eius acutae et omnes arcus eius extenti ; ungulae equorum eius ut silex et rotae eius quasi impetus tempestatis* » ; — descriptio est ad terrorem incutiendum facta ; quare hostes irruunt arcus iam paratos et tensos (calcatos) gestantes. Cum veteres equis soleas ferreas inducere non solerent, quam maxime opus erat ungulis solido ac duro cornu instructis (cf. χαλκόποδες ἵπποι apud Homerum), ut *Chald.* habet : ungulae equorum eius ut saxum reputantur ; ergo cursu non atterentur, in ipsa regione scopulosa et viarum asperitate horrida firmi incedunt ; ne ergo Iudaei nimis regioni montanae fidant ! Currus quoque solidi ac praestantes ; « rotae curruum illius quasi vehementes turbines cum ingenti fremitu discurrent et quacumque tulerint impetum, omnia pervertent » (*Osor.*).

Iam quanta ferocitate hostis irruat et quam stragem sit editurus, audi v. 29 « *rugitus eius ut leonis, rugiet ut catuli leonum et frendet et tenebit praedam et amplexabitur et non erit qui eruat* » ; — ingenti clamore bellico sublato terrorem augent aggressuri, sicut leo rugitu animalia perterrefacit ; leo cum fremitu in praedam irruit eamque arctissime comprehensam sic continet, ut nemo illam ex faucibus eripiat, « sic hostis in tuam perniciem anhelans ita rugiet, ut suo te fremitu concutiat ; ita tenebit lacerabitque, ut nullus te ex illius unguibus expediat » (*Sanct.*). Cladem illam extremam alia vates depingit imagine v. 30 « *et sonabit super eum in die illa sicut sonitus maris ; aspiciemus in terram et ecce tenebrae tribulationis et lux obtenebrata est in caligine eius* » ; — quasi maris inundatio qua omnia fluctibus obvoluta abripiuntur, hostes terram obtegent et ruinam invehent ; nulla salutis spes — nihil nisi tenebrae miseriarum. Apta paraphrasi *Sanct.* rem declarat : « veniet contra Ierusalem hostis infensus cum sonitu horribili ex armorum

strepitu, buccinarum clangore et barbarae vocis horrisono ululatu, non secus atque si mare saeviens cum ingenti fragore vastos devolvat atque frementes fluctus in obiectas rupes. Tunc autem nullus erit locus, unde nobis spes ulla salutis aut praesidii appareat. Aspiciemus enim in terram, o viri Iuda, et illam undique tribulationum caligo circumfundet neque e coelo quidquam erit, quod sperare possumus praeter tenebras ». Ita scil. ruina illa erit, quae vineae infideli obtinget (v. 6). Synagoga post tot beneficia frustra collata abiicitur. Quanta sit oppositio inter salutem et perditionem, inter ruinam et resurrectionem, comparatione instituta huius loci cum 4, 5. 6 insigni ratione ostenditur.

Ultima v. 30 pars varie in hebr. accipitur. Adest ἅπαξ λεγ. עֲרִיפִים, quam vocem ab ערף *stillare* (Deut. 32, 2; 33, 28) derivantes explicant vel de coelis, unde stillatur, vel pressius de nubibus pluviam stillantibus (cf. *Mald. For. Malv. Vat.* et ita recentiores quoque *Ges. Ros. Drechsl. Kn. Bred. Del. Naeg. Rohl.*); plerique iungunt *lux obtenebrata est in coelo eius* scil. terrae, in ea coeli parte quae terram illam circumtegit, vel *nubibus eius* scil. super terram illam expansis. Alii tamen verba aliter nectunt : *ecce tenebrae, tribulatio et lux, obtenebrescit in coelis eius* ; id quod explanant de vicissitudine quadam qua tribulatio ventura salutis spe excipiatur, donec plena ruina ingruat; sed sententia profertur nimis abrupta, neque simile est 21, 12, uti ex interpretatione patebit; quibus accedit quod hoc loco iam versamur in descriptione ruinae extremae, in qua eiusmodi vicissitudo iam non exspectatur. Alii etiam longius ab usitata vocabulorum adeo frequentium significatione recedentes vertunt : ecce tenebrae, grando et fulgur, obtenebrescit in coelis eius (*Drechsl.*). Si in altero membro ante אוֹר repeteretur ל, magna quadam concinnitate exsurgeret sententia : aspicient ad terram et ecce tenebrae angustiarum; ad lucem (ad solem, coelum), obtenebrescit nubibus eius; atque hanc sententiam textu quoque mas. enuntiari *Hitz.* censet; verum ea interpretatio audacior videtur.

Locum hunc praeclaris dicendi luminibus illustrari, iam notarunt veteres interpretes. Ita *Sanct.* : « describit exercitum quem Dominus contra populum quondam suum armavit et duxit, atque ita describit eleganter, ut in eo genere non meminerim me aliquid legisse significantius aut illustrius. Apparatus autem ille castrensis accomodatus est ad superanda atque evertenda illa quibus ab omni hostili machinamento et arte tutos se futuros existimabant Iudaei. Quia regio petrosa erat neque ideo apta equestri excursioni, equorum ungulis instar silicis duritiem et vim quandam indomitam attribuit. Cetera elegantissime militum ardorem studiumque pugnandi demonstrant, ita ut a belli molestiis nihil temporis aut otio aut quieti concedant ».

Fuerunt qui versus hos 25-30 ex hoc loco expungi et in alium locum (v. 25 ante 9, 8 et v. 26-30 post 10, 4) transferri vellent (*Ewald, Diest.*). Mirantur nimirum post v. 24 et ruinam completam ibi descriptam alia adhuc addi; offenduntur versu illo qui postmodum quoque recurrit *in his omnibus non est aversus furor eius*. At immerito. Nam in v. 24 ruinam exhiberi breviter et summatim, quae postea suis gradibus accuratius declaretur, modo apud Isaiam

frequenter obvio plane congruit, immo cum v. 24 ruina expressa sit potius metaphorice, propriis verbis fieri eius denuntiationem fere exspectamus ob morem quem alias apud vatem nostrum observatum cernimus (cf. 1, 5-7. 22. 23). Neque omitti debet, cum in parabola vineae destructio adeo per singulas fere partes delineata proponatur, vix fieri posse ut in vaticinio de ipsa re eventus ille verbis adeo paucis absolvatur. Ad quod adde, concinnitate quae a v. 8 et deinceps adsit omnino vetari ne post v. 24 orationi finis imponatur. Nam post primum vae in primum peccatorum genus poena duobus versibus (9. 10) proponitur; post alterum vae poena quinque versibus (13-17) comprehenditur; quis tali gradatione attenta post *quattuor* vae in varia peccatorum genera pronuntiata poenam uno solum concludi versu sibi persuaserit ? Uti textus traditus habet cui veteres versiones et interpretes omnes suffragium ferunt, tres illae partes (8-10; 11-17; 18-30) apta inter se concinnitate et gradatione iunguntur. Neque obstat quod sententia illa *in his omnibus*... etiam infra occurrit. Nam altera quoque *et elevabit signum... et sibilabit* saepius legitur (cf. 7, 18; 11, 12 cf. 13, 2. 5) et hoc loco apte ponitur, ut indicetur ruinam illam non uno quasi ictu iri devolutum, sed iterato Deum calamitates esse immissurum. — *Bred.* eandem versuum dispositionem sequitur, sed ita ut a v. 25 non novum oraculum incipiatur, sed oraculum de vinea continuetur [1]. Ita quidem partes illae uno in loco exhibentur quae eodem versu : *in omnibus his*.. distinguuntur; nihilominus talis transpositio non est probabilis. Ea enim facta sequitur post 9, 7 i. e. post vaticinium messianicum statim oraculum quod absolute incipiat *vae Assur*. In ordine autem recepto antea bene et efficaciter exponitur, quid populus peccaverit et per quos demum gradus ad invasionem Assyriorum res sit perducta. Vide nexum rerum ad 9, 8 et 10, 5 expositum. Praeterea quomodo *hic* iam mentio iniiciatur (9, 11) Rasin non intelligitur; utique *Bred.* textum mutat. Sed num recte ? Dein iudicium solet ex Israel in Iudam transire, uti 8, 7. 8; hic vero statuitur ex Iuda progredi in Israel ! Vide ad 9, 12.

Hanc vaticiniorum seriem cp. 2-5 ad tempus et regnum Ioatham referri, variis rationibus suadetur. Quae enim a vate vel describuntur vel reprehenduntur aut quae dictis necessario subsunt, ea omnia ad regni Ioatham narrationem in s. literis consignatam aperte conveniunt. Ipse quidem rex laudatur,

---

1. E contra *Bickell* (Zeitschrift f. kath. Theologie 1886 p. 547) versus 24-29 transponendos esse censet post 10, 4, ita ut hoc nostro loco revera habeatur oratio manca et truncata (eine Rede ohne Schluss). Sed talem orationem Isaias certe non composuit. Relinquamus ergo versus eo quo positi sunt loco apud veteres testes; ibi enim orationem inceptam *bene* finiunt, in 10, 4 vero *minime* desiderantur, neque versus ille *in his omnibus non est aversus furor eius* qui utique infra 9, 12. 17. 21 et 10, 4 recurrit, ad eam cogit transpositionem. Cur enim versus antea per se positus postmodum non posset denuo adhiberi? vel etiam fieri versus intercalaris? Repeti quandoque versum apud Isaiam aliis quoque exemplis constat; vide ad 51, 11 et 48, 22; 57, 21; unde si id fieri potest, aeque etiam versus alibi adhibitus fieri potest versus intercalaris. Ita stichus : quoniam bonus, in saeculum misericordia eius Ps. 99, 5 recurrit Ps. 136, 1 et *in saeculum misericordia eius* fit versus intercalaris.

« fecit quod rectum erat coram Domino » (4 Reg. 15, 34, 2 Par. 27, 2); verum additur : « et adhuc populus delinquebat » (2 Par. 27, 2). Unum delicti genus effertur multorum ferax scelerum et index criminum : « adhuc populus immolabat et adolebat incensum in excelsis » (4 Reg. 15, 35). Quae de apparatu bellico et superba quadam securitate, de commercio cum extraneis, de aedificiorum splendore et luxu divitiarum reprehenduntur, ea necessario ex iis colliguntur, quae de aedificiis erectis, de munimentis frequenter factis, de bellis feliciter gestis et tributis acceptis in s. literis referuntur vel potius innuuntur (2 Par. 27, 3-6). Aderat proinde splendor quidem externus, prosperitas sat magna ; at nihilominus Dei iudicia in peccatores superbos et nimium sibi fidentes iamiam praeparari et quasi imminere satis eo declaratur, quod « in diebus illis coepit Dominus mittere in Iuda Rasin regem Syriae et Phacee filium Romeliae » (4 Reg. 15, 37). Haec autem bella initia erant perniciei et exitii pro regno Iuda, hisce regnum Iuda magnis perturbationibus oppressum et discissum demum patuit quasi praeda Assyriorum. Iam legentibus perfacile constat vatem sicut in populi vitia, luxuriem, superbiam, securitatis praesumptionem invehatur, ita minis vindictae divinae iamiam appropinquantis et iudiciorum Dei annuntiatione aequalium animos percutere et ad timorem salutarem et resipiscentiam invitare.

Hisce rationibus ex oraculorum argumento petitis accedit alia haud infirma, quae in ipsa libri dispositione cernitur. Isaias enim, uti 6, 1 docemur, ultimo Azariae anno ad munus propheticum vocatus est; iam 7, 1 tempora tanguntur et res gestae sub Achaz; ergo sua sponte quae antecedunt (i. e. cpp. 2-5) tempora sibi vindicare videntur Ioatham. Neque enim fieri potest ut illa inter se separentur; quae cpp. 2-4 efferuntur, ita inter se sunt colligata atque connexa, ut ea in varias partes et tempora discerpere nemini possit in mentem venire; parabola autem cp. 5 proposita iam 3, 14 quasi praeparatur atque eandem morum conditionem easdemque punitiones exhibet quae in antecedentibus perstringebantur. Neque ullo modo ad tempora Achaz et ad maiorem illam impietatem oportet descendere, ut illa explicemus, quae 5, 19 ab illusoribus impudenter et pervicaciter effutiuntur ; nam quae a vate iam 3, 9 iis exprobrantur, haud minorem sapiunt impietatem. Adde quod tempora tranquilla et prospera eam animorum insolentiam quam maxime alere et augere consuescunt ; illud igitur *festinet* etc. tempora innuere videtur quibus iudicia Dei devolvi nondum coepta erant i. e. tempus Ioatham prius, antequam Dominus miserit in Iuda Rasin regem Syriae. Primae huic annuntiationi etiam congruere videtur, quod propheta hostes solum generali quodam modo proponit nomine non declarato, cum tamen in periodo subsequenti sub Achaz et sub Ezechia prius Assyrios, dein Babylonios nomine efferat. Vaticinia itaque ut sunt generalia magisque indeterminata, ita ante alia particularia atque definita collocanda erunt tempore, prout ipso libri ordine describuntur et collocantur. — Ceterum fere per se patet orationibus scripto consignatis ea brevi comprehendi argumenta, quae saepe a propheta tractata et populo proposita fuerint. Quare si dicimus eas orationes pertinere ad tempus Ioatham, tamen asserere nolumus eas eo ipso modo quo leguntur iam eo tempore literis esse mandatas. Nihil enim obstat quominus opi-

nemur, prophetam cum integrum librum certo ordine componeret, id quod fere versus finem vitae eius factum esse probabile erit, etiam orationibus illis unam vel alteram addidisse. Ita sunt qui 3, 12 « mulieres dominatae sunt eis » (cf. 3, 4) ex tempore Achaz repeti debere censeant. Id quidem non erit necessarium, quia feminarum prava indoles non eo tantum tempore, verum sub omni rege in perniciem multorum vergere poterat. Sed si quis contendat, talia a propheta fuisse tum demum proposita, cum orationes scripto conciperet librumque in suum redigeret ordinem, non erit de hac re multum disceptandum. Aliis quoque videtur oraculum illud de monte Domini propter rem Ier. 26, 18 narratam pertinere ad tempus Ezechiae; unde similiter hoc loco esse insertum volunt a propheta cum librum suum ordinaret, non autem editum tempore Ioatham; — sed haec ratio rem non evincit, cum Ier. 26, 18 solum statuatur oraculum etiam tempore Ezechiae esse pronuntiatum, minime autem colligi possit nedum debeat prima vice eo tempore esse promulgatum (cf. supra ad 2, 2).

Cum indoles harum orationum *generalis* adeo emineat, impletio earum quaerenda est non in particularibus quibusdam eventibus qui statim tempore Isaiae acciderint, sed in maiore eventuum serie qua demum omnia sublimia et excelsa in Iuda deiecta sint et via praeparata saluti messianicae. Propheta enim non id agit hoc loco, ut determinatos eventus vaticinetur proxime futuros vel res omnino particulares efferat, sed *normam* enuntiat *generalem divinam* qua Dominus usurus sit in populum rebellem et qua theocratiam sit restituturus; via et modus delineatur iudiciorum Dei, finis describitur ad quem illa tendunt; qui vero futuri sint singuli casus, qui gradus iudiciorum, quae singulorum conditiones ac series, hoc loco non attingitur. Unde ex hoc iam capite frustra laborasse censeo *Dr. Neteler* qui singulis oraculis quos eventus singulos assignet inquirit. Ita v. g. ad 2, 18 censet praedictionem *ingredere in petram* etc. impletam esse saltem probabiliter, cum Theglathphalasar-Phul expeditionem bellicam susciperet in Damascum, Philisthaeam et in regionem Iordanis orientalem. Sed cum ea expeditio non adversus Iudaeam dirigeretur, vix probabile erit tum temporis praecipitem illam fugam in Iudaea evenisse. Quae 2, 12 seq. praedicuntur, variis bellis regis Sargon contra Israel esse impleta; 2, 20. 21 autem in exsilio babylonico eventu compleri; 3, 1 seq. partim ea delineari quae tempore tertiae expeditionis regis Sennacherib contigerint, plene autem rerum iudaicarum omnium dissolutionem tum demum factam esse, cum iusti in Iuda et Ierusalem abiecta omni spe humana Messiae nomen dederint; similiter 3, 16-4, 1 adumbratione quadam compleri rege Ezechia cum multi in captivitatem abducti sint, plenam vero vastationem illatam esse per Romanos urbe sancta destructa et populo exciso, ita ut solae mulieres relinqui viderentur. — Sed praeplacet ratione quadam *generali* illustrari normam illam: *Sion in iudicio redimetur* (cf. 1, 27).

Isaias muneri prophetico inauguratur. Cap. 6.

Arg. — Illustri specie Dei maiestas et gloria offertur menti Isaiae; chori

seraphim maxima reverentia Dei thronum cingunt laudes Dei concinentes et gloriae eius manifestationem annuntiantes, cuius sublimitatis documentum in ipsa templi commotione et caligine sacra exhibetur (6, 1-4). Tali visione obiecta vates sacro quodam horrore obstupescit suam indignitatem et peccatorum maculas profitens; quo facto unius seraph ministerio expiatur (6, 5-7). Expiatione facta Dei percipit invitationem ad munus prophetale suscipiendum, cui ultro sese offert. Muneris obeundi ratio et effectus ei panditur : obcaecatio populi eiusque obduratio; cuius aliud remedium non superesse Dominus edicit nisi iteratam populi terraeque vastationem et destructionem, in qua tamen semen sanctum sit salvandum (6, 8-13).

Inter interpretes controvertitur, sitne haec visio ad munus propheticum inauguratio prima an muneris iam antea accepti nova quaedam confirmatio vel ad certum quoddam officium subeundum institutio. Quare in ipsa huius visionis consideratione id inter alia ob oculos haberi oportebit, ad quid ipsum per se argumentum sua quasi sponte et natura tendat.

a) Describitur theophania 6, 1-4.

Dum Isaias forte in templo oraret et Domini in sanctuario suo inhabitantis memoriam pia mente recoleret, extemplo ecstasi abreptus interno mentis obtutu ipsum Dominum vidit humana specie indutum et regia maiestate in throno sedentem : v. 1 « *In anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum et ea quae sub ipso erant replebant templum* »; — hebr. *et fimbriae eius replentes templum* i. e. partes vestium inferiores defluebant et longe lateque templi pavimentum operiebant. Vestimentorum enim limbi eo prolixiores fieri solent quo magis maiorem quisque fastum prae se ferre cupiebat (*For.*), unde simul cum throno excelso atque sublimi vestium quoque orae defluentes Domini maiestatem adumbrant eiusque gloriam declarant (cf. *Sanct. Sasb. Pint.*), cum templum ipsum quasi regio apparatu exornetur. Quare LXX pro descriptione ipsam rem designatam substituentes statim vertunt : et plena domus gloria eius [1], et *Barh.* quid orae defluentes sibi velint bene declarat explicans, lumine splendoris a Domino egredientis omnia sub ipso fuisse collustrata. Paucis igitur verbis scena magnifica describitur Deique maiestas egregie adumbratur. Thronus enim habitum regnantis exhibet (*S. Hier.*) et quo thronus est

---

1. Unde « utramque versionem coniunxit Ecclesia in responsorio primo dominicarum novembris » (*Sanct.*); immo in sat multis codd. *vulg.* olim etiam haec pars addita legebatur; de qua re cf. notationes *Brugensis* et *Sasb.*

sublimior magisque cernitur supra omnia terrena elevatus, eo magis divinae dignitatis praestantia inque res omnes dominatus visibili quadam imagine menti offertur; ita *S. Cyr.* qui addit : «in sublimi Dei thronus positus est, quatenus divini regni gloria omnem naturam superare intelligitur; deinde sessio quae de eo dicitur, veluti firmitatem et stabilitatem in eodem bonorum tenore constantiamque videtur subnotare». In ista dominatione etiam id certe includitur quod alii in throno exprimi volunt, scil. *iudicantis* vim ac potestatem (*Chrys. Mald. Pint. Sasb.*), quamvis speciem iudicis hic Dominum induere equidem nolim asserere. Dei enim maiestas et gloria praeprimis hic ob oculos ponitur, ad quam declarandam etiam ea quae sequuntur maxime faciunt. Quale templum intelligatur, multi quaerunt; *coeleste* haud pauci respondent (iam *Chald. Procop. Mald.*); sed quae v. 4 dicuntur, ipsaque vox *domus*, dein altare cum prunis et forcipe v. 6 templum Dei hisce in terris omnino dicere videntur (*S. Hier.*). Neque ullo modo obest quod aliqui obiiciunt, Deum in sancto sanctorum sedem habuisse suam quo intrare non licuit Isaiae; sed quo pacto id visioni imaginariae vel intellectuali officit? Neque si Deus in templo hierosolymitano sui speciem vati offert, eam obiicere debet, ut alii putant, non sedentem in throno alto, qui utique in sanctuario non erat, sed sedentem inter cherubim super arcam; unde censent quia tali habitu Dominus apparens non exhibeatur, ad *coeleste* sanctuarium Isaiam esse translatum (ita v. g. *Naeg.*). Verum nemo non perspicit Dominum libere seligere posse ea symbola quibus se menti vatis velit ingerere. Sed cum visio et ea quae ibi fiunt tam arcte cum ipso templo terrestri connexa cernantur (v. 4. 6), Isaiam Dominum in templo sibi apparentem vidisse censeo. Si vero *Dominum vidisse* dicitur, ex ipsa descriptione elucet non divinam visam esse essentiam, sed humanam quandam speciem (*sedentem* enim cernit) maiestate plenam ipsi esse oblatam. Bene adnotat *Sanct.* Deum apparuisse eo modo quo in V. T. apparere solebat, i. e. apparuisse angelum Dei nomine (de qua re etiam h. l. fusius agit *S. Thom.* [1]), qui divinam in se repraesentaverit auctoritatem. Eam autem visionem peculiari ratione referendam esse ad Filium Dei qui tali apparitione in figura humana facta sacrosanctae Incarnationi quasi praelusisse haud immerito dicitur, explicite Ioan. 12, 41 docemur.

Dominum autem in regali solio sedentem corona cingebat seraphim

---

1. Scribit *S. Thom.* in h. l. : « dicendum secundum Dionysium 4 cap. de coel. hier. quia nullus purus homo in patribus nec novi nec veteris testamenti accepit aliquam revelationem a Deo nisi mediantibus angelis. Et hanc dicit esse legem inviolabilem... et hoc probat per locum a maiori, quia etiam Moyses accepit legem mediantibus angelis, qui tamen excellentissime vidit; quod probatur per illud quod habetur Gal. 3, 19 et Act. 7, 53 ». Vide quae notavi ad Os. 12, 3. Zach. 1, 11; rem etiam satis accurate pertractat *Sanct.* ad Act. 7

qui summi regis aulici et maximae reverentiae habitu maiestatem apparentis Dei declarant et sua ipsorum praesentia et comitatu splendido gloriam manifestationis divinae augent; v. 2 « *seraphim stabant super illud; sex alae uni et sex alae alteri*; *duabus velabant faciem eius et duabus velabant pedes eius et duabus volabant* »; — *adstant* Domino tamquam ministri, quia « nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis » (Hebr. 1, 14)? Hebr. proprie: (erant) *stantes desuper ad ipsum*; cingebat igitur chorus seraphim thronum vel Dominum ita, ut illi stantes et erecti volitantes etiam paululum super thronum eminere viderentur. *Stare* coram Domino est inservientium qui ad omnem domini nutum sunt parati et expediti, et qui sedente hero *super eum* stare [1] dicuntur (cf. Gen. 18, 8 hebr.). Rem declarant LXX κύκλῳ αὐτοῦ in circuitu eius, qua voce simul multis ab angelis Dominum cinctum esse ostendunt. Atque id ad Dei maiestatem declarandam facit et s. Scripturae analogiae congruit; nam uti iam *Euseb.* adnotat, apud Danielem « millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei » (Dan. 7, 10); « aestimo hos coronae instar eum undique ceu magnum regem stipasse » (*Euseb.* sim. *For.*), similiter, ut Michaeas propheta dixit: « vidi Dominum sedentem super solium suum et omnem exercitum coeli assistentem ei a dextris et a sinistris » (3 Reg. 22, 19).

Iam habitus seraphim declaratur. Ad latinam interpretationem adnotat *S. Hier.* eius auctor: « ubi nos diximus quod unus de seraphim velaret faciem et pedes *eius*, per quod intelligitur Dei, in hebr. scriptum habetur *phanau* פניו et *reglau* רגליו, quod potest interpretari *eius* et *suam*: ut seraphim iuxta hebraei sermonis ambiguitatem et faciem pedesque Dei et suam faciem et pedes operire dicantur ». At certe non prius, sed alterum erit assumendum, quod etiam LXX, *Syrus* sequuntur et *Chald.* (« duabus unusquisque velabat faciem suam, ut non videret, et duabus velabat corpus suum, ut non videretur »); ita quoque interpretum plerique. Faciem suam velant ad maximam divinae maiestatis reverentiam exhibendam, « ut indicent se non audere neque aspicere neque accedere ad eum, ad cuius adytum Ozias sine timore accessisset » (*S. Ephr.* sim. *Barh.*), vel quod huic cognatum est, velant faciem, ut intolerabilem et qui creatis oculis sustineri nequeat splendorem divinae maiestatis designent (*For. Pint. Sanct.*). Ad eundem reverentiae habitum pedes velant, « ne nudis pedibus regi suo assistant » (*Euseb.*), praesertim quia longiores vestes et dignitatis et decoris mul-

1. Hic loquendi modus praecipue usurpatur de sacerdotibus et levitis coram Domino stantibus i. e. ministrantibus; cf. Deut. 10, 8; 17, 12 hebr. 2 Par. 29, 11; de angelis cf. 3 Reg. 22, 19. Iob 1, 6; 2, 1. Zach. 6, 5; de servis 3 Reg. 12, 6. Dan. 1, 5 etc.

tum prae se ferunt. Angeli figura quidem humana apparent, quae cum visibili modo se ostendere debeant, sublimibus spiritibus certo est omnium formarum dignissima, quippe quae iam inserviat animae spirituali tamquam organum et involucrum; verum *alae* demonstrant eos onere corporis minime gravari, sed ab omni concretione materiae solutos maxima quadam agendi, penetrandi velocitate esse praeditos. Ea forma vates simul edocetur, non homines a se conspici, sed altioris ordinis ministros Dei qui throno et aspectui divino iugiter assistunt; « alas habere dicuntur propter velocitatem et in cuncta discursum » *(Hier)*. *Duabus volitant;* cum vita sit in motu, alarum hac agitatione summum quendam vitae gradum manifestant eoque symbolo apte declarant et ingens desiderium quo rapiuntur ad Deum videndum utque in eum se totos immergant (*Lap. For.*), et maximam quandam promptitudinem, alacritatem ad parendum nutui divino (*Pint.*). Accedit quod suavi hac alarum agitatione tota scena reddatur magis viva et sublimis; atque profecto eos qui summo vitae auctori qui est excellentissimo modo vita et *actus purissimus*, proxime assistunt etiam vitae eius magna intensitate participes esse et exhiberi decet. Quibus autem spiritus illi potissimum occupentur, carmine suo declarant, quo simul aptissime declarant quae sit visionis huius et speciei obiectae vis ac ratio.

Iam quomodo ipsum nomen seraphim שְׂרָפִים explicandum sit, incertum est. Verbum שׂרף satis frequenter occurrit et significat *urere, comburere, ardere;* eadem voce vocantur *serpentes igniti* vel *flatu adurentes,* quos misit Dominus ad puniendos Israelitas in deserto (Num. 21, 6. 8. Deut. 8, 15); eadem Isaias ipse appellat serpentem vel draconem volantem (14, 29; 30, 6). Secundum hoc igitur etymon plerique explicant; iam *S. Hier.* scribit: « seraphim interpretantur ἐμπρησταὶ quod nos dicere possumus *incendentes* sive *comburentes* »; ita *S. Cyr.* : ἐμπρησταὶ ἤτοι θερμαίνοντες [1], ardentes (*Mald. For.*), igniti (*Mar. Calm.*), urentes, comburentes, accendentes (*Malv. Tir.*); id quod ad eorum officium quoque referunt, « proinde purgaturi bonos et consumpturi malos » (*Malv.*); alii significatione ab ignis splendore derivata seraphim splendidos, lucentes, lucidos interpretantur; ita iam rabbini aliqui v. g. *Kimchi*, dein *Grotius, Ros. Umbreit*. Alii vocem ex arabico elucidare student et ita *sublimes, magnificos, nobiles* et sim. explicant, similiter uti angeli vocantur principes Dan. 10, 13 vel excelsi Iob 21, 22; ita *Ges. Winer, Doederlein,* alii (cf. *Ros. Drechsl.* — compara honoris titulum ex arabico *Scherif*).

Quod alii de cultu ac nomine Serapidis vel de draconibus alatis ex variis mythologicorum somniis proferunt, mentione indignum est. *Chald.* nomen seraphim non effert, sed eos solum *ministros sacros* appellat. Sed nomen seraphim iam LXX et *Syrus* habent. — Cum in hoc uno loco de seraphim mentio fiat, *Knobel* de ipso nomine

1. *S. Chrys.* explicat ἔμπυρα στόματα. In epistola ad Damasum (de seraphim et calculo; *M.* 22, 364) scribit *S. Hier.* : « Seraphim sicut in interpretatione nominum hebr. invenimus, *ardor* aut *incendium* aut *principium oris eorum* interpretantur ».

dubium movit et vocem pro eo substitui vult quae sacros sacerdotes vel ministros significet שׁרתים. At nemo non videt audaciorem esse talem immutationem; insuper vox שרתים ipsa non invenitur alibi, sed ministri Iahve משׁרתי יהוה appellantur (Is. 61, 6. Ier. 33, 21. Ioel 1, 9; 2, 17. 1 Chron. 6, 17; 16, 4. 2 Chron. 13, 10 etc.). Quare ea coniectura ab ipsis quoque rationalistis spernitur.

Seraphim angelos intelligi liquet; throno enim Dei assistere exhibentur (cf. Dan. 7, 10. Tob. 12, 15), Dei laudes concinunt; eo describuntur habitu quo Deo reverentiam et promptam obsequendi voluntatem praestare cernuntur, et uti v. 6, a Deo tamquam ministri mittuntur per quos bona divina cum hominibus communicat; quibus indiciis satis superque ex s. Scriptura colligitur naturam proponi angelicam. Accedit sensus traditionis doctrinaeque catholicae adeo universalis et constans, qui omnem dubitationem excludat.

Quod habitu profitentur Dei scil. laudem, adorationem summumque divinae gloriae desiderium, iam carmine et cantico produnt v. 3 « *et clamabant alter ad alterum et dicebant : sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria eius* » ; — *clamant* ex magnitudine affectionis (*S. Thom.*), cui quoque alarum agitatio congruit. Cantici verba scenam obiectam explicant; ostendunt scil. Deum in sanctitate et maiestate quam in se habet simulque declarant, quomodo hanc gloriam suam in terra velit resplendere excellenti quadam ratione. Ita Deus describitur sedens super thronum excelsum et elevatum, qui qua talis supremus est omnium Dominus et agmina coelestia et terrestria sibi habet subservientia et qui in omnium rerum administratione normam sequitur et exprimit sanctitatis, summo odio habens, puniens et delens peccatum, unice amans et diligens integritatem, iustitiam, puritatem. Et uti in specie obiecta fimbriae vestimentorum eius replent templum, ita in cantico gloria Domini plena est omnis terra. — Magna emphasi chori seraphim alternatim Dei *sanctitatem* praedicant. Atque id quidem iuremerito. Nam omnium consiliorum atque operum Dei haec est summa, ut Dei sanctitas manifestetur, ut ordo ille sacrosanctus iuris et iustitiae inter homines instituatur, reparetur, promoveatur, ut homines ipsi ad aliquam divinae sanctitatis participationem et imitationem evehantur. Hunc in finem hominem creavit et ab ipsa creatione supernaturali sanctitate ditavit; hunc in finem post miserandum hominis lapsum spem ostendit redemptionis, et ut cetera omittam, foedere cum Abraham inito populum peculiarem sibi praeparavit ac selegit, in quo remedia salutis omnibus demum profutura reponeret. Quare eum populum sanctum esse voluit, separatum a gentium contagione, divino servitio in rebus omnibus quam arctissime mancipatum; « eritis mihi in regnum sacerdotale et gens sancta » (Ex. 19, 6), « tu populus sanctus es Domini Dei tui »

(Deut. 14, 21 etc.). Et quantopere Deus signis atque portentis, beneficiis eousque inauditis et castigationibus in rebelles immissis hanc suam theocratiam stabilire studuerit, testis est unaquaeque s. historiae pagina. Populus Israel ab origine sua et per saeculorum cursum infinitis titulis huic Deo est obstrictus atque devinctus. Sed quam enormiter a fine proposito erraverunt! Si ergo in tali rerum conditione *sanctus* Deus se videndum obiicit [1] oculis prophetae et angelorum chori *sanctitatem* eius adeo sollemniter praedicant, id propterea fieri censendum est, ut innotescat Deum in violatores sanctitatis animadversurum, iura sanctitatis restituturum, regnum sanctitatis esse stabiliturum. Haec autem sanctitatis redintegratio aptissime declaratur gloria Dei in omnem terram abundantissime effusa; « *plena est omnis terra gloria eius*.» ; Deus scil. est gloria et lux et splendor immensus; iam qua imagine aptius divinorum bonorum communicatio et effusio in creaturas adumbrari poterit atque depingi, quam ut splendor divinus quasi dicatur effundi in terram terramque efficere relucentem et eius splendoris pulchritudinem ac formam in se exprimentem ac referentem? Ita enim omnia in divinam similitudinem transformata cernuntur; uti coelum, ita terra quoque plena est gloria Dei et habetur summum illud operum Dei fastigium, ut sit « Deus omnia in omnibus ».

Talia igitur et symboli specie et verbis cantici menti et animo vatis obiiciuntur. Quare mirum non est ea quoque exprimi in integra Isaiae prophetia. Ipsi sollemnis est usus nominis Dei « Sanctus Israel ». Quis ex cantico seraphim hoc nomen deprompturn esse non agnoverit? Et quantopere illud menti vatis impressum sit, ex eius usu adeo frequenti conclude. Iam occurrit 1, 4 et 5, 16; immo eius usurpatio adeo peculiaris est Isaiae, ut ipsi illusores in suis blasphemiis iam id nomen irrideant : veniat consilium Sancti Israel 5, 19; quare 5, 24 « eloquium Sancti Israel blasphemaverunt »; et frequenter quoque in subsequentibus : 10, 17. 20; 12, 6; 17, 7; 29, 19. 23; 30, 11. 12. 15; 31, 1; 37, 23; 40, 25; 41, 14. 16. 20; 43, 3. 14. 15; 45, 11; 47, 4; 48, 17; 49, 7; 54, 5; 55, 5; 60, 9. 14. Ex eadem ratione adeo frequenter Isaias nominat « montem sanctum, populum sanctum »; altissime enim animo imbibit, in quantum sanctitatem Dei in terra relucere deceat; unde cf. 4, 3; 11, 9; 26, 10; 27, 13; 35, 8; 48, 2; 52, 1. 10; 56, 7; 57, 13. 15; 58, 13; 63, 15. 18; 64, 10; 65, 11. 25; 66, 20. Huic intime cohaeret, quod Dei gloria tamquam in terram effusa, in terra restituta et resplendens, terram illustrans exhibetur. Id iam in

1. Vide quae notavi ad Os. 11, 9 (Comment. in Proph. min. I p. 148).

antecedentibus advertere licuit; cf. 2, 11. 17; 4, 2. 5; 5, 16, et per totam prophetiam egregie proditur. Haec si ob oculos habentur, iam vix dubium esse possit, quin ea visio sicuti prophetiae Isaiae suum tribuat colorem, et suum subministret argumentum amplissimum, ita simul sollemnis sit Isaiae ad munus propheticum inauguratio. Quae ratio eo quoque confirmatur, quia apud Ieremiam et Ezechielem [1] visio inauguralis simul totius muneris ab alterutro obeundi rationem et formam revera claris lineamentis adumbrat. Quare cum idem in hac Isaiae visione deprehendimus, iam ex quadam analogia et paritate eam esse visionem quoque inauguralem coniicere licebit.

Sollemne illud trisagion mysterium innuere SS. Trinitatis, communis est sententia s. Patrum et interpretum [2]. Idque recte. Nam etsi minime opus est assumere ipsum Isaiam hoc carmine de eo mysterio esse edoctum vel eum in voce ter repetita tres indicare Personas, in *Domino* exercituum unam divinitatem cognovisse vel suspicatum esse, nobis tamen quibus aliunde ea nota est veritas, ex hac ipsa cognitione ultima panditur et intima ratio, cur angelici spiritus ita canant et cur canticum tale Spiritus sanctus literis consignatum voluerit. Neque temere quis dixerit etiam hoc carmine revelationem mysterii huius esse suo modo praeparatam ac praeformatam, quemadmodum trina quoque Dei invocatio atque appellatio pronuntiatur in benedictione Iacob (Gen. 48, 15. 16) et in formula populo bene precandi qua utebatur summus sacerdos (Num. 6, 24-26). Ex plurimis testimoniis unum sufficiat. Scribit *S. Chrys.* : « hic hymnus non modo laus est, sed etiam prophetia de bonis quae totum orbem occupatura sunt, atque etiam dogmatum accurata disciplina. Cur autem non semel dixerunt et tacuerunt, neque secundo et postea desierunt, sed tertium etiam addiderunt? Annon palam est id ideo illos fecisse, ut hymnum offerrent Trinitati » ? Hymnum angelicum *S. Thom.* brevi ita complectitur : « personarum trinitas et maiestatis unitas usque ad ultimas creaturas extendit diffusionem suae bonitatis ».

Atque fore ut canticum istud effectum suum sortiatur potentissimum, in subsequentibus declaratur, quibus simul nova maiestatis divinae adumbratio continetur. Uti enim thronus excelsus et elevatus, uti fimbriae longe lateque a solio diffluentes et templi pavimentum operientes, uti seraphim ipso suo habitu ad reverentiam facto et laudis carmine maiestatem Dei declarant et maximum quendam reverentiae sensum contemplanti ingerunt, ita templum ipsum suo tremore testimonium

---

1. Cf. Stimmen aus Maria-Laach 1879; vol. 17 p. 274 et seq.

2. Immo apud rabbi Simeonem Iohai filium et Ionathan Uzielis filium idem inveniri, asserit *Galatinus*, de arcanis cath. verit. l. 2 cp. 1.

quoque reddere decuit, quanta cum trepidatione creaturae obviam ferantur divinae sublimitati v. 4 « *et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis et domus repleta est fumo* » ; — tali commotione *a voce clamantis,* i. e. chori seraphim alternatim canentis et inter se respondentis facta, quam potenter et magnifice cantus angelicus resonuerit, describitur et symbolice vis et efficacia divini consilii exprimitur. Accedit praeterea quod ad maiestatem divinae apparitionis declarandam terra tremere, montes contremiscere, fumigare, valles scindi etc. dicuntur (cf. Ps. 96, 4. 5; vide quae notavi ad Mich. 1, 3. Hab. 3, 6. 11); quare in ea quoque manifestatione divina tale indicium res inanimatas quoque suo modo sentire Dominum abesse non oportuit. Unde pro ratione visionis ipse locus visionis i. e. templum commovetur et sacro quodam terrore contremiscit, uti olim revera tremuit mons Sinai, in quem Dominus legislator i. e. angelus eum repraesentans descendebat. Hebr. vertunt *fundamenta liminum commovebantur* vel *postes liminum* (*Malv. Bauer, Drechsl. Del.*) i. e. templum totum usque ad fundamenta concutiebatur. Insuper *domus* i. e. templum *fumo* replebatur, ut etiam ea in re similitudo servaretur cum ceteris apparitionibus divinis ; cf. Gen. 15, 17. Ex. 19, 9. 16. 18; 20, 18, in Sinai monte scil. Deus venit in caligine nubis et totus mons fumabat ; in dedicatione templi Salomonis « nebula implevit domum Domini » (3 Reg. 8, 10), et si summus sacerdos in sancta sanctorum ingrederetur, intrare debuit assumpto thuribulo, « ut positis super ignem aromatibus nebula eorum et vapor operiat oraculum » (Lev. 16, 13); ita scil. nube et fumo Dei maiestatem esse inaccessam et lumen inhabitare inaccessibile significabatur. Simili ratione Deus praesentiam suam declaraverat in deserto (cf. Ex. 24, 18. Num. 16, 43). Quare *fumum* symbolum gloriae Dei et signum eius praesentiae etiam hoc loco explicari oportebit (ita *Sanct. For. Lap. Men. Tir. Gord. Calm.*). Ex hac igitur parte visio obiicitur Isaiae symbolis iam aliunde notis et divinam manifestationem comitantibus.

Alii in commotione et fumo immediate et directe poenas a Deo infligendas cernunt; scil. ruinam et destructionem urbis, incendia et vastationes, quibus urbs, templum et tota Iudaeorum regio erit atterenda (*S. Chrys. Hier. Theod. Euseb. Thom. Malv.*), vel etiam in fumo symbolum cernunt obcaecationis Iudaeorum (*Cyr. Sasb.*). Commotio templi sane eo sensu accipi debet, ut Dei apparitionem magnum quid effecturam esse et ipsam creaturam terrore Dei concuti significetur ; at particularia illa directe non designari ex eo concludi oportet, quia eius significationis vestigia nulla adsunt. Etiam in fumo praestat commune illud symbolum accipere quale ex analogia toties in s. Scriptura obvia suadetur. Alii malunt fumum referre ad ignem sacrificialem et aromata et thura quae in templo cremabantur (*Mar. Kn.*); ita visio conformaretur ad ritus et

caerimonias templi. Neque valet quod obiicit *Drechsl.*: si fumus, uti alias, etiam hic symbolum esset gloriae Dei et comes apparitionis divinae, eius mentio statim fieri debuit v. 1, non nunc demum v. 4. Nam ex v. 1 et 5 indubie colligitur Isaiae aspectum sedentis in solio excelso concessum fuisse; proinde per se liquet fumum illum qui divinam manifestationis gloriam quasi velo obduceret, ea in apparitione non statim ab initio adesse potuisse. Quamvis igitur apparitio divina symbolo illo noto vestiretur, tamen non sequitur eam non fieri nisi statim ab initio tota symboli ratio adesset. Quis sit visionis finis particularis attendi oportet.

Hebr. אמות הספים LXX vertunt τὸ ὑπέρθυρον; sim. *S. Hier. Chald.* — *Syrus* limina portarum. Uti ex Am. 9, 1 colligi potest, סף probabiliter etiam *superliminare* significat; אמה autem quasi *matrix* de origine, principio, fundamento alicuius rei dicitur (cf. *Ges.* Thes. p. 110). Unde res ita concipi potest, ut quoties chorus seraphim canticum repeteret, toties fundamenta liminum, vel ea quibus superliminaria innitebantur, fulcra superliminarium commota fuerint atque contremuerint (cf. *Del.*). Alii vertunt *postes superliminarium* vel etiam *superliminaria postium* vel simpliciter *postes liminum* etc. (cf. *Ros.*).

b) **Isaias ad munus obeundum expiatur 6, 5-7.**

Quamdiu praeclara Dei apparentis species aciei mentis Isaiae esset obiecta, ipse sane in ecstasin raptus eius visionis voluptate perfundebatur et alienatus a sensibus totus in visione coelesti animo infixus haerebat. At quam primum splendida Dei in throno sedentis apparitio fumo veluti velo obducebatur — « Dominus dixit, ut habitaret in nebula » 3 Reg. 8, 12 — Isaias quasi ad se reversus sacro quodam terrore corripitur de sublimi visione habita. Sua sponte enim illa quae nobis maiora et a nobis ingenti quasi intervallo distare intelligimus, sacra quadam reverentia, cui timor ac tremor adiungitur, suspiciuntur; idque fieri eo magis tunc oportebit, quando de repente e regione supernaturali et spirituali figura quaedam ac species menti offertur. Exempla habes in Ezechiele, qui visionem similitudinis gloriae Dei intuitus cecidit in faciem suam (Ez. 2, 1), habes in Daniele, qui simili occasione territus fuit, horruit spiritus eius, qui pronus in terram collabitur, cuius comites ex sola rei supernaturalis quam ipsi tamen oculis non cernunt praesentia terrore correpti aufugiunt (Dan. 7, 15; 8, 18; 10, 7), habes in ipsa b. Virgine quae ingresso angelo turbata est et quam monet, « ne timeas, Maria » (Luc. 1, 29. 30), habes in eo qui vidit apocalypsin, qui tamquam mortuus cecidit ad pedes figurae coelestis ei oblatae (Ap. 1, 17). Quare in Isaia quoque primum animi motum sacrum fuisse terrorem non est incredibile. Hunc autem ita enuntiat, ut memor effati Domini: « non enim videbit me homo et vivet » (Ex. 33, 20) exclamet secundum hebr.: *et dixi: vae mihi, quia perii,* actum est de me, ex-

scindor,... *et regem Iahve exercituum vidi oculis meis* (cf. *For. Prado* in Ez. 2, 1. *Lap. Malv. Men. Calm. Rohl. Troch.*); tangit scil., ut *Malv.* notat, vetustam opinionem in populo Dei receptam, ut quicumque Deum vel angelum vidisset, statim esset moriturus. Quare Iacob quoque patriarcha admirabundus : vidi Deum, inquit, et salva facta est anima mea ; Gedeon quoque simili timore perculsus ingemiscit : heu mihi, quia vidi angelum Domini (Iud. 6, 22 ; cf. 13, 22). Eodem sensu LXX κατανένυγμαι ; « haec enim visio prophetam exterruit, expergefecit, in magnam formidinem coniecit » (*S. Chrys.*).

In eundem sensum accipi debet versio lat. v. 5 « *Et dixi : vae mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum et in medio populi polluta labia habentis ego habito, et regem Dominum exercituum vidi oculis meis* » ; — *tacui* i.e. fieri permisi ; vae, quia oculos non averti ; ita forte versio lat. textui originali accommodari potest. Primum quod scena illa coelestis ei ingerit est fragilitatis ac vilitatis propriae cognitio atque confessio. *Sanctum* enim Dominum vidit, et luce divina collustratus iustissimus quisque inter homines innumerabiles in se detegit naevos atque defectus. Ita quam primum aliqua rerum supernarum cognitio pectori illabitur, homo sibi ipsi vilescere et veram colere incipit humilitatem. Quam in rem adnotat *S. Chrys.* : « haec visio prophetam ad confessionem perpulit, vilitatem propriae substantiae ut melius cognosceret, effecit. Tales quippe sunt sancti omnes : quando maiore fruuntur honore, tunc magis humiliantur. Sic et Abraham Deum alloquens terram et cinerem seipsum vocabat ; sic et Paulus quando visione illa dignatus est, tunc abortivum se nominavit » ; sim. *S. Hier.*

Cur autem labiorum immunditiem accuset, i. e. cur ad unam peccatorum speciem tam explicite descendat, ex cantico seraphim declaratur, cui ut sese adiungat et vocem suam cum angelorum concentu misceat, se indignum reperit et impotem. Ceterum ad Dei laudes canendas labium requiritur electum (Soph. 3, 9), nam « peccatori dixit Deus : quare tu enarras iustitias meas et assumis testamentum meum per os tuum » (Ps. 49, 16)? Ex norma legis leviticae qua macula quaedam lustrationibus eluenda ex ipso consortio cum immundis contrahebatur, facile fluit cur ad augendam suam indignitatem addat *et in medio...* quasi dicat : peccator sum et inter peccatores habitans (cf. *Malv. Mald.*) ; praeterea ex ipsa cum immundis consuetudine non solum labes quaedam contrahi solet, sed iam sola inter eos commoratio habet indigni aliquid, ingerit sensum pudoris et confusionis, quare Isaias visa Dei specie et in quadam imagine divinam sanctitatem intuitus et angelicum puritatis candorem contemplatus se lamentatur immundum et inter immundos se versari summopere dolet. Quod vero speciatim

conqueritur de labiorum macula, eo aptius infertur quia ut sit propheta i. e. os Dei consecrandus est. Eam igitur humiliter confitetur infirmitatem, qua a munere prophetico longius abesse videri poterat. Verum ad divinae gratiae et providentiae gubernationem pertinet, ut homo ibi praecipue se agnoscat impotem atque indignum, ubi Deus eo tamquam instrumento uti velle decreverit. Quare *hac* humili confessione de labiis pollutis quantum in ipso erat se ad vocationem propheticam accipiendam disponit ac praeparat. Suae indignitatis sensu imbutus visa Dei gloria se indignum morte esse perimendum censet ratus maiestatem divinam non ferre, ut vir labiis pollutus coram assistat, simulque dolet quod tam vilis et immundus appareat coram Domino et angelis eius et ideo impar sit qui laudes divinas celebret ; unde *vae mihi !* Simul quam sublimi visione fuerit donatus, admirabundus praedicat *et regem Dominum..* titulis magnificis maiestatem divinam appellans.

In interpretatione *quia tacui S. Hier.* secutus est Symmachum ; secundum cod. syr. hexapl. etiam *reliqui* i. e. *Aq.* et *Theod.* ita verterunt. Est utique דָּמָה simili significatione praeditum ; *cessare, mutum esse ;* at in *niphal* significationem induit *destrui, perire ;* eam *S. Hier.* notione *conticuit* exprimere solet ; cf. Is. 15, 1. Ier. 47, 5. Abd. 5. Os. 4, 6. Soph. 1, 11 ; semel etiam vertit *transiit* Os. 10, 15 ; formam in piel reddidit 2 Sam. 21, 5 *opprimere.* Cur hoc loco verterit *tacuit,* rationem partim reddit hanc : plangit se propheta quia non fuerit dignus laudare Dominum ; partim aliam : vel certe ita intelligendum : quia tacui et non audacter Oziam impium regem corripui. Haec ratio multis valde placuit [1]. Rem vario modo exaggerant ; Isaiam contra legem permisisse, ut rex lepra percussus maneret in civitate etc. ; neque ausum esse regem reprehendere (cf. *Theod. Cyr.*). Idque connectunt cum v. 1 *in anno quo mortuus est Ozias...* autumantes propter Oziae crimen, quo sibi munus sacerdotale adolendi incensum arrogasset (2 Par. 26, 16 seq.), cessasse Dei visiones et non allatas esse Isaiae nisi rege defuncto (cf. *S. Ephr. Cyr. Sanct. Lap. Tir.*).

Sed Deus qui superbis resistit, humilibus dat gratiam et humiles eligit et assumit ad magna paragenda. Id quod Isaias in se deflet et lamentatur, Deus aufert obviam occurrens confessioni humili. Unde v. 6 « *et volavit ad me unus de seraphim et in manu eius calculus quem forcipe tulerat de altari ;* v. 7 *et tetigit os meum et dixit : ecce tetigit hoc labia tua et auferetur iniquitas tua et peccatum tuum mundabitur* » ; — apposite monet *S. Basil.* : « missus est autem (angelus), postquam Dominus eum audivit miserias suas deflentem peccatumque in sua mente reconditum confitentem ». Intelligitur calculus ignitus, candefactus, quales in altari thy-

---

1. Verum bene iam notat *S. Chrys.* : « sed qui haec proferunt, ex seipsis talia coniiciunt; Scriptura enim nusquam dicit eum praesentem fuisse et praesentem siluisse, quando Ozias illa attentavit ».

miamatis erant et quibus thura ad cremandum imponebantur. In hac quoque re visio ad temporis locique conditionem exprimebatur, sicut in eo quoque morem humanum imitatur, quod seraph non manu, sed forcipe calculum fert ignitum, prout sacerdotes et levitae prunas ex altari auferre solebant. Symbolum expiationis *igne* continetur; ignis enim sordes absumit, scorias excoquit etc.; unde ad expiationis formam et figuram saepe adhibetur; cf. Num. 31,23 : « omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur »; Ps. 16, 3; 17, 31; 65, 10. Is. 4, 4. Mal. 3, 2 etc. Calculus autem quo fit expiatio et emundatio ab *altari* desumitur, ut nexus indicetur qui adsit inter sacrificium et expiationem; quare optime monet *S. Cyr.* : « non abs re de altari accipitur » et *S. Chrys.* : « ex altari accepit, ubi hostiae offerebantur et expiationes peccatorum ». Fit per angeli ministerium signo externo, cui verba declarantia et rem efficientia adiunguntur, « sicut in sacramento est actio et verborum forma » (*S. Thom.*). Os tangitur, ut os dignum fiat quod sit Dei organum, in quo Deus ponat verba sua (Deut. 18, 18); ita labia eius redduntur electa (cf. Soph. 3, 9), quae actio symbolica pro *inauguratione* prophetae et in se aptissima est et in *vocatione* Ieremiae ad munus propheticum ab ipso Deo peracta ostenditur : « et misit Dominus manum suam et tetigit os meum et dixit Dominus ad me : ecce dedi verba mea in ore tuo » (Ier. 1, 9). Rem declarat *Men.* : « contactu labiorum per prunam significat Deus se et peccata remittere Isaiae et illum spiritu prophetico implere, fiducia etiam et magnanimitate, ut audenter in posterum prophetae partes impleat ». Sunt scil. eloquia Dei pura et sancta; unde ut quis illa in se recipiat digneque cum aliis communicet, ipse est ab omni macula purgandus (cf. *Pint. Lap.*). « Gerebat illa pruna imaginem divini verbi quod totum est igneum intimosque animi sensus exurit coelestiumque rerum cupiditate mirabiliter inflammat » (*Osor.*).

Uno hoc s. Scripturae loco mentio fit seraphim. [Ex eo quod v. 2 dicatur : sex alae *uni*, sex alae *alteri*, et v. 3 clamabant *alter ad alterum*, multi collegerunt *duos* tantum designari; immo censet *Sanct.* propter responsorium in breviario (in dominicis quae sunt a Pentecoste) : duo seraphim clamabant, nos Ecclesiae auctoritate ad eam cogi sententiam. At non est ita. Multo plures adfuisse iam *S. Hier.* omnino approbat auctor versionis; dicit enim : « multi autem putant duos esse seraphim, quia clamabat alter ad alterum, cum et de pluribus possint singuli clamare ad singulos, et LXX editio magis significet plurimos, qui interpretati sunt *seraphim stabant in circuitu eius*; quod si de duobus diceretur, non in circuitu sed ex utraque parte dixissent. Et hoc convenit angelorum multitudini, quae in Dei ministerium praeparata est ». Sententiam illam de duobus explicite reiicit *Euseb.* et addit : « aestimo hos coronae instar eum undique ceu regem magnum stipasse »; sim. graeci interpretes. Etiam

multi ex latinis agnoscunt multitudinem seraphim declarari (cf. *Malv. For. Lap. Tir. Osor.*); neque loquendi modus v. 4 *a voce clamantis* obstat, cum id *collective* dici possit (cf. Ios. 8, 19 האורב *insidians*, Ios. 6, 7 החלוץ *armatus*, Ios. 6, 9 etc. sensu *collectivo*; cf. *Del.*).

Notum est inter theologos in opere de coelesti hierarchia Dionysii quem Areopagitam vulgo nominant, angelos assistentes et ministrantes ita distingui, ut illi superiores nunquam dicantur *mitti*, sed solum inferiores. Auctoritas illa Dionysii quem ab ipsis apostolis doctrinam hausisse existimabant, multos in eandem sententiam impulit. Eam proponunt *Herveus*, *S. Thom. Bonaventura, Richardus, Aegidius, Sasb.* eamque multis defendit *Suarez* (de Angelis lib. 6 cp. 9). Unde illi hunc nostrum locum aliter explanare coguntur; verbis enim planis atque perspicuis hic dicitur unum de seraphim volasse ad Isaiam eiusque os tetigisse, ergo clare asseritur, unum de seraphim missum esse et ministerium quoddam obiisse. Respondent vestigiis Dionysii insistentes, vel angelum hunc dici seraph *aequivoce*, non ab ordine, sed ab actu quem tunc exercuerit quia igne purgaverit et seraph incendium dicat, vel dici seraph purgare, non quia immediate ipse purget, sed quia eius auctoritate vel percepta ab ipso illuminatione inferior angelus purgaverit; ergo opus illud tribui seraphino tamquam imperanti, non ut exsequenti. Aliud suggerit *Suarez*: « fortasse cum dicitur *in manu eius calculus*, per manum non incommode intelligere possumus illum angelum qui erat velut instrumentum seraphini mittentis illum ad purganda labia prophetae, et consequenter cum dicitur *et volavit ad me*, non oportet intelligi quod per se volaverit, sed per ministrum suum » (l. c. cp. 10 n. 8). Sed talia dici et coacte nimis et arbitrarie liquet. Unus hic locus nos de seraphim edocet. Si ergo ne hic quidem vere et proprie de ipsis seraphim loquatur, unde iam seraphim omnino exsistere demum probabunt? In huius textus explanatione seraph mitti simpliciter dicunt *S. Chrys. Cyr. Hier.*[1] *Basil.* et plerique interpretum v. g. *Haimo, Pint. Tir.*; bene notat *Lap.*: « est verius, scil. eum qui volaverit vere fuisse ex choro seraphim. Hinc enim doctores et Ecclesia probant nonum ordinem angelorum esse seraphim, nec enim aliunde ex Scripturis probari potest ».

Atque revera *omnes* angelos esse λειτουργικὰ πνεύματα administratorios spiritus, in ministerium missos s. Scriptura simpliciter asserit (Hebr. 1, 14) et eo quidem loco id S. Paulus affirmat, ubi ad vim probationis prorsus necessarium est *omnes omnino angelos nullo excepto* intelligere. Christi enim super omnes angelos eminentiam S. Paulus affirmat et probat. Unde si de revelatis loqui oportet secundum revelata, illa sententia Pseudo-Areopagitae est relinquenda. Eam iam reliquerunt *Alexander halensis; Scotus, Durandus, Argentina, Marsilius, Molina* aliique, et relinquunt recentiores theologi (cf. *Petavius*, de Angelis II, 6. *Gutberlet*, Erklaerung d. B. Tobias p. 308. *Heinrich*, Dogm.

---

1. In ep. ad Damasum (*M.* 22, 367) haec adnotat *S. Hier.*: « quidam Graecorum in Scripturis apprime eruditus seraphim virtutes quasdam in coelis esse exposuit quae ante tribunal Dei assistentes laudent eum et in diversa ministeria mittantur ».

Theol. V p. 570. *Scheeben,* Dogmatik §. 142 n. 245. *Jungmann,* tract. de Deo Creat. p. 94. *Mazzella,* de Deo creante p. 206).

c) Muneris obeundi ratio et effectus 6, 8-13.

« Postquam prophetae labia carbo tetigit eiusque amovit iniquitates, tunc vocem Domini audit nec extimescit amplius et tacet illud : o miserum me, sed fortiter ad legationem obeundam se sistit » (*Cyr.*). Post humilitatis confessionem expiatione accepta iam dignus est qui Domini vocem audiat et vocationem divinam excipiat : v. 8 « *Et audivi vocem Domini dicentis : quem mittam et quis ibit nobis? et dixi : ecce ego, mitte me* » ! — opus divinum quod efficiendum est angelorum cantus declaravit ; ad huius operis partem Deus vocaturus Isaiam invitantis in modum quaerit. Suavi enim sua providentia « Deus non cogit, sed voluntatem quaerit » (*glossa ord.*), hominis liberum arbitrium excitat, munus praeclarum simul et gravissimum ostendit, sed cum dicat *quem mittam*, et suam auctoritatem (*S. Thom.*) et suam opem continuo adfuturam promittit et ita simul ad missionem suscipiendam efficaciter allicit. « Proponit optionem ut voluntas praemium consequatur » (*S. Hier. Pint.*) ; *quis ibit nobis* scil. ad Dei opus, Dei nomine et auctoritate, qui pro Deo velit legationem suscipere ; neque est abs re quod *S. Thom.* vult : « *nobis* acquisitive, ut non quaerat vanum honorem et non quaerat lucrum », sed unice Dei opus et commodum spectet (cf. *Sanct.*). Unam in modo quaerendi declarari divinitatem [1] et in ea plures personas, rite concludunt ex *mittam* et *nobis*. Neque enim dici potest (quod volunt *Drechsl. Del. Naeg. Bred.*) Deum habito quasi concilio cum angelis et se et angelos intelligere ; angeli enim non tamquam consiliarii assistunt Domino neque ita in operis divini partem assumuntur, ut quasi cooperatores Dei opus propheticum committant vel propheta opus angelicum exsequi dicatur. Multo minus illud *nobis* per modum *pluralis maiestatici* poni quis dixerit, cum talem loquendi modum Hebraeis saltem ante exsilium ignotum fuisse certum esse videatur (cf. *Del. Naeg.*).

Dei invitantis consilium Isaias perspicit ; se promptum ac paratum declarat ; at cum haud ignoret opus esse divina missione, divina ope continua et gratia, mandatum Dei explicitum et legationem divinam efflagitat *mitte me*. Propheta enim Dei esse nequit nisi qui sit *missus*, delegatus a Deo ; in hac *missione* divina omnis eius iuris titulus, auc-

---

1. *S. Hier.* in ep. ad Dam. (l. c. 374) : « in eo quidem quod unius loquentis persona proponitur, divinitatis est unitas ; in eo vero quod dicitur *nobis*, personarum diversitas indicatur ».

toritas, fortitudo, fiducia continetur. « Propheta non temeritate et arrogantia propriae conscientiae se ire promittit, sed fiducia, quoniam purgata sunt labia eius et ablata iniquitas » (*S. Hier.*) ; sentit enim novam quandam vim additam animo suo, qua interius urgente occurrit alacer paratus subire pro causa Domini quodcumque discrimen (*Sanct.*).

Quasi Dominus solum Isaiae consensum expectasset, statim ei denuntiat, quali *effectu* munere prophetico sit functurus; annuntiabit populo veritatem; illi autem mentibus obcaecati eam non modo non suscipient, verum ea proposita magis magisque obdurabuntur; v. 9 « *et dixit : vade et dices populo huic : audite audientes et nolite intelligere, et videte visionem et nolite cognoscere* » ; — i. e. debet propheta populo proponere quae a Deo didicit, debet *visionem* i. e. cuncta quae quomodocumque Deus cum ipso communicaverit in visione, in symbolis, in revelatione, populo fideliter annuntiare; at animos et corda non emolliet, contumaciam eorum et obstinationem non franget. Immo iubetur eum obdurationis effectum producere, et ita ei panditur quam lamentabili successu laboraturus sit in populo. Idque etiam clarius v. 10 « *excaeca cor populi huius et aures eius aggrava et oculos eius claude, ne forte videat oculis suis et auribus suis audiat et corde suo intelligat et convertatur et sanem eum* »! — Dura, immo nimis dura haec verba multis visa sunt. Ita iam ut videtur **LXX**; vertunt enim v. 9 per tempus futurum et v. 10 tempore praeterito : aure audietis et non intelligetis.... incrassatum est enim cor populi huius et auribus graviter audierunt et oculos suos compresserunt, ne forte videant oculis... (ita ex interpret. *S. Hier.*). Et iam *S. Hier.* advertit : « ergo secundum LXX facilis est interpretatio, quod Isaias propheta Domino imperante praedicat, quid populus sit facturus. In hebr. difficultas est, quomodo ipse Deus praecipiat populo, ut auditu audiat et non intelligat... ». Quare interpretes latini communiter etiam textum hebr. ita emolliunt, ut futura praedici velint et *excaeca* etc. idem significare sibi persuadeant quod : denuntia excaecationem (cf. *S. Thom. Mald. Lap. Sa, Osor. Pint. Men. Tir. Gord. Calm.*).

At si rite omnes rerum conditiones perpendantur, verba illa magis in suo rigore servari posse et debere apparebit. Deus enim suis promissis fideliter inhaerens pro ordine illo supernaturali quem in theocratia instituit, prophetas populo suo suscitare non desinit (cf. Deut. 18, 15 seq. et quae de munere prophetico exposui in Erklaerung des Proph. Is. p. 2 seq.). Illi autem tamquam custodes theocratiae, vindices legis divinae et doctores omnium ordinum etiam omnium mores corrigere,

peccata reprehendere et omnia ad normam divinam exigere debent. Iam vero quam primum in aliqua populi parte apostasia a Deo, morum licentia et quae ei coniuncta sunt grassari et radices agere incipiant, facile accidere potest, ut quo magis edoceantur illi vitae ethnicae imitatores et quo magis corripiantur, eo maiore pertinacia et malitia magis in dies obdurata perversitatem et iniquitatem amplectantur. Animorum enim in malo obfirmatorum haec est, indoles, ut saepe virtute ostensa et scelerum reprehensione audita magis callum obducant et eo profundius se sceleri et impietati immergant. Accedit quod qui saepe repulerit sciens ac volens Dei adhortationem et gratiam, demum iusto Dei iudicio tradatur malis cupiditatibus cordis sui. In quam rem bene advertit *S. Thom.* : « Deus proprio iudicio lumen gratiae non immittit illis, in quibus obstaculum invenit. Unde causa subtractionis gratiae est non solum ille qui ponit obstaculum gratiae, sed etiam Deus qui suo iudicio gratiam non apponit » (2. 2. qu. 79 art. 3).

Hisce suppositis iam perspicitur, quomodo propheta iubeatur *excaecare* etc. Debet scil. veritatem proponere, Dei normam et leges assiduo docere, monere recalcitrantes, increpare duros animos, iudicia Dei et castigationes illis denuntiare; at uti lumine admoto oculi aegri magis offenduntur, ita illi qua sunt animorum corruptione et in malo obfirmatione, verbis prophetae irritati et monitiones aegerrime ferentes maiorem induunt contumaciam, rebellionem augent, ad blasphemias contra Deum et monitorem importunum progrediuntur. Id ita accidere potuisse, immo debuisse, nemo negabit qui quam misera fuerit morum conditio tempore Ioatham, ex sermonibus cp. 2-5 accurate perspexerit. Et ne quid quasi desit huic explicationi, iam audivimus contemptores et verbi Dei illusores horrenda cum blasphemia Deum provocare : « festinet et cito veniat opus eius ut videamus; et appropiet et veniat consilium Sancti Israel et sciemus illud » (5, 19). Qualis irrisio et provocatio Dei ab eo, qui in tota populi iudaici historia Dominum largitorem bonorum et malorum vindicem egregium se praestitisse optime perspectum habet! Iam tuto dicere licet, talem blasphemiam non futurum fuisse ut principes hierosolymitani effutirent, nisi correptione et minis prophetae et castigationum divinarum annuntiatione irritati fuissent. Habes igitur, quomodo verbo prophetico fiat obduratio, excaecatio immittatur. Deus fidelis populo suo praestat beneficia et dona mittens prophetas, erudiens populum, licet ea dona per populi malitiam ad maiorem eius culpam et condemnationem vergant. Vult igitur Deus, uti verba pandunt, ut verbum propheticum omni modo per omnes quasi sensus ad eorum animos penetret, ut aures iis percellantur, ut oculi videant

gesta prophetae, symbola v. g. quibus futura adumbrat (cf. 20, 1), ut per sensus exteriores via et aditus pandatur ad cor — at frustra haec omnia fore et incassum simul declaratur.

Atque hunc effectum propheta in opus deducere iubetur *excaeca,* hebr. proprie *crassum redde* vel *impingua* vel *obduc pinguedine* (cf. *Malv. For. Sanct.*); ita enim obtusio mentis, insensibilitas, pervicacia, stupor ac stoliditas ad superna percipienda adipe et pinguedine metaphorice solet designari; *aures aggrava,* quasi graves redde et duras ad audiendum, *oculos obline.* Bene advertit *For.*: « quod autem tota hebetudo ab ipsis proveniat, probat hic quoque locus, dum prophetae praecipitur, ut ipsorum cor impinguet; qui enim fieri posset ut id propheta praestaret? obruti enim vitiis et longa peccandi consuetudine non attendunt monitionibus »... etc. In sententia subiuncta nota, eam *chiastice* ad priorem partem adiungi : *ne videat oculis* etc. Cursu et modo ordinario verbum Dei per sensus exteriores ad hominis cor et mentem pervadit, ibi ad Deum reditum et conversionem efficit et ita homini sanationem, salutem a Deo benigne largiendam conciliat. At tempore Isaiae iam non ita. Effectus illi funesti locutione *ne videat* etc. tamquam mente et animo loquentis *intenti* declarantur. Quomodo hoc, dum Deus malum intendere non possit? Id considerantes multi particulas illas et modos loquendi solum ἐκβατικῶς, non vero τελικῶς accipi debere docent. At qui ita dicunt, neque proprietati verborum, neque aliis locis s. Scripturae[1] satis consulere videntur. Nam in omni sermone id quod mere consequitur et id quod quis mente intendit inter se distinguere solemus, neque Hebraeis ea desunt quibus tale discrimen clare efferatur. Quare nisi verbis perspicuis vim inferre eaque ad impropria detorquere volueris, non poteris affirmare *intentionem* quidem verbis enuntiari, at solam intelligendam esse *consecutionem.* Praeterea multi sunt s. Scripturae loci, in quibus Deus peccato hominis supposito ea revera *velle* dicitur quae cum peccato nexu quodam necessario et interno coniuncta sunt et copulata. Communiter quidem loquimur, Deum *permittere* mala, *permittere* obcaecationem; at permissio talis ita concipi debet, ut Deus qui homini libertatem concessit et abusum libertatis praevidit, etiam illa quae ex abusu libertatis sequuntur, peccata scil. suae gubernationi et fini quem intendit subservire faciat i. e. res ita ordinet ac disponat ut ipsa mala et pec-

1. Id bene iam vidit *S. Hier.* scribens ad h. l. : « de praesenti autem loco hoc dicendum est frustra nos ad LXX translationem confugere, ne blasphemum videatur esse quod iuxta hebr. dicitur..., cum huiusmodi testimonia etiam in LXX interpretibus reperiamus; ut est illud in Exodo quod ad Pharaonem dicitur (Ex. 9, 16) et Rom. 11, 8 et Ps. 68, 23. 24. Ergo et absque hoc testimonio quod nunc conamur exponere, manet eadem quaestio in ecclesiis et ut cum ista solventur et ceterae aut cum ceteris et haec indissolubilis erit ».

cata divinae gubernationis sapientiam, potentiam, iustitiam patefaciant ac promoveant. Atque hoc modo ipsa mala *intendi* dicuntur et hunc ordinem describunt atque inculcant locutiones illae s. Scripturae v. g. lex subintravit, ut abundaret delictum (Rom. 5, 20); cf. Marc. 4, 12. Luc. 8, 10. Ioan. 9, 39; 12, 40. Rom. 11, 8 etc. Vide quoque *Bade* l. c. p. 45 seq.

Bene monet *Gord.* Deum excaecare dum ea proponat populo efficaciter quae ipsi reiecturi sint, et *Sasb.* Deum excaecare non solum quatenus gratiam subtrahat et peccatorem deserat, sed etiam ingerendo correptiones, monitiones, miracula aliaque beneficia quibus ipsi secundum reprobum sensum abutentes efficiantur deteriores magisque iudurentur. Ad quod declarandum exemplum statim subsequitur cp. 7 in Achaz exhibitum qui prophetae interpellatione et monitione magis in perversa animi sententia obfirmatur, et quo magis sibi offerri Dei opem per prophetam videt, eo longius a Deo recedit.

Verba haec saepius quoque in libris novi testamenti usurpantur. Ita Matth. 13, 14: « et adimpletur in eis prophetia Isaiae dicentis . . »; Marc. 4, 12. Luc. 8, 10 verba aliqua recitantur sine explicita Isaiae allegatione; Ioan. 12, 39: « propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias . . . » et etiam Rom. 11, 8 S. Paulus excaecationem Iudaeorum sui temporis inde explicat: « excaecati sunt, sicut scriptum est: dedit illis oculos, ut non videant . . ». Ex iis locis aliqui concluserunt, in verbis illis non Isaiae tempus spectari, verum tempus messianicum (*Pint. Net.*). At immerito. Nam spectari tempus Isaiae tota prophetici muneris ratio, verba ipsa *vade et dices populo huic* et ea quae a v. 11 subsequuntur, nimis clare demonstrant. Quomodo autem eadem verba etiam valeant et usurpari possint de tempore Christi, optime nos docet S. Paulus, qui Iudaeis contumacibus et maiorum suorum indolem in se exprimentibus dixit: « bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros . . . » (Act. 28, 25). Verba igitur primo et proxime valent de Isaiae tempore. Sed quod in Isaiae missione propter populi et principum pervicaciam contigit, id etiam Christi tempore cernitur. Sicut enim Iudaei prophetas, servos a Patrefamilias missos, male tractarunt, ita quoque Filium non sunt veriti; unde quod de tempore illorum dicitur, suo modo etiam de tempore Filii, de tempore Messiae valet, cuius praecursores illi erant. Insuper quod iam *S. Basil.* et ex eo *Procop.* monet, ob oculos haberi oportet, esse scil. populum iudaicum unam quandam *personam* quam dicunt *moralem.* Ad quod illustrandum *S. Basil,* nos remittit ad verba Michaeae: « popule meus, quid feci tibi? . . . quia eduxi te de terra Aegypti . . » (6, 3. 4), et exemplum affert chori, qui idem esse censetur eodemque nomine appellatur, sicut et civitas et exercitus, quamvis singuli commutentur aliis atque aliis succedentibus; « pari ratione nihil prohibet etiam nunc populum qui vivente Isaia demonstrative conspiciebatur, eundem etiam fuisse qui Domini tempore fuit, non quod singuli superstites fuerint, sed

quod commune gentis nomen permanserit ». Verba Dei ad Isaiam *normam* quandam *generalem* exhibent qua Deus eos adhibet qui diu multumque gratiae divinae resistunt; unde iuremerito dicuntur verba *impleri*, quotiescumque in similibus rerum conditionibus norma illa iterum in opus deducitur, et ex *lege* divinae administrationis *constanti* easdem causas iidem effectus subsequuntur.

Ratio igitur muneris Isaiae iniuncti haec est, ut debeat populo et principibus proponere normas divinas, dum isti quo maius lumen iis offertur, eo magis excaecantur. Clare igitur Isaiae praedicitur quam parum prosperi successus sit habiturus, quantum e contra difficultatum, oblocutionum, irrisionum. Id quidem satis durum est; at multo etiam durius id ei qui populi sui amore perfusus eius salutem quam maxime cordi habet, accidisse censendum est, quod munus propheticum invitante Deo susceptum suis popularibus eorum culpa maiori futurum sit ruinae et obcaecationi. Qua in re id unum ei solatio est, quia ex ipsa idea theocratiae et ex vaticiniis iam datis cognoscit fieri non posse, ut populus a Deo electus plane abiiciatur. Quare in sui muneris speciali ratione sibi declarata iudicium cernit divinum et castigationem ad tempus populo inflictam. Unde prae desiderio et amore popularium iam meliora tempora praesagiens et summopere exoptans et pro onere sibi imposito solatium quaerens, munus quidem non detrectat, at quandonam acerba illa castigatio finienda sit scire expetit. Quare v. 11 « *et dixi : usquequo Domine* »? — « quaerit sollicitus de populo : usquequo Domine haec sententia permanebit, ut audiens non audiat... » (*S. Hier.* sim. *Sasb. Pint. Mald. Mar. Tir.*). In hac ipsa quaestione etiam aliqua pro populo intercessio continetur. Non audet quidem, ut *S. Chrys.* ait, ab ira illos prorsus eripere; at haec ipsa postulatio simul est precatio, ut Deus misericordiae recordetur et punitionem temperet. Ipsa verborum paucitas qua utitur vates, magnum animi affectum, dolorem, obstupefactionem qua perculsus sit et qua lingua in pauca solum verba et fere tantum in exclamationem solvi solet, mihi prodere et depingere videtur. Atque sane si consideraveris, quanto animi moerore idem Isaias exterarum quoque gentium excidium deploret (cf. 15, 5; 16, 9. 11), mecum fateberis, eum tam tristem sui populi sortem non sine intimo affectu percepisse. Sed mitigavit, puto, hunc dolorem praeclara species sanctitatis Dei ei in visione et carmine angelico obiecta, ex qua profecto quam necessario peccata sint punienda didicit; quare amor iustitiae tenerum erga populares affectum suis continuit limitibus.

Responsum Dei normam illam proponit, castigatione demum variisque iudiciis salutem allatum iri : « *et dixit : donec desolentur civitates absque habitatore et domus sine homine, et terra relinquetur deserta;*

v. 12 *et longe faciet Dominus homines et multiplicabitur quae derelicta fuerit in medio terrae* »; — i. e. « eousque procedet populi vesania et indignatio mea, donec desolentur civitates » (*Sanct.*), ita ut iam non sint qui eas inhabitent. Proinde iudicium illud imminere dicitur, quod iam Moyses populo durae cervicis minatus erat : « in tantum ut urbes vestras redigam in solitudinem, disperdamque terram vestram... vos autem dispergam in gentes » (Lev. 26, 31. 32; cf. Deut. 28, 36 seq. 29, 22; 32, 22). Tale igitur iudicium fore ait quo respublica Iudaeorum evertatur et populus e sede sua pellatur ; civitates destruentur ; ita reipublicae et potestatis civilis ac bellicae interitus declaratur ; domus vastabuntur, ita ut non sit inhabitans (cf. hebr.) — reipublicae clades talis erit, ut singuli quoque vel morte sint auferendi vel saltem ex sede paterna pellendi ; hanc maledictionem in rempublicam et in privatos homines devolutam ipsius regionis vastitas ac desolatio declarabit. Terra illa tot promissis consignata patriarchis et tanta fertilitate insignis iam sceleribus habitantium polluta vastitati devovetur, ut sicut quondam sua amoenitate et ubertate documentum fuerat favoris divini, iam sua solitudine et desolatione lugubre sit vindictae Domini in foedifragos argumentum. Et quemadmodum illi foedus Domini turpiter violarunt, ita ut foederis fracti exsistat testimonium manifestum, eos Dominus *longe faciet*, removebit et expellet a regione theocratica in terram alienam et remotam, in ipsa vero theocratiae sede erit *multa* et magna *derelictio* (hebr.) et desolatio.

Ita hebr. rite intellexerunt *For. Malv. Mald.* (qui longum tempus derelictionis explicat) *Vat.* et recentiores *Rohl. Troch.* etc. Atque revera hoc sensu עזובה de locorum desolatione ac derelictione capi oportet ; cf. 17, 2. Ier. 4, 29. Soph. 2, 4. Ita de derelictione vocem explicuit *Syrus*, de desolatione ac vastatione *Chald.* LXX vero derelictionem acceperunt de hominibus in terra relictis ; unde *multiplicationem* quoque de novo post cladem incremento intellexerunt. Hunc sensum etiam sequitur *S. Hier.*, scil. post captivitatem et fugam Iudaeorum populum in cunctis gentibus et ubique terrarum iri multiplicatum ; sequuntur *Pint. Sanct. Lap. Mar. Men. Tir. Calm.* At prior explicatio sola et verbo et contextui est congrua. — Derelictionem *Osor.* de privatione praesidii divini interpretatur : « multis saeculis Iudaea erit in medio orbe terrarum divino praesidio destituta ».

Immo Deus tanta cum severitate iudicium destructionis devolvet, ut demum respublica sit quasi arbor excisa, cuius solum truncus remaneat. Ita v. 13 secundum hebr. *et adhuc in ea decima pars et erit iterum in exterminium sicut terebinthus et sicut quercus, de quibus cum caeduntur, stipes manet; semen sanctum est stipes eius* (cf. *For.*) i. e.

etsi prima calamitas tanta sit, ut solum decima pars populi superstes maneat et salva, reliqui intereant, iterum in has reliquias nova excidii sententia pronuntiabitur, et ita theocratiae status olim florens sicut terebinthus et quercus viriditate luxurians, in eam redigetur conditionem, ut arbore excisa solus maneat in terra truncus; verum truncus iste *semen sanctum* est; ex eo quasi ex semine nova et sancta theocratia efflorebit. Salus igitur et sanctitas ex clade et destructionis iudicio exorietur; via ad sanctitatem restituendam est via calamitatum et iudiciorum; quae alta sunt et superba oportet deiici, ut ex humilitate salus oriatur.

Haec verba modo *generali* ea proponunt quae in priore sermone vates magis ad particularia descendens explicuit. Rerum omnium excelsarum deiectionem descripsit 2, 12 et subseq., reipublicae dissolutionem exhibuit 3, 1 seq.; sed ex calamitate salus efficietur 4, 2. Habet enim populus propter promissiones patribus factas in se quasi radicem sanctam quae nequeat deleri; unde prophetae constanter inducunt periodum instaurationis post excidium (vide quae notavi ad Os. 1, 10).— In hac imagine cernimus expressam illam normam : Sion in iudicio redimetur (1, 27). Ex hoc trunco demum efflorebit germen Domini (4, 2); « nam truncus ille idcirco remanebit ut sit quoddam sanctitatis seminarium » (*For.*); id quod, ut *Sanct.* ait, sane ita accidit; « nam licet hostili incendio combusta aut securi excisa videri potuerit arbor, tamen post multiplicem plagam multiplici etiam germine eoque sancto pullulabit. Nam post babylonicam cladem nati sunt ex ea stirpe Zorobabel, Iesus, Esdras, Aggaeus, Zacharias et alii; post Antiochi stragem Machabaei...» .—Ad eundem sensum etiam exigi possunt ac debent *vulg.* verba v. 13 « *et adhuc in ea decimatio et convertetur et erit in ostensionem sicut terebinthus et sicut quercus, quae expandit ramos suos; semen sanctum erit id quod steterit in ea* »; — i. e. et si in terra adhuc reliqua est decima pars hominum etc. haec iterum, denuo erit in ostensionem i. e. in derisum et opprobrium, « fortasse in exemplum aliis nationibus, ut inde intelligant quam severe Deus peccata puniat, cum populo suo tam infensum se praebuerit » (*Sanct.* et sim. *For. Lap. Men. Tir.*); *convertetur* non igitur capi oportet de *conversione* illius decimae partis, ut aliqui volunt v. g. *Pint. Sa, Osor Calm. Schegg, Loch,* sed cum altero verbo iunctum adverbialiter velut *iterum* usurpatur, id quod iam LXX indicant καὶ πάλιν et monent *Sanct. For. Vat. Lap. Men. Tir. Gord. Troch.* aliique. Erit igitur in derisum, sicut terebinthus et quercus quae emittunt ramos aridos, demortuos, deformes (*Lap. Men. Tir.*); ergo ait exspoliandam esse urbem et terram suis ornamentis, « non secus atque terebinthus patulis explicata ramis fron-

dium florumque vestitu pulcherrima, quae his nudata naturae muneribus aspectu horrida est et tota deformis » (*Sanct.*).

In versione *S. Hier.* iste versus aliter habetur quam nunc in *vulg.* legitur : « et adhuc in ea erit decimatio et rursum erit in depraedationem, sicut terebinthus et sicut quercus quae proiecit fructus suos » ; prior pars sensum textus hebr. bene reddit. Hebr. לבער LXX reddunt εἰς προνομήν, *Sym.* ut refert *Theod.* εἰς καταβόσκησιν ; vox significat in combustionem, exterminationem, depastionem, uti iam *For. Vat. Mald. Sanct. Pint. Malv. Lap.* etc. explicant. Vocem שַׁלֶּכֶת explicant *caesionem* recentiores ; acceptio veterum a verbo שׁלךְ facile derivatur, uti iam *For.* monet, *mittere, emittere, expandere,* vel proiicere ; unde etiam versio LXX intelligitur ὅταν ἐκπέσῃ ; alii vocem explicant similiter arbores illas esse *in proiectione* i. e. abiicere frondes (*Mald. Malv. Lap.* — ita iam *Chald.* : dum defluunt folia eius) vel in *deiectione* (*For.*). Vocem מַצֶּבֶת *S. Hier.* vertit 2 Sam. 18, 18 *titulum* — sermo est de cippo vel monumento quod sibi erexerat Absalom — vox derivatur a נצב, יצב *statuere, ponere,* unde generali notione est *id quod stat ;* unde explicari quoque potest versio *vulg.*, *ramos* scil. intellexit interpres id quod in arbore sit positum. Ex eadem notione veteres derivarunt significationem *substantiae, subsistentiae ;* unde rem ita declarant : ut ulmus et quercus in quibus in emissione frondium est subsistentia quaedam ; scil. cum abiecerint folia, videntur mortuae, retinent tamen adhuc vigorem suum, i. e. vivunt hieme, qua transacta iterum frondes ac flores producunt (cf. *Vat. Lap.*), quam interpretationem e recentioribus amplectuntur *Alexander* (Commentary on the prophecies of Isaiah, ed. by J. Eadie, Edinburgh 1865) et *Troch.* sed communius et melius accipitur vox eo modo quem iam *Sanct.* bene proponit : « est enim *quod stat,* a verbo יצב, quasi dicas *basim* aut *statumen ;* quod autem stat et frondes et ramos sustinet, truncus est aut stirps » ; sim. *For.* explicat *stipitem ;* ita *Malv.* et recentiores. Et ad hanc notionem refertur in *vulg.* : *id quod steterit in ea,* versio scil. eiusdem vocis dum secundo occurrit. Ut *S. Hier.* refert, *Aq.* semen sanctum erit *germen*[1] eius transtulit. *Sym.* praebet ἡ στάσις. Adnotat *S. Basil.* : « illud autem : semen sanctum τὸ στήλωμα αὐτῆς e Theodotionis interpretatione adiicitur nec reperitur apud LXX, sed tamen quod ad eorum quae prius tradita sunt seriem spectat, sensum habet memoratu dignum » (sim. *Procop.*). Idem advertit *S. Hier.* dicens id ex hebr. et Theodotionis editione ab Origene esse additum ; neque habetur in cod. vatic. etc. (cf. *Tischendorf,* vet. test. graece iuxta LXX).

Jam paucis inquirendum est in quaestionem quae initio huius capitis est proposita, sitne haec visio vocatio Isaiae ad munus propheticum an solum vocatione iam accepta mandatum speciale. Non dubito iis accedere qui ipsam vocationem Isaiae hic describi censent. Ad id enim a) ipsa visio et singula quae in ea geruntur omnino conformantur. Isaias sublimi specie cernit maiestatem divinam atque in angelorum carmine audit expressam totius providentiae supernaturalis summam labia eius consecrantur, ipse expiatur expiatusque coram Domino si-

1. *Aq.* στήλωσις habuit, ut refert *Procop.*

stitur. Haec est praeparatio ad missionem divinam. Ipsa autem missio modo omnino generali proponitur : *quem mittam* ? ita ut neque alia missio Isaiae praecessisse videatur neque sit ad particulare officium delegatio. Isaiae responsio quoque innuit non aliam praecessisse, verum tunc primum fieri invitationem divinam. Ratio quoque muneris descripta generalis est : debet Isaias Dei consilia et iudicia populo exponere, etiamsi maior obduratio et obcaecatio plurimorum sit consecutura ; additur hanc contumaciam non iri ablatum donec theocratiae ruina contigerit ; at semen permansurum sanctum : id quod integrae prophetiae summam continet.

Idem suadetur b) ex eo quod non solum quae subsequuntur, sed etiam quae in libro antecedunt, ita sunt conformata, ut ex hac visione quasi ex suo fonte et origine fluxisse iuremerito dicantur. Quae enim cp. 2-5 proponuntur, ostendunt quomodo gloria Dei omni fastu humano deiecto sit exaltanda, ostendunt ruinam et vastationem illam iam modo magis determinato et speciali, quam cp. 6 exhibetur ; nam cp. 6 vastatio civitatum, domorum, terrae et populi in regionem longinquam abactio generatim annuntiatur, sed ea omnia enucleatius et per singula proponuntur cp. 2-5 ; de qua re praecipue lege 2, 11-22 ; 3, 1-26 ; 5, 13 seq. Ex irrisione blasphemantium 5, 19 apparet, vatem iam saepe et illis quidem ad nauseam usque de consilio et opere Sancti Israel esse locutum ; hoc autem nomen et consilium in hac visione cp. 6 cernimus prophetae oblatum ; 6, 12 legimus *longe faciet* ; sed 5, 13 iam vox illa adeo determinata de exsilio occurrit גלה et 5, 26 iam per quos ministros illa terrae vastatio populique abductio sit efficienda, declaratur. Unde is ordo omnino affirmandus videtur, ut lineamenta illa generalia priore loco ponantur, specialia autem et particularia secundo quasi ex illis orta et accuratiore consideratione et maiore illustratione divina aucta et declarata. Solet enim revelatio divina et universalis illa quam a mundi exordio usque ad Christum Dominus concessit, et particularis etiam privataque quam in sanctis admirari licet, per gradus quosdam et incrementa hominum animis sese explicare ita quidem, ut quae posteriore tempore manifestentur, saepe sint priorum maior declaratio, uberior explicatio, novarum rerum additio.

Idem commendatur c) adhibita comparatione visionum quibus Ieremias et Ezechiel muneri prophetico consecrati sunt. Et apud Ieremiam quidem simile cernitur symbolum : « et misit Dominus manum suam et tetigit os meum » (Ier. 1, 9) ; uterque propheta visione vocatur, *mittitur*, visione accipit muneris rationem declaratam et delineatam, et in Ezechielis inauguratione simile quoque angelorum canticum auditur (Ez. 3, 12). Unde colligimus, uti illae visiones inaugurales sint, ita

hanc quoque apud Isaiam quippe quae tantam cum illis similitudinem prae se ferat. Neque obstat quod v. g. *Neteler* obiicit : si esset visio inauguralis, libro esset praefixa, non inserta post alia. Simulatque enim solidis rationibus visionem inauguralem demonstravimus, id unum requiritur ad probationem absolvendam, ut cur non initio libri sit posita sed hoc loco inserta, aliqua ratione probabili explicare possimus. Atque profecto haec ratio non deest. Nam facile concesseris vatem ab huius visionis enarratione initium praedicandi non cepisse. Unde non adeo difficulter explicatur quoque, cur in scriptione quoque aliter rem disposuerit. Potuit igitur eam scripto referre ea occasione, qua publice fuit proposita. Haec autem occasio apta erat, quando praedicatione prophetica iam per longius tempus insonante morum emendatio consequebatur nulla. Tunc ne ipsi pii offenderentur et ut impiis ira divina proponeretur, propheta hanc ipsam visionem enarrare potuit et fortasse debuit. Tale autem tempus erat ultimis Ioatham annis, praesertim cum iam primordia castigationis divinae cernerentur (4 Reg. 15, 37 : in diebus illis coepit Dominus mittere in Iuda Rasin regem Syriae et Phacee filium Romeliae). Potior etiam ratio, cur hoc loco visio sit inserta, peti potest ex tempore Achaz et iis quae statim cp. 7 subnectuntur. Ad haec enim visionis enarratio quasi facem praefert. Cernitur nempe in Achaz maioris obdurationis et contumaciae exemplum, tempus adest impietatis auctae et ea rerum conditio ab impio rege inducitur, qua contra monitiones prophetae regnum iudaicum exterorum invasionibus patefactum suae ruinae obviam fertur. Unde ad ea tempora intelligenda haec visio quasi praeambuli loco praemittitur.

Etiam ex interpretibus sat multi reperiuntur qui hanc visionem esse inauguralem existiment. *Hesychius*, presbyter hierosolymitanus, hoc caput vocat χειροτονίαν τοῦ προφήτου (*M.* 93, 1372); vocationem illi intelligere videntur, qui Isaiae ad vocem Dei promptitudinem comparant cum tergiversatione et excusationibus, quibus Moyses est usus, cum deprecatione muneris apud Ieremiam, cum vocatione Ezechielis; ita *S. Chrys. Basil. Thom.* Audi v. g. *S. Chrys.* : « post multam Dei adhortationem reluctatur tamen Moyses ille magnus, causificatur et sexcentas excogitat recusandi causas . . . Ieremias vero aetatem teneram obtendit; Ezechiel autem postquam iussus fuerat, septem diebus circa flumen versatur reluctans ac tergiversans . . . Ionas autem non modo recusavit, sed etiam aufugit. Quid igitur? audaciorne omnibus fuit Isaias, etiamque magno illo Moyse? Quis haec dixerit? Cur ergo ille iussus reluctabatur, hic vero non aperte iussus insiliens praesto fuit? . . . Quid ergo dicendum? non esse parem Moysis et huius rationem. Ille enim in alienam et barbaram terram mittebatur et ad tyrannum furentem insanientemque ac rabidum . . . ». Eandem quaestionem *S. Thom.* ita expedit : « dicendum sicut dicit Gregorius in *Pastoralibus* et ponitur in principio Ieremiae in *glossa* : utrumque fuit ex radice caritatis. Ille

enim propter dilectionem Dei noluit perdere solatium contemplationis, iste propter dilectionem proximi voluit mitti ut prodesset, et tamen nec ille iussus pertinaciter recusavit, nec iste prius quam purgatus aut requisitus esset, se obtulit ». Etiam *S. Cyr.* ita loquitur, ut primam Isaiae vocationem intellexisse videatur. Eandem interpretantur *Malv. Sanct. Lap. Men. Rohl. Del. Bred.*

Alii tamen contradicunt. Et *S. Hier.* quidem in commentario ea quae cp. 1-5 continentur dicta esse vult sub Ozia, visionem autem hanc ei oblatam esse mortuo Ozia et Ioatham imperante; in epistola autem ad Damasum (de seraphim et calculo; ep. 18; *M.* 22, 371 etc.) non solum « Hebraei sui disputationem » refert, in qua Isaiae initium prophetiae a visione factum haud obscure innuitur, verum in fine epistolae ipse ei sententiae accedere videtur (l. c. 375). Non vocationem primam, sed ulteriorem officii iniunctionem in hac visione cernit *S. Gregorius* Naz. (or. 9 apolog. *M.* 35, 820); ad peculiarem prophetiam haec referri *For.* censet, non ad munus prophetandi simpliciter; item *Calm.* qui v. 9 ita explicat: *perge* allocuturus; sim. *Troch.* qui missionis iam antea acceptae innovationem h. l. cernit. Novam quandam et insignem periodum in muneris prophetici exercitio declarari, non autem primam Isaiae vocationem describi vult *Drechsl.* Verum est apud Ezechielem eandem visionem saepius deprehendi; unde non sine probabili ratione inferri potest, saepius prophetis easdem fere visiones fuisse oblatas, quando ad insignem quandam Dei manifestationem essent praeparandi. At eo minime efficitur, visionem hanc quae adeo missionem efferat simpliciter et quae una apud Isaiam reperitur, eodem ordine esse censendam quo visiones Ezechielis 8, 4; 43, 3. Neque ad rem apte concludit *Drechsl.*: quia sermones priores Dominum descripserunt excelsum, (2, 10. 11. 17), ideo hic cernitur in throno sublimi; quia antea est propositus tamquam sanctitatem suam iudicio declarans et ulciscens 5, 16, ideo nunc auditur sententiam pronuntians iudicialem. Nam ad dignitatem visionis divinitus immissae potius pertinet, ut ipsa sit fons et origo sermonum prophetae; valde autem superfluum est ea quae oratione plana et verbis propriis iam dicta sunt, symbolis obscuris et involucris obtecta denuo menti prophetae offerri, neque ea esse solet, quantum ex aliis visionibus prophetarum colligere fas est, ratio visionis coelestis, ut quae iam plane dicta sint denuo obiiciantur, sed ut nova et uberiora doctrinae capita aperiantur.

II. — ALTERA VATICINIORUM SERIES CP. 7-12.

Haec pars tempori Achaz regis adscribenda est. Cum Achaz a Rasin, rege Syriae, et Phacee, rege Israel, bello impeteretur, ope divina quae per prophetam ipsi Dei nomine ac iussu offerebatur spreta ad auxilium a Theglathphalasar, rege Assyriorum, efflagitandum confugit. Ea occasione Deus per prophetam utitur, ut quid consilii divini constitutum sit declaret. Propter David et promissiones messianicas regnum quidem Iuda non interibit, Syria autem et Israel poenas dabunt propter impetum contra regnum theocraticum factum et interitui devovebuntur. Ipsum vero regnum iudaicum ab eo cuius opem imploraverat Achaz, gravissime affligetur; at propter vaticinia messianica periculo tandem eripietur hostibus insigni clade prostratis. Divinum hoc consilium quod ex promissionibus domui Davidis datis quasi enascitur et regem messianicum quam maxime respicit, propheta ita per singula prosequitur, ut piis Israelitis quid solatii habeant in rerum angustiis, declaret eosque de Messia eiusque regno et gloria praeclare edoceat.

Haec oraculorum series in tria veluti capita apte dividitur, quorum unumquodque et Iudaeorum infidelitatem perstringit et castigationem divinitus immittendam exhibet et salutem in Messia repositam describit, ita ut tria haec quo magis sermo propheticus progreditur, etiam maiore ubertate ac rerum prope singularum descriptione explicentur (cp. 7; 8-9, 7; 9, 8-12, 6).

Caput primum 7, 1-25.

Arg. — Cum rex Syriae et rex Israel foedere inito ad evertendam domum Davidis bellicam expeditionem in Ierusalem susciperent, Achaz rex et populus ingenti terrore percelluntur. Dominus autem per prophetam iubet regem bono esse animo et confidere in auxilio divino eique annuntiat consilium hostium fore inane; salutem autem fore credentibus (7, 1-9). Immo ut animum regis ad spem et fiduciam erigat, propheta eum iubet signo a Domino postulato experiri quam certo Dominus sit opem laturus. Quod cum Achaz respueret, ipse propheta signum a Deo dandum vaticinatur : ipse scil. Messias ex virgine matre nasciturus qui uti domus David conservationem dicit, ita cum in terra Israel deserta humili in conditione adolescat, eiusdem domus humilitatem ac castigationem divinitus inflictam adumbrat (7, 10-16). Regi ipsi qui auxilium divinitus oblatum respuit, praedicitur, quantae tribulationes a rege Assyriorum cuius auxilio ipse confidat, et quanta solitudo ac vastitas terrae iudaicae sint inferendae (7, 17-25).

a) **Hostium consilium non stabit 7, 1-9.**

Iam versus finem regis Ioatham « coepit Dominus mittere in Iuda Rasin regem Syriae et Phacee filium Romeliae » (4 Reg. 15, 37). Crevit impietas sub Achaz eius regni successore. Achaz enim « ambulavit in via regum Israel, insuper et filium suum consecravit transferens per ignem secundum idola gentium,... immolabat quoque victimas et adolebat incensum in excelsis et in collibus et sub omni ligno frondoso » (4 Reg. 16, 3. 4 cf. 2 Par. 28, 2-4). In tantorum scelerum poenam « tradidit eum Dominus Deus eius in manu regis Syriae qui percussit eum magnamque praedam cepit de eius imperio et adduxit in Damascum; manibus quoque regis Israel traditus est et percussus plaga grandi, occiditque Phacee, filius Romeliae, de Iuda centum viginti millia in die uno, omnes viros bellatores, eo quod reliquissent Dominum Deum patrum suorum » (2 Par. 28, 5. 6). Ex quo narrandi modo colligi potest, reges duos non statim ab initio coniunctis viribus impetum in regnum Iuda fecisse. Circa idem tempus Rasin alia victoria parta Iudaeos eiecit de Aila (4 Reg. 16, 6). Hisce peractis, uti videtur, duo reges consiliis inter se initis et belli societate instituta iam coniunctis viribus urbem regiam aggredi et domum David regno spoliare constituunt. De hac rerum conditione Isaias scribit v. 1 « *Et factum est in diebus Achaz filii Ioatham, filii Oziae regis Iuda, ascendit Rasin rex Syriae et Phacee filius Romeliae rex Israel in Ierusalem ad proeliandum contra eam et non potuerunt debellare eam* » ; — cf. 4 Reg. 16, 5, ubi praeterea legitur : « cumque obsiderent Achaz, non valuerunt superare eum ». Propheta statim declarato regum consilio et conatu rei ipsius exitum subdit (*S. Cyr.*) ita loquens per anticipationem (cf. *S. Ephr. Thom. Gord. Sanct.*). Cur autem obsidio non ad exitum sit perducta, iam bene declarat *S. Cyr.* : « Achaz metuens impressionem intolerabilem acervo pecuniarum magno congesto ad Theglathphalasar regem Assyriorum legatos mittit rogans, ut sibi velit subsidio esse, utque contra Rasin arma capiat; quod etiam ad exitum perductum est » ; de qua re lege 4 Reg. 16, 7 seq.

« Declarata ac definita occasione et tamquam in brevi summa comprehensim conatu duorum regum commemorato, utque ad exitum eorum consilia non pervenerint, incipit deinceps per partes singula oratione prosequi » (*S. Cyr.*); v. 2 « *et nuntiaverunt domui David dicentes : requievit Syria super Ephraim; et commotum est cor eius et cor populi eius, sicut moventur ligna silvarum a facie venti* » ; — non sine emphasi propheta effert *domum David*, cui promissiones factae sunt de regno aeterno ; quare Deus *propter David* iam saepius et regi-

bus et populo pepercit (cf. 3 Reg. 11, 11-13. 32-39; 15, 4. 5. 4 Reg. 8, 19. 2 Par. 21, 7); unde si qua fides in Deum adsit in domo David, desperationi nullus erit locus; valet enim de rege *theocratico* norma illa Davidi annuntiata: « ego ero ei in patrem et ipse erit mihi in filium; qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum et in plagis filiorum hominum; misericordiam autem meam non auferam ab eo » (2 Reg. 7, 14. 15). Verum quis a rege idololatra talem exspectaverit fidem? Nuntiatur ei: *requievit*[1] i. e. ut bene *Sanct.* monet, conspirasse Syros dicit cum Israelitis, foedere inito iam copias militares iunxisse, ut coniunctis viribus regnum peterent iudaicum (*Mar.*). Vocatur regnum israeliticum *Ephraim* a tribu potentissima, ex qua plures quoque reges Israel exstiterunt et in cuius ditione urbs Samaria, regni caput et sedes, sita erat (*Sanct.*); unde *Ephraim* sollemnis est regni israelitici appellatio (cf. Os. 4, 17; 5, 9). Iam nuntii eius effectus est maxima regis et suorum perturbatio (*S. Thom.*). Ingentem commotionem, trepidationem, terrorem plane insanum et omnis consilii expertem comparatio a vate inducta declarat. Tali autem animorum deiectione quam parum fidei in Deum regi et populo insit nimium proditur. Utique timida est impietas et suorum sibi scelerum conscia debitas poenas et ruinam non potest non suspicari. Cum propheta addat *et cor populi eius,* quam late iam regis impietas in subditos serpserit et quam firmam inter se scelerum et a Deo aversionis societatem inierint rex et maior populi pars, satis declaratur. Trepidatio adeo magna sine dubio ostendit, varias iam clades regi esse illatas, et si assumpseris quod supra innui, reges duos tum collatis viribus in regni ruinam conspirasse, eo facilius explicatur, cur Achaz qui a singulis iam misere erat devictus, cum audivisset: consociavit se rex Syriae cum rege Israelis (*Chald.*), in tantas angustias sit coniectus et cum eo socii impietatis; qua in re sponte occurrit illud: audiens autem Herodes rex turbatus est et omnis Ierosolyma cum illo (Matth. 2, 3).

At Dominus, Iahve *qui est,* foederis sui custos fidelissimus (cf. ad Os. 12, 5. Ioel 2, 32) populo suo quem sibi elegit non deest et ipsi regi idololatrae opem suam benignissime offert (cf. *Theod.*). Unde mittit prophetam qui ut talis iam diu, ex tempore Oziae, notus est, cui igitur ut legato divino ex lege fundamentali theocratiae (Deut. 18, 15) obedientiam et fidem debent; insuper ex regni annalibus ignorare non possunt quoties Deus per prophetas populo afflicto opem tulerit. Tale tem-

1. Communiter נָחָה derivant a נוּחַ; aliqui ex LXX, *Syro, Chald.* verbum אחה coniectant; asserentes נוח in illa notione non inveniri.

pus denuo mediis in angustiis illucescere Deus profitetur v. 3 » *et dixit Dominus ad Isaiam : egredere in occursum Achaz tu et qui derelictus est Iasub filius tuus ad extremum aquaeductus piscinae superioris in via agri fullonis* » ; — hebr. *tu et Schear jaschub filius tuus*; nomen filii Isaiae symbolicum est : *reliquiae convertentur* nomenque de futura populi sorte propheticum (cf. Os. 1, 4. 6. 9). Hunc secum adducens tamquam qui ipso nomine tempus futurum portendat, et maioris partis infidelitatem et aversionem accusat et pignus exhibet solatii Dei causam apud populi electi reliquias fore victricem; *reliquiae* enim, non populi maior pars, *convertentur,* salute oblata potientur. Ipsum igitur filii nomen id in se continet quod visione inaugurali exhibetur (cf. 10, 21. Am. 3, 12). Achaz sese contulerat ad aquaeductum lacus superioris, qui ad occidentalem urbis partem [1] situs aquam urbi subministrabat. Eum de obsidione urbis mox futura sollicitum agitasse consilia, quomodo et aquae penuriam averteret et partem illam qua urbem facile possent aggredi muniret, et res ipsa docet et simili loco illustratur Is. 22, 9-12, quo inter varia quae ad urbis defensionem fiunt etiam id effertur : « congregastis aquas piscinae inferioris... et lacum fecistis inter duos muros ad aquam piscinae veteris » ; adde, postea Rabsacen eodem in loco constitisse, cum venisset a Lachis, et populo insultasse (Is. 36, 2) ; unde ex ea parte urbem impetui hostili patuisse quam maxime, facile efficitur. Quare ei loco Achaz speciali ratione voluisse provisum satis intelligitur.

Eo in loco rex curis agitatus adiri debuit et audire opem divinam sibi liberaliter oblatam v. 4 « *et dices ad eum : vide ut sileas; noli timere et cor tuum ne formidet a duabus caudis titionum fumigantium istorum in ira furoris Rasin regis Syriae et filii Romeliae* » ; — hebr. *cave tibi et quiesce* i. e. cave a trepidatione et desperatione; fortasse magis ad rem : cave ab eo agendi modo antitheocratico quem iam animo concepisti et volvis; quiesce, animo sis pacato, ne vanae te tradas sollicitudini exterorum auxilia conquirendo. « Quod quiescere curisque vacare et a trepidationibus molestis liberum esse praecipiat, vocantis nimirum est idque prudentissime ad obedientiam et veluti reducentis ad principia, ut colat sermones divinos et veritatem eorum quae dixi prompto suo suffragio confiteatur » (*S. Cyr.* sim. *Sasb. For Sanct. Osor. Lap. Mald. Men. Gord. Tir.*); minus apte alii *silere* explicant : ne timorem

1. Ita multi censent eumque lacum eundem esse opinantur, qui hodie Birket el Mamilla vocatur; cf. *Naeg. Del.* At *Riess* (bibl. Geogr. p. 76) longiore disquisitione instituta id omnino negat et lacum in septemtrionali parte urbis situm esse contendit. — Priori sententiae calculus adiicitur in *Riehm,* Handwoerterb. d. bibl. Alt. p. 514. 691.

exterius prodas, ne blasphemias effutias, ne cum quopiam communices quod nuntio (*S. Thom. Pint. Mar.*). Non sine verborum pondere et iteratione idem monitum ei fit, id quod ad animum erigendum, confortandum et quasi contra spem ad spem sedulo revocandum aptum est. Causa subditur : coram propheta qui Dei nomine et auctoritate loquitur, duo reges inimici non sunt nisi *duae caudae titionum fumigantium;* magno cum contemptu de eis loquitur; ad nihil eos iam valere, proximos esse exstinctioni et interitui, ad summum posse inferri aliquid molestiae innuit, uti fere fumus oculis incommodum afferat quod facile spernatur et rideatur. Talis scil. est ira et furor illorum; mox proiicientur; interea non nocere, non urere possunt alios et comburere, sed impotenti rabie quasi fumigare et minari (cf. *Mald. Mar. Men. For. Sanct.*); « magna proponunt, cum tamen nihil vel parum sustineant; vicini sunt exstinctioni » (*S. Thom.*); proverbium ibi agnoscit *Sanct.* (cf. Is. 42, 3). In hebr. proprie « *cor tuum ne mollescat;* id enim proprie significat verbum; opponitur enim rei condensatae et induratae; cor autem pavidorum videtur liquescere ac tenerum fieri, audacium autem et fortium virorum obdurescere ac firmari » (*For.*). Solet enim Deus, ut idem *For.* monet, in adversitatibus quietem suis indicere, contra quam mundus solet; mundani aut desperatione obruuntur aut facile tumultuantur et conturbantur; quibus autem Deus sese offert, non opus est mundano praesidio, sed quo magis quieti sunt, eo copiosius in eorum pectoribus sese diffundit spiritus divinus. En, quantum possit fiducia in Deum! quam si trepidantia corda admittant in maxima rerum perturbatione, possunt ex summa trepidatione ad summam quietem ac tranquillitatem transferri; nisi enim possint, nequaquam a Deo per prophetam iuberentur. — Ad contemptum quoque dicitur *filius Romeliae.* Nam quid iste sibi vult et sibi promittit contra domum David et sempiternum Davidis thronum? qualem iuris titulum potest proferre, ut regnum teneat Israel? ea appellatione iam tamquam usurpator declaratur; ubi enim in theocratia Romeliae eiusque filio regnum attribuitur? Locutio ex eo quoque contemptum prodere videtur, quia qui Davidem spernunt eiusque originem humilem traducunt, de filio Isai loquuntur (1 Reg. 22, 9; 25, 10. 2 Reg. 20, 1. 3 Reg. 12,16).

Ad fiduciam in Achaz gignendam prorsus aptum est, quod propheta adversariorum animos et consilia tam clare et distincte aperit (cf. *S. Cyr. Chrys.*); rerum igitur se exhibet gnarum et periculi instantis; ergo si nihilominus summa loquitur constantia et certissimam spem ostendit, tanta talis viri fiducia iam per se spem et securitatem gignere censenda est; idque eo magis, quia sollemni attestatione rem ex oraculo divino confirmat; v. 5 « *eo quod consilium inierit contra te Syria in malum, Ephraim*

et filius Romeliae dicentes : v. 6 *ascendamus ad Iudam et suscitemus eum et avellamus eum ad nos et ponamus regem in medio eius filium Tabeel,* v. 7 *haec dicit Dominus Deus : non stabit et non erit istud* »; — si Achaz fidem haberet, statim perspiceret *tale* consilium hostium fore irritum. Volunt enim theocratiam expugnare, hereditatem Dei Deo eripere, domo David remota in medio divinae hereditatis alienigenam regem constituere, volunt ergo thronum Iahve destruere, domum regiam a Deo electam delere et ad divinum opprobrium hominem ignotum in medio terrae Domini regia dignitate exornare. Sed tale facinus iam ex promissis antea datis non poterit opere compleri. Id denuo sollemni oraculo *Adonai Iahve* Dominatoris eius confirmatur qui uti est in se *actus purissimus,* ita immutabilis, fidelissimus promissionum suarum opifex ipso suo nomine declaratur. Nota emphasin qua bis negatur consilii illius successus. Intellige *suscitemus* ironice quasi quiescentem et dormientem (*S. Hier. Sanct.*) i. e. ei negotium facessere et molestiam creare, bello fatigare (*Osor.*) vel quasi vellicare. Ceterum hebr. explicant : terrore et horrore Iudam compleamus (partim iam apud *For. Malv. Vat.; Del. Rohl. Troch. Net.*) eamque terram *scindamus ad nos* i. e. vi illam diffindamus a rege suo et abscindamus a domo David et ad nos trahamus (cf. *Lap.*). Loquendi modus arrogantiam et superbiam (*Sanct.*) simul cum crudelitate et ferocia pandit. — De *Tabeel* nihil innotuit. *Nomen* istud etiam in inscriptionibus cuneiformibus quae ad Theglathphalasar referuntur occurrit (cf. *Schrader* Keilinschr. u. A. T. p. 118; Keilinschr. u. Geschichtsforschung p. 396).

Hebr. קוץ est *taedere, fastidire* cf. Gen. 27, 46. Ex. 1, 12. Num. 21, 5; 22 3. Inde igitur formam hiphil h. l. multi explicant. Verum hiphil הקיץ aliis in locis semper significatione *expergefactus est* invenitur. Inde versio *S. Hier.* facile explicatur. Cum prioris verbi forma hiphil alias non reperiatur, alii coniiciunt legendum esse literis transpositis נציקנה cf. Is. 29, 2. 7 (*Ges.* Thes. p. 1208. *Fürst L.*) i. e. coarctemus, urgeamus ; vel formam derivandam a קוץ, קוץ *spina, tempus abscissionis* et verbo notionem esse tribuendam *incidere, impungere* (*Fürst C.*). *Chald.* vocem exprimit per חבר *coniungere, Syrus,* עקר *evertere.* — Altera vox בקע est *scindere ;* adhibetur quoque de scissione, diruptione urbis oppugnatae v. g. 4 Reg. 25, 4 *interrupta est civitas ;* Ier. 39, 2 ; 52, 7. Ez. 26, 10. 2 Par. 32, 1 quo loco latinus interpres *capere* transtulit ; 2 Par. 21, 17 vertit *vastare.* Forma hiphil non reperitur nisi hoc nostro loco et 2 Reg. 3, 26, ubi in significatione *irrumpendi* adhibetur. Unde etiam h. l. *Naeg.* explicat : terram perrumpere i. e. perrupto muro quem quasi obiicit exercitus terram capere. *Chald.* explicat : apponamus eos ad nos *Syrus :* rumpamus eam.

Quid vero sit consilii divini pro tempore proxime futuro, hsce declaratur v. 8 « *sed caput Syriae Damascus et caput Damasci Rasin et adhuc sexaginta et quinque anni et desinet Ephraim esse populus* » ; —

i. e. « Syrorum metropolis est Damascus, Damasci porro rex Rasin ; his ergo tantum imperat, non Hierosolymis » (*Theod.*) ; « imperium eius, ait, potestas eius in Damasco stabit nec ultra progredietur ; et princeps Damasci Rasin erit i. e. in iis quae ad ipsum pertinent manebit ac maiorem sibi non adiiciet potentiam » (*S. Chrys.* sim. *S. Thom. Sasb. Vat. Malv. Mald. Mar. Pint. Rohl. Troch.*).

Damasco igitur eiusque regi poena nondum denuntiatur, sed solum dominationis extensio denegatur. Ephraim vero propter impium foedus initum cum Syris ad evertendam domum David statim indicatur poena condigna : non regnum iudaicum neque domus David exstinguetur, sed Ephraim (cf. v. 2) *confringetur*[1] *ne sit amplius populus* (hebr. cf. *For. Vat. Malv. Mald. Mar.*); quod igitur regno legitimo inferre voluit, ipse in se demum iure quodam talionis experietur. Atque non solum respublica israelitica destruetur, verum ipse populus ut talis exscindetur. Unde non tantum alieno imperio subiicientur servata suae gentis indole ac natione, sed ipsa stirps israelitica ita destruetur vel morte vel commixtione cum aliis vel utraque ratione, ut de populo ephraimitico iam non fieri possit sermo. Quantae acerbitatis talis annuntiatio fuisse censenda sit, ex eo conclude quod iam singulis magno opprobrio vertebatur, si nomen eorum deleretur de Israel (quod ne fieret, ius leviratus erat institutum, cf. Deut. 25, 6) ; quanto magis si agitur de nomine populi delendo ! Id fore ait vates *intra adhuc 65 annos*[2] Neque alibi desunt exempla in vaticiniis certum quoque ac determinatum numerum proponi ; cf. Is. 16, 14 ; 21, 16 ; 38, 5. Ier. 23, 16. Ion. 3, 4 ; quare iam ex hoc capite falso asserit *Kn.* cui consentit *Diestel,* membrum hoc delendum esse, quia prophetae nunquam numeros efferant adeo distinctos et certos.

Ephraim autem tamquam populus confractus est non ipsius Samariae expugnatione, sed translatis et adductis in terram Israel accolis de Babylone, de Cutha, de Avah, de Emath, de Sepharvaim, quos Asarhaddon « collocavit in civitatibus Samariae pro filiis Israel, qui possederunt Samariam et habitaverunt in urbibus eius » (4 Reg. 17, 24 ; cf. Esdr. 4, 2). De hoc eventu locum nostrum iam rite intellexerunt *Usserius, Tremellius, Calm.* et consentiunt plerique recentiorum (cf. *Drechsl. Del. Naeg. Diestel, Troch. Haigh,* Zeitschrift f. aeg. Spr. 1871 p. 75 ; *Schrader,* Keilinschr. u. A. T. p. 244 etc.). Quando id acciderit, aliunde

---

1. יֵחַת alii explicant *fut. qal* a חתת *fractus est ;* cf. Is. 30, 31 ; 31, 4 ; 51, 6 etc. Ita *Fürst* L. *Olshausen* §. 106, 6 ; *Naeg.* Alii malunt *niphal* נִחַת cf. Mal. 2, 5 ; ita *Del.*

2. Ita בְּעוֹד *intra* iam apud *Malv.* ; cf. Gen. 40, 13. Ios. 1, 11. Is. 21, 16. Ier. 28, 3. 11 (*Ges.* Thes. p. 999. *Fürst* L.).

probare non possumus ita ut annum assignemus; sed haud ita improbabile videtur, id factum fuisse eo tempore, quo Manasses in captivitatem est abductus. Facile enim fieri potuit, ut clades illa iudaica ab Assyriis illata etiam genti cognatae Israelitarum ultimum afferret excidium, et Asarhaddon bello in Iudaea feliciter gesto milites multos gregarios tamquam colonos in agros Israelitarum immitteret. Iam ex traditione Iudaeorum in Seder olam servata captivitas Manasse regis in regni eius annum 22 incidit; ita facili negotio numerus annorum requisitus colligitur; habes enim, cum hoc oraculum ineunte regno Achaz editum sit, annos Achaz 14, Ezechiae 29, Manasse 22, ergo 65 annos.

Effatum hoc *desinet esse populus* multi retulerunt ad expugnationem Samariae anno sexto Ezechiae factam. Sed cum ab edito oraculo usque ad illam expugnationem, ut iam *S. Hier.* adnotavit, solum 23 vel 24 anni fluxerint, initium illorum 65 annorum aliter determinare studuerunt. Et Hebraei quidem, ut *S. Hier.* refert, initium capi volebant a prophetia Amos (7, 11. 17) quam anno 25 Oziae edidisset; esse ergo reliquos annos Oziae 27, Ioatham 16, Achaz 16, Ezechiae sex. In quam computationem [1] concesserunt *Euseb. Procop. Barh. Haimo, S. Thom. Malv.* qui aliam explicationem ex *Tremellio et Iunio* affert quidem, sed alteri adhaerere tutius arbitratur, *Pint. Mald. Lap. Mar. Gord.* et ex recentioribus *Schegg.* Alios computandi modos videre est apud *Vat. For. Sanct.* quos referre non vacat. Aliam explicationem tentavit *Oppert,* neque omnino reprobat *Rohl.*, intelligi scil. 65 annos non de tempore futuro, verum (uti sim. iam *Sanct.* opinatus est) de tempore *praeterito* i. e. ante annos 65 i. e. anno 27 Ieroboam II destructam fere esse per 10 annos dominationem Samariae a rege Syriae, ita ut sensus sit : sicut ante 65 annos Samaria clade est affecta, ita nunc elapsis 65 annis Ephraim denuo desinet esse. Sed loquendi ratio בְּעוֹד aperte obstat.

Ex criticis recentioribus non desunt, qui ultimam versus 8 partem de 65 annis tamquam interpolationem expungi volunt contendentes et prophetiam adeo determinatam iure offensioni esse et insuper membro hoc assuto destrui symmetriam et parallelismum (cf. *Eichhorn, Ges. Maurer, Hitz. Ewald, Umbreit, Diestel*). Ut ab ultimo incipiamus, hoc demum membro plane efficitur symmetria v. 8 et 9. Effatum enim Domini in 8 a et 9 a explicat quid futurum sit tempore *proxime* futuro : Syriam et Ephraim a proposito consilio cohiberi et suis limitibus concludi; et in hac re simul continetur *solatium* pro Iuda; in 8 b et 9 b declaratur, quali norma Deus pro tempore futuro etiam *magis remoto* usurus sit et quidem pro Ephraim 8 b, pro Iuda 9 b. Et haec pars est *comminatoria :* absolute pro Ephraim; conditione supposita pro Iuda. Insuper valde emphaticum

1. Communiter etiam ad idem tempus referunt plagam leprae Oziae inflictam. *Barh.* ita ad h. l. : ex anno quo ei prophetia fuit cohibita computat annos 28 Oziae, 32 Ioatham et Achaz et 5 Ezechiae.

est quod v. 8 dum Syria suis finibus et suo regno stare dicatur, Israelitis impio foedere cum eis inito statim excidium annuntiatur. Neque propterea sententia in 9 a redditur superflua; nam Iudaeorum quam maxime intererat scire quid Ephraim effecturus sit tempore proxime futuro; id autem in v. 8 b nondum erat praedictum; ergo membrum hoc necessario etiam exspectatur. Alias enim quaeri poterat et debebat, quid molestiae interea, donec effluxerint anni 65, Ephraim illaturus esset regno iudaico. — Prius quod obiectum est facile contemnitur; nam etsi non adeo frequenter, tamen reperiuntur vaticinia simili modo annorum numero alligata, uti supra iam monui. — Neque modus loquendi est ab Isaia alienus; cf. 21, 16; מְעָם cf. 17, 1; 25, 2.

Sed etsi Ephraim post 65 annos sit conterendus, quid fiet interea? Uti illud « non stabit et non erit » pro Syria est explicatum et tempus instans declaratum, ita idem iam pro Ephraim subiungitur addita norma pro regno iudaico : v. 9 « *et caput Ephraim Samaria et caput Samariae filius Romeliae; si non credideritis, non permanebitis* »; — hoc igitur quod coniuratione facta Rasin et Phacee exsequi statuerunt, non fiet; i. e. ipsi Iudaeam non occupabunt; ipsi domum David non a regno excludent, neque filium Tabeel regem constituent. Sed *quid* fiet? Id relinquitur arbitrio, vel potius fidei et fidelitati Iudaeorum. Salutis norma et regula pro iis est fides in Deum. Deo credere, ei confidere et firmum retinere statum ac florentem unum idemque est. Quodsi vero a fide deficiant, etiam iis perturbatio, calamitas, ruina praedicitur. Unde pro Iudaeorum sorte tessera illa praefigitur, quam ipso verborum sono studiose selecto alte eorum animis imprimere propheta vult; ipsa verba et ipsae formae grammaticales et notiones in sermone vulgari obviae eos edocere debent de nexu illo intimo ac indissolubili qui adsit inter fidem fiduciamque divinam et stabilem ac florentem rerum prosperarum conditionem. Inde : אִם לֹא תַאֲמִינוּ כִּי לֹא תֵאָמֵנוּ *im lo taaminu, ki lo teamenu.* Deus est enim petra et arx et locus munitus pro populo suo, uti in psalmis laudatur. Quare si Deo non firma fide adhaereant, iam nulla potest adesse firmitas, securitas nulla. Hac lege denuo promulgata tempus adesse demonstratur pro Iuda *probationis*. Iam quid fiet? Visione inaugurali iam edocemur auribus surdis hanc normam proponi, ex fidei lege declarata regem impium aliosque in maiorem impelli impietatem. Sed si non credunt, non firmiter stabunt. Inde ergo seges illa perturbationum et calamitatum qua ab Assyriis affligentur. Ergo non a rege Syrorum, neque a rege Israel periculum imminet quod Achaz adeo exhorret et cum eo populus (v. 2); verum periculum exoritur ex ipsorum infidelitate quam non timent, quam e contra fovent; et hac demum infidelitate « non permanebitis in regno vestro, sed in captivitatem ducemini, sustinentes eorum poenas quorum imitati estis infidelitatem »

(*S. Hier.*). Verborum vim bene proponit *For.* scribens : « si non credideritis, etiam non suffulciemini i. e. nisi adhibueritis dictis meis fidem et fisi fueritis promissionibus Domini, nec vos etiam ipse stabiliet aut confirmabit, sed vos sinet dilabi et deiici » ; et *Sanct.* apposite notat, monitionem proxime referri, ut in illa rerum perturbatione Achaz iubeatur ab uno Domino omnia sperare. Paronomasiam quae in hebr. adest, ita in lat. conatus est imitari *Lap.* : qui non confidet, non considet i. e. non firmus, stabilis considet et permanebit. — Monitio haec eo magis eos percellere debuit, quia olim iam in rebus angustis ad Iudaeos facta est et praeclaram mercedem atque insignem victoriam iis attulit qui iis verbis mentes et actiones conformes exhibuerunt. Illis enim verbis usus est Iosaphat rex pius in certamine contra Ammonitas, Moabitas, Syros : « audite me viri Iuda et omnes habitatores Ierusalem : credite in Domino Deo vestro et securi eritis » (in hebr. verbum אמן eodem modo, ut h. l.), « credite prophetis eius et cuncta evenient prospera » (2 Par. 20, 20). Et ecce, Dominus vertit insidias inimicorum in semetipsos et percussi sunt et mutuis concidere vulneribus (l. c. v. 22. 23).

Theod. nobis refert aliorum versiones huius loci : *Theodotio* habet in altero membro οὐδ' οὐ μὴ πιστευθείητε, *Sym.* οὐ διαμενεῖτε et hanc *Sym.* versionem etiam refert et secutus est *S. Hier.* LXX hoc loco illam praebent versionem quae apud Patres celebris facta est : *si non credideritis, non intelligetis,* οὐ μὴ συνῆτε. Hoc unico loco verbum אמן in niphal ita transtulerunt ; alias vertitur v. g. πιστωθήσεται 2 Reg. 7 ; 16. 3 Reg. 8, 26. 1 Par. 17, 23. 24. 2 Par. 1, 9 ; 6, 17. Ps. 77, 14. 41 ; 92, 7 ; participium niphal exprimitur saepe πιστὸς et quidem ex concordantiis a *Trommio* concinnatis 29 vicibus ; etiam ἀξιόπιστος Prov. 27, 6 et θαυμαστός Deut. 28, 59.

Sententiam ita attemperat ad conditionem regis *S. Chrys.* : « quia verba dixerat vates humanam rationem superantia et quamvis ratiocinationum seriem excedentia, cum id quod dicebatur prophetia esset, iure adiecit : *nisi credideritis, neque intelligetis* ; ne quaeras, inquit, quomodo et qua ratione haec futura sint, Deus enim est qui operatur solaque fide tibi opus est et intelliges operantis virtutem, demonstrationem omnium supra dictorum accepisti ». Cur interpres graecus h. l. ita verterit, non liquet. *Sasb.* hanc tentat explicationem : « significat (verbum hebr.) stabilem et permanentem esse, sive certiorem facere ; qui enim certi sunt, intelligunt ; ideoque LXX verterunt *intelligetis* ». *Scholz* (die alexandr. Uebersetzung d. B: Jesaias, p. 46) versionem hanc οὐδὲ μὴ συνῆτε ut explicationem vel paraphrasin textus hebr. considerat (refert eam sub titulo : Erklaerungen, Aufloesungen von Bildern, Umschreibungen). —

Sententias duas in textu hebr. et graeco enuntiatas *S. Augustinus* hoc modo inter se coniungit : « illud Isaiae prophetae : *nisi credideritis, non intelligetis,* alius interpretatus est : *nisi credideritis, non permanebitis.* Quis horum verba

(vera) secutus sit, nisi exemplaria linguae praecedentis legantur, incertum est. Sed tamen ex utroque magnum aliquid insinuatur scienter legentibus. Difficile est enim ita diversos inter se interpretes fieri, ut non se aliqua vicinitate contingant. Ergo quoniam intellectus in specie sempiterna est, fides vero in rerum temporalium quibusdam cunabulis quasi lacte alit parvulos, nunc autem per fidem ambulamus, non per speciem, nisi autem per fidem ambulaverimus, ad speciem pervenire non poterimus quae non transit sed permanet per intellectum purgatum nobis cohaerentibus veritati, propterea ille ait : nisi credideritis, non permanebitis ; ille vero : nisi credideritis, non intelligetis » (de doctrina christ. 2, 12 ; *M.* 34, 43) ; cf. in Ps. 118, serm. 18 ; *M.* 37, 1552.

b) Signum divinum : Emmanuel, filius Virginis 7, 10-16.

Quid Achaz? Audierat promissum divinum, consilium inimicorum non opere iri completum ; audierat quid futurum esset regno Israel ; audierat etiam pro regno iudaico in una fide esse stabilitatem ac salutem repositam, idque audierat verbis illis quae insigne fidei exemplar et miram ex ea victoriam consecutam in memoriam revocarent. Quid igitur? Tacet. Ipsum hoc post talia promissa silentium eius manifestat incredulitatem, contemptum in Deum, animi in proposito malo obfirmationem. Deum eiusque opem respuit, ei fixum ratumque est ab Assyriis ope implorata auxilium et salutem exspectare. At Deus qua est benignitate *(Chrys.)* Achaz superbe tacentem novo aggreditur modo, ut eum ab infidelitate dimoveat ; v. 10 « *Et adiecit Dominus loqui ad Achaz dicens : pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni sive in excelsum supra* » ! — hebr. ad verbum *profundum fac* (vel faciendo) *ad infernum usque vel altum fac in sublime* i. e. signum petens vel cum postulatione tua descende usque ad inferos vel te eleva in sublime, rem postula quae fiat tibi in signum quamcumque volueris, sive in profundo, sive in coelo. — Bene notat *S. Hier.* : « illo non credente ipse loquitur ad Achaz ; quia tibi, inquit, videtur difficile quod regna potentissima brevi tempore finienda sint et tu cum populo tuo libereris, pete tibi signum... a Domino Deo tuo qui tibi auxilium pollicetur, et ipsum signum optionis tuae est unde postules, sive de profundo sive de excelso... ut cum de inferno sive de excelso signum acceperis, credas futura quae dixi ».

Ita Dei gratia ei obviam se fert. Si animum ad firmam fidem et fiduciam propter imminens periculum erigere nondum potest, postulet a Deo aliquod pignus, signum, miraculum, quo omnes hominis sensus totaque mens percellantur et quasi sua sponte ad firmam in Deum fidem et spem abripiantur. Offertur ei in signo illo auxilium ac subsidium potentissimum quo laetam fiduciam in opem divinam concipiat et prae-

sentissimam ac potentissimam Dei opitulationem quasi manibus palpet ac teneat. Atque ne ulla adsit tergiversandi vel dubitandi species, postulationi eius limites praefiguntur nulli. A coeli sublimitate usque ad inferni profunda omnia eius arbitrio committuntur; petat rem maxime miram, maxime aptam ad fidem divinae potentiae gignendam, maxime difficilem, quam sufficere credat, ut suo pectori spes ac fides divina illabatur! O praeclarum benignitatis divinae documentum [1], o vere eximium conatum, quo gratia Dei animum illum rebellem, obduratum, contumacem emollire, erudire, ad se attrahere studuit! « Vide quo Deus se demiserit. Ipse illum attrahit et hortatur ut signum petat, etsi non parvum hoc signum erat, eius arcana prodere eiusque sententiam totam in medium producere et simulationem eius omnem detegere » (*S. Chrys.*). Apposite notat *S. Cyr.*, quoniam curae ac studio fuerit regi rerum eventus curiosius scrutari et idolorum sciscitari oracula et falsorum vatum verba exquirere, Deum praecipere, ut iam a se signum exquirat. Illa itaque animi regis propensione Deus ad eius bonum uti se velle decrevit (sim. *Procop.*). Quam promptam divinae clementiae voluntatem ac fidelitatem propheta depingit dicens *a Domino Deo tuo,* id quod ad animum commovendum dicitur; Achaz enim totum se idolis dederat (4. Reg. 16, 3. 4. 2 Par. 28, 2-4), Deus autem inviolatam fidelitatem servans domui David hoc titulo supremae auctoritatis et paratae ad opem ferendam voluntatis documento regem ad officium sanamque mentem reducere desiderat.

In hac igitur admonitione ad Achaz facta praeclarum ei datur documentum idque firmissimum, Deum omnino velle rebus iudaicis afflictis mederi atque insuper velle debilem atque infirmam spem ac fiduciam roborare et omni salutis certitudine animos suorum perfundere ac confirmare; unde pro ea re iam nunc pignus exhibere vult quodcumque demum rex postulaverit. Cum Moyses legatione divina ad populum pergeret, variis Deus eum signis instruxit, quibus se esse a Deo missum et Moyses certissime sciret et populus indubie edoceretur. Gedeon audita promissione ab angelo sibi apparente signum petit : « si inveni gratiam coram te, da mihi signum quod tu sis qui loqueris ad me » (Iud. 6, 17). Saul quoque varia accipit signa quibus certus reddatur se regem fore, cum Samuel propheta varios eventus mox futuros ei praedicat (Reg. 10, 1 seq.).

---

1. *Osor.* praeclaram habet h. l. paraphrasin : « haec deinde a Deo admonitus adiunxit : ut in certissimam spem salutis erigi possis, ne ulla in te diffidentia resideat quae animum tuum timore debilitet, pete a Deo tuo signum quod habeas quasi tanti promissi pignus, per quod certus esse possis auxilium tibi divinitus adfuturum. Sit signum admirandum et obstupendum et ante hunc diem prorsus inauditum atque contra totius naturae ordinem, sive in profundissima terrae totius altitudine sive in supremo coeli fastigio datum ».

Quibus exemplis simul quid *signum* sit et quorsum detur clare demonstratur. Est enim אוֹת *signum* vel generatim quod memoriae rei alicuius conservandae inserviat (cf. Gen. 9, 13; 17, 11. Ex. 13, 9 etc.), vel documentum sit vel argumentum certum rem aliquam fore, vel portentum et miraculum in rei confirmationem editum, vel ad rei futurae imaginem et typum assumptum (cf. Deut. 13, 2. 1 Reg. 2, 27. Is. 8, 18 etc.). Quare ex rebus in populo Dei gestis Achaz perspectum habere debuit, quam insigne benevolentiae et opis divinae documentum sibi in hac optione praeberetur.

Cum in arbitrio regis ponatur quid postulare velit, frustra quaerere videntur interpretes, quale signum in coelo vel in inferno intelligi possit. Aliis placet quod affert *S. Hier.* : « vis ut scindatur terra et grandi hiatu inferi pateant qui in corde terrae esse dicuntur, an ut aperiantur coeli » (sim. *Haimo, Pint. Sasb. Lap. Men.*) ; vel signum in coelo simile illi quod Iosue datum sit alii explicant (Ios. 10, 12), signum in profundo illustrant prodigiis in interitu Core, Dathan et Abiron factis, vel in demersione Aegyptiorum, vel in prodigiosa Ionae prophetae liberatione, vel sicut Samuelis tempore tonitrua et procellae subito eruperint vel ignis descenderit in diebus Eliae (1 Reg. 12, 17. 4 Reg. 1, 10; cf. *S. Basil. Procop. Thom. Sanct. Calm.*).

Haec ipsa postulatio a propheta regi facta illustri documento est, quanta animi certitudine vati se a Deo mitti et iuvari persuasum fuerit. Quantae enim audaciae, temeritatis, immo quanti periculi res esset regi male affecto talem proponere optionem ! Et cum rex recuset signum postulare, ipsa recusatione ostendit se credere signum tale posse dari. Si enim non credidisset i. e. si sperare potuisset rem eam cessuram esse in Isaiae ignominiam, certo certius Achaz rex impius censendus esset ambabus manibus amplecti voluisse occasionem adeo egregiam, qua monitorem importunum et molestum censorem ad silentium redigeret et perpetuo pudore confunderet. Ita ipsum regis silentium nobis argumento est divinae Isaiae missionis ab Achaz agnitae.

Quae autem rationalistae de tali Isaiae propositione dicunt—quam ipsi excepto *de Lagarde* ita uti scripto tradita est, factam esse omnino non diffitentur — risum movent et praeclare demonstrant, quomodo homines fide divina destituti ad res divinas explicandas inepti sint. Ita *Hitz.* prophetam hic rem agere valde periculosam monet, quae tamen satis fauste cesserit, cum Achaz postulationi illi non acquieverit ; si enim acquievisset, Iahve suo prophetae probabiliter non fuisse opem laturum, homo emunctae naris (divinorum consiliorum hac in re forte conscius !) statuit et affirmat. *Meier* vero pro certo habet Isaiam qua sit prudentia non potuisse velle ut miraculum patraretur. Sed quid verba sibi volunt ? *Knobel* quaerens quid Isaias facturus fuisset, si Achaz postulationi accessisset, respondet : rem probabiliter exhibuisset valde simplicem et obviam. Sed non videt homo argutus non id agi quod Isaias facere voluisset, sed praestandum fuisse quodcumque Achaz postulasset. Alii demum statuunt prophetam putasse se posse sane res similes edere illis quae a praestigiatoribus et divinatoribus

fierent. Praeclara sane rei explicatio ! Id unum puto rationalistis esse dolendum, quod Achaz hanc occasionem vatem obruendi confusione non arripuerit. Illi sane arripuissent ! Sed cur Achaz non arripuit ? En argumentum, ipsum regem impium scivisse prophetam Dei et vera loqui et miracula posse divinitus patrare.

De textu hebr. haec nota : הַעְמֵק (cum dagesch in מ edidit *Baer-Del.*) et הַגְבֵּהַ explicari possunt vel *imperat.* vel *infin. absol.* ; prius crebrius assumunt (cf. *For. Vat. Malv. Rohl. Troch.*), alterum in sensu gerundii v. g. *Naeg.* ; sensus idem plane efficitur. At maior disceptatio est de acceptione vocis שאלה. Uti in textu *mas.* puncta efferuntur שְׁאָלָה, forma videtur esse *imperativus* postula (cf. Is. 32, 11. 1 Reg. 13, 7. Dan. 9, 19 ; *Olshausen* § 234 ; *Naeg. Rohl.*) atque ita iam acceperunt *Syrus, Chald.* et probabiliter etiam LXX, cum nihil aliud apud eos legatur nisi αἴτησαι......... εἰς βάθος ἢ εἰς ὕψος. At *Eusebio* teste *Sym.* transtulit βάθυνον εἰς ᾅδην ἢ εἰς ὕψος ἄνω, eodemque modo et *Aq.* et *Theod.* exprimunt *haden*, sicut *S. Hier.* quoque. Quae acceptio omnino praeferenda esse videtur. Ita enim perfecta adest atque iucunda orationis concinnitas ; habes enim post sententiam *pete tibi signum a Iahve Deo tuo* phrasin bipartitam particula *vel* iunctam binis constantem vocibus quae inter se correspondeant : *profundum fac in infernum — altum fac in sublime ;* incipit membrum utrumque a verbo quod quasi descensum et ascensum dicit, finitur regione illa quae descensui et ascensui respondeat quam postulatione sua ingredi possit rex vel in qua ut signum exhibeatur petere ei licet. Cum igitur in hebr. totidem adsint verba et talis orationis conformitas, שאלה legi et explicari oportet de inferno. Quid enim quaeso sibi vult relicta illa concinnitate languidam hanc textui obtrudere sententiam : *pete tibi signum : profundum faciens pete, altum faciens in sublime ?* Cur illa *pete* repetitio ? cur ad alterum solum membrum appositio ? Sed multis scrupulum movet punctatio *mas.* At si haec solum obstat, relinquatur vel emendetur. Nam ea sane non est tantae auctoritatis, ut quasi sacrosancta habeatur (cf. *Cornely*, Introd. I p. 269) et iuremerito emendatur, si et sensus id requirit et simul testes antiquitatis suffragium ferunt pro emendatione, quod utrumque sane h. l. obtinet. At h. l. res est etiam fortasse facilior. Nam ipsa punctatio *mas.* שְׁאָלָה *probabiliter* concipi potest ita, ut forma haec sit quam vocant *pausalis* a voce שְׁאֹל cum *he* locali pro forma consueta שְׁאֹלָה ; de tali forma *pausali* vide *Ewald*, Lehrb. § 93, a, 3, qui insuper pro nostro loco censet lectionem *schealah* et hanc formam pausalem esse selectam, quo maior adsit soni aequalitas cum membro altero *lemaelah* (sim. *Del.*). Simili modo iam *For.* loquitur, nomen *schealah* accipi pro inferno, quasi opponatur ultimae dictioni *lemaelah* (cf. *Malv. Mald. Net.*).

Ros. vult *Chald.* quoque h. l. scheol agnovisse. At id oppido falsum est. *Chald.* enim ita integrum versum exhibet : pete tibi signum a Domino Deo tuo ; pete ut fiat tibi signum super terram aut videatur tibi signum in coelo — ex qua explicatione planum est ipsa repetitione vocis שְׁאַל *pete,* Chald. non *scheol* infernum intellexisse ; sed verbum העמק accepisse de signo dando super terram, uti membrum alterum de signo intellexit de coelis. *Naeg.* affirmat *Syrum* quoque de inferno interpretatum esse; at de textu syriaco, uti exprimitur in polyglott. londin. et in editione londin. ex anno 1826 hoc certe non valet ; ibi enim luce clarius est *pete* esse expressum etiam pro שאלה.

Alii demum accentu in ultimam syllabam traiecto vocem explicant *petitionem,*

quae alias שְׁאֵלָה reperitur. — Mentione haud indignum est quod *Diestel et Bred.* suspicantur, lectionem primigeniam שְׁאֹלָה a punctatoribus esse immutatam, ut omnem speciem quasi vates necromantiam vel exercuisset vel commendaret ab eo removerent. Et revera punctatores eiusmodi scrupulis non semel esse agitatos, haud improbabiliter dici potest (cf. *Geiger,* Urschrift und Uebersetz. p. 259 seq.).

At altera haec quoque compellatio frustra fit; frustra est qualiscumque signi promissio. Achaz rex negare non potest Deum tale signum efficere et velle et posse et vatem a Deo missum nomine Dei et eius auctoritate vera promittere — si enim Achaz vatem vana loqui credidisset, rem miram quae humanitus fieri nequeat sane postulasset, ut monitorem importunum confunderet et ad silentium perpetuum redigeret. Unde Achaz ipsa sua obstinatione argumento est vera miracula a prophetis quandoque esse edita. Ita autem respondet, ut animum in proposito suo obfirmatum et opis divinae repulsam clare demonstret v. 12 « *et dixit Achaz : non petam et non tentabo Dominum* » ; — animum pandit a Deo plane alienum ; vult quidem liberari a periculo ; at *a Domino* liberari renuit, forte ne voti reus factus ad cultum Dei reverti debeat relicta quam amat idololatria neve cogatur foedus assyriacum et implorationem auxilii Theglathphalasar respuere. Quantus contemptus Dei in tali agendi modo lateat et quanta a theocratia aversio et regni theocratici despectio, non opus est pluribus prosequi. Exemplum habemus ad id quod 6, 10 dictum est : ipsa divinae opis promissione eiusque pignoris exhibitione maior efficitur et provocatur animi a Deo alienatio. Superbiae est, ut aiunt *S. Hier. Haimo, Rup.,* quod non vult signum a Deo petere. Simulationem et manifestam impietatem et frivolam irrisionem Dei deprehendunt *S. Cyr. For. Sanct. Lap. Pint.* eo quod dixit *non tentabo ;* « in scelere pietatem simulavit, ut speciosam causam perfidiae atque rebellioni praetenderet » (*Osor.* sim. *Sa, Men. Tir.*), ac si, prout *Estius* loquitur, in Deum regereret praeceptum ipsius : « prohibuit Deus ne quis ipsum tentet ; nunc autem vult id agi per quod tentetur ; at ego parebo prohibitioni eius et non tentabo eum » (*Est.*). Deus enim praescripserat : « non tentabis Dominum Deum tuum » (Deut. 6, 16) ; Deum tentare est periculum facere, utrum Deus modo extraordinario sit opem laturus, potentiam suam etc. manifestaturus. Mensura spei sunt promissa divina ; si quis ex defectu spei minus sperat quam oportet et ideo dubitat num Deus fidelitatem suam, potentiam etc. sit exhibiturus, sed etiam si quis ex praesumptione plus exspectat et postulat a Deo quam ex norma promissionum divinarum et ordinariae providentiae licet, is dicitur *Deum tentare* (cf. Ex. 17, 6. Num. 14, 22. Ps. 77, 18. Act. 5, 9 ; 15, 10), Dei potentiam quasi ad

examen revocare, eius periculum facere. Unde cum Deus ipse regem signum petere iusserit, quam inepte, immo blaspheme talia regerantur per se patet. Id Achaz palam profitetur : « non mihi in animo est vires istius Iehovah experiri aut de eius potentia periculum facere » (*Malv.*).

Qui contumax est et in malo obfirmatus et opem benigne oblatam cum contumelia respuit, is certe molestiam creat monitori et amicum aspernatur; sed si talia fiunt contra legatum divinum, qua talis qui agnitus sit et agnosci debeat, contumelia in Deum ipsum refunditur. Unde v. 13 « *et dixit : audite ergo domus David : numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo* »? — non sufficit vobis *homines* aspernari et molestia afficere; longius progredimini, Deum *meum* cuius iussu loquor contemnentes fatigatis, ad iram et vindictam provocatis, lacessitis. Ita agunt qui sunt ex domo David; ergo uti v. 2 simul cum rege populus in eadem perturbatione cernitur, ita reliqua familia regia in eadem erat cum Achaz impietate et pertinacia. Magnam habet h. l. emphasin haec domus David appellatio. Domui enim David thronus aeternus est promissus (2 Reg. 7, 14), ex hac domo Messias est proditurus et salus in omnes gentes erit diffundenda (cf. Os. 3, 5. Am. 9, 11. 12); et iam harum promissionum heredes repudiato Deo ad exteros deflectunt. Quantum ergo recedunt a patre David, a viro illo secundum cor Dei; « o ingratissimi, degeneres a Davide patre, in Deum impii et immemores promissionum beneficiorumque maximorum eius, qui vos familia et genere Davidis iactatis, indignissimi eo nomine » (*Malv.*)! Vi promissionum domus David debet ab interitu servari; hanc igitur opem a Deo oblatam repudiare nihil aliud est quam consilia divina velle destruere et eo quoque modo Deum fatigare et lacessere.

Notat *S. Hier.* : «pro *labore* et *molestia*, quod Aquila et Symmachus transtulerunt, LXX et Theodotio *agonem* interpretati sunt, id est luctam atque certamen, quia contentiosi non subiiciant collum Domini servituti, sed illo vulnera eorum volente curare respuant sanitatem ». Praebere *agonem* declarat *S. Chrys.*: « num mea verba sunt, num mea sententia ? Si autem hominibus non credere sine causa grave et criminatione dignum est, multo magis Deo. Illud igitur, agonem praebere, nihil aliud est quam fidem negare. Hoc, inquit, num parvum crimen est ? an parva criminationis causa hominibus non credere ? Quod si hoc grave, multo magis non credere Deo ». Et *Theod.* : « non satis ergo vobis est, quod prophetis contradicitis quodque Dei famulis resistitis, sed et Domino ipsi praecipienti palam non obtemperatis » ?

Unde talis est ex antecedentibus rerum conditio, ut ex una parte quemadmodum domus David generatim permanere debet, ita in hisce an-

gustiis ab irruentium hostium machinationibus defendatur (v. 2), ex altera vero haec eadem domus David propter regis aulicorumque mentem improbam et ab indole theocratica adeo alienam gravi castigatione sit afficienda. Prius elucet generatim ex vaticiniis iam datis et speciatim ex oraculo cum Achaz modo communicato (v. 4 seq.); alterum in illa tessera *si non credideritis, non permanebitis* continetur. Quare *signum* a Deo datur quod uti ex una parte summum est salutis pignus et domus David servandae documentum augustissimum, ita ex altera parte tamen simul poenam domui David infligendam declarat pro tempore futuro, pro praesenti autem licet signum de se sit summae potentiae divinae argumentum, eos qui credere nolunt in infidelitate relinquat. Rem iam nunc praeoccupatione quadam breviter declaro : promittitur *Messias nasciturus;* ita cum ille oriri debeat secundum humanam naturam ex domo David, haec domus servabitur; promittitur *conceptus ac partus virgineus,* in qua re uti cernitur magnum Dei miraculum, ita pignus datur et symbolum, quo Deum posse ea efficere quae naturae viribus fieri nequeunt, Deum posse inter maxima pericula incolumitatem etiam tunc praestare luculentissime constat, cum humana subsidia plane desint. Sed Messias ille praedicitur *adolescere in conditione aerumnosa procul a sede et urbe regia,* in terra Israel, qua re imperium et splendorem domus David interiisse, domum regiam David e sede regia pulsam, regimine privatam, in obscuritate et quasi in exsilio misero latentem satis clare innuitur.

Sed hisce in universum claritatis gratia praemissis iam dispiciamus singula. *Quia* Achaz signum petere non vult, immo exhortatione ea et invitatione accepta magis animum in aversione a Domino obfirmat, v. 14 « *propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen eius Emmanuel* » ; — hebr. *ecce virgo gravida et pariens filium et vocat*... Versio *propter hoc* omnino retinenda est; ita rite LXX διὰ τοῦτο, ita *Syrus, Chald.*, ita *Aq. Sym. Theod.* quoque efferunt διὰ τοῦτο, atque haec notio proxime ac per se inest hebr. לָכֵן, quae nostro loco omnino congrua est. Deus enim cum domum David servari vult, huic domui David signum dat certissimum et quo magis rex et aulici domus David opem divinam respuunt, eo clarius salutem datum iri eo quo Deus voluerit modo effertur; ita quae in hoc signo laeta sunt et promissoria, apte ad antecedentia adnectuntur. Sed pari nexu facile illa quoque fluunt, quae minas prae se ferunt : quia ii infidelitatem produnt et gratiam oblatam contemnunt, Deus signum exhibet in quo simul poenae annuntiatio latet et quod incredulos suae infidelitati relinquit. Talem esse signi dati effectum, post 6, 10 iam non mirum videbitur. Iuremerito igitur plerique

interpretes iungunt : *quia* vos recusatis,.. *ideo* ipse Dominus dabit (cf. *S. Cyr. Thom. Pint. Osor. Mald. Lap. Sa, Mar. Men.)*, neque opus est pro לָכֵן aliam statuere significationem *nihilominus* (cf. Ier. 5, 2. — *Ges.*), quo sensu fere iam *S. Basil.* nexum proponit eumque *Sasb.* commemorat et sequitur *Reinke.* Nam notio *nihilominus* in contextum non convenit; ea est hoc loco excogitata, quia putabant signum dari pro Achaz faustum et Deum recusanti quoque regi et invito omnino velle signum liberationis instantis exhibere. At haec sententia non videtur posse sustineri. Achaz enim in v. 12 incredulitatem suam plane manifestavit, ergo ex v. 9 incipiet pro ipso valere norma illa : si non credideritis, non permanebitis; domus regia molestiam creat Domino infidelitate, ergo ex v. 9 iam exspectari debet pro hac domo ea ruinae annuntiatio quae cum promissione Davidi data (2 Reg. 7, 14) componi possit. Davidi dictum est : stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum; ergo Messias qui sedebit super thronum David in aeternum, nasci debet ex posteris David, domus igitur David exscindi non potest. Haec promissio datur absolute. At qua via ad illam sit perveniendum, relinquitur posteris David. Id indicat Deus dicens : « si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum et in plagis filiorum hominum; misericordiam autem meam non auferam » (2 Reg. 7, 14. 15). Iam Achaz conditionem propositam satis superque implevit; unde pro domo David iam minae valent ; arguam eum in virga virorum... et valent eo magis, quia in v. 9 talis poena clare et distincte est proposita, si non crediderint. Quare signum pro domo David comminatorium est exspectandum ; idque revera sequitur ; nam ostenditur Messias qui nasci debet ex domo David sed qui adolescet in conditione afflicta in terra Israel (v. 15. 16); unde eo ipso signo certissimo dicitur fore ut tabernaculum David concidat. En *virga* et *plaga* pro domo David; sed simul habes in v. 14 in conceptu et partu Messiae illud : misericordiam autem meam non auferam. Achaz foedere suo antitheocratico gloriam domus David tueri vult vultque tueri modo a Deo reprobato; in iustam eius contumaciae poenam ei dicitur id iri effectum, ut tabernaculum David concidat. Cum igitur haec sit vis totius oraculi pro rege, לָכֵן non potest accipi notione *nihilominus*, verum retineri debet *propter hoc*, ut ad antecedentia referatur. Quid in ipso hoc signo nihilominus adsit solatii pro piis, postea explicabitur. Sed singula verba sunt perpendenda.

Ut igitur signum per singulas partes exponamus, primum ob oculos habere oportet illam huius versus explicationem authenticam quam nobis ipse Spiritus s. proponit per S. Matthaeum 1, 23; est scil. conceptus ac partus virgineus, quo beatissima Virgo Maria huic mundo virginita-

tis gloria permanente effudit Salvatorem. Sed hoc testimonium indicasse sufficiat. Quo veritas undequaque innotescat clarius, via et ratione interpretum in signum hoc inquiramus et verba perpendamus.

Cum de hoc loco apud heterodoxos sententiae ferantur plane diversae, id primum stabiliendum est quod totius huius quaestionis cardo est et fundamentum et quo semel stabilito reliqua facile consequuntur. Id autem in Emmanuele continetur. Quis est ex mente prophetae Emmanuel? Hoc quidem capite quis sit eo solum indicatur, quod ad signum ab ipso Deo dandum refertur et quod in nominis significatione *nobiscum Deus* omen habetur faustissimum. Utrumque iam non rem communem, sed eventum magnum, Deo dignum et congruum illi optioni amplissimae v. 11 indicat. Signum enim quod tali prooemio vestitur in re contineri obvia vel quotidiana, plane repugnat. Nomen ipsum plane est novum et quamvis apud Hebraeos quamplurima exstent nomina propria cum nomine Dei composita, tamen nomen hoc alias inusitatum in ea rerum conditione aperte declarat Deum per hunc puerum speciali quadam ratione fore cum hominibus. Rem igitur magnam, opus Dei eximium, eventum faustissimum hisce iam indiciis exspectare iubemur. Quod Isaias hoc capite incepit, id praeclare explicat in subsequentibus. Iam 8, 8 iterum nominatur Emmanuel, sed ita ut terra Iuda, quae alias audit terra Domini, hereditas Dei, dicatur *terra tua, o Emmanuel.* Hac autem compellatione non puer quidam regius, non rex humanus salutatur, verum solus ille, cuius est terra Iuda, cuius est theocratia, ipse Iahve vel Messias. Atque id statim egregie confirmatur 8, 9. 10; hisce enim omnem potestatem omnium populorum Deo adversariam iri destructum dicitur propter Emmanuel : *quia Emmanuel* (8, 10 hebr.). Iam sollemne est apud prophetas annuntiare fore, ut omnis gentium potestas et superbia deiiciatur eo fine et successu, ut regnum Dei fundetur et consistat. Si igitur omnium populorum incursus hostiles, conamina, consilia in nihilum redigenda sunt, *quia Emmanuel,* ipse Emmanuel clare designatur tamquam is qui in regno Dei principatum gerit. Ergo regem Messiam propheta ob oculos habet.

Porro quis sit Emmanuel, apertius etiam et distinctius docetur 9, 6 seq. Ibi enim et verba ipsa et rerum contexta series nos remittunt ad 7, 14 et 8, 10; dico verba; *nam parvulus natus est nobis, filius datus est nobis* promissionem illam 7, 14 clare et indubie referunt, et nomina quibus filius ille datus nobis designatur unum illud nomen Emmanuel praeclare explicant et qualis sit *nobiscum Deus* insigni ratione declarant. Praeterea si rerum nexum ac seriem attenderis, deprehendes, uti 8, 8-10, hic quoque impetum describi atque arrogantiam hostium eorumque contra populum Dei infestationes aeque mole-

stas ac potentissimas, verum haec omnia deiicienda esse victoria et triumpho insigni : *quia* Emmanuel 8, 10, *quia* parvulus natus est nobis 9, 6. Iam nomina quibus filius ille appellatur 9, 6 et quae 9, 7 de eius imperio sempiterno dicuntur, adeo sunt perspicua, adeo omni dubio superiora, ut ipsi rationalistae facere non possint quin 9, 6 Messiam describi aperte fateantur. Sed qui 9, 6 nobis proponitur, idem nobis et re et verbis exhibetur cp. 11, quod caput de Messia agere pariter apud omnes extra controversiam est. Unde si quis nexum rerum vel tantisper perspexerit, is duo nobis concedere debebit : a) Isaiam more suo 7, 14 quasi prima initia posuisse eaque in se fecundissima, quae per subsequentia oracula clarius atque uberius explicentur et evolvantur; b) in tribus istis sectionibus, quae cp. 7, 8-9, 7 et 9, 8-12, 6 continentur, omnia ad Messiam quasi ad centrum ita convergere, ut Messias ipse et opus eius et gloria et splendor quasi per gradus magis magisque innotescat. Quae omnia ex ipsa explanatione patebunt. Interea sufficiat rem indigitasse et demonstrasse, qua via procedendum sit, ut deprehendamus ex ipso propheta quem nomine Emmanuel nobis propositum voluerit. Ipse sacer vates in hanc nos methodum plane concedere cogit, cum 8, 8. 10 nomen, 9, 6 rem ex 7, 14 nobis quam clarissime ob oculos ponat. Ita quae 7, 14 inchoata vel obscura et obvoluta esse videri possunt, subsequenti oraculorum pronuntiatione ac declaratione aperta redduntur, indubia, perspicua.

Est igitur Emmanuel Messias, est Deus fortis. Hoc fundamento iacto (quod impugnari non potest, quia ipsius vatis declaratione consistit) iam quasi face praelucente reliqua signi eius verba tuto expendere poterimus [1]. Sollemne est apud Isaiam et alios quoque prophetas particula *ecce* הִנֵּה vaticinium efferre de re futura quae gravis sit in se et auditorum animis peculiari pondere sit commendanda. Ita vide 3, 1 ; 5, 26 ; 8, 7 ; 10, 33 ; 13, 9. 17 ; 17, 1 ; 19, 1 ; 22, 17; 24, 1 ; 26, 21 ; 30, 27 ; 32, 1 ; 33, 7 ; 34, 5 ; 37, 7 ; 39, 6 ; 40, 10 ; 41, 11 ; 44, 11 ; 52, 13 ; 54, 11 ; 65, 13 ; 66, 12. Adhiberi particulam etiam de re praesenti vel quae iamiam efficienda sit, ut hac loquendi forma auditorum mentes ad eius gravitatem concipiendam excitentur, ita quoque in usu est positum, ut nulla egeat explicatione. Utro vero modo haec particula hoc loco usurpetur, ex verbis immediate antecedentibus desumitur ; istis autem *Dominus dabit vobis signum* signum ipsum tempore futuro dandum esse declaratur, igitur *ecce* usu priore toties apud Isaiam obvio adhibetur.

---

1. Vide de hoc loco dissertationem *Patritii*, de Evangeliis lib. III dissert. 16 p. 135-153 et *Corluy*, Spicilegium dogmatico-biblicum I p. 394-420.

Quare de tempore quando signum hoc revera dandum sit nihil hoc loco edicitur nisi id fore tempore futuro.

Iam signum quod Dominus *dabit* sed cuius promissio atque descriptio iam est in se signum pro tempore praesenti, enuntiatur verbis : *ecce virgo gravida et pariens filium...* verba plane similia angelus dicit ad Agar iam gravidam : « ecce tu gravida et pariens filium et vocabis nomen eius Ismael » (Gen. 16, 11) ; simili modo de Thamar iam gravida dicitur « ecce gravida » (Gen. 38, 24) ; sed et Iud. 13, 5. 7 verba eadem : « ecce tu gravida et pariens filium » de uxore Manue dicuntur quae ex v. 24 iam concepisse videtur, quamvis in versione *vulg.* « ecce concipies » verba de re futura explicentur. Rem futuram declarat nostro loco illud *dabit* et particula *ecce*, quae adeo frequenter apud Isaiam de eventu futuro adhibetur, ut supra iam probatum est. Sed dum rem futuram annuntiat, ipse vates visione interna prophetica rem acie mentis tamquam praesentem sibi sistit et mysterium quod revelat mentis intuitu quasi coram fieret considerat. Unde forma loquendi utitur adeo determinata et brevi : ecce ἡ παρθένος gravida, הָעַלְמָה scil. cum articulo : virgo scil. determinata, quae a Deo electa sit, ut fiat mater Emmanuelis, quae ut talis est per eminentiam ἡ παρθένος, virgo singularis ; « additione articuli insignem quandam et hanc solam fuisse nobis subindicat,... nam ferme videntis et imaginem in mente habentis haec erant multamque in se habentis eorum quae dicebantur evidentiam » (*S. Chrys.*).

Tres versiones veteres, LXX, *Syri*, *S. Hier.*, virginem efferunt clare et distincte, dum reliquae versiones graecae *Aq. Sym. Theod.* ἡ νεᾶνις ἐν γαστρὶ συλλαμβάνει verterint. Verum quidem est quod iam *S. Hier.* advertit, vocem omnino propriam ad virginem illibatam designandam apud Hebraeos esse בְּתוּלָה ; at dubium esse non potest quin et עלמה virginem eamque iuvenem ac teneram designet et hoc loco unice designare possit. Utrumque erit paucis demonstrandum. Dici עַלְמָה de puella virgine, de puella quae sit famae intemeratae, innupta et quae pro virgine saltem ab omnibus habeatur, omnes probant loci, in quibus vox usurpatur. Ita Gen. 24, 43, cum servus Abraham pro filio Isaac non nisi virginem illibatam ut sponsam deducere vellet ; ita Ex. 2, 8 de sorore Moysis quae erat puella innupta ; ita Ps. 67, 12, cum in publicis choris qui religionis causa instituebantur, ad sacra carmina canenda sane non admitterentur nisi puellae famae vitaeque integerrimae i. e. virgines ; et si Cant. 6, 7 legitur : « sexaginta sunt reginae et octoginta concubinae et adolescentularum non est numerus », quaenam sint adolescentulae עֲלָמוֹת dubitari nequit, cum ab iis quae rem uxoriam expertae sint, a reginis et concubinis, tam sollicite distinguantur. Aeque certum est etiam Prov. 30, 19 eam puellam dici עלמה quae in communi hominum opinione tamquam

virgo habetur et tamquam talis quae virum non sit experta. Sensus enim adagiorum quae eo loco recitantur is est : uti deprehendi nequit, utrum aquila per aerem, coluber super petram, navis per medium mare transierit necne, cum illa vestigia certa et permanentia non relinquant, ita indagari penitus nequit, num ea quae censeatur virgo sit revera ab omni cum viro commercio furtivo aliena ; nam mulier adultera quoque crimen suum celare novit et hominum oculis subducere [1]. Unde ex usu vocis

---

1. Cum locus iste sit vexatus, haec adnotanda esse videntur. Iam interpretes rabbini, uti Abarbanel, quos rationalistae sedulo sequuntur, ex hoc loco deducere conantur, vocem non dici de virgine, sed de corrupta, vel de uxore adultera (cf. *Ges. Hitz. Kn.*). Verum hoc ultimum iam eo excluditur, quia sequitur : « talis est et via mulieris adulterae » hebr. : sic via mulieris adulterae; unde apparet aliquam institui *comparationem* et quae antecesserint ea *similitudine* explicari; ergo cum eadem notio non secum ipsa comparetur, sane manifestum est עלמה nullo pacto dici de uxore adultera. Ad sensum autem adagiorum inveniendum ultima haec comparatio inservit . mulier adultera furtive committit adulterium, sed crimen plane obtegit, omnia eius indicia removet, audacter negat. Igitur de re agitur quae certo investigari nequeat, quae cum nullum eius vestigium certum atque indubitatum relinquaturi inquiri certo non possit. Ex quo explicatio supra proposita consequitur. De qua ita *Vitringa* (Comment. in libr. proph. Iesaiae, p. 185) : locus agit de furtivis et clandestinis amoribus et congressu quem vir cum virgine innupta exercet nemine praeter amantes conscio, absque testibus et arbitris, dum interea illa pro statu praesente colitur et honoratur ut virgo et quid vitii sibi haereat, ita dissimulat, ut ab aliis id frustra pervestigetur ; est igitur quae hic *alma* dicitur talis ex communi fama, iudicio, opinione aliorum ». Eadem habet *Ros.* eaque refert et approbat *Patritius* (de Evangeliis, III p. 141) et addit : « hanc explicationem comparatio quae sequitur mulieris adulterae cum tali עלמה non modo non refellit, sed porro confirmat; nam sicut illa honesta ac fida uxor haberi pergit, ita haec virgo intaminata ». Atque eam quoque interpretationem proponit *Iansenius* (Analecta in Prov., Lovanii 1705, p. 69), viri ad virginem ingressus nullum vestigium apparere propter nimium studium celandi (cf. apud *Lap.* in Prov. 30, 19), vel ut alii apud *Lap.* l. c. explicant, suaderi parentibus vigilem et exactam filiarum virginum custodiam eo quod viri ad virginem ingressus sit lenissimus et secretissimus, ut omnes etiam parentes fallat; rursum sicut aditus viri ad virginem est occultus sic et abscessus, nullum enim relinquit sui vestigium in viro, neque certum omnino atque infallibile in virgine. In eandem sententiam scribit *Calm.* ad Prov. 30, 19 « locus nihil exprimit (vide Hugon. Isidorum, Clar. Ians. Munst. Tig. Mercer. Iun. Pagn. Grot. Cast. Geier. Bossuet, alios plerosque) praeterquam quod ea quae in muliere vel puella habentur virginitatis signa magnopere ambigua sunt nec virginitatis vel amissae vel servatae satis certa sunt argumenta ». Eandem sententiam etiam amplectuntur *Drechsler, Delitzsch* (Salomon. Spruchbuch, p. 506), *Reinke* (Weissagung von der Iungfrau, p. 126), *Fillion* (Essais d'exégèse, p. 62). Eo proverbiorum loco valide demonstrari notionem virginis illibatae mente et corpore inesse, etiam *Rohling* multis ostendit (Salomon. Spruchbuch), quamvis ipse aliam praeferat explicationem; vult. scil. admoneri virgines, ut sibi caveant, quia seductor abit nullo vestigio in se recepto, verum omni ignominia in seductam proiecta. Virginem eo loco designari etiam tenet *Hengstenberg* (Christologie, II p. 55), sed aliter rem intelligi vult; viam scil. esse viri amorem qui subito saepe et modo inexplicabili in virginem exardescat. Sed haec expositio iam statim v. 20 refutatur comparatione vel similitudine adulterae.

Aliam explicandi viam ingressus est *Sanct.*; vel enim Prov. 30, 19 ita accipi posse censet, ut id quod non sit ibi dicatur non sciri, viri scil. viam in virgine, nullum etenim esse virilis operae vestigium, quia virgo sit illibata ; vel ad virginem absconditam non esse ullum

constat significari puellam innuptam, virginem eamque iuvenem, dum בְּתוּלָה omnem virginem etiam superadultam et vetulam dicit.

Si de usu vocis constat, non erit multum laborandum ex quonam etymo vox derivetur. Multis quidem arrisit etymologia a *S. Hier.* proposita a verbo עָלַם abscondere : « ergo *alma* non solum *puella* et *virgo*, — sed cum ἐπιτάσει *virgo abscondita* dicitur et *secreta*, quae nunquam virorum patuerit aspectibus sed magna parentum diligentia custodita sit. Lingua quoque punica quae de Hebraeorum fontibus manare dicitur, proprie virgo *alma* appellatur ». Atque pro ea derivatione testem quoque appellat Aquilam, qui Gen. 24 de Rebecca transtulerit *alma* non *adolescentulam* nec *puellam*, sed *absconditam*. Et in hanc sententiam concesserunt veteres plerique ; cf. *Vat. For. Pint. Sanct. Mald. Sa, Est. Mar. Malv.* (ad Prov. 30, 19) *Lap. Gord. Clarius ;* quibus adde *Vitringam* (in comment. ad h. l.), *Mercerum, Buxtorfium,* quos allegat *Malv.* (in Prov. 30, 19) aliosque, quos allegat *Fillion* (Essais d'Exégèse p. 69) ; similiter explicat *Schultens* virginem *obsignatam* i. e. *intactam, Hartmann* (Hebraeerin am Putztische III p. 344) virginem *obvelatam* et satis fuse rem pertractat *Huetius* (Demonstr. evang. prop. 9, cap. 9. Parisiis 1679 p. 381 seq.). E recentioribus eidem etymologiae subscribunt *Pusey* (Prophecy of Jesus, p. 48-51), *Drach, Barnes* quos citat et sequitur *Fillion, Corluy* (l. c. p. 401), *Bade.*

Verum haec etymologia tamen parum certa videtur. Nam עַלְמָה certe est nomen femin. ab עֶלֶם *puer, adolescens,* quae vox 1 Sam. 17, 56 de David iuvene dicitur, qui egreditur contra Philisthaeum, et 1 Sam. 20, 22 de servo Ionathan, qui modo עֶלֶם, modo v. 21 נַעַר appellatur et v. 35 puer parvulus

---

viri accessum ; « ac si dicas : facilius invenies in aere viam aquilae et in mari viam maris, quam vestigia virorum ad ianuam illius quae nunquam se viris videndam offert ». At haec expositiones argutiores videntur, neque ad eas aptari potest qui sequitur v. 20. Eodem versu subsequenti alia excluditur expositio, quam proponunt *Lyranus, For. Pint. Lap. Men. Tir.* et quam etiam ab Haccadosch rabbino proponi *Galatinus* (de arcanis cathol. verit. 7, 15 p. 533) asserit et quam nuper etiam *Rohling* amplexus est (Theol. pract. Quartalschrift, Linz 1883 p. 764), indicari in verbis illis mysterium partus virginei, Messiae nativitatem ex Virgine et Messiam esse virum illum, cuius viam in virgine ignoraverit Salomon, cuius inexplicabilem generationem non potuerit humano intellectu percipere. Sed quis tam subito et inexspectato et modo adeo generali et obscuro mentionem fieri Messiae crediderit ? Et quis tali mentione facta aequo ferret animo statim inferri : sic est via adulterae ??

Hisce igitur explicationibus relictis illa quam supra dedi ex contextu firma manet ; illam commendant exempla allata de avium volatu, de navis itinere in mari, de serpente repente super petram, quae omnia ita sedulo eliguntur, ut nullum relinqui vestigium appareat ; utrum aerem aquila transierit, vel maris undas navis secuerit, vel serpens super saxum transierit (nota saxum dici, non arenam, non gramina, ubi vestigia facile apparent) necne, nequit re peracta discerni ; ita ait sapiens non adsunt certa et indubitata intemeratae virginitatis signa ; nequit certo semper discerni num ea quae habeatur et appareat virgo, *sit* revera virgo illibata. Idque illustratur comparatione de adulteriis occultis, quae etiam deprehendi ac probari nequeant, deprompta. Unde licet concludere cum *Le Hir, Fillion* aliisque : il est aisé de se convaincre que ce même passage a une force particulière pour établir « l'interprétation orthodoxe » du mot *almah.*

נַעַר קָטֹן vocatur. Eadem vox in cognatis quoque dialectis invenitur et apud Arabes quidem notionem habet pueri adolescentis qui ab infantia usque ad aetatem iuvenilem eo nomine designatur (cf. quae ex Arabum lexicographis et ex Qorano affert *Reinke,* Weissagung v. d. Jungfrau p. 115). Eadem significatio inest voci chaldaicae, id quod iam ex eo elucet, quod statim v. 15 in paraphrasi chaldaica legitur vox eadem de puero adolescente ; immo Ex. 2, 6 vox ea dicitur in paraphrasi chald. de infante Moyse qui in fiscella sua plorans a filia Pharaonis est repertus (cf. *Levy,* Chald. Woerterb. II p. 220). Etiam apud Syros vox haec notione *adolescentis, iuvenis* in usu est. Sed valde incredibile videtur, puerum, adolescentem, iuvenem dici ab *absconsione;* puellas utique diligenter fuisse custoditas, in domo interiore latitasse et fere inclusas fuisse, indeque vocari potuisse *absconditas* facile intelligitur — de qua re vide v. g. 2 Mach. 3, 19 : « sed et virgines quae conclusae erant, αἱ δὲ κατάκλειστοι τῶν παρθένων, procurrebant ad Oniam », idemque 3 Mach. 1, 18 — sed puerum et adolescentem inde vocari quis censebit ? Nam esset haec nominis ratio eadem ac nota illa : lucus a *non* lucendo ! Neque scio an nodum hunc feliciter solvat *For.* : « Hebraeis est *elem* adolescens seu iuvenis quamdiu est privatus et privatam vitam agit, neque in publico aut politico officio et administratione exsistit, congrua derivatione a verbo quod *absconditum esse* significat, neque enim hoc nomine veniunt nisi iuvenes caelibes etc. quod sint absconditi et ignoti ». Praeterea attende formam vocis ipsam ei interpretationi repugnare. Forma enim est activa, dum abscondi, obvelari nonnisi voce passiva dicitur ; ergo participium passivum in *qal* vel in *niphal* iuremerito exigendum esset.

Sed etsi eam derivationem parum probabilem censemus, tamen nullo modo in eorum partes concedendum esse arbitramur, qui vocis etymon ex arabico petentes explicant de puella pubere, nubili, libidinem sentiente, quorum antesignanus est post rabbinos aliquos *Ges.* in comment. ad Is. locum hunc et in Thes. p. 1037 ; sim. quoque *Fürst* C. et L., *Knobel* aliique. Verum hunc sensum non esse praecipuum et primarium ne in arabico quidem iam eo conficitur, quia vox illa in arabico quoque puerum designat ab infantia usque ad iuventutem (cf. *Reinke* l. c.) et uti supra demonstravimus exemplis allatis, etiam apud Hebraeos puer parvus dicitur עלם et chaldaice puer recens natus, infans eadem appellatione effertur ; unde notio illa non est neque esse potest primaria, praecipua, voci semper inhaerens, verum solum secundaria, derivata et quandoque apud Arabes obvia. Sed quidquid sit de vocis etymo, significatio petenda est ex *usu ;* usus enim est suprema lex et quo usu vox adhibetur, hoc demum et hoc unice valet. Iam quoties *usus* etymon vel plane negligat vel omnino etiam abiiciat et fere respuat, exempla ubique in quavis lingua prostant ; immo fieri potest ut temporis decursu vox aliqua in sensum plane a primaevo contrarium determinetur *usu ;* ergo potius dicendum cum *Ros.* : « eiusmodi ex etymologia petitis argumentis, utpote perquam incertis, parum tribuendum videtur... sed nobis sufficit *usus loquendi,* qui עַלְמָה de *puella innupta* usurpat, seu virgo sit seu talis censeatur, neque unquam adhibet in puella quae sit uxor ; intellexisse autem Iesaiam, cum haec loqueretur *virginem parituram* verba eius ipsa

demonstrant ». Iam *usus* iterum est determinandus primo et per se ex ipsa illa dialecto de qua quaeritur; proinde pro lingua hebraica ex usu qui in Hebraeorum priscorum scriptis, i. e. in sacris literis cernitur; ad hunc *usum* autem nihil refert, quid post multa saecula vel apud rabbinos vel apud Arabes de voce antiqua factum sit vel ad quam notionem vox demum sit delapsa. Usus autem e sacris literis est indubius. Neque parvi aestimandum est a graecis interpretibus hoc Isaiae loco vocem esse selectam quae virginem eamque solam designet. In qua versione ἰδοὺ ἡ παρθένος certae traditionis vestigium facile deprehenderis.

Quare hanc vocis de *virgine* explicationem iuremerito tuentur catholici interpretes omnes, quos singulos adscribere infinitum est; multi quoque ex heterodoxis linguae hebr. scientia insignes eandem fortiter propugnant et defendunt versionem. Quorum aliqua testimonia in re tanti momenti in medium proferre non piget. Et *Munsterus* quidem : « quod haec prophetia de Christo et matre eius Virgine sit praedicta non modo probatur auctoritate evangelistarum, sed ex textu quoque colligitur, cum virginis partus pro miraculo habeatur, nullius patris fiat mentio et nomen pueri a matre vocari iubeatur » (cf. *Criticorum sacr.* tom. 4 ad h. l.); *Forsterus* : « עַלְמָה iuvencula scil. innupta, quae nondum est elocata viro, antequam nuptias celebravit et publicum coniugii statum ingressa est. Testantur enim omnes veteris testamenti loci, ubicumque legitur, dici de iuvencula quae virgo est » (apud *Malv.* ad Prov. 30, 19). Similiter vel ex etymo vocis vel ex usu eandem notionem proponunt *Iunius, Calovius, Piscator* aliique, quos vide in *Synopsi Criticorum*, ed. a Matth. Polo (Ultraiecti 1685; vol. 3 p. 77); eandem sententiam ita inter alia effert *Ros.* (in scholiis ad h. l. — ed. 2. Lips. 1810 p. 298) : « gravissimum est illud, quod עַלְמָה de nupta femina ex usu loquendi intelligi plane nequeat, sed *virginem* denotet... probat constans usus in V. T. nunquam de nupta, sed ubique de innupta femina dici ». Alios supra iam adduxi, cum de etymologia vocis ab absconsione petita agerem, v. g. *Vitringam*, quibus adde *Ed. Leigh, Gataker*, alios quos recenset *Reinke* l. c. p. 114. 123 seq. In scholiis Frid. Schulzii continuatis a *G. L. Bauer* legitur : « עלמה est virgo intacta, sed matura; a coniugibus et concubinis distinguitur Cant. 6, 8. Gen. 24, 23 coll. 16 ». *Doederlein* nostrum locum vertit : virgo gravida facta filium pariet (Esaias, 3 ed. p. 31). Eodem modo *Hengstenberg* (Christologie, 2 ed. II p. 53 seq.) inter alia scribit, certum esse voce puellam designari *innuptam* in flore iuventutis et eam hoc loco describi integerrimam castitate per se ex contextu erui; nam si mater Messiae innupta esse debeat, necesse prorsus esse ut sit virgo illibata. Et *Drechsler* rem ita concipit : בְּתוּלָה virginem dicit qua virginem illibatam, עַלְמָה qua virginem nubilem (cf. der Proph. Jesaja p. 287. 304); similiter virginem h. l. vertunt (quamvis in loci explanatione in varias discedant partes) : *Steudel, J. D. Michaelis, Eichhorn, Paulus, Staehelin, Ewald, Riggenbach, Maurer, Umbreit, Hofmann, Tholuck* (cf. Studien und Krit. 1835 p. 1000; 1845 p. 438; 1855 p. 574. 607; *Hengstenberg* l. c. p. 75; *Drechsler* l. c.

p. 306 seq.); *Naegelsbach* hoc saltem concedit, vocem feminam matrimonio iunctam designare *non posse,* sed dicere puellam *innuptam* vigore plenam; similiter *Kueper* (das Prophetenthum d. A. B. p. 216), *Schultz* (Studien und Krit. 1861, 718), *Orelli* (die alttestam. Weissagung v. d. Vollendung des Gottesreiches, 1882; p. 290 seq.) et *Delitzsch* illam esse virginem dicit, quàm prophetiae spiritus menti prophetae repraesentaverit et quae quamvis eam nomine efferre nequeat, tamen tamquam ad rem summam eximiamque electa aciei mentis ipsius obversetur (Commentar über d. Proph. Jes. 3 ed. p. 117). Etiam *Cheyne* concedit mulierem matrimonio iunctam nullibi עַלְמָה vocari et *Bredenkamp,* quamvis non *virginem* vertat sed *puellam,* tamen ex contextu et mente prophetae concludendum esse ait etiam ipsum partum non fore κατὰ φύσιν sed παρὰ φύσιν, miraculum enim constitui non in puero solo verum in omnibus quae de ipso dicantur; dein certo non fieri fortuito quod nunquam de patre Messiae sermo inferatur (der Prophet Jesaja p. 59).

Igitur ex usu constat voci qua tali inesse notionem puellae innuptae, virginis. Iam verba prophetae : *ecce virgo gravida et pariens filium* intelligi ita debent, uti sonant scil. virginem qua virginem et permanentem talem et esse gravidam et parere. Ita enim verba sensu obvio explicantur; loquitur enim propheta ac si digitis quasi demonstraret : en videte vobis signum, videte virginem praegnantem ac parientem; ad quem sensum participia quae in Hebr. adhibentur plane apta sunt et efficacia; adde quod eadem verba et Gen. 16, 11 et 38, 24 et probabilissime etiam Iud. 13, 5. 7 de iis dicuntur quae iam sunt gravidae; unde iure h. l. explicabis : cerno mente prophetica virginem quae in conditione praegnationis est etc. Verba sensu, ut aiunt, composito esse accipienda, praeterea ex ipso *signo* annuntiato omnino evincitur. Nam, uti SS. Patres et interpretes monent, post sollemnem promissionem *ipse Dominus dabit signum* cum Achaz signum oblatum esset quodcumque vel in coelo vel in terra vel in inferno patrandum, non potest sequi res quotidiana. Audiamus *S. Chrys.* : « si autem virgo non fuisset, signum non erat. Signum enim rerum seriem excedere debet et naturae consuetudinem superare itemque novum et inexspectatum esse, ita ut id insigne sit singulis qui vident et audiunt. Ideo enim signum appellatur, quod sit insigne (σημεῖον-ἐπίσημον). Insigne autem non fuerit, si delitescat in communitate ceterarum rerum. Itaque si sermo esset de muliere secundum naturae legem pariente, cur signum vocaret quod quotidie fieri solet »?

Iste autem *virgineus* conceptus et partus, ut est in se verum miraculum et ideo signum Deo et grandi promissione dignum, ita est signum quoque piis maxime accommodatum pro conditione domus David eiusque liberatione. Nam in conceptu partuque virgineo manifestatur divina potentia,

quia ea inter se conciliare potest quae ordine et instituto naturae plane inter se excludunt. Dum rex et populus contremiscunt et omnia iam conclamata esse videntur, hoc signo manifesto ob fidelium oculos ponitur : « non est impossibile apud Deum omne verbum »; ex hoc signo discere possunt apud Deum liberationem et salutem suam ita firmiter esse constitutam, ut ad eam vindicandam paratus sit maxima quaedam si opus fuerit miracula praeter naturam et contra eius ordinem patrare; atque in pignus talis voluntatis eis proponit virginitatem illaesam atque servatam ibi, ubi ex ordine naturae nequit non laedi et amitti. Ergo etsi ipsis nullum effugium, remedium ac subsidium nullum humanitus supersit, si tanta necessitate ad ruinam et interitum respublica et civitas propellatur, quanta adsit ad laesionem virginitatis in conceptu et partu, Deus tamen mediis in flammis eos servare potest illaesos, potest et vult rempublicam et thronum David ab interitu servare. Signum autem eiusque significatio salutaris quae adest pro piis quasi in immensum augetur, quia de conceptu et partu agitur Messiae. Ipse Messias piis ut pignus liberationis considerari potest. Quam igitur fixum atque inconcussum sit apud Deum post tot vaticinia et promissa Messiam mittere, tam fixum simul esse atque certum Deum velle periculum instans avertere. Ut se minus beneficium quod promiserat v. 7 dare revera velle spondeat, maximum quod excogitari possit beneficium pignoris loco quasi in medio poni. Bene monet *S. Thom.* : « Incarnatio Christi significat liberationem per locum a maiori : si Deus dabit filium suum ad salutem totius mundi, multo magis potest salvare vos ab istis hostibus (cf. Rom. 8, 32); vel quasi causa motiva : hoc enim quasi movit Dominum, quod multa bona illi populo quamvis iniusto concedantur, quia de illo providerat Filium suum incarnandum ». Signum igitur tale est, quod *fideles* maximo solatio erigat et confortet et *a credentibus* bene intelligatur, sed quod quia *fidem* supponat et exigat et a sensibus reconditum sit neque externo suo splendore sensus percellat et invitos etiam animos ad Dei praesentis et operantis agnitionem pertrahat, infideles in sua relinquat infidelitate et a Deo abalienatione (cf. 6, 9. 10).

Hoc loco *virginem* intelligi in ipso conceptu et partu demum ex eo colligitur, quia de *Messiae* nativitate agitur. Iam neminem latere potest in s. literis ei non attribui patrem alium quam Iahve qui solus ad eum dicat : filius meus es tu, ego hodie genui te; saepius autem de eius matre sermonem inferri : ipse Messias de sua loquitur matre (Ps. 21, 10. 11), Michaeas originem eius terrestrem commemorans solius eius genetricis mentionem iniicit (5, 3), Ieremias quoque eius ortum ad solam refert feminam (31, 32); haec si perpenderis simulque consideraveris, quam explicite de utroque generationis principio s. literae communiter

loqui soleant, certum tibi evadet matrem Messiae si עַלְמָה vocetur non posse esse nisi virginem. Ad quod statim addo, ipsum prophetam de ea re insuper nos clare voluisse edocere, dum mox 8, 3 nobis ostendat, quomodo de conceptu communi atque ordinario loquatur : *et accessi ad prophetissam et concepit.* Utrumque loquendi modum inter se sedulo compara; iam magnum non potes non deprehendere discrimen. Ergo ex ipsis verbis aliud et aliud nobis indicasse prophetam iure inferimus. Quae omnia quantopere vero sint consona, ex authentica interpretatione constat quam S. Matthaeus dat qui saepius et consulto conceptum virginalem effert eumque in nostro loco praedictum atque declaratum esse asseverat (cf. Matth. 1, 16. 18. 20. 22. 23. 25 — Luc. 1, 27. 31. 35). Neque omittunt veteres advertere quomodo Filius Dei incarnatus signum sit et coelum et terram et profundum complectens atque ubique suam manifestans maiestatem (cf. *Euseb. S. Cyr. Theod.*).

Sed fortasse nonnemo hoc loco quaeret quomodo signum tempore futuro demum exhibendum iam pro praesenti rerum conditione argumentum esse possit et documentum. Qua in re ante omnia considerari oportet (cf. *Patrit.* p. 147), ipsam rei futurae praedictionem factam a propheta qui qua talis iam agnitus sit et a Deo legitime comprobatus, habere in se pondus maximum ; aequivalet enim huic locutioni : quam certum fixumque est apud Deum mittere Messiam ex domo David oriundum, tam certum fixumque simul est, domum David a praesenti periculo iri ereptum. Hoc autem si a propheta legitimo dicitur cuius momenti esse debeat, ex lege fundamentali de munere prophetico facile colligitur : « ponam verba mea in ore eius, ipsum audies ; qui autem verba eius quae loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor exsistam » (Deut. 18, 15. 18. 19). Et Deum paratum esse ad opem ferendam et huius suae voluntatis pignus et arrham iam edere, ex eo ipso luculentissime apparet, quia in tali rerum conditione prophetam mittit eique res futuras pandit easque in aliorum eruditionem et consolationem proponi iubet. Habetur ergo modo eximio interventus Dei isque habetur ad certum consilium divinum manifestandum et confirmandum ; quid igitur plus ad veri signi rationem pro tempore quoque praesenti habendam requires ?

Utique signum tale est quod ut vi sua et significatione percipiatur, opus est *fide.* Sed in re theocratica requiri fidem, ex ipsa theocratiae indole enascitur. Insuper Deum per prophetas sua aperire consilia et reipublicae quoque administrationem gubernare, res est in theocratia V. T. usitata, in lege Deuteronomii fundata, multis exemplis probata. Adde quod Deus, ut verbis suis ac promissionibus pondus adderet et confirmationem, iam saepius signa dederit futuro tempore adimplenda

(cf. Ex. 3, 12. 1 Reg. 2, 34; 10, 1 seq. 4 Reg. 19, 29). Neque ullo pacto dici potest signa talia quippe quae pro futuro promittantur effectu carere pro praesenti vel saltem non ita censeri posse efficacia. Nam ut a simili ordiar, aegrotus quispiam v. g. magnam capit spem ac fiduciam, si medicum audiat asserentem : adeo mihi persuasum est te plane iri restitutum sanitati, ut post tres hebdomadas tecum iter instituere mihi in animo sit. Nonne ex tali asseveratione aegrotus quam certa sit medici spes intelligeret et ex illius spe adeo firma solatium caperet ? Ergo a fortiore quale esse debet solatium, quale rei certissime eventurae pignus, si v. g. non homo ex fallaci forte coniectura vel opinione humana, sed *Deus* ipse potentissimus Moysi dicat : « hoc habebis signum quod miserim te : cum eduxeris populum meum de Aegypto, immolabis Deo super montem istum » (Ex. 3, 12). Et idem applica ad alia. Atque revera eventus futuri revelatio in se quoque quam maxime apta est, ut animum solatio confortet et de praesenti Dei ope reddat certissimum. Cum enim Deus res futuras homini revelat vel per prophetam praedicit, excellentissimo quodam modo Deus se ostendit rerum omnium Dominum, gubernatorem, cuius potentiae omnia sunt subdita, cuius scientiae omnia sunt aperta. Ex tali autem manifestatione divina fides confortatur, roboratur spes atque fiducia. Quid enim excellentius fingi potest quam si Deus ut de re praesenti fidem faciat, omnipotentia sua et omniscientia quasi in auxilium vocata te rerum futurarum cognitionis suae reddat participem ? Nam res futuras maxime eas quae ex multarum causarum etiam libere agentium concursu et cooperatione demum efficientur praedicere, ad unum illum spectat a quo omnia dependent, ita ut tale vaticinium ita sit sigillo divino insignitum, ut a nullo alio nisi a Deo procedere posse statim illucescat. Tale igitur vaticinium simul est miraculum vel signum valde excellens, ergo in se quoque aptissimum, quo confirmatio praesens effati alicuius divinitus detur. Eo enim quo res futurae panduntur, simul Dei voluntas asseritur fixa et determinata qua velit res ad exitum omnino perducere. Talis vero Dei voluntatis manifestatione quid firmius, certius, eminentius desiderari potest, ut quis ad summam fidei et spei certitudinem animum erigat ? Unde ex eo quod Achaz regi signum datur futuro tempore demum implendum, colligi nequit, id ea ratione dari in punitionem Achaz, qui signum praesens petere noluerit; potius dicendum erit eius punitionem in eo consistere quod signum in se luculentissimum ita exhibetur, ut eum qui non credat vel credere nolit omnino in infidelitate sua relinquat. De signi notione *pro Achaz* vide ad v. 15. 16.

Hebr. verte *et vocat nomen eius Emmanuel* i. e. ut *S. Hier.* hebr. explicat: « potest intelligi et *vocabit* : quod ipsa scil. Virgo quae con-

cipiet et pariet, hoc Christum appellatura sit nomine ». Nomen alias quoque a matre imponitur (cf. Gen. 4, 1. 25; 19, 37. 38 ; 29, 32. 34. 35 ; 30, 18. 20. 21. 24 ; 35, 18 etc.); hoc loco eo magis ad unam spectat matrem, quia pater non adest, ad quem nominis impositio proprie spectat. Nomen alicuius ita vel ita vocare non dicit hominem eo nomine revera vocitandum et inter homines appellandum esse, sed uti iam monet *S. Chrys.*, id solum nomen indicat quod ex rebus ipsis illi competebat. Exprimit nomen id quod in re vel homine nominato fieri vel demonstrari debet vel id quod per eum sit efficiendum (cf. Ier. 11, 16 ; 20, 3 ; 23, 6 ; 33, 16 ; 46, 17). Proxime ergo nomine hoc declaratur, filium istum pignus esse quod Deus sit nobiscum, quod opem et auxilium sit laturus in rebus angustis. Ex ipso et *solo* nomine Emmanuel quamvis nomen hoc alibi non inveniatur, nondum potest inferri puerum istum revera *esse Deum nobiscum*. Sunt enim, uti notum est, plurima nomina apud Hebraeos cum nomine Dei vel Iahve composita, quae ex ratione etymologica explicantur : El est benignus ; El est salus ; Iahve est donator, propitius, sapiens, protector, certator, potens, iustus, excelsus, iudex etc. etc. Iam per se liquet, si eiusmodi nomina hominibus imponuntur, ex *sola* nominis *Deus nobiscum* impositione vel appellatione nos nondum ad pueri illius divinam naturam concludere posse. Verum cum in subsequentibus (8, 8; 9, 6. 7 ; 11, 1 seq.) istius pueri maiestas ac divinitas plane declaretur, simul edocemur iam hoc loco nos nomen hoc non solum symbolicum ac promissorium, sed reale ac proprium iuremerito explicare. Puer ergo iste ita vocabitur non tantum quia auxilium Dei nobis affert et in se quasi in pignore illud promittit verum quia ipse est Deus nobiscum. Unde mysterio Incarnationis patefacto aptissime eo nomine et divinam et humanam naturam Messiae inter se consociatam declarari manifestum est. Unde *Theod.* : « significat autem id nomen Deum hominem factum, Deum qui humanam naturam assumpsit, Deum huic unitum, Dei formam et servi formam in uno filio spectatam », et *S. Chrys.* : « tunc enim maxime *nobiscum Deus* factus est, cum in terra visus est et cum hominibus conversatus est multamque erga nos providentiam exhibuit » ; et ita plene explicant nomen plerique (cf. *Pint. Sasb. Lap. Osor. Sanct.*).

S. Hier. in sua versione transtulit cum LXX et aliis *vocabis*. Ita enim scribit : « *et vocabis* et LXX et tres reliqui similiter transtulerunt, pro quo in Matthaeo scriptum est *vocabunt* quod in hebr. non habetur. Ergo iste puer qui nascetur ex Virgine, o domus David, nunc a te appellatur *Emmanuel* i. e. *nobiscum Deus*, quia rebus ipsis probabis a duobus inimicis regibus liberata Deum te habere praesentem, et qui postea vocabitur Iesus i. e. Salvator.. nunc a te Emmanuelis appelletur vocabulo ». Sed simul advertit s. doctor verbum קָרָאת intelligi etiam

posse *vocabit* : « quod ipsa scil. Virgo quae concipiet et pariet hoc Christum appellatura sit nomine ». Et haec interpretatio retinenda est, utpote simplicior, cum subitanea illa ad Virginem apostrophe *et vocabis* assumi nequeat. Cave quoque eam referas ad domum David ; illam enim modo numero plurali allocutus est; illam reprehendit, ergo certe ei honorem nominis imponendi, qui ad patrem vel matrem spectat, non conferri vult; illam non admittit punctatio hebr. quae vel 2. pers. fem. vel 3. pers. fem. refert. Pro 3. pers. ea forma enuntiata vide Lev. 25, 21. Deut. 31, 29 ; 32, 36 ; Ier. 44, 23. Ps. 118, 23 ; cf. *Ewald*, Lehrb. §. 194 b. — *Euseb. Procop.* καλέσεις referunt ad domum David et in eo cernunt adhortationem, ut frequenter invocent Emmanuelem, cuius ope salutem nanciscantur ; « nonnulli vero hoc minime cogitantes in evangelio secundum Matthaeum pro καλέσεις scripserunt καλέσουσι ; at prophetica lectio non sic habet ; sed hebraica lectio cum hac nostra congruit et omnes interpretes *vocabis* ediderunt » (*Euseb.*). Ex textu hebr. posse intelligi et 2. et 3. pers. sed hoc aptius iam censet *Malv.* Alii, uti *Arias Montanus, Pagninus, Mar.* 2. pers. vertunt ; alii, uti *For. Vat.* rem in medio relinquunt. Recentiores verbi formam ad Virginem referunt in 3. pers., solus *Bade* sermonem in 2 pers. effert.

Cum locus iste adeo sit insignis, aliqua iuvat afferre testimonia, quibus constet quid antiquitas christiana de eo senserit. Iam *S. Iustinus* in prima sua pro christianis apologia ita habet : « iam vero quemadmodum ex virgine oriturum conceptis verbis Isaias praedixerit, audite. Sic autem locutus est : ecce virgo ἐν γαστρὶ ἕξει καὶ τέξεται υἱόν· καὶ ἐροῦσιν ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ· Μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός. Quae enim incredibilia erant et fieri non posse hominibus videbantur, ea Deus per spiritum propheticum futura praenuntiavit, ut cum evenissent fides eis non derogaretur, sed ex eo quod essent praedicta crederentur.... Illud igitur *ecce virgo*... significat absque concubitu concepturam » (Apol. I n. 33 ; *M.* 6, 381). Idem *Iustinus* in dialogo cum Tryphone repetito hoc vaticinium allegat et expendit; ita v. g. « praeterea ut possent qui in eum credunt, quonam modo genitus in mundum venerit agnoscere, per eundem Isaiam spiritus propheticus rem, ut erat eventura, praedixit his verbis.. » (n. 43 ; *M.* 6, 568). Item hanc ex Virgine generationem per Isaiam praedictam exponit latius n. 66, 68, 71, 84 (*M.* 6, 628. 633. 644. 673) et versionem τῶν LXX ἡ παρθένος contra aliam a Iudaeis invectam ἡ νεᾶνις defendit, Tryphonis autem Iudaeorumque explicationem vaticinium illud in Ezechia esse impletum tamquam absurdam et impiam reiicit ; inter alia id quoque urget rationem signi conceptum exposcere partumque virginalem : « nam si hic quoque perinde ac alii omnes primogeniti ex concubitu oriturus erat, cur Deus ipse signum quod minime omnibus primogenitis commune esset daturum se dicebat ? Sed quod vere signum est quodque certum hnmano generi futurum erat, nempe ex virginali utero Primoge-

nitum omnium rerum conditarum carnem factum vere puerum nasci, id praeoccupans per Spiritum sanctum praenuntiavit » etc. — Atque *S. Irenaeus* (adv. haer. 3, 21, 4 ; *M.* 7, 950 seq.) : « unus et idem Spiritus Dei qui in prophetis quidem praeconavit, quis et qualis esset adventus Domini, in senioribus autem interpretatus est bene quae bene prophetata fuerant, ipse et in apostolis annuntiavit plenitudinem temporum adoptionis advenisse et proximasse regnum coelorum et inhabitare inter homines credentes in eum qui ex Virgine natus est Emmanuel..... (et loco Is. recitato pergit) diligenter igitur significavit Spiritus sanctus per ea quae dicta sunt generationem eius quae est ex Virgine et substantiam quoniam Deus (Emmanuel enim nomen hoc significat), et manifestat quoniam homo in eo quod dicit : butyrum et mel manducabit, et in eo quod infantem nominat eum ». Et iterum (l. c. 4, 33, 11 ; *M.* 7, 1080) : « qui eum ex Virgine Emmanuel praedicabant, adunitionem Verbi Dei ad plasma eius manifestabant, quoniam Verbum caro erit et Filius Dei filius hominis (purus pure puram aperiens vulvam eam quae regenerat homines in Deum, quam ipse puram fecit) et hoc factus quod et nos, Deus fortis est et inenarrabile habet genus ». Idem quoque sedulo exsequitur, quomodo et « in profundum deorsum vel in altitudinem sursum » in Christo sit impletum et ipsum *signum* non id quod omnibus eveniat mulieribus quae pariant, verum partum exposcat inopinatum atque virgineum (l. c. 3, 21, 6 ; *M.* 7, 953). — Satis fuse locum nostrum pertractat *Tertullianus* (adv. Iud. cp. 9 ; *M.* 2, 617 seq.) ; et primo quidem advertit contra Iudaeos obiicientes Iesum non eiusmodi nomen Emmanuelis gessisse, eum venisse qui nomine hoc significetur, scil. Nobiscum Deus. Dein arguentibus naturam non pati virginem parere respondet : « et tamen credendum est prophetae ; praestruxit enim fidem incredibili rei dicendo, quod signum esset futurum ; signum autem a Deo nisi novitas aliqua monstruosa fuisset, signum non videretur... nihil signi videri potest res quotidiana, iuvenculae scil. praegnatus et partus. In signum ergo nobis posita virgo mater merito creditur ». Et iterum (de carne Ch. 17 ; *M.* 2, 781) : « nove nasci debebat novae nativitatis dedicator, de qua signum daturus Dominus ab Esaia praedicabatur. Quod est istud signum ?... Concepit igitur virgo et peperit Emmanuelem, Nobiscum Deum » ; praeterea l. c. 21. 23 ; *M.* 2, 787. 790 ; item in libro de resurrectione carnis cp. 20 ; *M.* 2, 821, et adv. Marc. 3, 12 et 13 ; *M.* 2, 336-338. — Saepius vaticinium hoc expendit *Origenes ;* ita in libro primo contra Celsum (34 seq. *M.* 11, 728), ubi inter alia quaerit : « quodnam signum parere puellam non virginem » ? et ostendit Iesum esse revera signum in excelso et in profundo datum ; praeterea vide homil. in Is. 2 ; *M.* 11, 224 ; hom. in Ierem. 1 n. 7 ; *M.* 11, 264. —

Eo aliquoties utitur *S. Cyprianus;* ex nomine Emmanuel Christi probat divinitatem et partum declarat ex oraculo virgineum (cf. testim. adv. Iud. 2, 6. 9; ep. 8 ad martyr. et conf. *M.* 4, 702. 704. 248).

Atque *Lactantius* (divin. Instit. 4, 12; *M.* 6, 479) virginem esse gravidatam ait sane incredibile videri potuisse, nisi hoc futurum ante multa saecula prophetae cecinissent. Et loco ex Isaia recitato pergit: « quid hoc manifestius dici potest? Legebant ista Iudaei qui eum negaverunt. Si quis nos haec fingere arbitratur, ab his requirat, ab his potissimum sumat. Satis firmum testimonium est ad probandam veritatem quod ab ipsis perhibetur inimicis. Hemanuel autem nunquam vocitatus est, sed Iesus qui latine dicitur salutaris sive salvator, quia cunctis gentibus salutifer venit. Sed propheta declaravit hoc nomine quod Deus ad homines in carne venturus esset. Hemanuel enim significat nobiscum Deum, scil. quia illo per virginem nato confiteri homines oportebat Deum secum esse, id est, in terra et in carne mortali ». *S. Ephraem* vaticinium ita declarat: « virgo gravida et pariens... id est contra nomen et naturam eius. Si enim virgo, quomodo gravida? et si gravida, quomodo virgo? quomodo hoc audiri et credi potest? Ipse certe Dominus dabit vobis signum et propterea quia Dominus dat, ne quaeras quomodo fieri possit. Neque enim est quidquam quod efficere Domino non sit facile ».

S. Epiphanius (haer. 54, 3; *M.* 41, 965): « παρθένος μένουσα in utero habebit, non ex viri semine, filiumque pariet, fetum utique carne praeditum et a virgine genitum »; et nomen Emmanuel exponit: « est enim Deus homo a Patre quidem genitus ἀνάρχως καὶ ἀχρόνως, homo autem ex Maria factus, quatenus carne praeditus advenit »; ei convenire illud ex sublimi et profundo declarat Ancor. 32; *M.* 43, 76 (cf. Ancor. 30 col. 69). *S. Athanasius* oraculum profert de Iesu Virginis filio ep. 1 ad Serap. n. 9; *M.* 26, 552; ep. ad Adelph. n. 6; *M.* 26, 1080. Haec sufficiant. Multa alia SS. Patrum testimonia, Ephraemi, Cyrilli hieros., Gregorii theol., Chrysostomi, Theodoreti, Ambrosii, Hieronymi, Leonis I, Gregorii I etc. diligenter collegit et sedulo exposuit *Reinke* (die Weissagung von der Jungfrau, p. 233-360) et plura quoque allegat *Tailhan*, *Kilber*, Analysis biblica I p. 354 seq.

Quo veritas magis illucescat et sua se unitate, simplicitate, facilitate commendet, non abs re erit brevi conspectu proponere, quam varia interpretationis portenta multiplex error per avia et devia vagans effuderit. Et veteres quidem Iudaei *puellam* intellexerunt uxorem Achaz regis et Emmanuelem filium Achaz Ezechiam, quam sententiam iam SS. Patres referunt et refutant (cf. *Iustin* c. Tryph. n. 66. 68. 71. 77. *Cyr. Procop.*); ita v. g. *S. Hier.*: « Hebraei hoc de

Ezechia filio Achaz prophetari arbitrantur... quod omnino probari non potest. Siquidem Achaz, filius Ioatham, regnavit super Iudam et Ierusalem annis sedecim, cui successit in regnum filius eius Ezechias annos natus viginti quinque »; ergo concludit s. doctor, in anno primo regni Achaz Ezechias iam erat novem annorum. Et ita ea sententia sua ipsius absurditate corruit. Quare Iudaei posteriores, uti *Kimchi* et *Abarbanel*, aliam uxorem Achaz iuniorem aliumque eius filium, alias ignotum, statuerunt. Sed ut gratis asseritur, ita negatur; et quam ridiculum est infantem in cunis vagientem ita compellari, ut fit 8, 8 ? id sane uti a veterum dicendi genere abest longissime, ita vix tolerari posset apud eos poetas recentes qui quam maxime teneris affectibus exprimendis indulgent. — Alium veterem errorem iam commemorat *S. Hier.* : « quidam de nostris Isaiam prophetam duos filios habuisse contendit, Iasub et Emmanuel, et Emmanuel de prophetissa uxore eius generatum in typum Domini Salvatoris ». Proponunt eam sententiam ita, ut הָעַלְמָה censeant esse vel matrem etiam filii Schearjaschub, ergo eam quae iam dudum fuerit uxor Isaiae, vel aliam uxorem iuvenem solum ei desponsatam eamque tum adhuc virginem, vel rem in ambiguo relinquant. Ita Iudaeorum doctores *Abenesra* et *Iarchi*, ita *Faustus Socinus, Crell, Grotius, I. Lud. von Wolzogen, Ioh. Ern. Faber, Pflüschke, Hezel, Gesenius, Hitzig, Hendewerk, Knobel, Maurer, Olshausen, Diestel* et pauci quidam catholici, de quibus postea, qui ut ille quidam apud *S. Hier.* in filio Isaiae typum Christi agnoscunt. At haec quoque sententia, uti iam notat *Sanct.* tum aliis, tum iam 8, 8 aperte excluditur; quo enim pacto Isaias filiolum suum tenellum consalutaret dominatorem et possessorem terrae Iudaeae vel eius causa 8, 10 omnes populos esse debellandos vaticinaretur ?

Eadem absurditate laborat explicatio eorum qui aliquam virginem designari volunt a propheta quae tum fuerit in regis comitatu vel fortuito prope adstiterit et quam vel ut iam gravidam vel ut mox gravidandam vates indicaverit; ita *Castalio, Isenbiehl* (catholicus, qui tamen errorem postea retractavit), *Bauer, Cube, Steudel, Umbreit* (qui tamen postmodum mutata sententia explicationem messianicam amplexus est et quidem propter Is. 8, 8 et Mich. 5, 2; cf. Studien und Krit. 1855, 574), *Herm. Schultz.* Alii tutius censuerunt asserere non certam aliquam designari puellam quam forte Isaias conspexerit, sed vatem nihil aliud velle dicere nisi tempus liberationis tam prope adesse, ut si nunc puella conciperet, iam tempore partus posset filium suum propter praesens Dei auxilium vocare Emmanuelem; ita *Lowth, Koppe, Gratz, I. D. Michaelis, Eichhorn, Paulus, Staehelin, Hensler, Ammon*; contra quos *Naeg.* advertit explicationem plane esse arbitrariam; vatem enim non loqui conditione intellecta, verum certa affirmatione proposita. Insuper multa alia obstare inspicienti oraculum satis patet. Neque melior, immo peior est quam ipse *Naeg.* proponit : filiam aliquam Achaz regis ex crimine occulto gravidam evasisse et hoc crimen occultum prophetam manifestasse tamquam signum scientiae Dei suaeque legationis divinae et simul ad pudorem regi infligendum qui signum a Deo postulare iussus obedire noluerit. Oh praeclaram explicationem ! Nonne hunc filium spurium vates 8, 8 terrae dominatorem celebrat et per eum omnes gentes iri deiectum annuntiat ?

ita sane a vate laudatum puto 9, 6 filium ex fornicatione filiae regiae natum!— Alii *virginem* intelligunt *domum David* vel *Israelem* [1], ex qua tamquam ex sponsa Domini novus populus salute praeditus oriri debeat, simili ratione, uti Is. 54, 4-7 sermo fit ad Ierusalem vel populum Dei; ita *Hofmann;* alio modo *W. Schultz* qui censet pios in Israel tempore Achaz typice dici virginem; in iis relinqui semen sanctum, ex quo salus efficiatur, uti tempore impletionis revera ex virgine Messias processerit. Sed haec quoque explicatio, ut alia omittam, statim cadit ob 8, 8. 10; 9, 6.

Etiam inter catholicos aliqui fuerunt qui vaticinium hoc non sensu literali, sed solum typico ad beatam Virginem et Messiam retulerint, simili modo ut ille « quidam de nostris » apud *S. Hier.* Ita *Rich. Simon*, *Bern. Lamy*, *Huetius*, *Moldenhawer*, et uti videtur *Tirinus* quoque, scribit enim : « antequam puer iamiam concipiendus et paulo post nasciturus ad eam devenerit aetatem, qua naturaliter sciat reprobare malum et eligere bonum, terra Syriae et Samariae spoliabitur et privabitur utroque rege.... sed nota, o rex, haec omnia praesignare aliud longe sublimius mysterium tempore demum Messiae complendum. Nam prorsus pari modo sed longe nobiliori tunc virgo una, nempe Maria, manens virgo concipiet et pariet filium Messiam ». Eandem sententiam *Reinke Calmeto* tribuit qui ait prophetam ita loqui quasi geminos exhibeat Emmanueles, alterum Messiam, alterum plane diversum puerum qui veluti pignus sit et argumentum Numinis semper domui Iuda amici; puerum hunc esse Isaiae filium eundem qui 8, 4 nominetur. Ita in commentario. Sed uti ex dissertatione elucet quam *Calm.* in hunc Isaiae locum scripsit, v. 14 soli vult aptari Messiae, item 8, 8; 9, 6. 7; sed v. 15. 16 *butyrum et mel comedet...* characteres dicit spectari geminis Isaiae filiis ita peculiares, ut misceri cum altero, de quo hucusque, non possint. Ex iis quae *Calm.* in dissertatione refert, in priore sententia fuit *Bossuetus*, episcopus meldensis; is enim duo spectari ait, praesentem scil. historiam et remotam; id quod praesens oculis spectaverit vates, ortum fuisse filii Isaiae sive regis; eius natalitia tamquam pignus liberationis Iudae exhiberi; remotum alterum, quod spectaverit, fuisse natalitia Christi; primum illud secundi fuisse pignus et argumentum (cf. Explication de la prophétie d'Isaïe VII, 14; Paris 1704 p. 52-56). Quibus expositis *Calm.* subiungit: «huic plane contrarius Isaias; in exordio enim sermonis de Messia agens deinde de Achazi filio vel suo prosequitur»; unde iterum liquet *Calm.* v. 14 unice de Messia accipere, v. 15. 16 vero de filio Isaiae explicare. Censet scil. *Calm.* v. 14 si absoluto sensu et a reliqua oratione divulso spectetur, nemini nisi Messiae posse convenire; at si cum reliquo sermonis contextu consideretur, unam posse Iesu Christi, Apostolorum, Patrum, Ecclesiae auctoritatem suadere, ut haec verba a ceteris vaticinii partibus de filio Isaiae agentibus avellamus. Quare etiam ultro concedit regem aliosque omnes qui audierint vatem totos in exspectatione

---

1. Prorsus similem explicationem, sed solum tamquam *mysticam*, postquam literalem de Messia exposuit, in medium profert *Herveus* explanans de Ecclesia : « ecce virgo Ecclesia concipiet et pariet filium i. e. masculinae virtutis populum electorum ».

filii prophetae occupatos fuisse. Sed certe mirus deinde exsisteret vaticinandi modus ! *Nos* quomodo verba debeant intelligi iis *potissimum* docemur quae de Emmanuele subsequuntur. Si ergo quaesieris, utrum Achaz vaticinium potuerit intelligere, haec reponam : ille iam satis ostendit animum a rebus divinis plane alienum ; sed si voluerit intelligere, ex vate quaerere poterat ; vel fortasse vates statim plura addidit ex quibus quis sit Emmanuel eluceret, quae in libro suo quia statim subsequuntur cpp. 8. 9. 11 omittenda esse existimaverit.

Totius igitur vaticinii cardo potissimum vertitur in *Emmanuele* ; in eo praecipue nobis praebetur, ut ita loquar, clavis ad verum oraculi sensum aperiendum. Iniicit hoc loco Isaias mentionem Emmanuelis ; sed quis sit hoc loco subobscure innuit magis quam indicat. Agi scil. de re sublimi, ex sollemnitate verborum, ex amplitudine et magnificentia illa patet qua regi optionem offert, et ex eo quod iam ipse Dominus signum dare constituit. Neque minus verba ipsa v. 14 rem grandem innuunt. At quod hoc loco paucis innuit, id postea per gradus quosdam iterum iterumque ad Emmanuelem reversus magis magisque explicat atque declarat. Ita v. 14 est quasi germen quoddam fecundissimum, quod hoc loco propheta sermoni inserit, sed quod per decursum oraculorum paulatim crescit et in arborem magnificentissimam quasi explicatur. Neque hoc a more Isaiae abest. Saepius enim iam advertere licuit (idque etiam frequentius in altera Isaiae parte cp. 40-66 observatur) Isaiam quod antea strictim tetigerat, postea latius atque uberius explicare, atque praecipue quo grandius est argumentum, eo magis uti solet aliqua eius quasi praeformatione ac praeparatione (compara v. g. 6, 13; 1, 30. 31 ; 4, 2; 11, 1 — 3, 12 et 3, 13-15. 16-26 ; 5, 5 et 5, 13 seq. etc.). Unde explicationem quoque a *Schegg* adoptatam repudiandam esse censeo. Is enim oraculi sensum statuit *duplicem* ; alterum particularem, accommodatum auditoribus et rerum conditioni tunc exsistenti, altiorem, sublimiorem, propheticum alterum. Priorem esse : donec virgo quae nunc concipiat pepererit, i. e. intra annum iam temporum conditio ita in melius mutabitur, ut ad auxilii divini gratam memoriam testandam filium suum merito vocatura sit Emmanuelem ; alterum vero proponi apud Matthaeum de conceptu et nativitate Messiae. Si ita, priorem sensum merito dixeris humanum, a vate intentum ac propositum ; alterum divinum, a Spiritu sancto praeter priorem intentum atque spectatum. Unde Isaias nihil aliud dixisse pro re praesenti censendus est quam : signum liberationis fore quod intra annum liberentur. Num talis locutio apta est ? num signi rationem habet ? Neque ex hac sententia Isaias ullo pacto exstitit propheta Incarnationis. Nam ipso aliud plane cogitante et sentiente Spiritus sanctus verba ita ut eligeret disposuit, ut mysterio apta evaderent ; proinde eo fere modo Isaias dicendus esset oraculum Incarnationis fudisse, quo Caiphas dicitur prophetasse, Iesum moriturum esse pro gente (cf. Ioan. 11, 49-52). Sed id quis feret ? Quis feret, si adverterit qualem Emmanuelem vates postea describat ? Itane igitur prophetam secum ipso committemus ? Sane scivit, quis sit Emmanuel, cum scriberet 8, 8. 10 ; 9, 6. 7 ; 11, 1 seq. et eum nescisse fingemus cum pronuntiaret 7, 14 ? Vel cur *duplicem* ei obtrudamus Emmanuelem ? Id simili in casu apud scriptorem profanum audet nemo. Nam fac in aliqua

fabula vel in narratione induci virum quendam nomine Hectoris; dein mox mores, virtutes, facinora Hectoris narrari et describi; quis unquam ea de alio quodam Hectore ab uno illo qui prius vocatus est plane diverso intelliget, nisi fabulae scriptor id explicite monuerit? Equidem non possum satis mirari, si qui quod apud scriptorem profanum nunquam committerent id auctori sacro imputant. Insuper satis iam in antecedentibus demonstratum est *Schegg* errare censentem, Messiae nativitatem post annos plus quam septingentos futuram non potuisse esse *signum*; et quomodo signum sit pro Achaz statim declarabitur; at praeterea quaerit, quid tandem in nostro versu explicationem suadeat vel exigat messianicam. Miram quaestionem! Eam enim exigunt verba *singula*, praeprimis Emmanuel, eam exigit interpretatio authentica apud S. Matthaeum, eam exigit perpetuus atque constans Ecclesiae consensus. — De variorum huius oraculi interpretatione ea confer quae luculenter scripsit *Reinke* in libro saepius laudato p. 32-60. 367 seq., *Fillion* (Essais d'Exégèse p. 23 seq.); praeterea Studien und Krit. 1861, 721, et commentarios a *Drechsl. Naeg.* editos.

De Messia ex domo Davidis oriundo sermonem esse in v. 14 ex iis quae dicta sunt patet. Verum iam ea de ipso dicuntur quae ostendunt domum davidicam quamvis nunc a periculo imminente salvetur, uti in v. 7 et 8 promissum est, tamen tum cum Messias sit nasciturus fore in conditione humili et regno et exercitio imperii iri privatum. Ita illud ipsum quod Achaz foedere antitheocratico avertere voluit ei ostenditur fore ut domo davidicae contingat. Pergit enim propheta v. 15 «*butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum*»; — hebr. *lac spissum et mel;* cf. Iud. 5, 25; iam lacte spisso et melle vesci signum est, ut Isaias statim v. 20-22 docet, terrae vastatae et ad solitudinem fere redactae; terram scil. ab incolis nudam et derelictam inservire ad pascua (cf. 5, 17) pro paucis pastoribus, quare greges prae pascuorum abundantia abundantiam quoque lactis praebent. Atque revera si ea in regione, cuius ceteroquin frumentum, vinum, oleum toties laudatur et commendatur, iam vita sustentanda est lacte spisso et melle silvestri et eo cibo uti debet germen domus regiae praeclarissimum, habes imagine depictam et terrae vastationem et domus regiae pauperiem et humilitatem.

Verum ne hoc solum quidem; sed ostendit insuper propheta fore ut adolescat in terra Israel, ergo procul a sede regni et simul ex terrae vastatione rationem reddit, cur eo cibi genere ei sit utendum: v. 16 «*quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum regum suorum*»; — hebr. *a cuius duobus regibus tu nausea afficeris* i. e. cuius duos reges tu expavescis et abhorres. Ergo Emmanuel in terra Israel vitam sustentabit pauperem, quia antequam nascatur, terra illa *derelinquetur* i. e. regnum

destruetur, regio vastabitur et in conditionem humilem redigetur. Et ea in regione vitam pauperem deget ille praeclarissimus filius David, Emmanuel; iam quid humiliationem futuram domus regiae effiacacius ostendere et significare posset? Talem humilem conditionem indicat Amos, dum loquitur de tabernaculo David quod decidit (Am. 9, 11), talem Ezechiel, dum coronam fore in eversionem dicit, donec venturus sit qui habeat ius eius et cui Dominus sit daturus (Ez. 21, 27; cf. hebr.). Hanc autem vitae pauperiem in id quoque tendere ait vates, *ut* Emmanuel *sciat reprobare malum et eligere bonum;* id quod proxime dici videtur ratione habita Achaz regis, qui modo reprobavit bonum et elegit malum; verus ergo ille filius David erit pietate et sanctitate insignis. Et bene notat ad ea verba *Sanct.* : « haec videtur esse descriptio hominis qui ad labores et molestias tolerandas nascitur, .. ut quemadmodum nos adversa experiatur ». Atque in hac sententia *ut sciat* . . . vates id innuit quod S. Paulus declarat dicens : « et quidem cum esset filius Dei, *didicit ex iis* quae passus est *obedientiam* » (Hebr. 5, 8); nam in nostro quoque loco vita assignatur pauper, *ut sciat;* unde eodem modo, quo verba S. Pauli intelligi oportet, intellige verba prophetae. Indicatur ergo Messias talis qui in paupertate et humilitate vitam degat et in ea conditione in se edat praeclara virtutis documenta et simul in se experiatur exercitium virtutum cum laboribus ac molestiis esse coniunctum. Unde *Messias patiens* quem vates in altera libri parte adeo per singula describit (cf. 42, 2. 4 hebr. 49, 4. 7; 50, 4-7; 53, 2-11) nobis iam hoc loco obiter proponitur.

Haec explicatio verbis ipsis quam maxime accommodata, immo plane ex iis enasci videtur. Retinemus enim *butyrum et mel comedere* in ea notione quae statim in eodem capite v. 21. 22 apertissime ab ipso vate traditur; retinemus *ut sciat*, hebr. לְדַעְתּוֹ in nativa ל notione, quae optime *ut* exprimitur neque ullo modo necesse est ut ad notiones alienas (*quamvis*?! vel donec vel eo tempore quo) deflectamus. Porro retinemus in sensu suo nativo *reprobare malum et eligere bonum;* nam quod plerique dicunt hac sententia describi tempus illud quo puerulus ad rectum usum rationis perveniat, id primo nullo exemplo plane simili demonstratur, et secundo ad summum *posset* fortasse aetas illa eo modo designari, tertio vero nullo modo *debet* vel *potest* is esse sensus unicus eius sententiae. Aetas enim infantilis quae rationis usu adhuc caret in s. literis ita describitur, ut ignorare dicatur boni et mali distantiam (Deut. 1, 39) vel nescire quid sit inter dexteram et sinistram (Ion. 4, 11); sed nostro loco alia profertur sententia, qua uti vidimus sensus alius isque multo melior exprimitur, plane factus et ad reprehensionem Achaz regis praesentem et ad praeclarum de futuro oraculum

enuntiandum doctrinamque innuendam quam postea simillimo modo tradidit S. Paulus. Quare eam explicationem de annis discretionis deserendam esse censeo. Nulla igitur in hac parte temporis determinatio continetur. Nihil aliud dicitur nisi : antequam Messias virtutum exercitio operam det, terram Israel iri derelictum, et haec terrae derelictio tamquam ratio affertur, cur lacte spisso et melle vescatur. Ceterum Emmanuelem non tempore mox futuro in lucem ese edendum, ex hoc ipso loco patet. Nam pro tempore hoc, uti in v. 7 et seq. affirmatur, manet regia domus David in dignitate et in regno, manet ergo in arce Sion, in urbe Ierusalem; ergo soboles illa, de qua Isaias loquitur, et quae in terra aliena procul a regia sede, et in paupertate procul a regio splendore, vitam degere debet, nondum poterit exspectari; neque poterit exspectari, quia ex visione inaugurali, ut ad semen sanctum perveniatur, opus est terrae vastatione et castigatione longiore (cf. 6, 11-13). Impletionem haberi in Christi vita paupere et humili quam maxima ex parte egit in terra Israel facile quivis concesserit; lāc enim spissum et mel silvestre ponitur generatim pro victu paupere, et terra *derelicta* est terra autonomia privata et alienigenarum imperio subiecta et dominatione alienorum oppressa. Atque in hisce minae continentur pro domo David quae Domino molestiam attulit (v. 13).

Plerumque versum 16 ita explicant, ut temporis determinationem pro liberatione instanti eo enuntiari velint : antequam puer ad annos discretionis pervenerit, iam Theglathphalasar duos illos reges puniet. Verum haec explicatio non parvis premitur difficultatibus. Praecipua est de Emmanuele ita fieri sermonem quasi iamiam sit in lucem edendus. Vario modo quomodo ita loqui possit propheta explicare conati sunt; nullum modum plene satisfacere aperte fatetur *Corluy;* inter modos propositos ille ex visione prophetica desumptus a compluribus est adoptatus (cf. *Allioli, Loch, Reinke, Patrit. Fillion,* eundem in commentario germanice scripto proposui et eum *Corluy* prae ceteris probabiliorem existimat). Utique hic modus in ea acceptione unicus est qui possit admitti; prophetam scil. id quod ei in visione prophetica praesens obversabatur adhibuisse ita, ut pro tempore liberationis instantis inde mensuram depromeret. Uti enim ex puero revera nato temporis determinatio peti possit, ita prophetam ex illa nativitate quae ei mentis intuitu oblata fuerit et in quam contemplandam totus raptus sit, mensuram deprompsisse pro tempore destructionis hostium. Sed ut antea iam adverti, hoc loco non potest exspectari ut pro Achaz signum detur liberationis; tale enim signum modo blasphemo repudiavit v. 12, qua contumacia iram Dei provocat v. 13, quare pro ipso iam norma in opus deducitur in v. 9 enuntiata et quidem in v. 15. 16 pro tempore procul futuro et in v. 17 et seq. pro tempore post ruinam regum duorum. Hos duos reges iri devictum Deus absolute promiserat antea in v. 4. 7 etc. neque id retractat neque pro ea re Achaz regi ex-

hibetur signum. Quare non adest ratio versum hunc eo modo interpretandi, uti sit pro Achaz signum liberationis et temporis determinatio. Adde quod *derelinquetur terra* haud commode neque satis vere dicitur de ea clade quam Theglathphalasar regno israelitico intulit, quippe qui regnum israeliticum non destruxit, sed captis urbibus aliquot earum incolas in Assyrios transtulit (4 Reg. 15, 29).

Opinio illa sermonem esse de tempore liberationis instantis etiam alias peperit horum versuum acceptiones. Neque enim defuerunt qui pro v. 15 et 16 vel saltem pro v. 16 non illum statuerent Emmanuelem de quo v. 14, verum alium puerum assumerent v. g. Isaiae filium Schearjaschub vel eum de quo sermo 8, 3. 4. Ita *Usserius, Tremellius et Iunius* (quos vide v. g. apud *Malv.*), *Calovius, Houteville, Danz, Calm. Kistemaker, Boehl* — quos recensitos leges partim apud *Reinke*, partim apud *Fillion* — ; alii saltem v. 16 ita accipi volunt, uti *Sanct. Malv.* Atque revera in explicatione quam plerique veterum sequuntur, difficile versus isti ad Messiam referri possunt. Volunt enim fere omnes in v. 15 cerni cibos infantiles (cf. *S. Hier. Cyr. Euseb. Chrys. Basil. Procop. Pint. Sasb. Sanct. Lap. Patrit.* etc. — unus *S. Thom.* cibos viriles explicat) quorum usu vera Messiae natura humana demonstretur. Sed iure miraberis, post conceptum et partum filii adhuc afferri argumentum pro veritate humanae naturae idque constare esu lactis ac mellis. Nonne enim eo quod virgo dicatur concipere et parere filium, humana natura quam optime declaratur atque melius quidem quam manducatione proposita? Nam angelus quoque Tobiae comes manducavit neque tamen manducatione humanam se assumpsisse naturam probavit. Neque satis declaratur, cur lactis et mellis fiat mentio. Communiter quidem dicunt, lacte ac melle infantium cibos constitui vel dulcia a puerulis amari; sed utut id fuerit, ea responsione nullo modo declaratur id quod sequitur : *quia terra erit deserta*; at quaeso qualis nexus : cibis utetur infans infantilibus (id sane per se patet!), *quia* terra erit derelicta! Hunc nodum alii solvere tentant vertentes כי non *quia*, sed *attamen* (ita *Ges. Umbreit, Hengstenberg, Reinke*) vel, *immo, quin etiam, profecto* (*Piscator*); at vix solvunt, cum nexum statui inter v. 15 et 16 nimis apertum sit.

Etiam multo minus probari poterit explicatio quam tradunt de v. 16 : nihil scil. aliud dici nisi antequam nascatur Messias, id quod post plus quam 700 annos futurum erit, reges illos duos iri punitum. At reges illos non esse victuros per multa saecula, non opus est ut vates quemquam doceat. Quare *non* mirum est aliquibus in mentem venisse in v. 15. 16 non posse sermonem institui de Messia. Sed profecto hi vitata charybdi incidunt in scyllam. Nam, uti verissime advertit *Le Hir* (les trois grands proph. p. 64), nihil est violentius quam hos versus avellere ab antecedenti, neque ullum adest vestigium ne levissimum quidem, prophetam ad alium puerum sermonem transferre. Quodsi fingunt Isaiam transitum istum indicasse digito in filium suum adstantem directo, rem *fingunt* eamque satis *ridiculam* et quae insuper nihil eos iuvat. Cur enim puer vatis in regionem alienam hostilem amandetur nutriendus, nulla apparet ratio, et quid demum in eo sibi vult sententia illa *ut sciat* etc.? Multo minus cum

aliis potest recursus haberi ad alterum prophetae puerum de quo 8, 3 sermo fit. Is enim nondum est neque annuntiatus neque vel natus aut notus neque Isaiae neque aliis ; unde qua ratione eius mentio inseri possit, quis explanaverit ? Censent aliqui eo quod v. 16 dicatur *puer* הַנַּעַר alium posse indicari ab eo qui filius vocatus sit v. 14. Sed ut tale discrimen in arctissima illa serie v. 14-16 deprehendas, ubi de conceptu partuque filii et eius conditione humili sermo fit continuus, puto te virum esse debere plus quam emunctae naris. Proinde hoc effugium ut plane arbitrarium et omnes sermonis humani normas spernens ac plane conculcans omnino derelinqui oportet. Ergo versus v. 15. 16 necessario referuntur ad Emmanuelem eundem, de quo v. 14 agitur.

Aequali vel si fieri potest etiam maiore certitudine constat vatem minime exspectasse ortum Messiae iam mox intra paucos annos esse futurum. Falsa quidem spe vatem fuisse delusum aliqui censuerunt heterodoxi, uti *Ros. Ewald, Umbreit, Bertheau* (cf. Studien und Krit. 1861 p. 725) ; at ipsi egregie decepti sunt. Omitto eiusmodi errorem et vanam exspectationem a munere prophetico et divina inspiratione longissime abesse ; id unum interpretes admonitos volo, ut inerpretum munere fungantur. Quo si saltem obiter fungentur, statim deprehendent talem spem Isaiam minime fovisse. Nam 6, 11-13 duplicem quandam populi terraeque desolationem indicaverat antequam salus advenerit ; arborem i. e. regnum populumque iri excisum et in ea excisione semen sanctum esse permansurum. Iam vero in v. 4 seq. liberationem pro regno iudaico proxime adfore docet ; ergo derelictionem illam et vastationem 6, 11-13 postmodum eventuram et ea transacta salutem fore propheta docet. Eodem modo 1, 27 salutem indicat fore ex iudicio ; iudicium autem 1, 31 tamquam reipublicae eversionem describit ; ergo hac facta salutis periodum exspectat. Idem cernitur 2, 5-4, 6 : omnia humana ac superba esse deiicienda, omne reipublicae fulcrum esse auferendum ; tunc salutem exorituram delineat ; idem proponitur in vineae parabola, populum in captivitatem iri abductum ; ergo periodum messianicam iamiam adesse minime censuit. Idem apertius quoque ex altera parte cp. 39-66 colligitur, in qua Isaias exsilium babylonicum, liberationem per Cyrum et tum demum periodum messianicam vivis coloribus depingit. Igitur et ex iis quae eventum hunc 7, 14 narratum antecedunt et ex iis quae eum subsequuntur, ipsis Isaiae verbis et sententiis efficitur, eum periodum messianicam longe adhuc abesse certissime docuisse. Ergo fieri nequit, ut 7, 14 dixerit vel censuerit contrarium. — Aliud argumentum pro duplici hac affirmatione : et de Messia instituti sermonem neque tamen periodum messianicam iamiam instare, nobis re 8, 1-4 narrata et gesta suppeditatur, de quo suo loco.

Quod in *vulg.* habetur : *butyrum et mel comedet, ut sciat* etc. explicat *S. Hier.* ita, ut *quamvis sciat* intelligi velit ; « ut per haec verba noscamus infantiam humani corporis divinae non praeiudicasse sapientiae ». Cernunt in illa comestione veritatem naturae humanae probatam et aetatem infantilem, quae simul cum summa sapientia sit coniuncta. Ita interpretes latini aliqui. Alii *ut* explicant *consecutive,* et *bonum* et *malum* de iis rebus quae gustui ita videntur ; « noto ac consueto puerorum more abhorrebit et respuet ea quae offendunt

gustum, et ea quae sentiet naturae amica appetet » (*Sasb.*). In quo *consecutione* vel *eventu* (cf. *S. Thom. Pint. Lap.*) veritatem naturae humanae signari ac denuo exprimi dicunt. *Mald.* in cibis illis potius sobrietatem delineari Emmanuelis censet. — In hebr. legitur ל ; vertunt multi : *usque dum* sciat (cf. *Lap. Mar. Men. Gord. Reinke*) ; vel *donec* sciat vel *quando* sciet (cf. *Kn. Del. Naeg. Loch, Patrit. Net. Rohl. Troch. Fillion*), verum acute observat *Bred.* in omnibus exemplis allatis notionem temporis non contineri in ipsa praepositione ל sed in verbis appositis neque ullum esse prolatum exemplum in quo ל ante infinitivum verbi carentis notione temporis debeat significatione temporali accipi. Et revera in lexico a *Mühlau* et *Volck* edito pro notione *donec* unus locus Is. 7, 15 affertur. Hunc igitur scopulum in explanatione proposita vitamus. Esse autem cum plerisque intelligendum bonum malumque *morale*, non id quod gustui ac palato dulce sit vel amarum, et verbis omnino suadetur et re ipsa commendatur ; nam natura duce unusquisque iam ante annos discretionis instinctu naturali uti dulcia appetit et admittit, ita amara aversatur et renuit. Cum terra palaestinensis tamquam lacte et melle fluens frequenter in s. literis laudetur, non satis cohaerens videri posset explicatio proposita, lactis mellisque cibos terrae vastationem declarare. At nulla est contradictio ; immo alterum ex altero consequitur. Intelligitur enim talis terrae derelictio qua incolae in captivitatem abducti sunt plerique, unde agri campique iam non coluntur, sed omnes in pascua convertuntur ; cf. 5, 17 : « deserta in ubertatem versa advenae comedent » ; ibi igitur pastores, nomades degunt. Melle et lacte vitae genus praevalere declaratur pastoritium ; proinde rempublicam, urbes, comitia et quaecumque ad regni splendorem pertineant vel penitus esse prostrata exstinctaque vel certe maxime imminuta et oppressa. Est חֶמְאָה certe potior ac melior lactis pars, uti 7, 22 indubie colligitur : prae ubertate lactis comedet חֶמְאָה. *Chald.* vertit *pinguedinem*, LXX, *Aq. Sym. Theod. S. Hier.* intelligunt *butyrum ;* alii *florem lactis ;* alii *lac spissum* ; Prov. 30, 33 *caseus* designari videtur (cf. *Riehm*, Handwoerterb. d. bibl. Alterth. p. 803. 998). Hisce cibis terrae vastationem indicari plerique recentiorum iure censent (cf. *Ges. Kn. Del. Naeg. Reinke, Rohl. Net. Fillion*). Alii contendunt melle et butyro cibos infantium apud veteres potissimum constitisse ; pro qua re provocant ad *Bocharti* Hierozoicon (p. 1 l. 2 cp. 51 ; ed. *Ros.* I p. 718) ; utique lac esse potissimum victum aetatis infantilis per se constat et id etiam apud veteres ita fuisse testimoniis non indigemus, cum naturae instituta eadem permanserint. Sed ea explicatione non iuvamur hoc loco, quia explanari oportet cur subsequatur v. 17 quia derelinquetur terra. — Advertunt ex Tertulliano et S. Hieronymo recenter baptizatis olim mel et lac datum fuisse *Sanct. Lap. Calm.* quam consuetudinem ad hunc locum referunt, ut melle et lacte significetur baptizatorum infantia in Christo, vitae christianae suavitas, humilitas et mansuetudo infantilis (*Lap.*). Alias interpretationes mysticas si quis exoptaverit, adeat *S. Ephr. Herveum, Lap.*

c) Tribulationes ab Assyriis inferendae 7, 17-25.

Consilium regum inimicorum non iri impletum vates v. 7 seq. declara-

verat. Verum simul v. 15. 16 Messia qui in terra Israel adolescat ostenso normam pro regno iudaico et domo David impletum iri ostenderat: nisi credideritis, non permanebitis. Eandem normam iam nunc valere et non obstante liberatione regnum iudaicum propter infidelitatem a rege et principibus exhibitam mox iri punitum ab iis ipsis, ad quorum opem implorandam spreto Domino confugerint, vates in subsequentibus docet. Ita ne spe v. 7 seq. ostensa vana fiducia efferantur, quid ex foedere cum Assyriis inito consecuturum sit, manifestat. Uti v. 8 denuntiatum est regno israelitico excidium ultimum et dein v. 9 sors pro tempore proximo, ita regno iudaico schemate eodem antea demonstrabatur sors tempore longinquo eventura, et tum fatum proximo tempore inferendum. Id autem vates primo v. 17 generali ratione quasi in universum proponit; deinde bis et hostium incursum (v. 18. 20) et quae pro regione mala inde sint consecutura (v. 21-23) adumbrat.

Sermone sollemni et protracto et distincta per plures partes enumeratione calamitates maiores quam quae eousque fuerint propheta annuntiat v. 17 « *Adducet Dominus super te et super populum tuum et super domum patris tui dies, qui non venerunt a diebus separationis Ephraim a Iuda, cum rege Assyriorum* »; — hebr. *regem Assyriorum* [1] scil. adducet Dominus; magna cum emphasi is sententiam longiorem concludit. Divina cernitur *ironia*, quod ab eodem cuius opem Achaz rex prae divino auxilio maluit efflagitare, maxima inferetur tribulatio; nam « maledictus homo qui confidit in homine et ponit carnem brachium suum et a Domino recedit cor eius » (Ier. 17, 5). Duo reges illi quorum incursu rex adeo contremiscit et exhorrescit (v. 2, 16) non sunt timendi; timendus vero quam maxime, cuius in sinum rex opem implorans confugit. Achaz enim repudiato auxilio Domini legem theocratiae quantum in se erat destruxit, regnum iudaicum a divina protectione avulsum regibus gentium praedam tradidit et ruinae mancipavit. Huic obviam fertur, huic demum succubuit, postquam Ezechias rex pius fide sua et pietate quidem semel adhuc regnum servaverat, at fidei suae ac pietatis heredes et aemulatores non reliquerat. Quomodo Achaz in rege Assyriorum sibi vexatorem et flagellum paraverit, praeclare describitur 2 Par. 28, 20. 21; rex enim Assur « afflixit eum et nullo resistente vastavit; igitur Achaz spoliata domo Domini et domo

1. Hebr. את notam accusativi h. l. *S. Hier.* vertit *cum;* in comment. ita coniungendum esse docet: adducet dies istos i. e. tempora cum rege Assyriorum. LXX bene praebent τὸν βασιλέα.

regum et principum dedit regi Assyriorum munera et tamen nihil ei profuit ». Unde ipsis rebus gestis elucet quam oratorie rex Assur in fine sententiae efferatur. Mirandi sunt critici aliqui, qui sententiae vim plane destruunt regem Assur expungentes (*Kn. Diest. Cheyne, Bred.*) prorsus arbitrarie, cum testes veteres concordent et ipsa orationis vis efficacior reddatur et sublimior, immo divina illa ironia et Achaz regis stultitia eo demum membro insignem in modum simul cum orationis magno ornatu proponatur.

Ad gentium reges Achaz confugit; per gentium reges regnum iudaicum erit affligendum multipliciter et conterendum, idque moliente et iubente Domino quem spreverat; ecce quantopere valeat: nisi credideritis, non permanebitis. Unde v. 18 « *et erit in die illa, sibilabit Dominus muscae quae est in extremo fluminum Aegypti, et api quae est in terra Assur,* v. 19 *et venient et requiescent omnes in torrentibus vallium et in cavernis petrarum et in omnibus frutetis et in universis foraminibus* »; — more prophetico plures multorum annorum eventus una descriptione complectitur temporum intervallis neglectis et rerum summa proposita. Mox enim duo illa regna amplissima Assyriorum (Chaldaeorum) et Aegyptiorum inter se de mundi principatu decertare coeperunt; parvulum regnum iudaicum medium inter ea cum modo ad alterum supplices tenderet manus et ab altero foedere violato descisceret, ab utroque est vexatum, spoliatum, oppressum. Deo scil. relicto qui unus est firma populi sui petra (cf. Deut. 32, 4 hebr.), regnum perturbationibus concuti et ab hostibus conteri necesse fuit. Imago a vate proposita Dominum ostendit summum rerum regnorumque moderatorem qui facillimo negotio innumerabiles suos evocat milites ab extremis terrae finibus; « non dixit *ducet,* sed *sibilabit*, facilitatem ascensus ostendens et inexpugnabilem Dei potentiam, quodque sufficiat nutus eius ut omnia sequantur » (*Chrys. Sanct.*). *Muscas* Aegyptios vocat, cum in regionibus aegyptiacis, utpote Nili inundationibus humidis, innumerabiles eorum copiae generentur; unde fortasse factum est, ut signum hieroglyphicum inferioris Aegypti imagine vespae exprimeretur (cf. *Ebers,* Aegypten und d. B. Mose's p. 73). Insuper animalcula haec sordida sordibusque cuncta maculantia et importunitate sua atque impudentia omnibus molesta et exosa apte depingunt et quasi in imagine exprimunt vel Aegyptiorum idololatriam sordidam moresque impudicos (cf. *Hier. Pint. Malv. Tir.*) vel crebros importunosque incursus (*Chrys. Sanct.*) vel stridorem atque copiam (*Mald. Mar. Men.*). Talem invasionem clademque contigisse tempore Iosiae regis monent *S. Hier. Cyr. Theod. Thom.* Uti a meridie, ita septemtrione Deus evocat vindictae suae ministros. Assyrii *api* comparantur; « variegata enim est apis et pulchre

colorata et multis modis notata ac maculata; tales quidem fere quantum ad amictum et ad ornatum pertinet erant Assyrii » (*S. Cyr.*); id quod et monumenta confirmant et Ezechiel vivis coloribus describit (Ez. 22, 6. 12. 14. 15); alii in aculeo apis maius periculum Iudaeis illatum depingi existimant (cf. *Theod. Hier.*) et demum interitum a Chaldaeis heredibus Assyriorum regno iudaico inflictum. — Illa per partes enumeratione v. 19 etiam hostium multitudo imagine retenta exprimitur ita, ut nullum prorsus concedi effugium, absconsionem aut tutelam nullam, una vivide proponatur. Apte monet *S. Chrys.* dici *requiescent* (ad hebr. cf. v. 2), quasi in propria veniant deliciis se dedituri, quasi non ad laborem et defatigationem, sed ad certam victoriam et paratam praedam. — Hebr. explicant *in convallibus* (montium) *praeruptorum* vel *in vallibus praeruptis* (cf. *Del. Naeg. Rohl.*); alii *in vallibus desertis*; pro *foraminibus* in comment. etiam praebet *S. Hier. ligna nemorosa,* alii vertunt *in omnibus campis* vel *pascuis* vel *locis irriguis* (cf. נהל Ex. 15, 13. Is. 49, 10; 51, 18).

Iam ultimum de Assur quod etiam propius imminet, explicatius proponitur v. 20 « *in illa die radet Dominus in novacula conducta, in his qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum, caput et pilos pedum et barbam universam* »; — magno cum sarcasmo rex Assyriorum quem tanta mercede Achaz ad opem ferendam sibi conduxerat (4. Reg. 16, 8. 2 Par. 28, 21), dicitur *novacula conducta,* qua vir Iudaeus omni ornatu virili spoliatus ad turpitudinem et ignominiam radatur i. e. respublica iudaica omni ornatu privata maxima ignominia tractabitur. Monet *S. Chrys. Deum* esse qui Iudaeis bellum inferat: *Dominus radet*; « novaculam autem vocat intolerandam iram quam nemo ferre possit, facile invadentem et consumentem » (*Chrys.*), ita ut nihil in Iudaea forte, nihil pulchrum resideat, sed effeminatis hominibus, immo ignominiosis mulieribus comparentur (*S. Hier.*). *Flumen* est Euphrates [1]; in hebr. novaculam esse trans flumen significatur. Quantopere per hos Dei vindicis ministros (cf. Is. 10, 5; 13, 3. Ier. 25, 9. Ez. 29, 18) respublica sit destruenda, sequentibus declaratur in paucitate incolarum (v. 21. 22) et in totius regionis desolatione et horrore (v. 23-25. *Malv.*).

Paucos relinqui incolas iam 5, 13 innuerat vates oraculo priore, in quo tamen per quos hostes vastitas sit efficienda, nondum proposuit. Orationis autem progressu et nominatim vindictae divinae ministrum indicat et terrae solitudinem magis declarat (cf. 5, 17). Prius v. 17. 18.

---

1. Uti ipsum eius nomen assyriacum *puratu* etymo ex accadico petito nihil aliud dicit nisi *flumen;* cf. *Delitzsch,* Wo lag das Paradies ? p. 169.

20 ; ultimum delineatur v. 21 « *et erit in die illa, nutriet homo vaccam boum et duas oves,* v. 22 *et prae ubertate lactis comedet butyrum; butyrum enim et mel manducabit omnis qui relictus fuerit in medio terrae* » ; — ad *vaccam boum* cf. Lev. 9, 2 (hebr. vitulus filius bovis) ; unde explica : vacca filia boum (et pluralem quem categoriae dicunt intellige) ; ita *Sa, Malv. Mar.* ; hebr. *vitulam armenti* nutriet, ex magnis multisque armentis una vitula relicta est, ex gregibus pecorum oves duae. Spectari solitudinem theocratia per Chaldaeos prostrata, quam cladem Achaz rex praeparaverit sua in Deum infidelitate, iure merito agnoscunt (cf. *Hier. Mald. Pint. Sanct.*) ; « vix rarus habitator unam vaccam nutrire potest et duas oves, non ad arandum, sed ad cibum atque vestitum lactis et velleris. Propter inopiam quippe frumenti et omnium quae terra gignit ad comedendum lacte et butyro et agresti melle vescentur » (*Hier.*). Ad tantam igitur solitudinem et paupertatem reipublicae pristinam pompam, splendorem, apparatum bellicum, luxuriam (cf. 2, 15 ; 3, 16 seq.) concidisse una hac comparatione describit ; ita diem Domini super omnem superbum (2, 12) proponit, ita depingit, quomodo omne fulcrum auferendum sit (3, 1) et civitates sint desolandae (6, 11). Efficacissime hac imagine illustratur illud : nisi credideritis, *non permanebitis.* Porro desertae regiones et campi iam non agricultura subiguntur ; quare pascua abundantissima adsunt, in quae fertilitas terrae convertitur ; unde enascitur lactis copia, ex qua optimum pro victu rarus habitator sibi seligit. Adverte ad quid *butyrum et mel comedere* a propheta assumatur ; est enim id magni momenti pro 7, 15. Uti 7, 15. 16 ea ratione regni israelitici solitudo ac ruina et conditio humilis indicatur, ita hoc loco eandem regno quoque iudaico sortem esse futuram demonstratur. Monet *S. Chrys.* ad h. l. : « abundantia pabuli brutorum solitudinis hominum maximum est argumentum. Mel quoque illud subindicat ; solent enim apes in solitudinibus libenter versari, ubi abundanti esca fruantur et ubi nullus sit qui perturbet ».

Eandem vastationis et solitudinis imaginem vineae praebent olim adeo bene cultae adeoque fertiles et laetae v. 23 « *et erit in die illa, omnis locus ubi fuerint mille vites mille argenteis, in spinas et vepres erunt;* v. 24 *cum sagittis et arcu ingredientur illuc; vepres enim et spinae erunt in universa terra* » ; — magis nervose hebr. *vepres enim et spinae erit universa terra* i. e. vineae iam nihil aliud esse videntur quam vepreta et senticeta; idque dicitur, ut ab uno exemplo omnia discantur, de optimis vineis quae tanti aestimabantur, ut singulae vites singulis valerent siclis, quod pretium (M. 2, 50 ; Fr. 2, 83) satis pro eo tempore magnum vitem sane optimam et feracissimam declarat, cum hodie in Syria et in regione Libani vitem communiter M. 0, 20 aestimari dicant

(cf. *Kn. Del. Naeg. Rohl. Troch.*). Iam quarta vice *in die illa* propheta ingerit repetitione aequali et aequali enumeratione certitudinem rei et longiorem eventuum ac plagarum seriem audientium auribus ipsa soni aequalitate inculcans. Quanta porro rerum regionisque in deterius mutatio acciderit, v. 24 magis declaratur : in vineis ferae bestiae iam sua habent latibula et illae quidem tanto numero ibi adolescunt, ut vineae iam venandi causa adeantur (*For. Men. Calm. Rohl.*) vel propter metum ferarum nemo audeat eas ingredi nisi bene armatus sit (*Mald. Pint. Osor. Sa, Malv. Tir. Lap. Troch.*; alii utrumque coniungunt *Sanct. Ges. Drechsl.*). In vepribus et spinis maledictionem regioni illi antea adeo a Deo benedictae impressam iuremerito agnoveris (cf. Gen. 3, 18). Unde vineae eandem conditionem pro sua parte prae se ferunt, quae in spirituali vinea, in populo cernitur (cf. 5, 7 seq.).

Uti vineae, ita agri quoque qui olim in ipsis clivis ac collibus uberes attulerunt fruges ad vastitatem et horrorem redacti sunt v. 25 « *et omnes montes qui in sarculo sarrientur, non veniet illuc terror spinarum et veprium, et erit in pascua bovis et in conculcationem pecoris* » ; — ut sensus exsurgat superioribus cohaerens et aptus, tempus futurum explica pro praeterito (*Mald.*) et ita iunge : et quod attinet ad montes qui antea sarculo culti erant et ad quos horror spinarum i. e. spinae horridae nullo modo accedebant, iam erunt in pascua boum et a gregibus pecorum conculcantur et vastantur (cf. *Malv. For. Calm.*). Frequentius alii : montes sarculo antea culti et spinosa sepe ad custodiam cincti iam nemini erunt spinis illis sepium terrori; iacent enim inculti, deserti et nullo prohibente pecora omnia conculcant (cf. *Sanct. For. Lap. Men. Tir.*); vel montibus illis spinas iam non esse terrori, e contra spinas illis evadere familiares i. e. ob culturae defectum montes spinis iri obsitum (cf. *Troch.*). Hebr. exponunt: ad montes eos iam non accedes (nemo accedet) propter timorem sentis et vepris (cf. *Ros. Naeg. Del. Drechsl. Kn. Bred. Net. Rohl.*) i. e. adeo ibi vepres luxuriant, ut omnis spes agri colendi abiiciatur; vel quia ibi ferae bestiae latitant, nemo accedere audet. Id tamen minus placet, quia v. 24 contrarium exprimitur.

Alii hebr. explicant: non veniet illuc timor spinarum i. e. abstractum esse positum pro concreto : qui timent spinas, non adibunt montes ; sed ea loquendi ratio audacior videtur et inusitata. Melius sensui congrueret expositio : neminem iam curam impensurum, ut a vepribus montes custodiantur (cf. *Ewald, Schegg*); sed dubito, num *terror spinarum* dicat curam ne spinae nascantur impensam; neque ullum puto praesto esse exemplum, quo יִרְאָה eo sensu usurpetur ; neque enim apte in auxilium vocaveris timorem Domini i. e. curam, pietatem, studium Deo rebusque divinis impensum. — Denique textum

lat. alii fausto sensu accipiunt : montes qui ante coli non potuerint nisi sarculo adeo cultos futuros propter multitudinem hominum, ut nullae in eis spinae reperiantur ; quare *Sa* adnotat : « mira in prophetis transitio subita ab adversis ad prospera » ; sed quia *mirum*, non facile assumendum ! Illam autem culturam montium plerique ab iis fieri volunt, qui ut ab hostibus tuti evadant ad montes confugerint (cf. *Malv. Mar.*).

Dictionem in hac parte adverteris diffusam, protractam, singula quaeque ubertim enumerantem ; vult scil. propheta omnium animis et oculis quam maxime distincte proponere et exhibere, quid tandem detrimenti auxilium afferat ab Assyriis efflagitatum spreto Domino, et cum Achaz eiusque asseclae spe et fiducia humana turgeant, nullam relinqui spem iterum iterumque depingere vatem minime piget, immo summam quandam miseriam, derelictionem terrae extremam, maximam solitudinem praedicere ac minari cordi ei esse omnino videtur. Ceterum tamen memor sis velim id valere quod h. l. *Sanct.* in memoriam revocat : neque vero necesse est, ut vera sit prophetia, ut v. g. quisquam armatus in illam silvarum densitatem irrumpat ; satis est enim ut eo res solymitana sit deducta, ut ista verisimiliter fieri potuerint.

Praeterea nota qua ratione oracula ipsa magis magisque determinate proponantur. Antea enim 6, 11-13 iudicium in universum annuntiatur ; iam 5, 26-30 populus e longinquo, at nomine minime designatus, eius describitur exsecutor et minister ; hac vero parte magis distincte et partes efferuntur iudicii et qui illud iubente Domino in opus sint deducturi, nomine proposito praedicuntur. Atque quod propheta comminatus est 2, 11 seq. et praecipue illud : ruit Ierusalem et Iudas concidit (3, 8), hac demum vastitatis descriptione non sine magna sermonis gravitate et terrore declaratur uberius. Omnia autem in uno illo concluduntur : nisi crediderītis, non permanebitis. Achaz non credidit ; incredulis ergo et impiis ruina indicitur extrema ; illis oracula Dei cedunt in ruinam maiorem, quia cum Domini voluntatem noscant eam spernunt. Sed id quoque prophetae revelatum est ; unde pro nobis quoque ut partem hanc rite perspectam haberemus, vates praemisit illud : excaeca cor populi huius (6, 10).

Caput secundum 8, 1-9, 7.

Arg. — Signo, priori haud ita absimili, sed ex tempore praesenti petito et tum temporis implendo, clades Damasci et Samariae confirmatur (8, 1-4), sed simul etiam minae illae in Iudam propter infidelitatem prolatae denuo repetuntur, ita tamen, ut una cum castigatione laeta ostendatur spes propter Emmanuel ; quemadmodum enim in calamitate

ab Assyriis inferenda propter Emmanuel salus erit concedenda, ita omnium gentium consilia atque conatus nihil valebunt contra theocratiam regnumque Emmanuelis (8, 5-10). Iam quid ex ea doctrina et veritate pro tempore instantis calamitatis colligi oporteat, vates docet : pios iubet in timore Dei et vera pietate omnem spem collocare et cum patientia salutare Dei exspectare; impiis enim ruinam imminere atque interitum horrore plenum (8, 11-22); verum post tenebras et tribulationes lucem esse exorituram messianicam, triumphum adfore ingentemque laetitiam omni miseria et invasione hostili superata (9, 1-5); nascetur enim Emmanuel, rex messianicus, Deus et homo regnumque constituet pacis et sanctitatis in aeternum (9, 6-7).

Hoc caput arctissime ad antecedens adnectitur idque magis declarat. Id cernitur a) in signo analogo quod datur schemate simili : b) in repetita cladis hostium annuntiatione; c) in castigatione quae Iudaeis fiet per Assyrios; d) in Emmanuele clare iam descripto, in quo uno omnis salus et gloria consistat. Cum Achaz infidelitate sua regnum iudaicum magnis perturbationibus et divinis castigationibus obiecerit et innexuerit, propheta munere suo doctoris et consolatoris pro piis fungitur eos erudiens, quomodo ex norma divina de reipublicae rebus angustis et de singulorum calamitatibus sit iudicandum et quid spei et solatii piis semper adsit; fidem autem illorum et spem modo praeclarissimo excolit et perficit salute et gloria illa ostensa quam Messias, homo-Deus, sit allaturus. Quare iuremerito dixeris, quo maior sit Achaz regis infidelitas et contra Deum obstinatio, eo maiore luce ac claritate doctrinam revelari de Messia, et quo densiores calamitatum tenebrae ingruant regno iudaico, eo maiorem salutis messianicae splendorem per prophetam piis a Deo manifestari.

a) Signum in filio Isaiae datur 8, 1-4.

Supra 7, 14 Emmanuelis conceptus ac partus in signum datus est. Huic signo aptissime adnectitur vel opponitur aliud, quod in quantum est simile et tempori mox futuro implendum illi priori pro tempore praesenti adiungitur et plus valet ad mentes hominum percellendas; in quantum vero ab illo priore recedit, illud ratione insigniori declarat quam maxime esse singulare, eximium, divinum. Porro eo ipso quod priori aliud adiungitur idque quam maxime explicite tempori praesenti conseritur, satis manifestatur prius illud ad tempus remotum pertinere. Quare duo haec signa inter se diligenter comparanda sunt.

Quando alterum hoc datum sit, non dicitur. At ex ipso nexu, ex re, ex temporis in v. 4 determinatione facile colligitur datum esse mox post

signum Emmanuelis. Prius illud primo ac per se datur domui David (7, 13) — inde ad domus David sobolem praeclarissimam et omnium promissionum fastigium, ad alterum scil. regem David (cf. Os. 3, 5) ascendit — hoc alterum datur plebi ; quare ita datur, ut et publice innotescat et ipsa sua praeparatione oculos mentesque omnium in exspectatum rei eventum convertat. Praesto est enim Deus fidelis populo suo eumque tempore quoque castigationis per prophetam edocet. Unde v. 1 « *Et dixit Dominus ad me : sume tibi librum grandem et scribe in eo stilo hominis : velociter spolia detrahe, cito praedare* » ; — hebr. *sume tibi tabulam grandem*, qua re hominum attentio excitetur, in eaque scribere iubetur *stilo hominis ;* ponitur instrumentum pro re instrumento efficienda ; scriptio autem fieri debet « characteribus quos quilibet possit videre ac legere » (*Mald.*) vel « stilo claro » (*Mar.* sim. *Thom. Pint. For. Malv. Men. Tir.* et iam *Chald.* quoque) vel literis grandibus (*Calm.*), ut facile omnes possint legere [1], vel modo communi et noto, vulgari, non eo qui solis eruditis sit familiaris (*Rohl. Troch.*). At nihil notum est apud Hebraeos exstitisse ut apud Aegyptios scriptionem *hieraticam* quam vocant et solis doctioribus perviam et aliam *demoticam* vulgaremque ; posset tamen de scribendi compendiis vel de artificiosiore genere formandi literas cogitari. Tabulae inscribere iubetur vates *maher schalal chasch baz* i. e. festinans praeda velox rapina i. e. festinanter erit praedatio, velociter eveniet spoliatio. Verba haec ominosa post 7, 16 iam facile eo sensu accipi possunt, ut declarent, qua ratione derelinquenda sit atque vastanda terra duorum regum domui David infestorum. Res demum aperte proponitur v. 4.

In textu hebr. legitur לְמַהֵר etc. Quid sibi velit ל varie explicant. Alii enim accipiunt ל gerundiale : ad accelerandum spolium, vel acceleratura est praeda ; de quo usu vide exempla Gen. 15, 12. Ios. 2, 5. Hab. 1, 17 ; vel accelerationi spolia ; מהר ergo ut *infinitivum* exponunt. Alii ל referunt ad *scribe ;* idque iterum vario modo, vel ita ut ab eo dependeat significatione iussionis (cf. 1 Chron. 21, 17), vel ut sit ל dedicationis vel inscriptionis, uti habetur saepe in oraculorum inscriptionibus v. g. Ier. 48, 1 ; 49, 1. 7. 23. 28 ubi sensus est oraculum dari vel dedicari alicui, valere pro ipso et sim. Neque ab hoc usu abest Ez. 37, 16, ubi proprie cernitur ל inscriptionis ; ibi enim lignum unum inscribitur Iuda, alterum Ioseph, sed tamen eo sensu concipi potest et debet, ut alterum lignum pertinere censeatur *ad* Iudam, *ad* domum Israel alterum. Quare semper in nativa sua significatione ל retinetur. Num ita in nostro loco ? Vix videtur ; nam tabula illa non est monumentum quod erigitur τῷ Maher schalal, neque v. 1 ita concipi potest, cum quid nomen sibi velit nondum de-

---

1. Cf. Hab. 2, 2 : scribe visionem et dilucide explana super tabulis, ut legens percurrat (cito eam assequens). Ceterum vide locutiones Deut. 3, 11. Apoc. 21, 17. Literas intelligi grandes et perspicuas vide *Sayce,* Alte Denkmaeler im Lichte neuer Forschung p. 98 seq.

claretur, sed quid futurum sit simpliciter enuntietur. Quare exempla illa ל dedicationis vel inscriptionis parum ad rem sunt et frustra a *Kn. Naeg.* aliisque afferuntur.

Neque ל ita intelligi potest, ut ad מהר coniungatur et cum eo sensum fundat. Obstat enim versus 3, quo luce clarius patet nomen vel sententiam esse *Maher schalal,* minime vero *Lemaher schalal.* Quare nihil aliud restat nisi ut ל signum accipiamus *accusativi,* uti fere τὸ adhibetur, quo id quod scribendum sit vestiatur et introducatur : inscribe tabulae hoc verbum, hoc nomen ; esse ל quoque accusativi notam vide in exemplo 11, 9 et res est non adeo inusitata neque ad solum aramaismum ablegandа ; cf. Ion. 4, 6. Ier. 40, 2. Lament. 4, 5. Iob 5, 2 et saepius in Ps. et Chron. vide *Ges.* Thes. p. 730. Ita locum nostrum iam explicuit *Vitringa,* ita *Drechsl.* et aliqui lexicographi v. g. *Mühlau* et *Volck.*

Restat quaestio, quomodo מַהֵר sit accipiendum. Alii enim *infinitivum* piel explicant, alii adiectivum verbale. Analogia quae in altero membro habetur omnino suadetur, ut *adiectivum* accipiatur, prout invenitur Soph. 1, 14; est enim in altero membro חָשׁ quam formam explica *participium ;* ita utrumque membrum perfecto parallelismo constat ; talis autem in eiusmodi sententia exspectatur et altera voce *praeda, rapina* indicatur. *S. Hier.* LXX (ad v. 3), *Chald.* explicarunt *imperativum ;* id bene quadrat ad מַהֵר, sed חָשׁ deberet legi חוּשׁ.

Quo inscriptionis tempus, origo, auctoritas magis constet et plurium comprobatione roboretur, ad maximam quandam praedictionis certitudinem gignendam testes adhibentur v. 2 « *et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem et Zachariam filium Barachiae* » ; — hebr. forma exhortatoria : *age accersam mihi* vel *attestari mihi faciam duos testes fidos,* ita ut oratio Dei continuetur. Prophetam id praestitisse quod Deus iniunxerit, cum per se liqueat, non explicite narratur. Utrum Urias ille testis adhibeatur qui postmodum idololatriae Achaz regis connivebat (4 Reg. 16, 10), an alius sit, erit in incerto relinquendum ; neque quis fuerit Zacharias, exploratum est. Id unum certum est viros praecipuos testes advocari, et si uti Urias ex ordine sacerdotali adhibebatur, ita Zachariam in ordine civili dignitate valuisse et auctoritate existimaveris, vix a vero aberraveris.

LXX habent μάρτυράς μοι ποίησον ; eodem modo *imperativum* exprimunt *Syrus* et *Chald. ;* legebant ergo ה pro א. Cum in hebr. sit forma cohortativa, quae cum *vav consecutivo* non occurrit nisi apud Danielem, Esdram et Nehemiam (cf. *Naeg.*), textus hebr. aliter intelligi nequit quam ut Deus sermonem continuet ; idem aperte indicatur per וְ, pro quo aliqui rescribendum censeat וָ, ut tempus praeteritum in verbo exprimatur (v. g. *Eichhorn, Kn. Bred.*). Verum cum aliud exemplum ex Isaiae tempore ostendi nequeat formam cohortativam etiam pro praeterito usurpari, coniectura illa melius relinquetur. Utrum *S. Hier.* eandem legerit formam, an solum ואעד, decerni nequit. — Alii volunt orationem fieri *indirectam :* et ut mihi adhiberem, dixit, scil. Dominus (*Ges. Rohl.*).

Hisce repetita post cp. 7 continetur adhortatio, ut relicta fiducia in

Assyriis ponenda ad unum Deum confugiant, qui praesentem suam opem populo suo demonstrare non cessat. Ad quid inscriptio valeat, mox etiam clarius determinatur; subdit enim propheta v. 3 « *et accessi ad prophetissam et concepit et peperit filium; et dixit Dominus ad me: voca nomen eius: Accelera spolia detrahere, festina praedari,* v. 4 *quia antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci et spolia Samariae coram rege Assyriorum* »; — prophetam iussum esse a Domino filium generare, elucet ex nexu cum versu 1 et colligitur ex impositione nominis quam Dominus mandat et qua quid illa nominis inscriptione voluerit manifestat; idemque elucet ex v. 18 quo vates filios sibi a Domino datos in signum et in portentum Israel profitetur et insuper omnino suadetur similitudine illa quae cum Osee intercedit, cuius liberi Domino iubente procreati pariter insigniuntur nominibus futuram populi sortem adumbrantibus (vide ad Os. 1, 4. 6. 9). Tale autem mandatum et modus quo describitur hoc loco post 7, 14 maximi est momenti. Agitur enim utroque loco de conceptu et partu filii; sed quanta est in re simili dissimilitudo? Ibi nulla mentio patris, solum virgo appellatur concipiens ac pariens; hic actus coniugalis verbo proprio designatur: *accessi ad* קרב cf. Gen. 20, 4. Lev. 18, 6. 14. 19. Deut. 22, 14. Ez. 18, 6, et insuper aetatis tenerae determinatio ita fit, ut denuo patris nomen explicite inferatur non sine emphasi *vocare patrem suum.* Unde non solum diversa filii appellatione, sed etiam quam maxime diversa ortus conditione et ipso narrationis discrimine efficaciter omnium oculis obiicitur de alio atque alio conceptu, partu, filio institui sermonem. Et si (quod dubitari prorsus nequit) hoc nostro loco conceptus describitur partusque ex naturae ordine institutus, altero loco conceptus exhibetur ipsa locutionis diversitate recedens a ratione communi. Brevi intervallo duo loci adeo et similes et simul dissimiles inter se opponuntur eo certe fine, ut ea diversitate de diverso quoque eventu et de diverso rerum ordine admoneamur vel inviti.

Vocatur *prophetissa* uxor Isaiae; sed vix eo solum sensu, quia sit uxor prophetae, quamvis multi interpretum ea acceptione contenti sint (cf. *Vat. For. Mald. Sa, Malv. Mar. Clarius, Est. Calm. Ges. Ros. Drechsl. Troch.*); nam viri munus *tale* et officium ita ad uxorem transferri probabile non est neque tale habetur in *reginae* appellatione exemplum; accedit quod alias prophetissa nomen est eius quae spiritu prophetico sit correpta (cf. Ex. 15, 20. Iud. 4, 4. 4 Reg. 22, 14); quare uxorem Isaiae vere prophetissam fuisse probabilius est, uti iam censet *S. Chrys.* et *Sanct. Tir.* et ex recentioribus *Fürst, Kn. Naeg.* Temporis spatium assignatur breve satis quia soni illi *abi, immi* (papa, mamma) et facilius et citius ab infantibus proferuntur, et antequam ad plenum

rationis usum pervenerint. Hoc oraculum plane est distinctum, quia per quos duo illi reges sint puniendi effertur. Eventus narratur 4 Reg. 15, 29 pro Israel et 16, 9 pro Syria ; *opes* scil. *Damasci et spolia Samariae ferentur coram rege Assur* (hebr.); de iisdem eventibus narrant quoque inscriptiones cuneiformes, de quibus vide v. g. *Vigouroux*, la Bible et les déc. mod. IV p. 109 etc. et *Schrader*, Keilinschriften u. A. T. ad 2 Reg. 15, 29 et 16, 9; Civiltà cattolica XI. 3 p. 419 seq. (vide Prolegg. p. 4).

Uti igitur *Schear jaschub* nomen est propheticum filii Isaiae declarans ultimam populi electi sortem, ita *Maher schalal chasch baz* epocham omine signat proxime futuram, et cum Achaz liberationis signum recusasset, Deus liberalitate divina piis signum exhiberi vult duplex, universale et magnificum alterum quod simul intimam pandat rationem modumque salutis, alterum particulare et humanum, quod pignus sit solius liberationis instantis et castigationis hostium. Ita scil. in duobus filiorum nominibus ipsum Isaiae nomen (i. e. salus Iahve) pro temporum conditione explicatur et coetui fidelium viva proponuntur pignora miserationis opisque divinae. Neque alienum est ab usu nomina indi quibus integra contineatur sententia; cf. 1 Par. 3, 20 Jaschub chesed i. e. redibit misericordia; 25, 4 Romamthi ezer i. e. exaltavi auxilium; Esdr. 8, 4 Eljeho enaj i. e. ad Deum oculi mei etc.

Verba narrationis plana sunt et obvia quam maxime : loquitur propheta de se, rem enuntiat uxoriam actumque coniugalem et conceptum partumque filii, nominis impositionem, prima pueruli balbutientis verba, et antequam ea pronuntientur, id fore asseverat quod mox revera factum esse monumenta tum sacra tum profana testantur. Quae dum ita sint, iure miraberis quod tamen non pauci etiam hoc oraculum idem esse censuerint cum illo praecedente 7, 14 atque de conceptu partuque virgineo et de Messia exposuerint. Sed coacte summopere. Secundum eos enim Isaias mente et visione prophetica accessit vel ad Spiritum sanctum quem prophetissam vocari volunt, quia רוח Hebraeis est feminini generis (cf. *S. Hier. Haimo*) vel ad Virginem matrem Messiae (*Sasb. Pint. Lap.*) et vidit conceptum ac partum virgineum ; vel quod graecis aliquibus placet (*Euseb. S. Cyr.*) ipse Deus loquitur et se in Virginem supervenisse dicit. Nomen quod spoliorum detractionem dicit Messiae imponunt qui daemoni spolia abstulerit, et v. 4 exponunt auferri spolia Damasci non solum antequam Messias sciat loqui verum etiam antequam nascatur, sed auferri virtute pueri nascituri, vel generatim auferri atque destrui mundi fortitudinem ac sapientiam. Praeter eos quos modo citavi partum virgineum et Emmanuelem hoc loco deprehendunt *Theod. Basil. Procop. Osor. Men. Gord.*

Sed iure iam *S. Thom.* eam explicationem vocat « magis extortam et in Scripturis non habere auctoritatem », et bene iam *S. Ephr.* quid discriminis sit

monet inter oraculum utrumque ratione habita et partus et signi; ibi enim virginis declarari partum, hic prophetissae; Emmanuelem pacem allaturum, filium vero Isaiae bellum portendere. Nihilominus etiam apud Syros alia interpretatio praevaluisse videtur; scribit enim *Barh.* ad h. l. : « aliqui corporaliter (literaliter) id intelligunt, ac si propheta sociatus sit uxori; interpretes nostri spiritualiter id accipiunt scil. virtutem eius qui loquebatur in eo obumbrasse virginem quae conceperit et pepererit »; et ad v. 4 : « omnia haec verba nisi spiritualiter de gentibus quae in Dominum crediderint non corroborantur; ubinam est Isaiae filius quem peperit ei prophetissa uxor eius qui haec fecerit »? — Uxorem Isaiae prophetissam fuisse *Gregorius nyss.* agnoscere videtur, cum hunc nostrum locum comparet cum Os. 1, 3 etc. (praef. in Cantic. *M.* 44, 757). Explanationem de filio Isaiae omnino sequitur *S. Chrys.* eamque etiam multi interpretum antiquorum rite amplectuntur (ita *S. Thom.* — et quos *Lap.* recenset: *Richardus Victor. Sixtus senensis, Arias — Vat. Clarius, Mald. Malv. Pagninus, For. Sa, Est. Mar. Tir. Sanct.*) et recentiores omnes. Cur olim de hac interpretatione dubitatum fuerit et alia selecta, ex eo quoque declaratur, quia versio graeca λήψεται τὴν δύναμιν v. 4 ita fuit intellecta quasi ipse puer diceretur auferre spolia et potestatem inimicorum, id quod de uno Emmanuele dici posse arbitrati sunt. Textum graecum tamen aliter quoque posse explicari *S. Chrys.* ostendit scribens : « non quod puer possit aciem instruere hostesque profligare, sed quod aetas illa sive tempus illud elapsum antequam puer loqui possit, omnia tradat hostibus ».

b) Inundatio hostilis et Emmanuel 8, 5-10.

Dixerat vates spolia Samariae ablatum iri. Iam causa redditur ex theocratiae divinitus institutae contemptu quo populus peccavit, praecipue Israel; sed quia Iuda quoque a ratione theocratica descivit, id quod in Achaz rege cumprimis manifestum apparet, etiam populus iudaicus uti erat sceleris socius, ita poenae eiusdem erit particeps. Deus enim, ut ait *S. Chrys.* h. l., pro more suo non solum poenas praedicit, sed causas affert, ut sic auditores erudiat; et quaenam est causa belli? « ingratus civitatem incolentium animus ». Unde v. 5 « *Et adiecit Dominus loqui ad me adhuc dicens :* v. 6 *pro eo quod abiecit populus iste aquas Siloe quae vadunt cum silentio, et assumpsit magis Rasin et filium Romeliae,* v. 7 *propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum et omnem gloriam eius, et ascendet super omnes rivos eius et fluet super universas ripas eius* »; — hebr. *pro eo quod contempsit populus iste... et propter gaudium cum Rasin* (cf. *For. Malv. Mald. Mar.*) i. e. regnum theocraticum despiciunt et cum extraneis et usurpatoribus maxima exsultatione foedera iungunt, eorum societate et opibus summopere gaudent. Quosnam vates proxime reprehendat, varie explicant. Alii enim Iudaeos

intelligunt qui despecta theocratia exteris faverint (cf. *Theod. Cyr. Euseb. Procop. Sanct. Pint. For. Mald. Lap. Sa, Men. Tir. Calm. Kn. Bred.*), alii Iudaeos et Israelitas (*Mar. Del. Troch.*), alii Israelitas solos (*Ephr. Hier. Sasb. Gord. Rohl. Naeg.*). Ultimum videtur esse praeferendum. Cum enim Israelitae foedus inierint cum Rasin, rege Syriae, et cum ipsi Phacee usurpatori et occisori regis praecedentis (4 Reg. 15, 25) obedirent, tripudium illud cum Rasin et filio Romeliae apte omnino Israelitarum conditionem describit; sed quomodo ad Iudaeos referatur, difficile est dictu. Nam fuisse multos in aula Achaz regis et in populo qui a partibus stetissent duorum illorum regum nequit probari, sed potius 7, 2 excluditur. Bene autem Israelitae quoque reprehenduntur, quod theocratiam divinitus institutam stirpemque David electam repudiaverint. Illud enim schisma malorum plurimorum causa et origo et fomentum erat; illo recedebant a foedere Dei. Cur spreverint pactum Domini, in ipsa metaphora fontis Siloe ratio assignatur, cuius aquae *vadunt cum silentio;* ita enim theocratiae indoles adumbratur, quae aliena sit oportet a fastu et tumultu gentilium, a pompa et superbia mundana et in humili obedientia et spe divina non dominationem amplam affectet neque gentium mores et instituta aemuletur, verum in Dei cultu et voluntate acquiescens a gentibus semota regnum Dei spirituale praeparet et quasi praeformet. Talis theocratiae symbolum fons Siloe proponitur imagine aeque apta quam iucunda. Fluit enim in valle inter collem Sion et Moriam interiecta, fluit ut *S. Hier.* loquitur, « ad radices montis Sion » et « in radicibus montis Moria » (ad Matth. 10, 28; *M.* 26, 66). Quare et sedem arcemque regis theocratici et templum Dei veri regis Iuda in memoriam revocat et cum sit rivulus parvus quidem sed aquarum praestantia pretiosissimus [1], illam in se depingit humilitatem, tranquillitatem, abundantiam bonorum spiritualium, quam Deus regno theocratico inesse voluit. Illud in Deo *silentium* populus noluit; quare ad gentes gentiumque mores defluxit. Porro cum regnum theocraticum, utpote regnum Domini in populo electo constitutum, esset simul praeparatio ad regnum messianicum, cum insuper in domo David vaticinia messianica ita essent collocata, ut thronus David esset firmiter constitutus in sempiternum (2 Reg. 7, 14) et ex stirpe David esset proditurus Dominator in Israel (2 Reg. 23, 3; vide ad Mich. 5, 2), facilis adesse cernitur nexus, quo cum *Euseb. S. Cyr. Basil. Hier.* in fonte Siloe ad radices Sionis et Moriae fluente agnoscamus adumbratum ipsum

---

1. Vide *Riess*, bibl. Géographie p. 76; testimonio Iosephi (bell. iud. 5, 4, 1) aquas constat eius tempore dulces fuisse; quare explicationi datae non obstat quod de hodierna conditione refert *Socin* (Palaestina p. 236).

regnum messianicum, cuius utique fidem renuntiarunt, quicumque a theocratia desciverunt. Ipsum fontis nomen *Schiloach*, *missus*, ἀπεσταλμένος (Ioan. 9, 7) illum iis referre videtur qui vere sit *missus* a Deo et qui credentibus fiat fons aquae salientis in vitam aeternam.

Uti in aquis Siloe quae vadunt cum silentio Dei operandi et gubernandi modus a strepitu mundano alienus repraesentatur, ita fluvius babylonicus maximo cum tumultu in omnem late regionem effusus, omnia inundationibus obruens, devastans, sepeliens, imago est regni mundani Deoque oppositi, in quo perturbatio, crudelitas, oppressio longe lateque dominantur. Israel domo David relicta secutus et pro viribus aemulatus est regnum mundanum ; unde (in quo quis peccavit, in eo etiam punietur) per regnum idem experiri debebit quam sit amarum reliquisse Dominum. *Flumen* est Euphrates, cuius nomen assyriacum *Puratu* (inde hebr. פְּרָת) etiam *flumen* κατ᾽ἐξοχήν dicit (cf. *Delitzsch*, Wo lag das Paradies? p. 169. 170). In aquarum inundantium imagine exprimi ait *S. Thom.* hostium impetum, robur, numerum. Et primo quidem regnum obruetur israeliticum (cf. v. 4).

Verum regnum quoque iudaicum eatenus a theocratia recessit, quatenus ope Domini spreta rex maiorque populi pars a rege Assur auxilium efflagitabant. Cum enim Dei mandato *vide ut sileas* (7, 4) obedire detrectarent, ipsi quoque pro sua parte contempserunt et repudiarunt aquas Siloe quae vadunt cum silentio ; quare iusta poena unde salutem sperabant, inde calamitates miseriasque experientur. Inundatione qua Israel obruetur, etiam Iuda operietur : v. 8 « *et ibit per Iudam, inundans et transiens usque ad collum veniet* » ; — cf. 7, 17 ; quanta futura sit miseria, *usque ad collum* optime declaratur i. e. fere submergetur Iuda (*S. Thom.*), interitui proximum erit regnum. Metaphora eo est aptior, quia in inundatione assyriaca per Sennacherib facta tota regio iudaica omnesque urbes captae sint una urbe Ierusalem excepta, quam ideo h. l. *collo* designari multi existimant (cf. *S. Ephr. Chald. Malv. Mald. Pint. Mar. Sa*, *Rohl.*). Ita fiet, ut ipsa hereditas Domini inundatione hostili operiatur : « *et erit extensio alarum eius implens latitudinem terrae tuae, o Emmanuel* » ; — copiae Assyriorum longe lateque grassabuntur. Verum cum manus intulerint hereditati Domini, victores manere non possunt ; ipsa hac victoria suam cladem certissime moliuntur. Hanc spem inconcussam magna animi exsultatione iam nunc vates enuntiat terram Iuda quam Assyrii oppresserint vocans terram *Emmanuel* ipsumque Emmanuelem magna cum emphasi alloquens. Est scil. haec appellatio sollemnis quaedam obsecratio et obtestatio, ut qui vere sit Dominus ac rex terrae ipse exsurgat ad suam terram vindicandam : ecce, non nostra regio vastatur, tua agitur gloria, tua possessio a sacrilegis pessumdatur !

Hac appellatione emphatica *terra tua, o Emmanuel,* quis sit Emmanuel, indubie declaratur. Quis enim non statim sentiet talem allocutionem nullo pacto fieri posse ad infantem vel Isaiae vel regis in cunis vagientem? Quam maxime ridicula esset talis emphasis et plane intolerabilis etiam apud mediocrem poetam modernum, nedum apud antiquum, nedum apud Isaiam! Qui igitur Emmanuelem filiolum esse volunt Isaiae ab eius uxore iuvene modo in lucem editum, videant quam inepte loquentem faciant prophetam; et quo demum iure dici potest terra Iuda terra filii Isaiae? qua locutione quid arrogantius, quid magis a more hebraico alienum, immo quid magis impium et fere blasphemum fingi potest? Est enim et constanter appellatur terra Iuda *terra Iahve* : 14, 2; eam vocat Dominus *terram meam* 14, 25, *hereditatem meam* 47, 6; et eodem modo apud alios prophetas et in libris historicis; cf. Os. 9, 3. Ier. 2, 7; 12, 14; 16, 18. 1 Reg. 26, 19. 2 Reg. 14, 16. Ps. 78, 1; 93, 5. Sed si Emmanuel idem est, qui 9, 6. 7 appellatur a propheta, quam aptissime et e re ipsa fluit haec obsecratio. In Iuda enim propter regnum Dei, propter thronum David sempiternum, propter Messiam certissima spes est reposita victoriae gloriosae de omnibus inimicis reportandae; talem spem omnibus notam ea apostrophe propheta enuntiat.

Atque quantopere hoc verum sit, statim etiam clarius demonstratur. Nomine scil. Emmanuelis prolato sacer vates maxima quadam exsultatione abreptus iam animo cernit omnem potestatem, sapientiam, fortitudinem mundanam egregie devictam atque prostratam, unum vero Emmanuelem gloriosum de omnibus populis triumphatorem. En, quales animi sensus, quam excelsos et magnificos una Emmanuelis vox pepererit et ad qualem spem, audaciam, certissimam fiduciam eius erexerit animum! Nam v. 9 « *congregamini populi, et vincimini, et audite universae procul terrae! confortamini et vincimini, accingite vos et vincimini!* v. 10 *inite consilium et dissipabitur, loquimini verbum et non fiet, quia nobiscum Deus* »! — hebr. verte : *fremite populi et prosternimini* i. e. licet maximum furorem et fremitum edant, tamen funditus proterentur; et talem sortem annuntiari iubet vates omnibus, ita ut nuntius ad extremos terrae fines perveniat. Dein in hebr. bis idem membrum repetitur : *accingimini et prosternimini,* ita ut ter triumphalis illa exclamatio *prosternimini* audiatur. Ter monentur, ut furorem suum et arma optima colligant et ter miseranda prostratio denuntiatur. Dein v. 10 gradatione oratoria ad furorem et arma, ad duo haec potentissima addere iubentur *consilium,* ut scil. collatis consiliis omnem humanae intelligentiae ac prudentiae vim exserant et quae sapientissime excogitaverint editis mandatis et decretis ad exsecutionem omni studio et conatu adducant (i. e. *loquimini verbum*) — at incassum sunt om-

nia ! Triumphantis in morem sapientissimis consiliis vates opponit vocem peremptoriam : *dissipabitur*, firmissimis populorum decretis : *non consistet*. Omnia igitur quae in humanis subsidiis inveniri possunt, omnia quae animi impetus et irae furor subministrat vim addens optimis armorum generibus, omnia quae humana sapientia excogitare et firma praecipiendi severitas et constantia mandare potest, hic a vate sollemni modo in unum colliguntur, eo autem effectu et fine, ut magna cum irrisione ruina et strages iis denuntietur. Et cur talis prostratio ? quis eius auctor et sponsor ? Nervose et maximo pondere epinicion hoc in hebr. concluditur : *quia Emmanuel !* En quam paucis verbis quantus paean ! Omnium temporum fata hisce concluduntur. Simulatque Achaz rex impius non a Deo, sed a rege Assur opem efflagitat, vates, theocratiae custos ac interpres, normam Dei promulgat qua omnem potentiam et fastum deiicere statuit, ut unum Emmanuelis regnum et una eius maiestas et gloria consistat. Quare non Assur solum, verum *omnes* nationes longinquae terrae auscultare iubentur.

Iam si talis omnium nationum et virium humanarum prostratio est efficienda, *quia Emmanuel,* quis iste Emmanuel censendus erit? Quid magis a tanta dicendi sollemnitate et dignitate alienum quam filiolum fingere vel Isaiae vel impii regis Achaz? Ipse propheta apertissime nos docet. Iam 2, 12 et seq. omnem fastum humanum deiiciendum esse dixerat, ut demum « germen Domini sit in magnificentia et gloria » (4, 2), et quae hic v. 9. 10 proponuntur, per singulas nationes cap. 13-24 ita pertractantur, ut omnium prostrationem et humiliationem ad unum Messiae regnum stabiliendum inservituram esse vates ostendat. Quare hic paucis verbis uberrimum indicat argumentum, quo et singulorum vitae sortes et totius generis humani fata reguntur et quod Daniel simili modo proponit : « in diebus autem regnorum illorum suscitabit Dominus coeli regnum quod in aeternum non dissipabitur... comminuet autem et consumet universa regna haec et ipsum stabit in aeternum » (Dan. 2, 44). In ipsa sermonis conformatione et « virulenta irrisio » (*Pint. Sasb.*) cernitur conatuum hostilium maximaque victoriae fiducia — « repetitio est hominis secure lacessentis » *Mald.* — et summa animi laetitia de tot ac tantis regni Dei triumphis. In quam rem bene advertit *S. Cyr.* : « exsilit prae gaudio animus prophetae, utpote qui plane Christi mysterium agnovit », et *S. Chrys.* : « quia res annuntiabat humanam naturam superantes, ut fide dignum sermonem exhibeat, ad dignitatem praeclare operantis frequenter confugit dicens : quia nobiscum Deus et quia ipse omnia haec machinamenta dissipabit ».

Hebr. רֹעוּ varie concipitur. Iam *S. Hier.* scribit : « pro *congregamini* sive *infirma-*

mini et *confringimini*, ut interpretati sunt alii, LXX posuerunt *scitote;* verbum enim hebraicum *rou* propter *res* literae et *daleth* similitudinem intellexerunt *dou* (דעו) ». Uti *S. Hier.* ita *Chald.* quoque notionem expressit *consociate vos ;* acceperunt ergo verbum רעה in pual (cf. hithpael Prov. 22, 24 ; praeterea Prov. 13, 20 ; 28, 7) ; sed accentus *mas.* in penultima formam in *qal* esse intellectam docet. Unde plerique vertunt : *fremite* vel *irascimini* (cf. *Rohl. Net. Bred. Del. Kn. Ges.* — et iam apud *Malv.*) a verbo רעע, quod verbum tamen frequentius modo impersonali adhibetur *malum est.* Unde alii vertunt *confringite* (*Vat. Drechsl. Naeg.*), uti verbum usurpatum cernitur Ps. 2, 9. Iob 34, 24. Ier. 11, 16 ; 15, 12 etc. Alii formam referunt ad רוע *vociferamini* vel *tumultuamini ;* id quod longius abest. Iam quid erit seligendum ? Magnam quidem videtur habere oppositionem et vim illud : *confringite* alios, tamen mox scil. vos ipsi confringemini ; at si reliqua membra huius « virulentae irrisionis » spectaveris, in iis iam non indicatur, quid mali aliis inferant, verum quid ipsi per se praestent, ut se tueantur et excidio imminenti resistant. Ita sane *accingite vos, consilium capite, loquimini verbum.* Ergo simili modo primum membrum explicare valde erit consultum. Ad id autem per se aptum est *congregamini;* sed cum forma *mas.* obstet (nisi cum *Ros.* רעע accipere volueris eadem notione cum רעה ; id quod tamen nimis arbitrarie fieri videtur), non aliud restat quam explicatio quam supra dedi. — *Syrus* habet *contremiscite.* Affert *Theod.* : « clarius tres (reliqui) interpretati sunt hunc locum : συναθροίσθητε » ; videtur intelligere interpretationem *Aq. Sym. Theod.* (cf. *M.* 16, 1664).

c) Inde doctrina colligitur pro tempore calamitatis 8, 11-22.

Quale sit divinae providentiae consilium in rerum iudaicarum administratione, propheta in antecedentibus expressit. Quibus iam vera continetur piorum eruditio et consolatio. Restat, ut doctrina haec quo magis animi moveantur, quasi per singula ad eventus singulos exhortatione et commonitione applicetur. Ita enim pios manuducere et quae in universum de tota gubernandi ratione Dei dicta sunt ad singula quaeque traducere, muneris est prophetici. Unde bene nexum adstruit *S. Thom.* : « hic ponitur populi instructio : et primo docet quid non timendum, secundo quid timendum sit ». Quod ut propheta praestet, divina allocutione se edoctum et excitatum profitetur, qua simul nova continetur praecedentis oraculi confirmatio et explicatio; unde v. 11 כִּי *quia;* v. 11 « *Haec enim ait Dominus ad me, sicut in manu forti erudivit me, ne irem in via populi huius, dicens :* v. 12 *non dicatis : coniuratio; omnia enim quae loquitur populus iste coniuratio est, et timorem eius ne timeatis neque paveatis* » ! — hebr. *sic enim locutus est Dominus ad me in fortitudine manus* i. e. in fortitudine prophetiae (*Chald.*), in valida ac vehementi prophetia quae vim magnam et efficacitatem prae se ferret (*Malv.*); manus quippe Dei fieri dicitur super prophetam, quando peculiari Dei influxu et inspiratione ad agendum loquendumve se sentit impulsum (cf. Ez. 1, 3; 3, 14. 22; 8, 1; 33, 22; 37, 1 ; 40, 1 etc.); proinde *fortitudo manus* indicat, quanta cum severitate et emphasi

id ei fuerit a Deo inculcatum et sub quam vehementi interminatione ei et discipulis eius interdicatur, ne eandem cum populo sentiendi agendique rationem sequantur. Unde Deus dicitur eum erudire, coercere. Quae sit via *populi huius*, ingenti illo terrore 7, 2 et foedere declaratur quod Achaz rex cum Assyriis opis implorandae causa inire desiderat. Haec *via* insuper in v. 12 determinatur : *ne vocetis coniurationem omne quod iste populus appellat coniurationem* (hebr.). Admonentur ergo, ne de rerum conditione causisque eo modo iudicent, quo populus. Hic enim oculis minime ad rerum omnium moderatorem sublatis in rebus afflictis et in periculis belli et in angustiis nihil aliud cernit nisi *coniurationem* duorum regum Syriae et Israel eorumque odium et inimicitias ; solum scil. de causis humanis loquuntur, solliciti sunt, ab iis solum sibi esse timendum et cavendum existimant ; ad Deum primam causam et vindicem peccatorum animos oculosve non attollunt. Aliter propheta et discipuli eius. Illis ob oculos versari debet norma theocratica, ut abiecta consideratione mere humana Dei manum providentiamque agnoscant. Hanc autem produnt s. literae : *Dominus* coepit mittere in Iudam Rasin et Phacee (4 Reg. 15, 37); tradidit eum *Dominus Deus* in manu regis Syriae (2 Par. 28, 5) ; humiliaverat enim *Dominus* Iudam propter Achaz, adduxitque contra ipsum Theglathphalnasar (l. c. 28, 19.).

Exsistit ergo propheta praeco ordinis rerum altioris ad quem relicta vulgi sententia animos oporteat elevare. Quodsi verum de rebus *iudicium* ex norma divina efformatum mentibus insederit, facile quoque a timore vulgi animos liberos servabunt ; unde alterum hoc apte secundo loco infertur : *timorem eius ne timeatis.* Qui enim res ita considerant, uti luce fidei divinae collustrantur et in consiliis divinis apparent, illi animos gerent timore humano et anxietate vulgi longe superiores, ab eiusmodi curis alienos. Verum quid revera timendum sit, magno verborum pondere declaratur v. 13 « *Dominum exercituum ipsum sanctificate ; ipse pavor vester et ipse terror vester* » ! — in titulo *Domini exercituum* ratio exprimitur amplissima, cur non duorum regum coniuratio sit pertimescenda, sed Domini maiestas violata. Hanc *sanctificare* iubentur i. e. agnoscere et profiteri sanctam, inviolabilem ; proinde eius voluntati obsequi, eius castigationes mente humili subire, eius honorem vita et moribus exprimere ac tueri, eius promissis firmissima spe et fiducia adhaerere. Si hac fide et spe animati sunt, iam non ab hominibus formidabunt ; unus ille qui solus est potens ac terribilis, erit eorum pavor ; eum scil. ne offendant, ne provocent, ne inimicum vel adversarium habeant, totis viribus contendent. Hic demum timor « expellit omnes timores et animos sollicitudine liberat atque excelsos et invictos efficit.

Nunquam enim pavebit quem Dei metus atque religio numinis illius obstrinxerit. Non igitur reges mortales et interituros inanesque hominum minas, sed sempiternum coeli dominatorem metuite, si vultis statum vestrum esse firmissimo praesidio tectum ipsiusque Dei praesenti ope stabilitum » (*Osor.*).

Quid sit *coniuratio* v. 12, varie accipitur. Non desunt qui coniurationem et conspirationem contra Achaz regem adfuisse censeant vel continuam deliberationem de deditione hostibus facienda, a quibus consiliis ut pii abstineant vehementer moneri (cf. *For. Pint. Mald. Sa, Mar. Tir. Gord.*) ; sed si populus ipse talia volvisset consilia, ea certe non nomine *coniurationis* designasset ; ex v. 12 autem indubie constat hanc vocem a populo usurpari. Insuper non apparet, quomodo *vere* et *apte* moneri possint pii, ne eiusmodi conspirationem contra regem et in hostium favorem et subsidium appellent coniurationem. Aliis placet explicare : si propheta eiusque discipuli foederi cum Assyriis ineundo obsistunt, id minime sapit conspirationem vel coniurationem contra regem et populum (cf. *Del. Net. Troch.*) ; quae explicatio iam propterea admitti nequit, quia sane de ea re edoceri prophetam minime opus erat. Nunquam enim prophetae et discipulis eius in mentem venire poterat conatus illos ad impedienda foedera antitheocratica vocare coniurationem, neque tali indigebant admonitione, ne normam a Deo propositam appellarent coniurationem. Aliter rem *Schegg* concipit : coniurationem esse apostasiam a Deo ; unde colligi sensum : ne dicatis : quid ultra Deo serviemus quippe qui nos auxilio destituat ? idolorum opem et potentiam experiamur ! Sed quomodo haec e verbis hebr. accipi possint, ego quidem non assequor. Ad interpretationem a *Schegg* propositam proxime accedit illa a *Malv.* III allata : hic exponitur primum peccati genus, nimirum infidelitas Iudaeorum ; studium aliena auxilia foederaque Deo neglecto procurantium Deus vocat coniurationem. — Consilia et foedera duorum regum Syriae et Israel nomine coniurationis designari, rite perspexerunt *S. Hier. Thom. Osor. Sasb. Sanct. Lap. Men. Rohl.*, quamvis singula non eodem modo explicent. Si qui v. g. dicunt, illud foedus propterea non esse coniurationem vocandum, quia res sit minimi momenti, rem tangere non videntur. Nam damna et clades in bello ephraimitico-syriaco Iudaeis illata erant magna satis.

Alii autem rem in universum accipientes ibi populi titubationem, suspicionem, anxietatem descriptam cernunt et mores atque ingenium eorum qui obsessi valde timeant exprimi arbitrantur ; « nam qui timore hostium premuntur suspicacissimi sunt et undequaque sibi metuunt » (*For. Malv. IV*), ita ut ipsi et ubique coniurationem odorentur et ad eam ineundam sint paratissimi (*Loch*). Quacumque demum ratione verba explicaveris, id certum est admonitionem contineri, ne in rerum cursu solum machinationes hostiles hominum deprehendant neve ab eorum inimicitiis et aemulatione tantum sibi cavendum esse opinentur, verum ut ad causas altiores contemplandas et Dei manum agnoscendam animos erigant. Aliis demum *coniuratio* adeo difficilis visa est, ut textum mutandum esse censuerint. Ita pro קֶשֶׁר legendum esse קדש: ne vocetis sanctum omne quod

populus iste vocat sanctum, iam suspicati sunt *Secker, Lowth* et e recentioribus *de Lagarde,* cui consentiunt *Bickell* (Zeitschrift f. kath. Theol. Innsbr. 1883 p. 148) et *Bred.*; praecipue insistit *de Lagarde* (Semitica I p. 15) parallelismo qui cernitur inter 12 b et 13 b et qui eadem ratione habetur inter 12 a et 13 a, si ibi *sanctum* legitur. Haec ratio speciosa satis est. Ergo continetur admonitio ne superstitiosa populi religione teneantur, sed Deum sancta religione colant; quid populus *sanctum* vocet, affertur exemplum in v. 19. Sed veteres interpretes certe non legerunt קדש; LXX praebent σκληρόν; *Sym.* ἄνταρσις.

Non piget h. l. paucis adscribere, quomodo *S. Thom.* in nota ad h. l. *manum Domini* explicet locutionisque in s. literis usum ad certa quaedam capita revocet. Habetur enim in ea nota specimen et cognitionis s. Scripturae et interpretationis per divisionem ac subdivisionem incedentis: « nota super illo verbo *sicut in manu forti erudivit me,* quod est manus divina triplex. Primo est manus divinae potentiae; et haec est triplex: primo creantis: Iob 10, 8 *manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me;* secundo continentis: Ps. 94, 4 *in manu tua, Domine, omnes fines terrae;* tertio protegentis: infra 49 *in umbra manus suae protexit me.* Secunda manus est manus iustitiae; et ista erit triplex: prima tangentis ad probandum: Iob 19, 21 *manus Domini tetigit me;* secunda flagellantis ad purgandum: 2 Mach. 6, 26 *nam si in praesenti tempore a suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam;* tertia opprimentis ad condemnandum: Hebr. 10, 31 *horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Tertia manus est manus misericordiae; et ista est triplex: prima sanantis: Iob 5, 18 *ipse vulnerat et medetur; percutit et manus eius sanabunt;* secunda pascentis: Ps. 94, 7 *populus eius et oves manus eius;* tertia coronantis: Sap. 5, 27 *accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini* ». Nostrum autem locum *erudivit me in manu forti* ita exponit: erudivit me in tribulatione, vel non solum docens quid faciendum, sed etiam dans gratiam virtutis ad complendum.

Quodsi ita abiectis rationibus humanis Deo fideliter adhaeserint in eoque omnem collocaverint spem et fiduciam, fructum obedientium (*S. Thom.*) percipient v. 14 « *et erit vobis in sanctificationem* »; —hebr. *in sanctuarium* i. e. in locum sacrum ac tutum in refugium ac protectionem; includit enim notio templi protectionem et sacrum quoddam asylum (cf. 3 Reg. 1, 50; 2, 28; *Vat. Mald. Malv. II. Mar. Rohl. Troch.*), sed simul significationem pacis ac gratiae ac cum Deo familiaritatis exhibet; unde non immerito alii explicant: vos sibi segregabit ac sanctificabit et tamquam sibi consecratos peculiari ratione favore suo complectetur (cf. *Sa, Lap. Tir.*). In piis igitur splendida illa Ps. 90 promissa implebuntur. Verum vae incredulis. Cum insigni pondere illud denuo ingeminat vates « nisi credideritis, non permanebitis »; erit enim Dominus aut in resurrectionem aut in ruinam (*Pint.*) secundum normam: cum sancto sanctus eris et cum perverso perverteris (Ps. 17, 26). Iam has minas hanc-

que ruinam per singula ad terrorem prosequitur : « *in lapidem autem offensionis et in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum et in ruinam habitantibus Ierusalem;* v. 15 *et offendent ex eis plurimi et cadent et conterentur et irretientur et capientur* » ; — dum pii tuto ac beate commorantur in Dei adiutorio et quasi inviolabili sanctuario conclusi, incredulis rerum difficultates erunt sicuti lapides quibus in via offenduntur et impingunt, sicuti petra qua conteruntur, sicut laqueus [1] quo illaqueati cadunt et capiuntur, brevi tamquam ruinae et exitii causa. Immo quod gravius sonat, ipse Dominus sese ut ruinae causam exhibebit, quia cum eius fidem et promissa repulerint, vindictam eius et iram necessario incurrunt. Dicendi quadam ubertate et copia imaginum ruinam ingruere multiplicem, ineluctabilem vates declarat ; quod si unum calamitatis genus evaserint, eo certius alio involventur. Et tali ruinae obviam eunt duae domus *Israel;* heu quam degeneres ab illa fidei constantia qua patriarcha hoc gloriae nomen sibi olim meritus est (cf. ad Os. 12, 4) ! obviam eunt habitantes *Ierusalem,* theocratiae centrum et Dei Regis sedem peculiarem (cf. ad Soph. 3, 5), ubi tamen continuo oracula prophetarum divinae potentiae et gratiae documenta celebrabant. Indicat igitur vates incredulos ipso rerum cursu confundi et perire et talem esse providentiam divinam, ut demum vera salus non consistat nisi piis, talem rerum exitum, ut iustae punitioni impii implicentur.

Maior populi pars erit manebitque incredula (cf. 6, 9. 10). At reliquiae salvabuntur. Pro his iam sermo texitur. Iubet scil. Deus vatem testimonia haec divina fideliter tradere piis custodienda et alte animis imprimenda : v. 16 « *liga testimonium, signa legem in discipulis meis* » ! — cum in antecedentibus Dominus loquatur et alter loquens, vates scil. solum in subsequenti clare designetur, etiam hic cum plerisque vox Dei ad prophetam agnosci debet. Accedit quod si essent verba ea precantis in morem a propheta Deo dicta, uti volunt *Vitringa, Drechsl. Naeg.,* merito exspectares, immo exigeres honorificam Domini compellationem,

1. Hebr. *in laqueum et decipulam* vel *tendiculam;* cf. ad Am. 3, 5. — Pro למקדש aliqui legi volunt לְמִקְּשׁ πρόσκρουμα, cui in v. 15 נשברו correspondeat. Ita totus versus minas continet. Cum in textu hebr. *vobis* qua voce oppositio ad reliqua membra indicatur non adsit, talis mutatio posset videri probabilis. At oportet adverti, in textu graeco sicut in *vulg.* illam oppositionem efferri ; poterat ergo ex textu hebr. לכם excidisse. Dein post adhortationem in v. 13 propositam optime sequitur praemium piis ostensum, sicut in sequentibus membris exhibetur poena impiis. Dein vox quam *de Lagarde* substitui vult est nova neque usquam invenitur, dum vox hebr. cui LXX, *Syrus, S. Hier.* suffragantur etiam bene ad v. 13 accommodata sit; est scil. doctrina similis illi : cum sancto sanctus eris etc. Ps. 17 26. *Chald.* utique aliter legisse videtur; explicat enim hoc membrum: et si non obedieritis erit vobis verbum eius in ultorem. Vel in *sanctum* explicavit eo modo quo aliqui etiam recentiores volunt (*Kn. Diestel, Bred.*), scil. qui *sanctum* profanat peribit?

qua simul precationi et pondus et veneratio adiungeretur. *Ligari* debet ne quasi dissipatum pereat vel amittatur; proinde iubetur verba divina sedulo tradere et diligenter asservanda et meditanda commendare iis qui Domino se dociles (cf. hebr.) et dicto audientes praebent; *obsignari* id quoque dicitur quod fideliter custoditur, ut sigillo apposito etiam in futura tempora tamquam genuinum Domini verbum agnoscatur et probari possit. Uti 8, 2 testes sibi adhibere iubetur editi ante eventum vaticinii, ita hic rerum futurarum documenta et lineamenta ut piis tradat quasi sigillo divino obsignata praecipitur. Sunt enim haec plerisque clausa et abscondita; at pii ea animis condunt et impletione facta divinis vaticiniis testimonium perhibent; interea iis utuntur tamquam lucerna in loco caliginoso (cf. *Lap. Mar. Tir. Men.*). Haec porro *obsignatio* normam dicit divinitus ita stabilitam, quae ab omni conditione absoluta opere certissime complebitur; quandoque enim minae ita proponuntur, ut tamen conditio aliqua subintelligatur oporteat (cf. quae notavi ad Ioel 2, 1. 19; 3, 10. Hab. 2, 3), ubi igitur eventus non absolute praedicitur. Aliter nostro loco; ad quod vide quae dixi ad Zach. 1, 14. Simile obsignationis mandatum recole causasque perpende similes Dan. 8, 26; 12, 4. 9, et a contrario Apoc. 22, 10.

Hoc mandato accepto vates tamquam optimus fidei pietatisque magister discipulis exemplo praeit atque in se ipso delineat quibus sensibus tempore calamitatis ingruentis ex Dei norma pios animari oporteat v. 17 « *et exspectabo Dominum qui abscondit faciem suam a domo Iacob et praestolabor eum* »; — i. e. in miseriis oportet agnosci Domini percutientis manum, qui merito iratus populo suo ab eo favorem ac protectionem peculiarem pro aliquo tempore subtraxerit; vultus enim Domini vel lumen vultus dicit gratiam eius, benevolentiam, amorem; unde avertere faciem, abscondere etc. eius gratiae ac subsidii defectum significat. Proinde denuo monet propheta, ut rerum eventus variosque casus non ex hostium potentia, malitia, cupiditatibus dimetiantur, sed norma divina adhibita diiudicent. Atque tum in ipsa hac norma firmissimum continetur solatium, quo animos ad patientiam, spem, fiduciam erigant atque confortent. Domo enim Iacob commemorata quasi sua sponte memoriae mentibusque obiiciuntur promissiones patriarchis datae quae nequeant evacuari, « quia dilexit patres tuos et elegit semen eorum post eos » (Deut. 4, 37). Unde ea iam ratione permoti sensus induant oportet quos propheta describit dicens *exspectabo Dominum, praestolabor* i. e. sensus fiduciae firmissimae et spei laetae, quae fundatur in *Iahve,* in eo *qui est,* qui immutabilis in se (Mal. 3, 6) promissa sua demum in opus deducat et ipso nomine suo Iahve certissimum dederit

impletionis pignus (vide ad Os. 12, 5. Ioel 2, 32). Similem animi habitum in simili rerum conditione lege depictum Mich. 7, 7.

Atque quantopere valeant etiamnum rationes ex domo Iacob et nomine Iahve petitae ad animos patientia et spe informandos, propheta ex praesentibus favoris divini pignoribus luculenter docet, ita quoque simul cum orationis progressu eas suggerens rationes quibus vehementius animos commoveri atque plane convinci sit necesse. Vult enim Deus, ut « ubi ceteri impegerunt et divini vultus aversationem passi sunt, inde illi suos animos magis tranquillos reddant et ad meliora procliviores » (*S. Cyr.*); valet scil. hic quoque : qui habet, dabitur ei et abundabit. Unde ad priora addit vates : v. 18 « *ecce ego et pueri mei quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israel a Domino exercituum, qui habitat in monte Sion* » ! — ipse propheta munere suo prophetico et nomine « salus Iahve » puerique eius nominum quoque symbolis : Schear jaschub (reliquiae revertentur) Maher schalal chasch baz (accelera spolia detrahere, festina praedari ; cf. 8, 3) divina adumbrant consilia et pro tempore ingruente et pro generationum futurarum serie longissima. Dati sunt ei filii ut sint *signa et portenta in Israel* (hebr.) i. e. qui res futuras suis nominibus iam describant et earundem pignora quasi ac vadimonia praestent tamquam viva quaedam ac spirantia oracula et documenta certissima. De vocibus אוֹת וּמוֹפֵת vide 20, 3 : Isaias captivorum habitu opprobrioso incedens signum esse debet ac portentum super Aegyptum et Aethiopiam ad sortem illorum praefigurandam ; item Ez. 12, 6. 11 ; 24, 24. 27 actione symbolica repetitis vicibus in portentum esse debet rerum futurarum (cf. Zach. 3, 8). Quare vim effati bene complectitur *For.* : « summam omnium quae dixit et omnium fere quae dicturus est illis nominibus comprehendit ». Atque talia concedens pignora edensque oracula Dominus sese probat et manifestat *habitantem in monte Sion,* qui Deus foederis fidelis in medio populo suo habitat neque ab infideli et contumaci recedit, sed quae Sioni promisit (cf. 2, 2 seq. 4, 6 etc.) opere complebit. Proinde in ipso titulo habitantis in Sion valida offertur ratio fiduciae augendae. — De typica horum verborum ratione vide Hebr. 2, 13 et *Sanct. For. Lap.* neque desunt ex antiquis qui propter Hebr. l. c. totum locum immediate et unice de Christo explicent (cf. *Euseb. S. Cyr. Basil. Pint.*) *pueros* intelligentes de fidelibus discipulis.

Iam doctrinam propositam vates ad casum applicat particularem ostendens, quomodo fidem et spem palam coram contribulibus profiteri debeant. Dum enim tempora volvuntur tenebricosa et calamitatibus plena, homines a Deo alieni rabida agitantur superstitione et omni quo possunt modo et malorum remedia exquirere et sortem futuram investigare co-

nantur. Et in quantum talis superstitio veterum quoque animos occupaverit, multiplicia illa divinationis atque magiae genera satis superque docent (cf. Deut. 18, 9 seq. — *Scholz*, Goetzendienst p. 70 seq.). Unde vates suos contra pericula praemunit ne communi quasi vertigine et ipsi corripiantur v. 19 « *et cum dixerint ad vos : quaerite a pythonibus et a divinis qui strident in incantationibus suis; numquid non populus a Deo suo requiret? pro vivis a mortuis* » ? — hebr. *quaerite a necromantibus et divinis* (proprie *gnostis* — cf. *Malv. For.*) *qui pipiunt et mussitant*, ad irrisionem praestigiatorum et incantatorum, qui murmuribus et miris editis sonis admirationem superstitiosorum provocare student, haec descriptio a vate addita esse videtur. Duo plebi superstitiosae consideranda proponuntur : populum *a Deo suo* consilium et auxilium efflagitare debere et quam stultum sit a mortuis expetere opem pro vivis. Prius eo magis valet quia ex communi gentium opinione deus nationalis quam maxime suae gentis bonum atque emolumentum promovet cuius quippe gloria, felicitas, splendor in ipsius dei commendationem praeprimis redundare censetur (cf. Iud. 11, 24. Am. 1, 15. Hab. 1, 16. Nah. 1, 14. Zach. 2, 8). Quare ipsis idololatris stultum videri debet, quod Israelitae *suo* Deo neglecto et contempto ad aliena et extranea subsidia deflectunt. Alterum quantae sit stupiditatis effert opem exspectare ab iis qui ipsi vita et vigore vitali privati rerumque omnium terrestrium ignari tamquam umbrae in scheol degunt. Cuius responsionis vis ut percipiatur, in memoriam revoca quomodo de mortuorum in scheol commoratione sermo fiat apud antiquos ; cf. Eccl. 9, 10 : « quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus nec ratio nec sapientia nec scientia erunt apud inferos », Iob 14, 21 : « sive nobiles fuerint filii eius, sive ignobiles, non intelliget » (cf. Ps. 6, 6 ; 29, 10 ; 87, 11 ; 113, 17. Is. 38, 11).

Sunt qui *mortuos* intelligunt idola utpote muta et omni vita carentia (cf. Hab. 2, 18. Ps. 113, 4 etc.). Ita *S. Hier.* cum explicet : a mortuis sive mortuorum hominum simulacris de viventibus quaeritis, deos intelligens modo euhemeristico homines vita functos ; ita *S. Thom. Mar. Men. Tir. Sa*, *Lap. Sasb.* Alii explicant hoc quoque membrum de necromantia ; ita sane LXX τοὺς νεκρούς, uti concipiunt *Theod. Euseb. Cyr.* — utramque explicationem *Basil.* proponit — et ex latinis *Mald. Malv. Osor. Sanct. Pint.* et recentiores plerique. Idque est praeferendum. Nam deos vocari *mortuos*, vita functos alias est inauditum ; unus qui afferri possit locus Ps. 106, 28 hebr. « et initiati sunt Beelphegor et comederunt sacrificia mortuorum » de sacrificiis ad necromantiam adhibitis agere videtur (cf. *Hupfeld-Riehm* ad l. c. ; aliter tamen *Scholz*, Goetzendienst p. 175). Accedit quod hoc loco oppositio haec inter vivos et mortuos hanc acceptionem commendat et Deut 18, 11 verba eadem *quaerere a mortuis* de ne-

cromantia intelliguntur. Insuper ipsa אֹבוֹת commemoratio necromantiam clare designat. Mulier enim illa quae a Saule consulitur, ut a Samuele mortuo responsum exquirat, possedisse אוֹב perhibetur 1 Reg. 28, 7 (cf. *de Hummelauer* ad h. l.). Dicitur אוֹב et de spiritu fatidico vel daemone qui in eiusmodi praestigiatoribus inesse credebatur (cf. Lev. 20, 27) et de ipso hariolo qui incantationibus suis carminibusque magicis manes vel mortuos evocare posse censebatur (vide *Scholz* l. c. p. 90 seq.). *S. Hier.* אוֹבוֹת וְיִדְּעֹנִים vertit vel *magos et hariolos* (Lev. 19, 31 ; 20, 6. 1 Reg. 28, 3. 9) vel *magos et incantatores* (2 Par. 33, 6) vel *pythones et haruspices* (4 Reg. 21, 6) vel *pythones et hariolos* (4 Reg. 23, 24) vel *pythones et divinos* (Deut. 18, 11 cf. Lev. 20, 27). LXX plerumque אוֹבוֹת vertunt ἐγγαστριμύθους ventriloquos ; quae ventriloquorum ars sane quam maxime ad eam fraudem contulit et « ne minimum quidem dubium superesset, astuti homines populum docebant magum videre quidem manes a se evocatos sed nihil audire ; illum vero in cuius gratiam anima reducatur audire quidem sed nihil videre » (*Ges.* Thes. p. 35).

Quantae sit stupiditatis in arte divinatoria praesidium quaerere, duabus quaestionibus indicaverat vates v. 19. Iam quid reiecta et spreta magia agendum sit, ita directe proponit, ut in hac doctrina unam salutis contineri normam quam distinctissime efferat v. 20 « *ad legem magis et ad testimonium! quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux* » ; — quasi belli ducis in morem brevi formula et tessera imperium enuntiat (cf. Iud. 7, 18), in doctrina scil. a Deo data et in eius de rebus futuris testimonio (v. 16) iam omnia concludi quibus opus sit in rerum perturbatione et in calamitatibus ingruentibus, ibi contineri lumen, consolationem, fortitudinem; vaticinia sane intelliguntur iam proposita, cumprimis quae a cap. 7 et deinceps sunt edita. Valet enim pro rebus afflictis quam maxime : lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis; tribulatio et angustia invenerunt me, mandata tua meditatio mea est (Ps. 118, 105. 143). Sed « si non credideritis, non permanebitis » vel « non est pax impiis » (Is. 48, 22; 57, 21)! Unde iis qui non ad legem et testimonium confugerint neque ea moribus et vita expresserint, nullam fore melioris fortunae spem, nullam felicitatis lucem minatur. Iam noctem miseriarum et densissimas tenebras quas nullus lucis radius pellet vates v. 21. 22 describit, dum 9, 1-7 cum quanto splendore et quanta beatitate credentibus sit lux matutina oboritura, egregie prosequitur.

Versio *vulg.* est plana et obvia. In textu hebr. adest difficultas ex eo praecipue, quia post prius membrum *si non dixerint iuxta verbum hoc* ponitur אֲשֶׁר ; sunt qui censeant אשר vim habere mere assertivam (cf. *Ros.*) vel non esse nisi signum apodoseos, uti ו et apud Syros ד (cf. *Ges.*), id quod tamen ab aliis non admittitur (*Ewald, Hitzig;* vide Hebr. Handwoerterb. von *Mühlau-Volck*). Quare retento relativo alii

pronomen supplent demonstrativum : ii sunt quibus non erit aurora (cf. *Rohl.*). Alii sententiam ex sequentibus supplent eum in modum unam efficientes phrasin : si non secundum hoc ii loquuntur quibus non est aurora, transibunt etc. (cf. *Net. Diest. Naeg.*). Sed haec coniunctio iam propterea est repudianda, quia illi quibus nulla est spes non possunt censeri velle amplecti illam tesseram ; si enim vellent amplecti, iam eo ipso cessarent esse inter eos quibus nulla est aurora. Unde a fortiore patet nullo pacto verti posse quod volunt *de Wette, Hitz. Ewald, Drechsl.* : profecto, ita loquuntur quibus non est aurora. Nam apertissime pugnat cum vaticiniis datis, ut ii ad legem dicantur mentes animosque applicare, quibus nihilominus nulla sit melioris fortunae spes. Quam primum enim normam divinam amplecti vellent, iam iis quoque aurora i. e. salus et felicitas esset speranda. Alii אִם־לֹא concipiunt tamquam interrogationis particulam *anne, numne* : annon ita loqui debent quibus non est aurora (*Kn. Del.*)? Explicatio posset admitti, si *non esse auroram* solummodo miseriam et afflictionem, tenebras significaret ; sed plus innuitur, adesse noctem quam nulla aurora, dies nullus excipiet, proinde adesse iis et instare castigationem ex qua emergere iam non possint, pro eis iam nihil fore levaminis, lucis, sed noctem perpetuam et afflictionem nullo modo levandam. — Alii ita iungunt : annon forte ita loquentur ? quia ei non est aurora, transit etc. ; ergo ו in apodosi ? — LXX et *Syrus* non *auroram*, sed *donum* efferunt ; proinde legisse videntur non שַׁחַר, sed שֹׁחַד. — *S. Hier.* versionem suam explicationem « iuxta Hebraeos » factam esse asserit : « unde si vultis nosse quae dubia sunt, magis vos legi et testimoniis tradite Scripturarum. Quodsi noluerit vestra congregatio verbum Domini quaerere, non habebit lucem veritatis, sed versabitur in errore tenebrisque ; lux pertransibit eam, hoc est, congregationem vestram, et corruetis » etc.

Quid legis Dei contemptoribus futurum sit et qualis sit rerum conditio iis quibus non sit aurora, vates exhibet v. 21 « *et transibit per eam, corruet et esuriet, et cum esurierit, irascetur et maledicet regi suo et Deo suo et suspiciet sursum,* v. 22 *et ad terram intuebitur, et ecce tribulatio et tenebrae, dissolutio et angustia et caligo persequens, et non poterit avolare de angustia sua* » ; — « hic ponit desperationis tristitiam » ut bene advertit *S. Thom.* ; is enim cui non est aurora vagus ac profugus discurret per terram (ita *eam* explicant referentes ad *terram* v. 22 [1] ; cf. *Mald. Sanct. Mar. Malv. Men. Troch.*), impingit et corruit ; accedit rerum omnium penuria, qua ad furorem exacerbatus diras et maledictiones iacit in cuncta quaecumque hominibus sacra sunt ; humana et divina diris devovet. Quocumque tandem oculos dirigat, sive ad coelum eos attollat sive ad terram demittat, nullibi lucis radius apparet, ubique *tribulatio* et *tenebrae,* oppressio, afflictio, angustia ; brevi caligo quae eum undiqua involvat eumque continuo persequatur nec effugere sinat ; quare

---

1. Ita hebr. בָּהּ quoque explicant *Ges. Ros. Kn. Del. Bred.* ; sed ad indolem linguae potius accommodatur vocem non ad subseq. trahere, sed de illa conditione explicare quae depicta est per *non erit aurora* i. e. in eo statu ; cf. *Drechsl. Naeg.*

nulla iam ex abysso miseriarum emersio. Ita sane optime delineatur desperatio et malorum cumulus sine levamine futurus. Talem miseriarum abyssum vates incredulis ostendit et hoc modo tesseram suam declarat : « nisi credideritis non permanebitis ». Ipsa descriptio solito longior et per singula incedens et verborum quadam ubertate vocumque similium accumulatione conspicua ad horrorem incutiendum plane facta est et ad magnitudinem miseriae delineandam ex aequo conformata. Hebr. verte : *et transibit* (vagabitur) *ea in conditione miseriis pressus et esuriet, et erit cum esurierit, excandescet et maledicet . . . . et ecce angustia et tenebrae, obtenebratio angoris et caligo late extensa,* vel ut aliis placet : in caliginem late propulsus (est talis) — quae locutio tamen aequo durior et a concinnitate cum membris antecedentibus remotior est. Reliqua in hebr. commodius ad sequentia trahuntur.

Versus hos 19-22 *A. Scholz* (die alexandr. Uebersetz. des Jesaias p. 23) eiiciendos censet utpote interpolatione ortos. Ratio eius praecipua est, quia talis admonitio iam satis in antecedentibus sit data et quia a subsequenti vaticinio talis descriptio sit prorsus aliena. Verum immerito talia obiiciuntur. Nam ad priorem rationem facile advertes haud raro apud Isaiam unam eandemque rem vel monitionem bis alio et alio modo, longiore, magis emphatico proponi ; vide 5, 25. 26 ; 7, 21. 23 ; 10, 25. 28 etc. ; quod igitur iam v. 11-18 simile quid a propheta sit inculcatum, minime probat versus hos esse spurios. Sermo enim ab exhortatione generali descendit ad casum particularem et praeterea ruinam illam v. 14 declaratam accuratius per singula ad terrorem incutiendum pertractat ostendens in quem demum terminum *via populi huius* perventura sit (v. 11). — Quod autem secundo loco obiiciebatur, nullo modo consistit. Tantum enim abest ut haec pars nullo cum sequenti contineatur nexu, ut quam maxime inserviat quo sequentis vaticinii vis ac splendor magis et augeatur et percipiatur. Nam densissimis tenebris et miseriarum nocti perpetuae, quibus increduli involventur sacer vates opponit lucem ac beatitatem messianicam. Sed quaeso qua re splendor messianicus et beatissima eius salus et efficacius commendari et clarius describi potuit, nisi tali inter se oppositione ? Nonne quam maxime aptum est ad animos commovendos et in Dei piorumque partes pertrahendos, ut terroribus ac miseriis ostensis quibus impietas implicata et afflicta haeret salus ac beatitas messianica ipsa sua pulchritudine animos ad se alliciens depingatur ? Iure enim habet tritum proverbium : contraria inter se opposita magis illucescunt. En nox atra atque perpetua impiis, piis lux et vita beatissima ! Ad quod ultra perpendas velim, tali inter se oppositione Isaiam non semel uti ; vide v. g. 10, 33 et 11, 1 et cumprimis adverte qua ratione cap. 34 et 35 inter se excipiant. Praeterea cum dicat vates *non est iis aurora,* iam lucis clarissimae descriptionem inchoatione quadam praeparat ; saepius enim iam advertimus vatem nostrum quae antea una alterave voce innuerit postea latius explicare et prosequi uberius. — Quodsi tandem *Scholz* opinatur esse

a dicendi genere Isaiae alienum, ut quaestio ponatur et responsio detur, ut descriptio brevibus membris concisa, immo verbis abrupte proiectis incedat, iure miraberis, cum ubique adverti possit, quanta varietate, quantis motibus, quanto impetu et qua rerum copia et quam apta ad describendum selectione verborum utatur Isaias ; porro quis unquam dixerit eius dicendi genus a brevibus nervosisque sententiis esse alienum ? Lege 14, 8. 16 seq. 21, 5 ; 22, 13 etc. — Ceterum quod sciam nemo criticorum usque ad *Scholz* hunc locum Isaiae esse abiudicandum censuit.

d) **Lux messianica 9, 1-5.**

Rebus angustis et caligini atrae ac desperationi impiorum opponitur salus fidelibus promissa. Iis enim ex ipsa calamitatum nocte, quae impiis sine aurora perpetuo incumbet, lux orietur : Sion enim in iudicio redimetur (1, 27 et vide ad Mich. 4, 10). Unde propheta ex rerum gestarum historia et afflictione [1] qua pars regionis iudaicae iam oppressa iacebat, sermonem [2] exorsus laetissimam spem piis proponi a Deo docet v. 1 « *Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephthali, et novissimo aggravata est via maris trans Iordanem Galilaeae gentium* » ; — i. e. priore tempore, olim (in oppositione ad periodum subsequentem laetiorem) vilis habita et despecta est regio illa tribubus Zabulon et Nephthali assignata, Galilaea scil. inferior et superior. Hanc provinciam *vilem reddidit* (hebr.)Deus eo quod et in bellis syriacis multipliciter fuit afflicta atque contrita et praesertim a Theglathphalasar incolis spoliata israeliticis (4 Reg. 15, 29. 1 Par. 5, 26) fere tota in alienigenarum gentium possessionem cessit. Experta est enim haec regio primam foederis violati castigationem et iram divinam. Sed tempore posteriore, quando Deus populum suum miseratus promissa olim data in opus deducit, *gloriosam reddit viam maris, trans Iordanem, Galilaeam gentium* (hebr.) ; eadem scil. regio aliis nominibus designatur ac describitur : *via maris* i. e. regio circa mare Tiberiadis vel Genesareth ; « mare autem hic lacum appellat Genesareth qui Iordane influente efficitur, in cuius litore Capharnaum et Tiberias et Bethsaida et Chorozaim sitae sunt » (*S. Hier.*) et revera ita appellatur mare Genesareth יָם־כִּנֶּרֶת Num. 34, 11. Ios. 13, 27 vel יָם כנרות Ios. 12, 3 ; *trans Iordanem* i. e. regio in parte Iordanis orientali ; *Galilaea gentium* i. e. superior Galilaea quae attingit Phoeniciae fines, uti bene iam declarat *Sanct.*

---

1. Vide de hoc vaticinio *Corluy*, Spicilegium dogmatico-bibl. I p. 422-433.

2. Textum hebr. communiter incipiunt a verbis : *quia non* (manet) *caligo, ubi nunc sunt angustiae,* quae verba *S. Hier.* aliter intelligens superioribus iunxit : et non poterit avolare de angustia sua.

Apte ad monitionem 8, 12. 13 factam vates immediate adscribit (in hebr.) Deo qui regionem illam et contemptam reddidit et gloria illustrem (cf. *For. Sanct.*).

Qualem autem gloriam illi regioni sit largiturus Deus, vates enarrat v. 2 « *populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis* »; — hisce simul ea declarantur, a quibus textus hebr. felicioris periodi descriptionem orditur. Ultima enim pars 8, 22 in *vulg.* secundum hebr. initium constituit vel transitum ad faustiora et brevi formula laetam complectitur rerum immutationem : *quia non obtenebratio, ubi angustia* i. e. obtenebratio non erit, non perpetuo incumbet ei regioni, cui nunc angustia est; vel, ut alii apte ad lucem de qua hic praeparandam verba iungunt : quia non-obtenebratio erit i. e. lux erit ibi, ubi nunc angustiae. Uti olim Deus ex tenebris lucem splendescere iussit, ita ex nocte miseriarum educet lucem messianicam. *Tenebrae et umbra mortis* optime describunt conditionem populi rebus angustis afflictam, servitute oppressam, gloria pristina spoliatam, abiectam, vitiis quoque et impietate foedatam. Quod vates iam 2, 12 seq. descripsit, omnem fastum pompamque iri destructum, idem nunc in tenebris et in umbra mortis adumbrat, atque eo rectius *umbram mortis* [1] effert, quia apostasia a Deo et infidelitate magna populi pars (cf. 7, 2. 12) Deo est mortua et huius mortis spiritualis effectus et effigies est mors illa civilis, qua populus et regio prosternitur. Huius mortis umbram dispellit *lux magna* quae demum ex luce matutina (8, 20) maximo splendore effulgebit. Huic luci obviam fertur piorum spes et desiderium mediis in afflictionum tenebris, hanc lucem *lex* et *testimonium* (8, 20) testantur, hanc vates iam declaravit, cum *Emmanuelem* exhiberet certissimum salutis et gloriae pignus (8, 10). Olim Deus in nube lucida dux fuit populo suo ex servitute aegyptiaca et per regionem deserti, ergo iis qui in tenebris sedebant quasi lux apparuit; unde si nunc iis qui tenebris offusi et miseriis sepulti sunt, lux magna annuntiatur, eo ipso insignis liberatio Domino duce ac largitore promittitur. Lucem intelligi *messianicam*, post ea quae vates exposuit 4, 5; 7, 14; 8, 10 iam certissime constat; constabit etiam luculentius ex descriptione quae statim sequitur et quae non est nisi *lucis magnae* declaratio et explicatio ; denique constat

---

1. veteres communiter explicant צַלְמָוֶת (LXX, *Syrus, S. Hier. Chald.*). Recentiores tali compositione negata explanant צַלְמוּת a צלם esse obscurum; alii in syllaba apposita ad צל notionem superlativi deprehendunt comparantes עַזְמָוֶת 2 Sam. 23, 31. 1 Chron. 27, 25. Neh. 7, 28; 12, 29. Vide *Naeg.* et *Boettcher,* Neue Aehrenlese II p. 124.

quia ipsum Messiam nomine lucis propheta saepius designat (cf. 42, 6; 49, 6; 60, 1-3.19). Haec lux oriri et effulgere dicitur in Galilaea, uti supra 7, 16 vates viderat Emmanuelem degentem in regione terrae Israel multipliciter afflicta. Hac luce insignis gloria affundi dicitur ei regioni. Atque revera postquam Messias ibi versatus est (cf. Matth. 4, 14-16) et doctrina et miraculis eam regionem illustravit et ex ea suos elegit apostolos, singulari laude per orbem terrarum omnium ore ea regio celebratur. — Ceterum locum hunc agere de Messia ab ipsis Iudaeis agnitum est. Inde enim eorum enata est traditio talmude consignata fore ut Messias in Galilaea manifestetur et a Tiberiade redemptio diffundatur (cf. *Rohl. Del.* ad h. l.).

Simul cum luce messianica populus Deo sacer cernitur multitudine praestans et laetitia exsultans. Ita quidem secundum *qeri* textus hebr. quam lectionem approbant LXX, *Syrus, Chald.* et quam *Mald.* quoque sensu faciliorem vocat : *multiplicasti gentem, ei magnificasti laetitiam.* Primus igitur lucis exortae fructus est, ut sese diffundat longe lateque et suo splendore cuncta collustrans innumerabilem multitudinem ad Dei cognitionem et cultum adducat. Ita populus Dei *multiplicatur ;* constans est temporis messianici indicium maxima cultorum Dei copia (cf. ad Os. 1, 10. Mich. 2, 13). Alterum lucis messianicae beneficium est *laetitia,* felicitas, laetus in Deo iubilus, beatitas, quam omnes invicto desiderio et innata necessitate summopere appetunt. Eamque eximio quodam gradu ibi contineri, et ipsa voce *magnificasti* indicatur et duplici comparatione egregie depingitur.

Aliter transitus fit ad eandem rem declarandam in *vulg.* Prius enim anteactae miseriae memoria breviter revocatur, ut ea oppositione beatitas messianica clarius innotescat v. 3 « *multiplicasti gentem, non magnificasti laetitiam* » ; — i. e. olim quidem populus etiam numero excellebat ; at non aderat vera beatitas, e contra miseria multiplex (cf. *Mar. Malv. Schegg, Loch, Troch.*) ; etiam quando res israeliticae quam maxime florere videbantur, multa deesse neque unquam ad perfectam laetitiam fortunamque stabilem res pervenisse non sine dolore animadvertebatur.

Ita commodissime textus *vulg.* explicatur. Aliis placet eum interrogative accipere : *nonne magnificasti laetitiam* et ita proxime ad hebr. *qeri* acceditur (cf. apud *Malv.*). — Locus hic in hebr. ad eos pertinet, in quibus *kethib* est לֹא, *qeri* autem לוֹ ; huius generis recensentur loci octodecim [1] : Ex. 21, 8. Lev. 11, 21 ; 25, 30. 1 Sam. 2, 3. 2 Sam. 16, 18. 2 Reg. 8, 10. Is. 9, 2 (3) ; 49, 5 ; 63, 9. Ps. 100, 3 ; 139, 16.

1. Etiam numerantur loci 15 vel 17 vel 21 ; qua de re agit *Frensdorff*, das Buch Ochlah W' Ochlah, n. 105 et Nachweise und Bemerk. p. 30.

Prov. 19, 7 ; 26, 2. Iob 6, 21 ; 13, 15; 41, 4. Esdr. 4, 2. 1 Chron. 11, 20 (cf. *Drechsl.* — solum undecim recenset *Fürst* C. p. 1367). Nostro loco ea lectionis varietas iam apud veteres deprehenditur ; legunt enim sine negatione LXX, *Syrus, Chald.* LXX quidem textum paulo aliter reddunt τὸ πλεῖστον τοῦ λαοῦ ὃ κατήγαγες ἐν εὐφροσύνῃ ; at negationem non eos legisse planum est. Adnotat *Procop.* reliquos pro κατήγαγες vertisse ἐμεγάλυνας, et cum alterius discriminis mentionem non faciat, facile quis concluserit etiam τοὺς λοιποὺς negatione caruisse. At obstat nota in cod. syr. hexapl. qua simpliciter dicitur reliquos vertisse *non magnificasti* (cf. *Middeldorpf* p. 80), et pro hac lectione *Sym.* quoque affertur in fragm. hexapl. (*M.* 16, 1669). Negationem praebent *S. Ephr.* et *Barh.* — Melius ad contextum quadrat *qeri* hebr. (*Corluy*). Postquam enim lucis messianicae mentio est ingesta quae oritura sit sedentibus in tenebris, sane huius lucis effectus describi iuremerito exspectamus, minime vero fieri regressum ad calamitates et miserias denuo proponendas. Neque satis aptum est in se neque cum locis aliis congruum, ut populo multiplicato (quae multiplicatio semper est in locis messianicis benedictionis divinae augurium ac pignus et argumentum) memoria tristitiae ingeratur ; e contra duas res inter se contrarias ea lectio sociare videtur. Et cum insuper sermo statim texatur ad laetitiam illam magis declarandam et comparationibus illustrandam, merito dixeris ea explicari in altera versus parte quae in priore sint proposita, ac proinde hanc ipsam explanationem argumento esse haud infirmo pro lectione *qeri*.

Lux symbolum est felicitatis, gratiae, beatitudinis. Quare salus messianica eiusque auctor et consummator quam aptissime simul ac iucundissime eo repraesentantur. Eius autem laetitiae magnitudo ab iis eventibus declaratur, qui quam maximis animi gestientis significationibus celebrari solent in vita tum privata tum publica : « *laetabuntur coram te, sicut qui laetantur in messe, sicut exsultant victores capta praeda, quando dividunt spolia* » ; — esse sacram in Deo laetitiam profectam et auctam ex altioribus causis, illud *coram te* satis declarat; messis ubertim collecta maximi tripudii solebat esse occasio, quare frequens eius mentio fit ad animi exsultationem depingendam (cf. Ps. 4, 8; 125, 6. Ier. 48, 33) et eo tempore sacra praecipiebatur laetitia (Lev. 23, 40. Deut. 16, 14). Etiam maioris tripudii causa est victoria reportata et spolia amplissima collecta, ubi et periculi depulsio, securitas acquisita, gloria belli aucta famaeque celebritas cum omnium admiratione pervulgata et spoliorum copia animos ad incredibilem exsultationem provocare solent quae quia communis est et publica eo maiora incrementa capere solet (cf. Iud. 5, 30. Ps. 67, 13; 118, 162). Utraque comparatio eo aptior est quia indicatur post laborem ac molestiam fore bonorum abundantiam, viam scil. ad salutem sterni ipsis afflictionibus. Insuper etiam subliniore ratione nobis qui salute messianica potimur, haec salus offertur tamquam laetitia messis et partae victoriae spolia opima : *nos* enim laetantes metimus quae Salvator lacrimis et sanguine suo seminavit; nos gaudentes spoliis ditescimus, postquam ille atrocissima certamina pro

nobis obiit et victoriam laboribus plenissimam pro nobis reportavit. Valet quippe de nobis quoque illud : ego misi vos metere quod vos non laborastis (Ioan. 4, 38).

Atque gravissima adest hilaritatis ratio. Haec petitur primo ab onere praeterito et a victoriae singulari gloria (v. 4), dein ab hostium destructione integerrima (v. 5) et demum ab ipso Messia eiusque regno beatissimo et perpetuo (v. 6. 7) et ita quidem ut sententia subsequens et explicet et fundet priorem, donec omnium bonorum fons atque cumulus in ipso Emmanuele conclusus omnibusque propositus exhibetur. Ita pulcherrima gradatione omnem beatitatem in Emmanuele absolvi ostenditur.

Primo igitur exsultant v. 4 « *iugum enim oneris eius et virgam humeri eius et sceptrum exactoris eius superasti sicut in die Madian* » ; — iugum molestissimum quo premebantur, virgam qua humeri percutiebantur et baculum quo exactores duri ac tyranni eos servorum in modum affligebant et premebant, Dominus subito et modo mirabili amovit atque confregit, uti tempore Gedeonis Madianitae fusi fugatique sunt (Iud. 7) ; iique sunt devicti non ope exercitus fortis, non ope subsidiorum humanorum sed infirma elegit Deus et ignobilia et ea quae non sunt, ut confundat fortia, ut qui glorietur in Domino glorietur (*Malv.*). Vel « comparatio Gedeonis et Emmanuelis in eo praesertim spectatur, quia sicut exiguo numero et sine militari strepitu emicante e fictilibus vasculis luce miraculose tot hostium millia ceciderunt, sic ab Emmanuele humili et in luteo vase humanitatis nostrae sternendae sunt infernales acies et spolia ab illis antea sublata diripienda » (*Sanct.*). Dicendi quadam ubertate miseriarum ambitus describitur et hostium impetus, insolentia, insultatio. Ex gravissima enim miseria quam impietate regis populique adductum iri vates iam saepius innuit (3, 1 seq. 5, 5 seq. 6, 11-13; 7, 17; 8, 7. 21), salutem demum exorituram esse constanter ob oculos habet (cf. 1, 27). Cum igitur revera peccatis et infidelitate in Deum eiusmodi afflictiones ingruerint, iure in onere et virga et baculo et in exactore multi cernunt exprimi satanae tyrannidem durumque imperium et servitutem ab eo generi humano impositam, donec Messias principem huius mundi eiecerit (cf. *S. Hier. Cyr. Theod. Euseb. Procop. For. Malv. Sa, Pint. Sanct. Sasb. Lap. Tir. Men. Corluy*), dum *S. Thom. Calm.* haec omnia ad Sennacherib referunt.

Hostium prostratio ita est completa, ut ne armorum quidem hostilium ullum relinquatur vestigium ; quare hac sententia dum proxime explicatur quo modo Deus *confringat baculum exactoris* (hebr. v. 4), simul nova laetitiae causa ad antecedentem additur vel causa laetitiae allata quanta qualisque sit magis declaratur ; v. 5 « *quia omnis violenta prae-*

datio cum tumultu et vestimentum mistum sanguine erit in combustionem et cibus ignis » ; — combustione ignis ex qua nil remanet nisi cineres, hostium potentiam et arma quam maxime funditus deleri manifestatur ; omnis igitur praeda ab hostibus cum tumultu et belli strepitu acta igne absumetur et quaecumque belli vel oppressionis et tyrannidis hostilis memoriam revocant — vestimenta sanguine devictorum tincta instar omnium proferuntur — igne pariter delebuntur. Flammae ultrices etiam eo apte commemorari censendae sunt, quia Deus est ignis consumens (Deut. 4, 24) et spiritu ardoris (Is. 4, 4) cuncta emundabit.

In priore versus parte legitur hebr. סְאוֹן סֹאֵן כָּל־, qua in voce versiones veteres maxime variant. LXX πᾶσαν στολὴν ; *Chald.* omne accipere et dare eorum ; *Syrus* omnis sonus ; *S. Hier.* secutus est interpretationem *Sym.* πᾶσα βία ἐβιάσθη. Recentiores magno consensu eam sequuntur explicationem, quam a Kimchio propositam iam in medium proferunt *Mald.* et *Malv.* explicantes *omnem calceum calceati* (vel ingredientis) *in tumultu,* ita ut et *calceus* et *sagum* igne absumatur i. e. nihil de hostium armatura relinquatur. Pro ea acceptione provocant ad vocem in targ. et talm. obviam סֵין et ad syriacam סאונא eiusdem significationis ; ita *Ros. Ges. Ewald, Drechsl. Diest. Del. Naeg. Net. Troch. Mühlau-Volck* etc. ; alii vocem notione generaliori reddunt *armatura* provocantes ad vocem targ. et syriacam et chald. זין, אזן ; ita *Hitz. Kn. Reinke, Rohl.* Cum vox hebr. hoc solum loco occurrat, res in medio forte relinquenda erit. Prior quidem explicatio ex vocis targ. et syr. affinitate magis commendatur ; neque ei obstat quod Is. 5, 27 calceus militaris נַעַל vocetur ; duo enim nomina exstitisse plane est credibile. Sed aliqui haerent, quia non de armis, sed solum de aliqua vestium parte sermo fiat ; bellico tumultui enim arma magis quam calcei quadrare videntur. Verum reponere poteris, interitum hostium ita ad oculum demonstrari, ut ne calceus quidem superfore dicatur. Demum noto apud Assyrios *sûnu* esse vestimenti genus ; vide *Strassmaier,* Verzeichniss der akk. assyr. Woerter n. 6835, Leipzig 1886.

e) Emmanuel eiusque regnum 9, 6-7.

Demum tertia affertur ratio (hebr. legitur כִּי v. 4. 5. 6) qua uti proxime antecedentia de perfecta hostium destructione probantur, ita simul amplissime declaratur, cur laetandum sit et exsultandum, et in qua plane denique proponitur, quae sit lux magna [1]. Praeterea advertatur oportet perfecta rerum aequiparatio quae intercedit inter hunc locum et 8, 9. 10. Uti enim 8, 9. 10 omnium hostium interitus triumphantis in modum a

---

1. Bene *Mar.* : « reddit causam omnium quae dixerat. Cur lux orta est populo ? quare laetantur ob excussum iugum tyranni ? quia filius virginis natus est » etc. ; et *Malv.* : « iam hic propheta aperit bonorum omnium quae dixerat fontem et originem, nempe Incarnationem Filii Dei ; hinc lux, hinc messis, hinc victoria, hinc deiectio tyrannidis et ignis ille divinus, cui omnis vis cessura est ; nam qui Filium dedit, quid non cum illo nobis donaret » ?

vate annuntiatur *quia* (כִּי) *Emmanuel,* ita h. l. deletioni hostium eadem subiungitur causa; porro, uti 7, 14 conceptus et partus Emmanuel tamquam signum piis datur, consilium hostium domus David et huius domus ruinam non iri opere completum, ita nativitas Emmanuelis h. l. tamquam ratio affertur, cur conatus hostiles plane frustrandi sint. Quomodo enim audacia hostium in eos praevaleret, quibus datur Messias, ut ab iis exorsus regnum stabiliat sempiternum? Unde nexu manifesto cum antecedentibus v. 6 « *Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius et vocabitur nomen eius : admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis* » ; — hic ergo omnium bonorum fons et cumulus! Verba ipsa de nato filio ad 7, 14 nos remittunt et eius loci explicationem et amplificationem indicant.

Primo cum emphasi et iubilatione in repetitione expressa effertur puerum *nobis* nasci, filium *nobis* dari; eum igitur totum in nostram utilitatem et bonum nostrum quasi expendi et a Deo nobis concedi. Quis non recordabitur verborum angeli : natus est vobis hodie Salvator (Luc. 2, 11)? Quis non divinae liberalitatis, cum Deus ita dilexerit mundum, ut Filium suum unigenitum daret? Quomodo non omnia in illo nobis donavit? Maxima ergo offertur in rebus afflictis spes ac consolatio. *Secundo* asseritur, ei imperium ac regnum deberi iure quodam nativo neque unquam ab eo auferri posse. Apte id refertur ad 8, 8, quo loco iam Emmanuel proponitur tamquam terrae dominium iure tenens. Cum autem ex 2 Reg. 7, 13. 16 thronus David stabilitus sit usque in sempiternum et thronus eius firmus sit iugiter (cf. Ps. 88, 38), puerum hunc ex posteris esse Davidis per se liquet, et cum ei imperium usque in sempiternum statim adscribatur (v. 7), intelligi Messiam res adeo est perspicua, ut ipsi rationalistae h. l. de Messia sermonem institui ultro fateantur (v. g. *Hitz. Ewald, Kn. Diest.*). Principatus dicitur fieri *super humerum,* quia vel munus imperii et regiminis ad instar oneris portari vel quasi humero sustentari concipitur, vel symbola et insignia imperii, uti sceptrum et pallium purpureum, humero geruntur (cf. *Mald. Mar. Men. Osor. Sasb. Schegg, Naeg.*); quibus alii addunt, ita dici in oppositione ad tyrannos, de quibus v. 4, regem enim Emmanuelem suis humeris sustenturum imperium, non alienis onus et virgam impositurum (*Sanct. Malv.*); aut ita designari regni firmitatem, quam ipse supposito quasi humero sit conservaturus (*Malv. Mald. Calm.*); aut quamvis sit puer, tamen habere humeros aptos et robustos imperio quamvis maximo sustinendo (*For.*). Et cum statim fiat mentio imperii adeo explicita, novo argumento confirmatur, puerum hunc esse eundem, qui 7, 14 in signum datur piis pro eo quod consilium inimicorum contra domum et regnum David « non stabit

et non erit istud ». — Cum Messias redemptionem cruce perficeret quae crux eius regni censetur insigne et symbolum, prope adiacet *accommodatio* verborum apud multos obvia qui imperium super humerum crucem Domini pie intelligunt, quam quasi sceptrum regale super humeros tulerit (cf. *S. Hier. Cyr. Theod. Basil. Procop. Haimo, Herv. Thom. Barh. Pint. Lap. Mar. Men.*).

Tertio quis qualisve sit, insigni nominum serie declaratur. Nomen vocari non dicit tali appellatione tamquam nomine proprio eum apud homines designari, sed notionibus quae istis vocibus exprimuntur eius describi indolem, naturam, munus, vel aliis verbis quaecumque iis vocibus declarantur in ipso inveniri et exprimi. Quid in uno Emmanuelis nomine quasi conclusum lateat, iam explicatur. Iam primo nomine ipse et ingressus eius in mundum et eius munus et opus a communi hominum ordine et lege removeri et inter mirabilia Dei collocari declaratur; est enim *miraculum* (hebr). Verbum פֶּלֶא adhibetur de miraculis in Aegypto patratis (Ex. 15, 11. Ps. 77, 15; 78, 12), de aliis Dei mirabilibus (Ps. 88, 11. 13; 89, 6. Dan. 12, 6. Is. 25, 1); eodem nomine angelus qui Manue apparuit (Iud. 13, 18) se longe ultra naturae vires et ordinem loco habendum esse sublimiore profitetur. Si igitur parvulus ille simpliciter *miraculum* esse — id enim vocari designat — declaratur, in eo summam quandam ac cumulum omnium Dei magnalium naturae seriem excedentium contineri iuremerito censebimus. Quare hoc nomine audito eius quoque in mundum ingressum, conceptum partumque fore miraculum i. e. virgineum (7, 14) facile is sibi persuaserit qui pueri eius naturam a propheta descriptam sedulo consideraverit. Quanti vero beneficii *mirabilis* ille hominibus sit futurus, altero nomine *consiliarii* edicitur. Est scil. talis qui optima consilia et sapientissima et ipse concipit et aliis in omni rerum conditione largitur; quod ut praestare possit, et maxima sapientia et in homines benevolentia instructus sit oportet. Talis ergo describitur, qui homines doceat, in rebus difficillimis ac dubiis dirigat, hostium fraudes et astutias detegat, eludat, omnesque ad beatum vitae statum suis doctrinis ac consiliis dirigat. Verum ut et *miraculum* rite aestimemus et *consiliarium* nostrum infinita sapientia praeditum veneremur, tertio nomine de *divina eius natura* edocemur: *Deus fortis, El gibbor;* divinam designari naturam, certissimum est; ita enim appellatur Iahve Deut. 10, 17; ita Ier. 32, 18. Neh. 9, 32 appellatur, dum Ieremias et Nehemias preces ad eum fundunt. Eodemque modo nomen hic deberi intelligi, ipse Isaias apertissime nos docet, quia 10, 20. 21 Iahve vocat *Sanctum Israel* et in membro parallelo eundem *El gibbor.* Hac appellatione et divinae naturae designatione cum praeterea et 7, 14 et hoc ipso versu humana simul declaretur natura, divinae Incarnationis

mysterium pro veteris foederis conditione adumbratur. Hac appellatione facta etiam quae 4, 2 de germine Domini et terrae fructu sublimi dicta sunt illustrantur, ita ut utramque Messiae naturam, divinam et humanam, eo quoque loco innui adhibita ex nostra appellatione ampliore declaratione videri possit haud improbabile. Uti hic in nomine אֵל quod est frequentissimum divinitatis nomen naturam divinam Messiae habes expressam, ita eadem docetur Ps. 44, 7; 109, 3 (quo loco lectio LXX, *vulg. Syri* omnino est sequenda contra textum *mas.*) et vide quae ad Zach. 12, 10 notavi.

Porro parvulus iste ac filius nobis datus, qui est simul Deus isque Deus fortis, adeoque potens ad promissa quaeque adimplenda et ad hostium impetus frangendos, suis est benevolentia et suavitate inexhausta plenus; ideoque post divinae maiestatis sublimitatem et terrorem nomen commemoratur benignitatis et amoris curaeque *paternae : pater aeternus* i. e. qui in sempiternum est pater, qui se suis perpetuo patrem benignum praestabit, proinde (in oppositione ad v. 4) non ut tyrannus dominabitur, verum amore paterno filios suos perpetuo complectetur. Ita enim divinae maiestatis sublimitas in *Deo forti* adumbrata ad maximam in genus humanum benevolentiam attemperatur, uti conscii nobis fiamus Dominum nos habere potentissimum aeque atque amantissimum; ex hac enim indole duplici spes, fiducia, amor enascitur. Uti ergo in priore appellatione excelsum illud in *miraculo* expressum adiecta *consiliarii* mentione ad emolumentum nostrum transfertur quasi et inflectitur, ita terror ac reverentia *Dei fortis* nomine *patris in sempiternum* suavitate et amore miscetur eiusque fortitudo nostrae utilitati ac beatitati impendi dicitur. Est igitur ille qui Israel vocat filium suum primogenitum (Ex. 4, 22), qui genuit Israel (Deut. 32, 18), qui filios enutrivit et exaltavit (Is. 1, 2), cuius filius deliciarum est Ephraim (Ier. 31, 20) etc. et qui, quemadmodum olim portavit populum suum in deserto sicut portat pater filium suum parvulum (Deut. 1, 31), ita non cessabit patrem se exhibere suis «qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva» (Is. 46, 3 cf. 63, 16; 64, 8). Is est sensus nominis אֲבִי־עַד, quod non tam auctorem vel possessorem [1] aeternitatis (*For. Malv. Mald. Tir. Hengstenberg*) dicit, sed *patrem sempiternum, patrem in aeternum* (cf. *Ges. Ewald, Drechsl. Del. Naeg. Bred. Rohl.*). Imperii autem eius paterni fructus et effectus est felicitas, beatitas, cuius omnia bona uno pacis nomine comprehenduntur; quare nominum series aptissime concluditur *princeps pacis,* i. e. qui imperium suum pace fundat, pacem annuntiat,

---

1. Ea patris notio usitata quidem est in arabica lingua et aethiopica; in hebr. non invenitur nisi in nominibus propriis v. g Abschalom.

efficit, cuius indoles, munus est pax, qui proinde odium et inimicitias quas peccatum invexit inter Deum et homines et inter ipsos homines et funestam infinitamque malorum seriem, efficaciter tollet, pacem cum Deo, pacem inter homines et pacis huius fructum : felicitatem, laetitiam, beatitatem potenter restituet. Quare apud Mich. 5, 5 *pax* appellatur; vide Zach. 9, 10 et pacis huius descriptionem Ps. 71. Pacem hanc iam partim descripsit Is. 2, 4; cf. 11, 1 etc. Ex quibus facile colligitur in vocibus evangelicis : in terra pax hominibus, pax vobis, pacem meam do vobis etc. aptam exhiberi adumbrationem principis pacis.

Insignem hanc nominum seriem *Chald.* non ad nuncupatum sed ad nuncupantem refert, ita vertens : et appellabitur nomen eius ab eo qui admirabilis est consilio, Deo forti, permanente in perpetuum Messias, cuius pax multiplicabitur super nos in diebus eius. Eundem modum vel similem sequuntur rabbinorum plerique, contra quos iure advertit *Mald.* : « sed facillime refelluntur, quia cum propheta nolit docere qualis Deus sit, sed qualis puer ille qui nascetur futurus sit, non potest haec multitudo epithetorum ad Deum referri sed ad Christum ». Neque aliter iungi posse quam apud LXX, *Syrum*, *S. Hier.* deprehendimus, ex ipso loquendi modo bene deducit *Ros.* : « repugnat usui Hebraeis recepto, ut vox שְׁמוֹ in eiusmodi formulis praemittatur nuncupantis nomini ; τὸ שְׁמוֹ semper medium inter nomen nuncupantis et nuncupati locum occupat, ita ut illud nomen quod vocem שְׁמוֹ sequitur, ubique nuncupato tribuatur, nuncupanti non item ; vid. Gen. 3, 20 ; 4, 25 ; 16, 15 ; 21, 3. Ruth 4, 17. 1 Sam. 1, 20 praeter plura alia ». Aliter sed in eundem finem ut divina Messiae natura non exprimatur vertit Luzzatto Iudaeus, totam sententiam esse quidem nomen pueri at eam debere intelligi hunc in modum : « mirabilia statuit Deus fortis, pater aeternus, princeps pacis », uti similiter nomen sit ex integrâ sententia constans 8, 3, et apud Arabes plura eiusmodi inveniri ! At quale nomen sesquipedale, quo tamen iterum parum de puero, multum de Deo enuntiatur ; Dei autem descriptionem ac per varia appellationem hic non exspectamus, pueri indolem describatur ex nexu logico necesse est. Notatu dignum est Luzzatto prius vertisse ut nos ; solum postmodum quia puerum illum vocari Deum fortem plane ei improbabile videbatur, miram aliam interpretationem infelici conatu excogitasse (cf. *Del. Naeg.*). Sed nominibus istis puerum appellari veteres quoque versiones (dempto *Chald.*) aperte docent. Et LXX quidem versio solum ferre videtur καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ Μεγάλης βουλῆς ἄγγελος· ἄξω γὰρ εἰρήνην ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας καὶ ὑγίειαν αὐτῷ. Cuius versionis origo ita forte declarari potest, ut *El gibbor* angelum (Gabrielem ?) explicaverint et pro אבי עד legerint אביא על, demum pro למרבה a quo sequens versus incipiat explicaverint למרפא ; ita parva literarum non adèo dissimilium permutatione textus varietas declaratur.

Similiter textum LXX in commentariis proferunt *Euseb. Cyr. Basil. Hier.* et hic quidem tale fert iudicium : « qua nominum maiestate perterritos LXX reor non esse ausos de puero dicere quod aperte Deus appellandus sit et cetera, sed pro his sex nominibus posuisse quod in hebr. non habetur : magni consilii an-

gelum et adducam pacem super principes et sanitatem eius ». At *Theod.* in comment. post magni consilii angelum nomina affert θαυμαστὸς, σύμβουλος, Θεὸς ἰσχυρός et duobus prioribus breviter declaratis ita pergit : « deinde nominum maximum Θεὸς ἰσχυρός ; id autem οἱ περὶ τὸν Ἀκύλαν depravantes ἰσχυρὸς δυνατὸς interpretati sunt ; in hebr. autem est ἠλγεβώρ, ἠλ autem Deus est iuxta ipsorum expositionem » ; id quod ex *Emmanuel* nobiscum Deus quod verterint ostendit ; dein alia affert nomina : ἐξουσιαστής, ἄρχων εἰρήνης, πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος. Apud LXX legi Θεὸς explicite quoque asserit *Procop.* qui reliquorum quoque interpretationes affert : « *Sym.* edidit : et vocabitur nomen eius παραδοξασμὸς, βουλευτικὸς, ἰσχυρός· *Aq.* : θαυμαστὸς, συμβουλεύων, ἰσχυρός ; idem *Theod.* ; uno enim omnes consensu quod habent LXX Θεός reddiderunt ἰσχυρὸς, tamquam de puero qui nasceretur Dei nomen usurpare vererentur. LXX autem eis quae modo Deo digno de eo dicebantur bene attendentes quod est apud Hebraeos El Deum merito interpretati sunt » ; dein pluribus ostendit El revera Deum dicere et demum concludit ἠλ γιββὼρ rite verti Θεὸν ἰσχυρόν et LXX ad haec respicientes edidisse Θεόν. — *Syrus* quoque vertit : et vocatum est nomen eius admiratio et consiliarius, Deus fortis saeculorum, princeps pacis. Unde luculenter constat veteres rite deprehendisse ibi nomina pueri non descriptionem appellantis. In textu hebr. legendum esse *niphal* יִקָּרֵא *Geiger* (Urschrift p. 295) indubitanter asserit.

Potest etiam quaeri quot nomina ibi sint agnoscenda ? Sex audivimus *S. Hier.* asserentem : « non enim, ut plerique putant, bina iungenda sunt nomina, ut legamus admirabilis consiliarius et rursum Deus fortis, sed admirabilis legendum est separatim et consiliarius seorsum et Deus separatim ». At vix placet *El gibbor* ita separari, cum 10, 21 aliasque unam Dei appellationem ac designationem constituat. Etiam minus placet quod aliqui volunt (*For. Ewald, Kn. Naeg.*) duo priora nomina iungi in unum : mirabilia consulens vel miraculum consiliis (i. e. miraculum qui sit consiliarius vel consiliarius adeo ut miraculum sit : Wunder-Rath, une merveille, un miracle de conseiller ? — sit venia verbo !) ; at coniunctio haec est coacta et satis inusitata (neque Gen. 16, 12 commendatur) ; pro eo sensu potius, ut *Del.* notat, מַפְלִיא עֵצָה exspectaremus.

Esse h. l. sermonem de Messia neque posse cum talm. et rabbinis et quibusdam ex rationalistarum castris (v. g. cum *Grotio, Ges. Hendewerk*) de Ezechia puero vel iuvene explicari [1], ipse *Knobel* fatetur et tribus rationibus probat : a) quia v. 1-4 de futuro agunt tempore ; b) quia de Ezechia puero iam 12-13 annos nato iam non apte dici potest : natus est nobis ; c) quia cum hac acceptione caput 11 conciliari nequit. Et simili modo iam argumentati sunt *Euseb.* (Eclog. 4), *Galatinus* (de arcanis cath. verit. 3, 19) aliique. Perperam quoque aliqui vertunt El gibbor : fortis heros (*Ges. de Wette, Maurer*) ; quae explicatio iam eo peccat quia El nunquam est adiectivum et si esset ex indole linguae secundo

---

1. Aliqua ex hoc capite posse de Ezechia intelligi etiam *S. Ephr.* concedit. At duo advertit omnia inter se coniuncta non valere nisi de Messia, et etiam in iis quae ad Ezechiam aliquo modo pertineant agnoscendum esse sensum spiritualem de Christo. Ita censet Ezechiam dici posse principem pacis et *multiplicabitur eius imperium* annos innui vitae eius adiectos.

loco poneretur. Neque sufficit dicere cum *Kn. Diest.* Messiam vocari El non quia proprie sit Deus, sed solum quia virtute divina et spiritu Dei sit instructus et Dei vices gerat Deumque repraesentet. Nam ne vox et appellatio ita extenuetur, obstat Is. 10, 21. 22 ; obstat usus vocis praesertim apud Isaiam, apud quem semper de Deo solo vel de numine dicitur (cf. 5, 16 ; 12, 2 ; 14, 13 ; 40, 18 ; 43, 10. 12 ; 44, 10. 15 ; 45, 14. 15. 20. 21. 22 ; 46, 6. 9), neque unquam אל eo modo de homine dicitur quo aliquoties אלהים ; quare dici potest cum *Naeg.* אל semper designare numen divinum sensu proprio atque absoluto, si forte locutionem illam excipias Gen. 31, 29. Deut. 28, 32. Mich. 2, 1 etc. obviam יש לאל ידם, de qua vide quae notavi ad Iob 12, 6 et Mich. 2, 1 ; at haec quoque a multis vertitur manus eorum est contra Deum (cf. LXX, *Syrum* et quos l. c. laudavi). Quare manet quod ad hunc Isaiae locum *Barh.* advertit : « hic occluditur os omne Iudaeorum et omnium eorum qui Divinitatem Domini negant ».

Demum addi oportet ne quid in loco adeo insigni praetermitti videatur, אבי־עד rectius verti pater aeternus, quam pater aeternitatis (i. e. genitor, possessor aeternitatis). Ultimus quidem vocis usus frequens est in arabico, ubi pater misericordiae is dicitur qui misericordiam facit et possidet ; at in hebr. talis usus vocis אב non invenitur nisi in nominibus propriis ; quare עד ad linguae hebr. indolem potius accipi oportet genitivus attributivus (cf. *Drechsl. Del. Naeg.*). Neque deerant qui contra veteres versiones, contra usum vocis אב et fere etiam contra nexum rerum, uti h. l. adest verterent *pater praedae* (עד scil. uti Gen. 49, 27. Is. 23, 23. Soph. 3, 8 — ita *Abarbanel, Hitz. Kn.*) quam interpretationem h. l. nominasse refutasse est.

Ultimo nomine *princeps pacis* iam optime sternitur via ad Messiae imperium accuratius delineandum v. 7 « *multiplicabitur eius imperium et pacis non erit finis; super solium David et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia amodo et usque in sempiternum; zelus Domini exercituum faciet hoc* » ; — hebr. *ad amplificationem imperii et ad pacem sine fine super thronum David et super regnum eius* vel ut alii coniungunt : *propagationi imperii et paci non erit finis (Malv. For. Kn. Net. Rohl.)*. Primo regno messianico continua quaedam propagatio et augmentum vindicatur ; debebit enim crescere continuo, donec tandem ex grano sinapis maxima illa arbor exorta fuerit, in cuius ramis et umbra omnia volatilia habitabunt ; debebit extendi a gente in gentem, quia « dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam fines terrae; et adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei » (Ps. 2, 8 ; 71, 11). Ei enim est « obedientia populorum » (hebr. Gen. 49, 10) et tale incrementum continuum pulcherrime depictum habes inter alia in pompa nuptiali Ps. 44, qua dum regina iam adstat a dexteris regis Messiae aliae virgines sponsae ad eum adducuntur cum exsultatione et laetitia. Idem adumbratum cernitur in monte Domini elevato ad quem omnes populi ascendunt (2, 2. Mich. 4, 1 ; cf. Am. 9, 12. Mich. 7, 11. Zach. 8, 23 ; 14,

16 etc.). Hoc ut ad omnium salutem superata hominum daemonisque malitia quam uberrime impleatur efflagitare edocti sumus : adveniat regnum tuum; hoc demum fieri cernimus in Ecclesia catholica, quae et tempore et loco se universalem Ecclesiam probat et ut vera Christi sponsa continuo novam prolem regi suo coelesti parit.

Altera huius regni indoles est *pax*, pax inter Deum et homines, pax inter homines et quae paci intime iuncta sunt gaudium, felicitas, beatitas. Atque haec pax vel beatitudo ita intime regno messianico est conserta, ut dummodo et singuli velint et integrae nationes ad normam regni messianici vitam moresque componant, pacis huius non sit finis, verum magis magisque beata eius copia augeatur et crescat suavis eiusdem fruitio. Cernitur id expressum in sanctis, qui continuo virtutum exercitio ad bonorum divinorum communionem et fruitionem magis magisque amplam iam hisce in terris admittuntur et pace potiuntur imperturbata et tanta in Deo felicitate, quantam exsistere posse homines a pace messianica alieni ne assequantur quidem. Atque cum pax adeo efferatur tamquam indoles regni messianici, facillime duo colliguntur, qualis scil. norma sit statuenda ad vaticinia illa explicanda, in quibus Messias victor gentes bello superare ac conterere describitur, et quam longe abfuturum sit hoc regnum ab iis quibus imperia humana et constituuntur et conservantur, augentur, defenduntur; « regnum meum non est de hoc mundo » (cf. ad 2, 4. Mich. 4, 4; 5, 10. Zach. 9, 10).

Atque haec bona, uti regnum messianicum, ita coniuncta sunt cum throno David ut ab eo separari nequeant. Promissio enim messianica toti quidem generi humano est data (Gen. 3, 16), at ipso revelationis divinae progressu mox manifestabatur eam in una quadam stirpe proxime esse adimplendam et ex ea ad reliquos omnes transfundendam. Ita Noe vaticinante familia Sem electa praedicitur ; in ea eligitur stirps Abraham, ex eius posteris tribui Iuda sceptrum aeternum promittitur (Gen. 49, 10) et in hac tribu eligitur domus David, cui thronus aeternus promissione sollemni addicitur (2 Reg. 7, 14 seq. Ps. 88 etc.). Quare hoc quoque loco tanto cum pondere effertur, utrumque illud et regni messianici incrementum continuum et pacis largitionem fore *super thronum David et regnum eius*. Spes enim messianica domui David intime est colligata ; quare nostro loco denuo clarisime patet, cur 7, 14 *domui David* detur signum Emmanuelis, cur 8, 9. 10 omnis impetus et conatus hostilis deiiciendus dicatur *propter Emmanuel ;* simul nexus deprehenditur arctus qui sit inter tres istos locos, quibus unum quoddam oraculum constituatur. Ex tali dignitate et significatione domui et throno David divinitus concessa intelligitur, cur angelus ad b. V. dicat : et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius (Luc. 1, 32 ; cf. Ez. 21, 27

et quae notavi ad Agg. 1, 1; 2, 21. 24, Comment. in proph. min. II p.174. 206 seq.) et cur ipse Messias consalutetur filius David. — Hoc regnum aeternum Davidi promissum Emmanuel demum *confirmabit* et *corroborabit;* nam tempore Achaz regnum davidicum in magno versari periculo cernebatur et postmodum maiore quoque impetu concutiebatur; « nutare et quasi omnino prolabi videbatur regnum David iam inde a captivitate babylonica; Christus autem Dominus filius David secundum carnem factus rex regnum David confirmavit et in perpetuum stabilivit non expeditionibus aut vi ulla, sed iudicio et iustitia » (*For.*). Regni indoles et bona simulque quomodo ad *pacem* illam pervenire oporteat, *iudicio* et *iustitia* designantur. Illud est norma iuris a mente divina concepta secundum quam genus humanum efformari debeat; hanc divinam voluntatem Messias exsequitur, hanc adimplet in *iustitia* efficienda omnibusque communicanda. Est enim iustitia status ille rectus quem Deus hominibus inesse vult, i. e. illa sanctitas et illa animi habitudo donis supernaturalibus viribusque ac virtutibus instructa quam Deus in hoc providentiae supernaturalis ordine tamquam bonorum divinorum communicationem hominibus dare decrevit (cf. ad Mal. 4, 2). Ad hanc iustitiam, ad statum illum iustum quem Deus vult, efformari debet genus humanum; qui si efficitur, regnum Dei in terra stabilitur. Quare iuremerito hac una voce saepe totum id comprehenditur quod Messias efficere debebit, qui pugnans pro iustitia exhibetur (Ps. 44, 5). Regnum igitur messianicum interna sanctitate, vera iustitia, omnibus virtutibus genus humanum esse formaturum apertissime declaratur; haec enim iustitia tamquam regni huius fundamentum ac fulcrum designatur idque immotum, stabile, perpetuum, uti ipsum regnum, cuius est quasi basis, firmamentum, robur. Unde Christi Ecclesia perpetuo sancta praedicitur, in qua apostasia talis quali theocratia vetus misere concidit et exsilio est punita, iam nullo modo fieri poterit. Nam regnum messianicum ab eo tempore quo Emmanuel nobis est datus, *amodo,* firmum stabit atque inconcussum *usque in sempiternum,* ergo et fundamentum eius, iustitia, stabit immotum.

Notatu dignum est neque iniucundum consideratione, qua temporum animorumque conditione hanc regni messianici speciem egregiam et formam vates proponat. Reprehensus erat populus a Deo quod abiecit aquas Siloe quae vadunt cum silentio et elegit iubilum cum Razin et filio Romeliae (8, 6), reprehensus erat quod spreto Dei auxilio a rege Assyriorum opem efflagitat (7, 4); iam ut huius rei indignitatem cognoscant et intime persentiscant potentissimum mundi imperium neque veram hominum felicitatem efficere posse neque quidquam valere contra Dei promissa, propheta splendorem illis ostendit et beatitudinem re-

gni messianici in domo David stabiliti. Cur ergo de ope divina diffidunt ? cur spe paterna relicta ad extraneos confugiunt ? Annon intra semetipsos iam possident bonorum divinorum certissima pignora ? quare ergo omnium fontem bonorum deserere et ambabus manibus illam amplecti ruinam, qua imperium mundanum prosternatur oporteat ? Quare imago regni messianici ita proposita certe valet ad animos commovendos. Cui addit propheta sollemnem confirmationem ita fore summa et absoluta certitudine sigillo divino apposito : *zelus Iahve exercituum faciet hoc ;* zelus est vehemens quidam amor cum indignatione contra obstacula coniunctus, est studium, fervor, aemulatio pro re exsequenda (cf. Ioel 2, 18. Zach. 1, 14), est ignis zeli eius quo omnia quae divinis consiliis opponuntur funditus evertuntur (cf. 37, 32. Ez. 36, 5. Soph. 1. 18). Et pro tali zelo nominis sui *Iahve* pignus ponit, quo nomine se ut fontem omnis *esse* declarans fidelitatem suam et immutabilitatem et infinitam potentiam ad promissa sua opere exsequenda palam profitetur (cf. ad Os. 12, 5. Ioel 2, 32) ; ipsi enim Domino *exercituum* agmina omnia coelestia ac terrestria praesto sunt ; proinde quae tali affirmatione fore dicuntur, certissime ad eventum perducentur ; unde in tali formula firmissimae spei ratio redditur. Simul indicatur non hominum meritis talia fore, sed immensa Dei caritate (*Pint. Sasb. Tir.*). Hoc epiphonemate (*Lap.*) opus messianicum eiusque salus ad Dei gratiam, amorem, zelum refertur ; vae ergo illis qui tali operi sese opponunt ! Ii zelo et aemulatione Dei absumentur ; bene iis qui spe ac fiducia paratos animos huic operi obviam ferunt. Tota divina potentia impenditur et impenditur studio ac fervore magno, ut opus illud exsecutioni mandetur. Quare piis spes proponitur praeclarissima, qua se in angustiis temporis solentur. Nunc demum plane in aperto est positum, quid piis commendetur, cum *ad legem et testimonium* (8, 20) animos oculosque in rerum perturbatione dirigere iubeantur. Quid enim hac tessera contineatur, in hac vaticinii parte (9, 1-7) praeclare est expositum, et quae bona 7, 14 ; 8, 9. 10 obscurius cum Emmanuele coniungantur, iam nunc plena luce cernere et admirari licet.

In textu mas. v. 7 legitur *mem* clausum לְםַרְבֵּה ; de qua litera eo loco prorsus insolita cum et Iudaei et veteres interpretes non pauca disseruerint, etiam hoc loco breviter referre non pigebit. Talmudistae ibi cernunt mysterium, voluisse scil. Deum Ezechiam regem constituere Messiam et Sennacherib regi Assyriorum attribuere partes Gog et Magog ; at cum Ezechias non ea re dignus inveniretur, literam *mem* sese clausisse (ita censet *Bar-Kapara,* Sanhedrin 94 a ; cf. *Del.*). Alii Iudaeorum significari volunt principatum Iudaeorum a tempore captivitatis arctatum et clausum manere usque ad tempus Messiae (cf. *Munsterus* ad h. l.) ; alii ea litera stabilitatem imperii Messiae designari aiunt, uti a contrario per מ apertum in fine Neh. 2, 13 ruptura

indicetur (cf. *Grotius* ad h. l.). Alii Iudaeorum quos etiam Martinus Raimundus et Galatinus imitati sunt, temporis notam ibi deprehendunt, 600 scil. annorum ab edito vaticinio usque ad partum Virginis (cf. *Galatinus*, de arcanis cath. verit. 7, 14 et apud *Sanct.*). Varia alia coniectantur ab interpretibus catholicis : designari virginitatem matris Messiae intemeratam (ita *Galatinus* l. c.); vel imperium Christi in Ecclesia a Iudaeis non esse intelligendum, Isaiam ita literam exprimentem innuere voluisse censet *Pint.*; varia affert *Sasb.* : esse supra naturam ea quae in hoc capite afferantur, sicut sit contra naturam literae mem, ut in medio vel principio dictionis claudatur; vel figurari aeternitatem imperii Christi, quod aperturam vel divisionem non patiatur. Nihil non contineri in Christi imperio, clausa litera declarari probabile censet *Sanct.*, neque enim ait arcano et mysterio carere posse quod tamdiu duraverit tam rarus et tam ab omnibus notatus scribendi modus ; alios per mem quadratum nos doceri velle *Lap.* dicit Christi regnum esse per quattuor mundi plagas dilatandum ; sed merito addit *Lap.* : ego haec ad masoretharum et cabbalistarum inventa et ad iudaica symbola refero, et merito rident et Iudaeorum et multorum Christianorum explicationum portenta *Malv. For.* — Ceterum etiam ferri codd. hebr. cum litera consueta, *de Rossi* ostendit. Scriptionem inusitatam explicant *Morinus, Ges. Maurer, Kn.* eo quod alii olim legerint vocibus duabus לם רבה ; « hoc idem contendit Elias levita, et talmudistae in tractatu *Sopherim* cap. 7 hanc dictionem inter eas enumerant, quae scribuntur ut duae, leguntur ut una. » (*de Rossi*, variae lectiones ad Is. 9, 6). Cum לם forma sit Hebraeis inusitata, eam explicandi rationem *Drechsl.* reiicit ; sed *de Rossi* eam in duobus codd. invenit, neque apparet cur non ab uno alterove ad analogiam בם sit excogitata, qui dein vocem illam unam ita discerpens scriptioni illi per tam longam traditionem a talmudistis usque ad nostra tempora servatae occasionem et originem dederit ; simul tamen plurimi codd. sistunt ad marginem qeri למרבה (*de Rossi*). Sed satis superque de mem clauso. Alios et plures fontes pro hac quaestione invenies indicatos apud *de Rossi, Ros. Del. Naeg.*

Caput tertium 9, 8-12, 6.

Arg. — Hoc caput tribus partibus facile dividitur : *prima* quattuor strophis quae eodem epiphonemate distinguuntur peccata varia et castigationes continet quibus Israel innectitur (9, 8-10, 4). Hisce et minae antecedentibus prolatae accuratius determinantur et quanta sit in populo morum perversitas per omnes ordines serpens et inde consequens punitionis divinae necessitas, luculentius demonstratur. *Altera* parte castigatio per Assyrios 7, 16 iam proposita et 8, 6-8 adumbrata latius describitur et primo quidem Assyriorum impetus, arrogantia, superbia; deîn quam egregie Deus fidelis hostium superbiam sit deiecturus (10, 5-34). Hoc iudicium et hanc ruinam hostium consequitur, uti 8, 10 et 9, 1 seq. iam innuitur, in *tertia* parte descriptio Emmanuelis eiusque regni, quod sit regnum iustitiae et pacis, ad quod omnes nationes adiungendae erunt; denique cantico laudis et gratiarum actionis totum caput absolvitur (11-12, 6).

Ex quibus iam perspicitur, tria illa quae in antecedentibus rei argu-

mentum constituebant hic quoque inveniri : populi peccata, castigationem, salutem messianicam ; quorum singula iam accuratius pleniusque tractantur.

1. *Adhuc manus extenta* 9, 8-10, 4.

Haec pars eo prae ceteris excellit quod quattuor strophis constat quae eodem versu concluduntur : *in omnibus his non est aversus furor eius sed adhuc manus eius extenta.* Ita ipsa forma externa iam indicatur Deum populum suum variis iudiciis iam afflixisse neque tamen emendationem esse effectam; quare repetitis castigationibus opus esse. Strophae ita constituuntur, ut ratio reddatur ex peccatis populi, cur furor Domini non sit aversus, et quomodo adhuc ad novam castigationem manus dicatur extendi, alio et alio suppliciorum genere demonstretur. Sermonem proxime fieri ad regnum Israel, ex ipsis nominibus certum est; v. g. v. 9 Ephraim et habitantes Samariam; item v. 20 Manasses et Ephraim; et ita multi interpretum rem concipiunt (cf. *Theod. For. Pint. Osor. Mald. Lap. Sanct. Mar. Men. Tir. Net. Troch. Naeg.*). At Iudam quoque tangi idque saltem oblique et eo fere modo, quo transitus fit 8, 8 ab Israel ad regnum iudaicum, certum videtur; nam quae v. 16. 17 et 10, 1 seq. reprehenduntur, eadem sunt quae alias propheta in Iuda directe vituperat; dein v. 20 Iuda explicite effertur et demum quae 10, 5 seq. dicuntur, cum contra Iudam proponantur, merito censebis in antecedentibus quoque rationem afferri, cur iudicium tale in Iudam devolvatur. Quare a vero non aberrare videntur qui in hac quoque parte regnum iudaicum includunt (cf. *Malv. Gord. Drechsl. Del. Rohl.*); alii saltem 10, 1. 5 de Iuda quoque dici asserunt (cf. *S. Hier. Mar. Men. Lap.*). — Hanc partem versibus octosyllabis et sexsyllabis exhiberi, vide *Bickell,* carmina vet. test. metrice p. 200. 201.

a) **Contumacia Ephraim et poena 9, 8-12.**

Ephraim demum interiturum esse iam 7, 8 erat annuntiatum; quid pro proximo tempore ingruat, vates 8, 4 seq. indicavit. « Nunc ad id unde egressa fuerat oratio revertitur et vastitatem vaticinatur Samariae » (*Pint.*) accuratius magisque per singula incedens ; v. 8 « *Verbum misit Dominus in Iacob et cecidit in Israel* » ; — i. e. Deus oraculum admonitionemque misit per prophetas neque verbum hoc eventu carebit sed complebitur, descendit in Israel, ut ibi eventu compleatur, vel ut ibi sedem quasi stabilem sibi figat, donec quod verbo continetur reipsa sit expressum. Consideratur enim verbum Domini tamquam nuntius, qui non revertitur re infecta neque « vacuum, sed faciet quaecumque volui et prosperabitur in his ad

quae misi illud » (Is. 55, 11) ; « dirigitur in Iacob et certo eveniet » (*For.*) ; de verbo נָפַל *cadere* cf. Ruth 3, 18 אֵיךְ יִפֹּל דָּבָר vertit *S. Hier.* « quem res exitum habeat ». Verbum iam missum est 7, 8. 16 ; 8, 8 ; propter arrogantiam et contumaciam Israelitarum repetito asseritur certissime in opus fore deducendum. Inde v. 9 « *et sciet omnis populus Ephraim et habitantes Samariam, in superbia et magnitudine cordis dicentes :* v. 10 *lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus aedificabimus ; sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus* » ! — *scire* i. e. reipsa in se experiri ; opus est tam nervosa assertione ; nam castigationibus eousque immissis adeo non sunt emendati, ut potius spiritus assumerent contumaciores et vulnera damnaque inflicta insigni modo ad omnium admirationem reparaturos esse sese iactarent. Ergo divino iudicio non correcti sunt, sed obdurati in tantum, ut manum Dei ultricem rideant et subsannatione blasphema gaudeant, quod Deus miseras casulas murosque debiles destruxerit, quo commodius meliusque iam quadris aedificent. Communiter enim, uti hodiedum adhuc fieri solet (cf. *Kn.*), domus lateribus aere obduratis et trabibus ex lignis sycomororum confectis construebant. Modus loquendi proverbium sapit, urbium domuumque ruinas et regionis agrorumque vastationem se flocci facere eaque cuncta prae opum affluentia se egregie esse compensaturos. Utrumque autem vastationis genus verba satis declarant (cf. *Mald. Mar. Lap. Calm.*) ; attamen non desunt qui membrum utrumque ad unam domuum structuram referant (cf. *Kn. Del. Rohl.*). — Talem animorum praesumptionem et contumaciam Israelitas prae se tulisse probabile est, cum hostiles Assyriorum invasiones fieri coeptae sunt, de quibus 4 Reg. 15, 29.

Haec autem contumacia et superbia retundetur ; ita *verbum* antea iam factum in Israel confirmatur v. 11 « *et elevabit Dominus hostes Rasin super eum et inimicos eius in tumultum vertet* » ; — hebr. *et inimicos eius incitat* vel *stimulat* (cf. 19, 2 LXX) i. e. hostes Rasin regis Syriae, Assyrios, Deus superiores reddet et efferet contra eum scil. Ephraim vel Israel eosque Deus quasi stimulis additis impellet, quo ferocius munere ultorum fungantur. Appellantur hostes Rasin, quia revera expugnabant Damascum, terram vastabant et Rasin rege occiso magnam populi syriaci partem in capitivitatem abducebant (cf. 4 Reg. 16, 9). Hostes autem Rasin roboratum iri a Domino et incitatum vates monet, quo quam indignam inierint Israelitae belli societatem et quam fatalem iis inculcetur : quibuscum foedere impio sese iunxerunt, cum iisdem pariter poenas luent tali foederi quam maxime debitas. Latinum *in tumultum vertet* intellige non de perturbatione hostibus inferenda, sed ex hebr. et membro parallelo de magno quodam impetu et furore bellico, quo excitati et tumultuantes Israelitas aggrediuntur ; *super eum* accipe de

Ephraim, quia ei poenam denuntiari ex antecedentibus planum est (cf. *Osor Mald. Sa*); alii *eum* accipiunt ipsum Rasin (*Mar. Mald. Tir. Calm. Rohl. Drechsl.*); sed si minae contra Rasin intentarentur, Israelitis solum oblique et quasi per consequens utpote sociis Rasin poenae denuntiarentur; verum post accusationem adeo gravem de superbia et elatione cordis et post assertionem tam nervosam *et scient...* ipsis Israelitis immediate divinam proponi vindictam prorsus exigitur, nisi orationem vi sua spoliare volueris. Quare merito dicit *Mald.* : elevabit non contra Rasin, ut multos interpretari video, sed contra Ephraim et Israel. Idem etiam sequentibus suadetur, quibus et Syriam et Philisthaeos et Israelitas pleno ore ab Assyriis esse devorandos dicitur : v. 12 « *Syriam ab oriente et Philisthiim ab occidente et devorabunt Israel toto ore* » ; — verbum *devorabunt* etiam ad prius membrum est referendum. Nam inscriptionibus cuneiformibus Theglathphalasar regis docemur, Philisthaeos eo tempore socios fuisse Syrorum et Israelitarum ; ita enim in eius regis annalibus legitur : « palatium patris Razin de Damasco in montibus inaccessis... obsedi, cepi ; octo millia hominum cum opibus suis... Mitinti de Ascalon.. in captivitatem abduxi ». Ex alia inscriptione colligitur Hannonem de Gaza cum copiae Assyriorum irruerent et victoriam de Israelitis reportassent, in Aegyptum aufugisse. Unde textum hebr. et latinum eo quo dixi modo intelligi oportet ; verbum autem *devorabunt* emphasis gratia alteri membro, de quo praeprimis in hoc contextu agitur, esse adiunctum facile concesseris.

Ex interpretibus unus *Net.* ex inscriptionibus cuneiformibus rite perspexit fieri non posse, ut Syri et Philisthaei tamquam aggressores Israelitarum proponerentur. Unde ipse vertit : Iahve incitat inimicos eius contra Aram in oriente et contra Philisthaeos ; huic tamen versioni non subscribo, quia *excitare contra* requirit ב, uti habetur 19, 2. Quare alia iunctio grammaticalis assumatur oportet, uti supra proposui. — Alii interpretes Israelitas a Syris et Philisthaeis, ergo ab ipsis eorum sociis, devorari volunt. Immo quia Philisthaei non regnum israeliticum, sed iudaicum, cui soli vicini erant, aggressi sint (cf. 2 Par. 28, 16-19), *Del.* concludit iam in hoc versu minas extendi in Iudaeos ; *Naeg.* vero Philisthaeos non alio modo nominari h. l. censet, nisi ut dicatur Israelitis bellum iri illatum ab omni parte, ob oriente et occidente ; quasi Philisthaei eorumque regio pro *occidente* ponerentur ? ! — Simul nota, ex mentione Razin et ex conditione qua bellum Theglathphalasar refertur ostendi oraculum hoc loco omnino recte collocari nec posse quod *Bred.* vult transferri ad 5, 25.

Explicatur igitur v. 12 quomodo Deus Assyrios sit elevaturus contra Ephraim; illis enim concedetur, ut socios Israelitarum et ipsos Israelitas *pleno ore,* ad libitum et magna cum crudelitate et ferocia devastent

et quasi devorent. Talia Deus respondet superbiae et contumaciae Ephraimitarum (v. 10). Verum una castigatione ira divina non erit contenta : « *in omnibus his non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta* » ; — i. e. « nondum placabitur hac Israelis punitione; adhuc maiora supplicia illi intentabit; manus extenta impendens malum significat, sumpta metaphora a flagellante qui ut fortius verberet, manum extendit » (*Mald.*). Olim Deus *brachio extento* hostes populi sui prostravit et suis beneficia maxima contulit (cf. Deut. 4, 34; 5, 15; 7, 19; 9, 29; 11, 2 etc.), iam tanta accidit rerum mutatio, ut eadem insigni potentia utatur ad populum suum flagellandum et conterendum.

b) Perversitas latissime serpens et poena 9, 13-17.

Cur manus Domini sit adhuc extenta et ad quae supplicia infligenda sit extenta, altera stropha declaratur. Et prius quidem poenam inflictam suos non tulisse fructus emendationis dicitur v. 13 « *Et populus non est reversus ad percutientem se et Dominum exercituum non inquisierunt* » ; — Dominus castigat, ut erudiat, ut populum aberrantem ad se reducat. Olim castigationes inflictae ad id valuerunt; tempore enim iudicum cum hostibus traderentur opprimendi ad poenas luendas, clamaverunt ad Dominum et Dominus misit eis salvatores (cf. Iud. 3, 15; 4, 3; 10, 12 etc.) ; ita miseriis attriti didicerunt quam acerbum sit reliquisse Dominum; at nunc iam adeo callum obduxerunt, ut ne verberibus quidem eruditi saperent. Dominum inquirere i. e. eum adire suppliciter saepe dicitur de omni cultu ac veneratione Dei; hic vero potius initium illud reditus ad Deum intelligitur, quo malorum pertaesi a Domino opem ac remedium efflagitent. At ne ad tale quidem melioris sensus indicium erudiebantur. Unde maior etiam poena, qua omnes reipublicae ordines afficiantur et regnum ipsum ruinae atque interitui proxime obviam feratur, ad exemplum quoque Iudaeorum (qui quid simili Dei visitatione discendum sit regni cognati sorte admonentur) regno israelitico annuntiatur. Ita v. 14 « *et disperdet Dominus ab Israel caput et caudam, incurvantem et refrenantem una die* »; — hebr. in altero quoque membro nobiles et plebeii metaphorice designantur : *ramum* (palmae) *et iuncum;* latinum intellige de subdito et de dominatore; ceterum additur explicationis gratia v. 15 « *longaevus et honorabilis ipse est caput, et propheta docens mendacium ipse est cauda* » ; — nemini parcetur; qui aetate vel dignitatum honoribus reverentiam sibi conciliant vel qui, ut pseudoprophetae, auctoritatem mentiuntur et fallaciter sibi arrogant omnes delebit, *exscindet* (hebr.) Dominus e censu populi sui. « Pseudoprophetas autem qui principibus adulantur et turpissimi

lucri gratia populo blandiuntur, *caudam* nomino; quid enim contemptius et abiectius animo fingi potest quam populi cupiditatibus inservire, linguam venalem habere, sub ficta specie religionis e mendaciis perniciosissimis victum comparare » (*Osor.*)?

S. Hier. h. l. v. 14 habet in sua versione *incurvantem et depravantem* et explicat eum qui recta pervertit. Eadem verba hebr. Is. 19, 15 vertit, uti in *vulg.* v. 14 legimus *incurvantem et refrenantem,* et explicat : « possumus dicere *incurvum et lascivientem,* ut intelligamus *senem et puerum;* nos autem verbum hebr. *agmon* (אגמון) dum celeriter quae scripta sunt vertimus, ambiguitate decepti *refrenantem* diximus, quod significantius Aquila transtulit στρεβλοῦντα, id est, qui nihil recte agit, sed omne perversum, ut puerum significaret » (*M.* 24, 184). Vocem אַגְמֹון *S. Hier.* vertit Is. 58, 5 et Iob 40, 21 *circulum;* significat arundinem palustrem. Rite h. l. explicant phrasin ex hebr. *ramum et iuncum For. Mald. Mar. Lap. Pint. Malv. Men. Tir.* et recentiores. Voces latinas varie accipiunt; satis ea explicat *Men.* : « vocatur senex incurvans vel quia dorsum ipsum et totum corpus curvatur in senibus, vel quia alios exemplo, consiliis, legibus dirigit aut curvat; pseudopropheta dicitur refrenans, quia suis falsis oraculis et dogmatibus frenat et flectit populum ».

Alii tamen aliter. *S. Hier.* respexisse videtur verbum כָּפָה cf. Prov. 21, 14 vel כָּפַף incurvare; demum ex iunco vel fune iunceo (vel circulo) qui ponitur in naribus (Iob 40, 21) *refrenantem* vel frenum derivant (cf. *For.*)

Sunt qui v. 15 tamquam interpolatum eiiciunt; ita *Koppe, Ewald, Hitz. Ges. Kn. Cheyne, Diest. Bred.* et *A. Scholz* (die alexandr. Uebersetzung p. 24). Versum defendunt ac retinent *Drechsl. Del. Naeg. Troch. Rohl.* etc. Atque id omnino recte fit. Primo enim minime inusitatum est, ut Isaias imagines et metaphoras quas adhibet ipse explicet; vide 1, 5-8. 22. 23; 3, 14. 15; 5, 14. 18. 19; 7, 20; 8, 7 etc. Deinde glossator *caput et caudam* certo certius explicasset nobiles et ignobiles; explanatio de pseudoprophetis, uti est sarcasmo plena, ita tamen hoc loco non adeo in aperto est; quare quia est insolita, minime glossatoris manum prodit. Demum v. 15 cum de populi ducibus qui vere sint auctoritate et dignitate et qui talem auctoritatem falso sibi vindicant, sermo fiat, apte instituitur transitus ad v. 16; immo si cum *vulg.* et LXX, *Syro, Chald.* vocem מאשרים intellexeris *beatificantes,* versus antecedens omnino est necessarius, cum sine eo nulla esset facta mentio pseudoprophetarum, et proinde cur beatificantes subito inducerentur, minime posset intelligi. Adde quod *cauda* multis nominibus apta sit pseudoprophetarum designatio irrisione plena; unde cur dematur, nulla ratio excogitari potest.

Quia omnes ordines perversitate infecti sunt, pariter peribunt et qui decipiunt et qui se decipere sinunt v. 16 « *et erunt qui beatificant populum istum seducentes, et qui beatificantur praecipitati* »; — i. e. pseudoprophetae populo blandientes et eius cupiditatibus conniventes fausta quaeque vaticinantur, populum non de peccatis coarguunt, sed felicem ac beatum laudant, et ita plebem misere decipiunt; sed qui ab

iis laudantur, interitu absorbebuntur (hebr.). Hebr. reddunt : *ductores populi facti sunt seductores et ducti eius absorbentur ;* vide de hac voce 3, 12. De pseudoprophetis cf. Ez. 13, 3 seq. — Quia igitur assentatoribus faciles aures praebent et in malitia callum obduxerunt, v. 17 « *propter hoc super adolescentulis eius non laetabitur Dominus et pupillorum eius et viduarum non miserebitur, quia omnis hypocrita est et nequam et universum os locutum est stultitiam* » ; — iuvenes ad bellum robusti, qui alias proelia Dei proeliabantur tamquam agmina Dei Israel (cf. 1 Reg. 17, 45), iam Deo summo belli duci non sunt gaudio, eos suo favore et gratia minime comitatur, sed tamquam degeneres ac spurios abiicit. Illa litotes *non laetabitur* hac reprehensionum serie non caret suo pondere et cum verbo ipso tempora olim meliora tangantur etiam aliquid triste habet admixtum [1] . Quantopere Deum offenderint et aversum reddiderint, ex eo potissimum elucet quod is qui peculiari studio et amore se patrem dicit et legibus latis protectorem se praebuit singularem viduarum et pupillorum (cf. Ex. 22, 22. Deut. 10, 18 ; 24, 17 ; 27, 29), iam eorum quoque curam se abiicere profitetur. Ne horum quidem miseretur, quia scelera occuparunt universa. Omnes impii sunt — חָנֵף a LXX vertitur ἀσεβής, ἄνομος, παράνομος, bis etiam ὑποκριτής — et sceleribus malitiaeque dediti, et quod animis pravis volvunt, etiam magna cum licentia ore effundunt ; loquuntur omnes נְבָלָה impietatem ac blasphemiam vel generatim scelera, crimina, praesertim res impudicas ; ita enim vox saepe usurpatur de scelere nefando, stupro, incestu (cf. Iud. 19, 23. 2 Sam. 13, 12) et *stultus* dicitur homo improbus, atheus, blasphemus. Quare perdurante perversitate etiam iis poenis emendatio non est effecta ; unde « *in omnibus his non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta* » ; — in bellis cum Assyriis quae 4 Reg. 15, 29 summatim recensentur et populi florem cecidisse et viduas pupillosque plurimas sustinuisse iniurias et miserias, res est per se satis explorata. At nullam esse secutam ex divinis correptionibus emendationem morum, ex iis facile colligitur, quae de Phacee dicuntur : « non recessit a peccatis Ieroboam filii Nabath qui peccare fecit Israel » (4 Reg. 15, 28). Idque sequenti quoque stropha comprobatur.

a) Dissidia intestina 9, 18-21.

Cur manus Dei ad ulteriora supplicia adhuc sit extenta, ratio redditur v. 18 « *Succensa est enim quasi ignis impietas, veprem et*

---

1. Quare falso censent *de Lagarde* et *Bred.* textum esse corrigendum in לֹא יַחְמֹל *non parcet.*

spinam vorabit, et succendetur in densitate saltus et convolvetur superbia fumi » ; — impietas longe lateque serpens ingenti comparatur incendio, quo saltus absumitur et cuncta densissimo fumo involvuntur. Superbiam fumi intellige densa fumi volumina ex vasto incendio alte in aera emissa ; hebr. eodem sensu : *et convolventur* (saltus densitates) *elatione fumi,* extulerunt se altitudine fumi (cf. *Malv. Mald. Mar.* ; idem recentiores). Imago haec apte adumbrat, quaenam sit peccati vis, pernicies, destructio. Est enim ignis et incendium vastum, quo omnia absumuntur et quod in immensum crescens fumi densitate et ruinis omnia involvit. Ita impietas sine limite grassatur, sed eos ipsos quos invaserit misere perdit, cruciat, destruit, rempublicam ruina et excidio prosternit (cf. *Sanct.*). Non erit abs re propter v. 14. 15 veprem spinasque explicare de plebe, densitatem saltus arboresque altas silvaeque magnitudinem de ducibus et principibus (cf. *Sanct. Lap. Men. Tir. Calm.*). Ea quoque est comparationis vis qua ostendatur impios fatali quadam necessitate quae ex ipso peccato enascatur sibi ipsos cruciatus infligere et interitum machinari ; « nemo enim alius flammam illis infert, sed ipsi ad hoc sibi inter se sufficient » (*S. Cyr.*) et « abunde igitur docuit inique agentes sibi poenam attrahere... et sicut ferrum rubiginem parit ab ea autem consumitur, ita qui inique vivit et peccatum committit, ab eo corrumpitur » (*Theod.*).

Quod modo attribuebatur impietati, iam ad divinum furorem, quippe qui impietate quam maxime provocatur, refertur tamquam ad altissimam causam, ut innotescat, quanto odio Deus scelera prosequatur v. 19 « *in ira Domini exercituum conturbata est terra et erit populus quasi esca ignis* » ; — hebr. redditur modo ad imaginem congruo : *terra exusta est* (cf. *Malv. For. Ros. Rohl. Naeg.*), uti LXX quoque habent. Iam imago declaratur unoque exemplo demonstratur, quali incendio inter se absumantur. Intestinis enim discordiis odiisque distrahuntur et bestiarum instar inter se devorant : « *vir fratri suo non parcet ;* v. 20 *et declinabit ad dexteram et esuriet, et comedet ad sinistram et non saturabitur ; unusquisque carnem brachii sui vorabit ; Manasses Ephraim et Ephraim Manassen, simul ipsi contra Iudam* » ; — « ecce quomodo conflagrabat terra » (*For.*) ! « sicut fera famelica saevit inter armenta et modo a dextris modo a sinistris pecus iugulat, ita et ipsi inter fratres et proximos grassabantur » (*Mald.*). Furor caecus describitur eo quod modo ad dexteram modo ad sinistram saevire, *mordere* (vel *secare* hebr.) et *devorare* dicuntur. Quantopere consanguinitatis vincula sint dissoluta, eo cernitur quod in fratrem furere, quod Manasses contra Ephraim saevitia ferri dicuntur. Ipsa nomina arctissimam illam sanguinis cognationem in memoriam revocant ; quanta rei indignitas, ut familiae filiorum dilectis-

simorum Ioseph, quos Iacob patriarcha adeo favore paterno est amplexus, iam ferarum in morem mutuis odiis et caedibus inter se iugulent! Et quid demum emolumenti inde consequitur? Sceleribus et mutua illa saevitia magis magisque redduntur infelices; furore qui nulla satietate expleri potest sed fatali necessitate simul cum victimis furoris crescit, ad nova continua crimina propelluntur; hanc mali cupidinem insatiabilem et latius ac funestius grassantem vates optime adumbrat dicens: et proscindunt ad dexteram et esurient, et devorant ad sinistram et non saturabuntur. Hac mutua saevitia demum unusquisque sibi ipsi quam maxime fatale damnum infert: *carnem brachii sui* i. e. sua ipsorum fulcra, subsidia, auxilia auferunt atque destruunt; *brachium* enim metaphora est opem, adiutorium, potentiam designans. Dum in fratres saeviunt, se ipsos interimunt. Hisce crebras illas in regno israelitico discordias, coniurationes, caedes imagine exhibet; « nam cum servi in dominos insurgerent et reges occiderent regnandi cupidine, quas caedes non verisimile est patratas fuisse? quas seditiones non excitatas » (*For.*) ? huiusmodi rerum perturbationes sane evenisse censendae sunt, cum « coniuravit et tetendit insidias Osee filius Ela contra Phacee filium Romeliae et percussit eum et interfecit » (4 Reg. 15, 30), uti antea Phacee coniuraverat contra Phaceiam regem eumque pari modo cum aliis multis percusserat (l. c. 25). Ad haec tamquam rebellionis contra Deum fastigium accedit, quod inimicitiis inter se divisi tamen odio communi et societate iunguntur *contra Iudam* i. e. contra tribum a Deo electam, in qua regnum suum ac dominium collocatum voluit, « de Iuda enim elegit principes » (1 Par. 28, 4; cf. Gen. 49, 10); ergo solum ad theocratiam oppugnandam et si possent destruendam inter se uniuntur!

Verum hac unione et concordia magis etiam quam illis dissidiis suam ipsorum machinantur ruinam; quare v. 21 « *in his omnibus non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta* »; — i. e. « ponitur poenae ulterioris praeparatio » (*S. Thom.*); « in omnibus his non avertetur furor Domini consumens vitia atque subvertens; sed quanto illi proficiunt ad peccandum, tanto iste amplius manum suam extendit ad poenas » (*S. Hier.*), « neque enim oportebat medicum morbo non intermittente a curatione desistere » (*Theod.*).

d) Iniustitia et oppressio 10, 1-4.

Quarto demum et ultimo loco quam late serpserint flagitia sacer vates eo describit et absolvit, quod ipsos qui esse debebant iustitiae administratores et vindices omni genere iniustitiae ius et ordinem subvertentes exhibet (simili modo 5, 23 in iudicum iniustitia et corruptione fastigium iniquitatis depinxit), simul accuratius declarans, quid iam valeat *caput* et

palma (9, 14); et malitiam illam universalem (9, 17) in primoribus persequens. Est scil. lex ordinatio in bonum communitatis et legibus normae iuris sunt tuendae et exsequendae, quae totius civitatis et singulorum emolumentum constituunt. Unde v. 1 « *Vae qui condunt leges iniquas et scribentes iniustitiam scripserunt,* v. 2 *ut opprimerent in iudicio pauperes et vim facerent causae humilium populi mei, ut essent viduae praeda eorum et pupillos diriperent* »; — hanc iniquitatis enormitatem iam graviter effert vates exclamatione *vae* gradationem exprimente. Pessimam delineat iniustitiam, illam scil. quae *forma legali*, legibus utcumque demum latis exercetur, specie igitur iuris ac iustitiae et recti ordinis fallaciter induitur, de qua quam maxime valet : vae qui dicitis malum bonum (5, 20). Hebr. *sedulo scribentes molestiam sedulo scribunt* (כִּתֵּב scil. in forma *piel* h. l. tantum) i. e. talia quibus alios oppressionibus et iniuriis vexant ope legum. Ex qua accusatione conclude inter alia, quantopere *scriptio* in usu fuerit; ridiculi igitur sunt qui leges caerimoniarum, rituum, iura sacerdotum et levitarum, usus sacros solum Ezechielis vel Esdrae temporibus demum scripto esse consignata nobis obtrudere volunt. Quis id crediderit, dum vatem audit conquerentem de mala *scribendi* sedulitate, ut aliorum agros, domos, pecunias sibi forma legali et iudiciali arripiant? vel ex hebr. : *ut repellant pauperes a iudicio* (a foro, ne ius suum prosequantur vel obtineant), *ut rapiant ius afflictorum populi mei*. Maior gradus eo habetur quod miseris et afflictis addunt afflictionem, quod viduas et pupillos, miserorum miserrimum genus quod omnium miserationem et opem iure quodam nativo sibi vindicat, ferociter ac crudeliter spoliant et tamquam praedam obviam ac facilem agunt. Cum Deus dicat *populi mei*, paterna ostendit viscera populi sui afflictione commota, sed etiam accusationem auget, quia illi populum Deo sacrum, cives suos sacra quadam theocratiae unione coniunctos sibi ac cognatos adeo opprimunt et abiiciunt. Tali appellatione populum iudaicum potissimum designari (cf. 3, 14. 15) probabile est; unde sermo ad Iudaeos deflectere videtur, quorum iudices eorundem criminum accusari certum est (cf. 5, 8. 23. Mich. 3, 1-4).

Quare multis titulis merito sequitur castigatio v. 3 « *quid facietis in die visitationis et calamitatis de longe venientis? ad cuius confugietis auxilium? et ubi derelinquetis gloriam vestram?* v. 4 *ne incurvemini sub vinculo et cum interfectis cadatis* »; — quam impotes sint omnisque auxilii expertes, interrogationibus positis describitur. Diem visitationis vel vindictae divinae et diem vastationis quae e regione longinqua veniet, invasionem vocat Assyriorum, qua demum regnum israeliticum periit (cf. 8, 7). Qui si ingruerint, *ubi relinquetis gloriam vestram?* i. e. ubi opes, divitias quibus nunc gloriantes confiditis (9, 10) abscon-

detis vel quomodo servare poteritis? nihil vobis proderunt, captivitatem, vincula, mortem ignominiosam a vobis non avertent. In hebr. [1] explica : nihil relinquitur, nisi ut curvemini sub captivis et sub interfectis cadatis i. e. inter ipsos captivos ultimum locum curvati occupare cogentur vel itineris molestiis fatigati vel in carceribus inter captivorum pedes abiecti et provoluti; inter cadavera ruent iisque operientur, id quod pariter vel de transportatione in alienam regionem intellige vel de squalore et foetore carcerum. Republica destructa summam eis praedicit miseriam et abiectionem; ita Deus « superbiam et magnitudinem cordis » (9, 9) et animorum contumaciam puniet et franget.

Etiam hac castigatione quae videri poterat calamitas extrema Dei vindicta nondum quiescit « *super omnibus his non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta* » ; — idque duplici modo : super eos qui superstites in captivitatem abducuntur ; cf. Ez. 5, 12 seq. Deus enim minatur se etiam post eos qui in omnem ventum dispergentur evaginaturum esse gladium i. e. eos quoque ulterioribus poenis esse visitaturum; dein furor eius nondum quiescit, quia regno israelitico destructo hostes eosdem Assyrios ut vindictae suae ministros mittit in Iudaeam et ita manum suam ultricem levat ad regnum iudaicum percutiendum. Ita transitus fit ad sequentia eodem modo, quo supra flumen Assur (8, 7. 8) inundatione et vastatione Israel facta ad Iudam transiens et Iudam inundans nobis proponitur, vel apud Michaeam (1, 9) ictus Samariae impactus dicitur venire usque ad Iudam et tangere portam Ierusalem.

2. *Assyriorum in Iudaeam invasio et prostratio* 10, 5-34.

Deus Assyrios mittet suae vindictae administros ; illi autem in eo munere sibi a Deo demandato efferuntur maxima superbia, elatione, contemptu et blasphemia adversus Deum ; quare Sanctus Israel arrogantiam Assyriorum confringet subito, inexspectato ; populus vero electus calamitate assyriaca ad Deum salvatorem plena fide mentes animosque convertet. — In hac parte Assyriorum potentia et superbia, impetus hostiles, clades demum ac ruina repentina, quam Sennacherib cum exercitu suo est expertus (cf. Is. 37, 36. 4 Reg. 19, 35) praeclaris dicendi lumi-

---

1. Servatis consonantibus legit *de Lagarde* בֵּלְתִּי כֹּרַעַת חַת אֹסִיר i. e. Beltis cadit, fractus est Osiris; cf. 46, 1. 2; ita ut sit responsum ad v. 3 : ad cuius confugietis auxilium? Sed praeter alia nihil adest vestigii numina haec apud Israelitas in honore habita fuisse. Ei interpretationi consentit *Delitzsch,* Prolegomena eines neuen hebr. aram. Woerterb. p. 200, not. 6. — Colebatur utique Adonis sub nomine quoque Osiridis apud Phoenices, verum teste *Movers* (Phoenizier I p. 235) tempore posteriore.

nibus illustrantur : Assyrii loquentes inducuntur bis (v. 8 seq. v. 13 seq.); magnifica descriptione proponitur, quomodo omni obstaculo perrupto per avia et devia cursu praecipiti ruentes ad urbem sanctam prosternendam festinent (v. 28 seq.) — at a Dei maiestatis nutu subito re infecta corruant. Quare hoc caput sublimi suo dicendi genere inter reliqua eminet.

_a_) Dei consilium — elatio Assyriorum 10, 5-19.

Denuntiatio poenae ab Assyriis infligendae statim ita instituitur, ut appareat propter Emmanuelem terram Emmanuelis non posse penitus vastari ab hostibus, verum hostibus qui terram Emmanuelis aggresi sint conatum istum demum perniciei fore. Quare in ipsa iudicii in Iudaeos devolvendi adumbratione ab eo incipit vates, ut exsecutoribus divinae castigationis castigationem graviorem annuntiet. Unde ad quem tandem exitum res perventurae sint, simul cum calamitate ad piorum solatium praedicit. Ita v. 5 « *Vae Assur, virga furoris mei et baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea* » ; — bene advertit *Sanct.* : « nota quam humaniter temperatae sint istae minae ; nam cum de afflictione Iudaeorum dicendum aliquid sit per Assyrios, ne statim grave aut diuturnum malum horrerent, prius incipit a *vae* in Assyrios quam a *vae* in Iudaeos ». Sed Sion in iudicio redimetur. Quare Assur in manu Dei est virga et baculus, quo flagellet Iudaeos ; id quo Assyrii redduntur Iudaeis superiores et potentes ad cladem multiplicem infligendam est *indignatio mea in manu eorum* i. e. quia Deus suam iram et vindictam eis commisit, eam in eorum manibus repositam voluit. En qua ratione sacer vates de vastissimo et potentissimo imperio iudicet, non causis humanis viribusque bella cladesque attribuens, sed ex Dei nutu norma theocratica cuncta perpendens. In quam rem bene notat *S. Thom.* appellatione ista Assyriorum poni auctoritatis commissionem et flagellandi officium designari, et *S. Basil.* : « estis instrumentum quo poenae infliguntur ; non agitis vestra virtute, sed vi et opera eius qui vos movet inducimini adversum eos qui digni sunt qui conterantur ». Vae populo Dei praedictum (v. 1) iam in Assyrios devolvitur. — Textus hebr. eodem modo quo *vulg.* concipi potest ; ita quoque apud LXX ; *Syrus* membrum alterum reddit : et baculus est plagae meae in manu eorum ; alii vertunt : et baculus qui in manu eorum est, est (baculus) indignationis meae (cf. *Mald. Malv. Ges. Ros. de Wette, Umbreit*) vel : baculus in manu eorum est indignatio mea (*Drechsl. Net. Rohl.*) vel (quod difficilius verbis et collocationi aptatur) : Assur virga furoris et baculus indignationis meae, ipse est in eorum manu (*Kn.*).

Iam declaratur quis sit flagellis dignus et qui flagellandi modus a Deo

Assyriis imponatur (*S. Thom.*) v. 6 « *ad gentem fallacem mittam eum et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia et diripiat praedam et ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum* » ; — gens *fallax* est, « quae inter me semper et idola claudicavit, quae praecepta mea se facturam esse mentita est » (*S. Hier.*); hebr. חָנֵף vide 9, 17 gens scil. impia, facinorosa, in quam furorem suum effundere et quam duriter tractare decreverit (*For.*); modus et mensura castigationis est, ut opes et divitiae auferantur (cf. 8, 4) et populus humilietur omni fastu et pompis penitus ablatis et deletis et iugum durum oppressionis ac servitutis subeat. In conculcatione enim et contemptus et dura oppressio et maxima humiliatio exprimitur. Atque ad id efficiendum Deus *mittit* Assyrios, id eis tamquam munus peragendum *demandat.* Vide quomodo Deus secundum providentiae suae consilia regum nationumque viribus ac facinoribus utatur ad eum demum finem ac terminum quem ipse sibi praefixerit! Propheta Dei in specula Dei quasi positus res gestas regum ac gentium quomodo insciis auctoribus inserviant divino nutui considerat nosque docet, in populorum historia variisque fatis unum illud exquirere et agnoscere divinae gubernationis consilium quo omnia ad regnum Dei praeparandum et promovendum referuntur.

Assur autem in huius mandati exsecutione limites excedit superbia elatus et ita sui ipsius ruinae causam adducit; v. 7 « *ipse autem non sic arbitrabitur et cor eius non ita existimabit, sed ad conterendum erit cor eius et ad internecionem gentium non paucarum* »; — « ponitur abusio potestatis concessae, in quantum excessit fines mandati » (*S. Thom.*); Assur enim non solum punire et opprimere vult, verum *delere, exscindere* gentes non paucas. Exscinditur populus qua populus, si republica destructa mores patrii, consuetudines avitae abolentur; idque eo magis quando populus e suis sedibus avulsus inter alienigenas dispergitur et alienigenarum vivendi ritum, cultum, linguam amplectitur. Iam Assyrios ea ratione internecioni gentium studuisse certum est. Bellis enim ferociter gestis qui caedibus superstites erant in alienas regiones abducebantur et inter alias nationes dispersi miseram trahebant servitutem; ita autem natio quaevis a solo patrio avulsa, inter se separata, cum aliis commista sua peculiari indole spoliata necessario *exscindi* debebat. Hoc modo Assyrii simul singularum gentium ad resistendum vires frangebant impediebantque quominus qui sanguine, moribus, legibus inter se essent cognati, communi conspiratione inita iugum excutere assyriacum conarentur. — De Assyriorum in bellis gerendis crudelitate etc. vide quae ad Nah. 3, 1 adnotavi.

Cur autem Assur speret se facili negotio etiam regnum theocraticum

posse evertere et funditus delere et abolere, ratio affertur ex insigni Assyriorum potentia et variis expeditionibus bellicis et expugnationibus feliciter factis v. 8 « *dicet enim :* v. 9 *numquid non principes mei simul reges sunt? numquid non ut Charcamis sic Calano? et ut Arphad sic Emath? numquid non ut Damascus sic Samaria* »? — assyriaci regni potentia et splendor declaratur, quod duces sunt simul reges i. e. principes eius et satrapae singuli ita opibus et potestate pollent et tam amplae imperant ditioni, ut aliarum nationum regibus facile aequiparentur; id indicatur a Rabsace dicente : quomodo potestis resistere ante unum satrapam de servis domini mei minimis (4 Reg. 18, 24; cf. *Mald. Mar. Malv.*)? vel : omnes proceres qui mihi famulantur reges quoque sunt, ut merito rex regum dici possim (*Osor. Malv. For. Men. Sanct. Tir. Calm.*), sunt reges vel quia regio titulo ornati sunt vel quia inter eos adsunt reges nationum subiectarum (cf. 4 Reg. 25, 28; *Troch. Rohl.*). Regum enim servitute splendor aulae regiae Assyriorum augebatur, et si provinciarum praesides regio titulo extollebantur, eo maiore dignitate et auctoritate splendebat ipse rex regum. Unde rex Assur salutari solebat « rex magnus » (Is. 36, 4) et « rex regum » (cf. Ez. 26, 7. Dan. 2, 37); similiter Tyrus vocatur Is. 23, 8 הַמַּעֲטִירָה largiens coronas i. e. reges faciens et instituens. — Haec potestas ulterius effertur enumeratione facinorum praeclare gestorum. Forma interrogationis superbiam et insolentiam bene denotat simulque confidentiam illam et praesumptionem exprimit, qua nihil posse suae potestati resistere Assyrii sibi persuadebant se iactantes invictos atque invincibiles. Unde prout est militis gloriabundi, quot urbes regnaque prostraverint et quam facile multis declamant id maxime efferentes omnes illas ditiones aeque impotentes fuisse quae Assyriis obsisterent.

Charcamis, assyriace Gargamis, ex iis quae inscriptionibus cuneiformibus referuntur de urbis situ, iam non potest censeri (id quod nominis similitudine quam maxime suaderi videtur) eadem urbs ac Circesium (Circessum, Cercussium); iis enim docemur Charcamis (Karkemisch) urbem esse in *dextera* Euphratis ripa sitam, caput terrae Chatti, septemtrionem versus a fluvio Sadschur (cf. *Delitzsch*, Wo lag das Paradies ? p. 265); quare recentiores urbem ibi fuisse censent, ubi hodie ruinae ac reliquiae Dschirbas visuntur (ita g. *Smith, Sayce;* cf. *Scholz*, Comment. zum Buche d. Proph. Ierem. p. 490; *Delitzsch* l. c.). Hanc urbem ab Assyriis expugnatam esse idem dicit ac regnum Chatti ab eis esse subiectum. — *Calano*, hebr. *Calno*, videtur idem esse quod assyriacum Kulunu (cf. *Delitzsch* l. c. p. 225) vel Kullani quae urbs a Theglathphalasar expugnata fuit anno 738, in qua expeditione etiam terra Hamath subiecta fuit (cf. *Vigouroux* l. c. IV p. 107; *Hommel*, die semit. Voelker I p. 463).

Arphad, Arpad assyriace Arpadda, urbs Syriae, cuius nomen adhuc servatur

in Tell Erfâd, colle ruinarum qui 120 stadiis septemtrionem versus distat ab Aleppo et 60 stadiis meridiem versus ab Azaz (cf. *Delitzsch* l. c. p. 275; *Riehm*, Handwoerterb. p. 87; *Riess*, bibl. Geogr. s. v.). Uti hic, ita saepe iungitur cum *Emath*, Hamath (4 Reg. 18, 34; 19, 13. Is. 36, 19; 37, 13. Ier. 49, 23), quae urbs ad radices montis Hermon sita et ad Orontem fluvium postmodum a tempore imperii macedonici apud Graecos Epiphania vocabatur. Ex iis quae *Delitzsch* l. c. p. 277 ex inscriptionibus cuneiformibus affert Hamath erat caput regni quod regionem montanam totam usque ad mare mediterraneum comprehendebat. — Cum Damasci et Samariae simul cum aliis mentio fiat talis, ut eas quoque urbes ab Assyriis esse expugnatas appareat, oraculum hoc eo tempore conceptum est, quo eventus 4 Reg. 15, 29; 16, 9 saltem partim iam completi erant vel urbes istae iam aliquas clades ab Assyriis tulerant, ita ut iuremerito inter urbes devictas enumerari potuerint. Sed nullo pacto opus est propter v. 9. 11 oraculum hoc a reliquo corpore seiunctum ad tempus referre post regnum israeliticum deletum et ad regnum Ezechiae regis, uti *Naeg.* vult. Ad eiusmodi *gloriationem* plane sufficit, ut regnum israeliticum una alterave clade sit affectum ab Assyriis. Id autem etiam ante eventus illos 4 Reg. 15, 29 relatos saepius iam accidisse notum est ex inscriptionibus cuneiformibus; iam Salmanassar II sexto regni sui anno victoriam reportavit de duodecim regibus foederatis, inter quos recensentur reges Damasci, Israel, Hamath; uti ab eo Achab rex est devictus, ita tributa quoque exegit ab Iehu; etiam regi Rammannirar Samaria tributa solvit (cf. quae adnotavi in Comment. in Proph. min. I p. 362. 365); postmodum Menahem regi Assyriorum Phul mille solvit talenta argenti (4 Reg. 15, 19). Unde certissime etiam ante regni israelitici dissolutionem gloriatio illa de Samaria fieri potuit. Ex fontibus assyriacis discimus Theglathphalasar an. 742-741 et iterum 740 bellum intulisse urbi Arphad; ex eodem tempore quaedam Hamathensium seditio refertur (cf. *Schrader*, Keilinschr. und Geschichtsforschung p. 402). Unde ratio fortasse peti potest, cur de his urbibus mentio iniiciatur. Et cum Assyrii saepe cum Hethim (Chatti) bella gererent, non necessario de expugnatione Charcamis a Sargon 717 a. Chr. facta cogitandum est [1].

Hac enumeratione et consideratione praemissa Assur confidit fore, ut Ierusalem quoque nullo modo possit resistere; idque alio modo ex eo deducit quia iam regna subiecerit quibus plura numina tutelaria praesedissent. Et ita quidem ex textu hebr.: v. 10 *quemadmodum invenit manus mea regna idoli — et sculptilia eorum plura (praestantiora) erant quam Ierusalem et Samariae* — v. 11 *nonne quemadmodum feci Samariae et diis eius, ita faciam Ierusalem et idolis eius?* ita hebr. explicant *For. Mald. Malv.* III et IV et recentiores. Nam regna iam subiecta,

---

1. Idque eo minus quia Karchemisch iam regi Theglathphalasar quotannis 100 talenta solvere debuit; cf. *Sayce*, Alte Denkmaeler im Lichte neuer Forschung p. 130.

utpote maiora quam regnum iudaicum, etiam numinibus praestantioribus protegebantur; ex gentilium enim opinione populus eiusque numen arcte inter se uniuntur, ita ut ex populi gloria, opibus, dominatione simul gloria et potestas numinis cognoscatur; quare si populus vincitur, in captivitatem abducitur, numen eius praecipuum vinci et captivum duci perhibetur (cf. quae notavi ad Am. 1, 15. Hab. 1, 16. Nah. 1, 14. Zach. 2, 8). Duplici igitur ratione ex textu hebr. Assur se confortat et bono animo se esse iubet : vicit regna maiora, ergo numina ope sui dei prostravit potentiora quam numen Ierusalem ex regni ambitu censendum sit, et iam gentem *cognatam* Iudaeis, proinde et numen iudaico cognatum devicit. Cur propheta Assyrios nobis exhibet adeo secum meditantes et rationem perpendentes, quare spes sit urbis Ierusalem vincendae, et eiusmodi considerationibus se ipsos erigentes et confortantes? Vix alia suberit ratio quam ut indicet propheta, Assyrios, quemadmodum olim Aegyptios, Edomitas, Moabitas, habitatores Chanaan, Philisthiim etc. (cf. Ex. 14, 25; 15, 14. 15. Ios. 2, 9 etc.), ex variis rerum eventibus iam didicisse Deum Iudaeorum non eodem plane censu cum idolis haberi posse; ergo sacri aliquid horroris eos expertos esse, quem timorem ut hac longiore enumeratione hisque ratiociniis sibi ipsi dispellerent plane est ad indolem naturamque occulti timoris et suspicionis factum. Pro piis autem et fidelibus inter Iudaeos in hac aequiparatione qua Assyrii Iahve Deum exercituum eodem ordine cum idolis collocant, quam maximum adest documentum Deum cuius gloria iam unice agatur, talem blasphemiam esse ulturum neque permissurum, ut Deus vivus ac verus idolis comparetur. — Textus lat. sensu non multum differt v. 10 « *quomodo invenit manus mea regna idoli, sic et simulacra eorum de Ierusalem et de Samaria;* v. 11 *numquid non sicut feci Samariae et idolis eius, sic faciam Ierusalem et simulacris eius* »? — in v. 10 *S. Hier.* praepositionem מִן non notione comparationis, sed notione *de* accepit; inde totum discrimen sensus enatum est. In textu lat. nova quoque expeditio contra Samariam prospicitur; id quod temporis conditioni prorsus congruit; vide quae ad v. 9 dicta [1] sunt; in v. 11 clades solum eousque Samariae inflictae respiciuntur, quas satis superque ex 4 Reg. 15, 29 colligitur accidisse saepius.

Ita quidem Assur proponit; at aliter Deus disponit; unde v. 12 « *et erit cum impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion et in Ierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur et super gloriam altitudinis oculorum eius* »; — iam explicatur quid sit virga

---

1. Quare contradictio illa quam *Bickell* quoque (Zeitschrift f. kath. Theol. 1886 p. 548) invenit in v. 9-11 non adest.

furoris etc. v. 5; Deus utitur Assur ad populum suum corripiendum et ope castigationis emendandum; quo facto virgam ipsam qua percussit abiiciet ac confringet. Opus Dei et fructus quem Deus colligere vult est, ut impii puniantur, rex et populus propter foedus antitheocraticum et fidei atque fiduciae in Deum defectum ab ipso illo a quo opem sperabant affligantur, ut pii rebus adversis erudiantur et in Sion, in arce regia et familia regis et inter incolas urbis religio et pietas instauretur (cf. *Osor.*; vide 1, 27; 7, 4. 17; 8, 13 seq.). Haec autem obtenta sunt Ezechia rege, cum Sennacherib urbem Ierusalem in extremas redigeret angustias. Ibi foedus ab Achaz initum cum Assur est expiatum; ibi fide et pietate Ezechiae regis impietas Achaz quasi retractata et deleta; ibi populus fideliter adhaerens regi theocratico eiusque sensus induens impiam populi olim cum rege impio societatem maioris pietatis significatione a se removit et abluit (cf. Is. 37; 4 Reg. 19). Hoc igitur opere completo Deus instrumentum afflictionis abiicit. « Sensus aut cogitatio vana ac futilis fructus sunt magnifici cordis i. e. insolentis quod prae se cetera contemnit omnia; gloria altitudinis oculorum signum est animi supra modum elati, quia in oculis qui cordis nuntii ac testes sunt, maxime exspectantur interni motus et affectiones animi; oculi vero elati seu oculorum altitudo superbi animi comes est » (*Sanct. For.*). Sensus igitur mentis declaratur et externa superbiae ostentatio, elatum supercilium (*Men.*). Quae hoc versu dicuntur, subsequentibus magis explicantur; et primo quidem elatio et superbia Assur denuo depingitur (v. 13. 14), dein quomodo Deus stultam illam arrogantiam (v. 15) sit visitaturus (v. 16-19).

Ad talem autem elationem Assur pervenit « ex magnis quae fecerat et primo quidem quantum ad facientis conditionem, secundo quantum ad facti magnitudinem » (*S. Thom.*); v. 13 «*dixit enim: in fortitudine manus meae feci et in sapientia mea intellexi, et abstuli terminos populorum et principes eorum depraedatus sum et detraxi quasi potens in sublimi residentes*»; — duo illa in bellis efficacissima sibi attribuit : corporis fortitudinem animique robur et *sapientiam;* ergo corpore et mente se optime ad magna perpetranda instructum asserit, viribus adstitisse rectricem ac gubernatricem prudentiam et ita esse effectum, ut cunctis evaderet superior. Magnitudo autem facinorum describitur ex eo quod recedere fecit fines populorum (hebr.) i. e. suum imperium ditionemque latissime extendit, aliorum populorum regna et iura abstulit omnesque suo uno arbitrio regit. Ea autem populorum subiectio maiori etiam gloriae cedit Assyriis, quia subiectorum spolia opima et thesauri in possessionem Assur cedebant et Assur in modum herois invicti non multitudinem imbellem et ignobilem devicit, verum gloriose in thronis sedentes deiecit

ac deturbavit. Ita scil. omnium regnorum divitiae, splendor, gloria in uno rege congesta esse videbantur. In hebr. *thesauros eorum depraedatus sum (Mald. Mar. For. Malv.* et recentiores) *et deieci tamquam gigas sedentes* in soliis scil. regiis.

Alii אַבִּיר non potentem, vel heroem, gigantem explicant sed *taurum,* uti vox in plurali ea notione occurrat Ps. 68, 31 ; 22, 13; 50, 13 (*Del.*); ergo *ut taurus deieci regnantes,* idque eo commendat *Del.* quod tauri effigies palatia regum assyriacorum custodire perhibetur in variis Assyriorum monumentis servatis et tauri numen in inscriptionibus ut hostium regiones perlustrans atque conculcans describatur. Sed huic explicationi obstat quod sane *deieci ut taurus* non per se significat : ut numen illud tauri symbolo repraesentatum, et quod cum vox אַבִּיר Hebraeis in notione *potentis* sit familiaris, sine ullo addito in illa acceptione intelligi ab iis non potuit. Aliter *Naeg.* : ut tauros deieci regnantes, i. e. sicuti taurus uno ictu valido prosternitur et procumbit humi bos. At nulla re talis comparatio suggeritur; immo posset quaeri an bovem occidere apte dicatur pro re factu facillima ; dein numerus singularis ab hac explanatione alienus est. Quare alii (cf. *Net. Rohl.*) iure in ea explicatione acquiescunt, quam secuti sunt *S. Hier. Chald.* et interpretes veteres et quae usu vocis satis commendatur; cf. Iud. 5, 22. Ier. 46, 15. Lament. 1, 15. Ps. 76, 6. Adde quod vox cognata אָבִיר Is. 1, 24 et saepius de Iahve dicitur. — Apud Assyrios quidem Adar deus effigie tauri alati repraesentabatur et Adar-Sandan appellatur « deus potens qui destruit hostes et fortitudinem auget », et Sanherib (Sennacherib) taurum vocat protectorem et custodem vitae ; Asarhaddon autem exoptat, « ut custos taurus, genius vigil, qui regnum meum tuetur, nomen meum honore affectum conservet » etc. ; vide plura apud *P. Scholz,* Goetzendienst p. 403 seq. At utut haec sint, dubito an voce אַבִּיר commemorata haec vel similia a Iudaeis intelligi potuerint.

Dum Assur res a se praeclare gestas gloriabundus memoria revolvit, magis magisque spiritus sumit audaces et insolentes aliosque quasi rem abiectissimam spernit; unde gradatio quaedam in comparationibus deprehenditur v. 14 « *et invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum, et sicut colliguntur ova quae derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi, et non fuit qui moveret pennam et aperiret os et ganniret* » ; — ecce quanta facilitate omnia regna a se esse subiecta Assur gloriatur : populorum copiae collectae non plus roboris opponere valebant quam avium nidus ei qui pullos capere vult, et universa regna delere non fuit operosius aut longiore mora indigens quam ova in nido derelicta congregare (cf. *Sanct.*), et tanto terrore ac stupore omnes constricti tenebantur, simul atque Assur ad expugnandum prodiisset, ut ne hiscere quidem quisquam auderet, i. e. « ut ne fletum quidem ac gemi-

tum victi libere proderent» (*S. Hier.*), vel potius, ut *Theod.* habet, ut nemo resistere auderet; «solemus enim de iis qui in magnis sunt angustiis dicere : non ausus est mutire» (*Theod.*). Unde *S. Cyr.* exclamat : «o insignem superbiam, o cogitationes stultas! quasi unius passerculi nidus esset universa haec mundi machina, ita eam considerat, ovis relictis ab altrice ave totius terrae incolas confert, ut quasi draco invadat atque absorbeat». Neque iste loquendi modus ab Assur est alienus; invenitur enim in cuneiformibus monumentis scriptum : sicuti nidos avium altissimos ita in montibus collocaverant arces suas etc. (cf. *Schrader,* Keilinschriften u. A. T. ad h. l.).

At quam stulta et inanis est ea gloriatio! «hic ponitur gloriantis increpatio, quia est sicut instrumentum, quod non potest operari nisi motu artificis» (*S. Thom.*). Assur praevaluit, quia Dominus voluit; unde superba gloriatio iam quae risu excipiatur dignissima est; unde v. 15 «*numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea ? aut exaltabitur serra contra eum a quo trahitur? quomodo si elevetur virga contra elevantem se, et exaltetur baculus qui utique lignum est*»; — in hebr. ultimum membrum maiore etiam pondere effertur : *ac si agitaret* (elevaret) *virga eos qui eam attollunt et baculus* (elevaret) *non-lignum* i. e. eum qui omnino non est lignum, scil. hominem (ita recentiores communiter). Hac comparatione affirmatur, Assyrios minime esse auctores victoriae, verum solum Dei vincentis instrumentum (*Sanct.*), sine quo plane impotes fuissent. Quare illorum gloriatio adeo est stulta ac si virga ab homine agitata gloriaretur quod ipsa agitaret hominem etc. Comparationibus illis bene illustratur quae sit prophetarum sententia de potestate et successu gentilium et qua ratione Deum uti censeant alienis regnis ad populum suum erudiendum. Assyriorum insolentiae bene opponit *Sanct.* modestiam Iosue ducis : «quanto melius atque modestius Iosue qui vere vocatus est servus Dei, quem adeo non inflarunt tot victoriae, tot regna subiugata, ut non tam sibi quam crabronibus victoriam adscripserit, per quos Deus e Chanaanitide regione veteres habitatores extrusit».

Sed in quo quis peccaverit, in eo punietur. Assur gloriatur in immensum de exercitu invicto ac splendido — ipse fortissimus exercitus subito delebitur v. 16 «*propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem, et subtus gloriam eius succensa ardebit quasi combustio ignis*»; — hebr. *mittet in pingues eius* (adipes eius) *maciem* vel tabem i. e. milites robustissimi subito concident et gloria Assur i. e. exercitus de quo gloriatur, incendio funditus comburetur : en celeritas interitus eiusque ambitus. Iactantiae Assur opponitur titulis sollemnioribus maiestas divina, per quam gloria Assur subi-

to corruet. Id quod in subseq. etiam magis declaratur, cum comparatio adhibita a causa et ab effectu describatur v. 17 « *et erit lumen Israel in igne et Sanctus eius in flamma, et succendetur et devorabitur spina eius et vepres in die una* » ; — hebr. *et erit lumen Israel in ignem et Sanctus eius in flammam et ardebit et devorabit vepres eius et sentes eius uno die* i. e. Assur peccavit in Deum, manus intulit sacrilegas theocratiae : ergo iste conatus necessario verget ei in ruinam. Nexum hunc et necessitatem optime illa comparatione vates illustrat : Deus est lumen, flamma ; cui si vepres et spinae appropinquent, effectus non potest esse dubius. Est Deus scil. *lumen Israel,* is in quo salus omnis ac beatitas pro populo continetur et qui ut talis populum electum protegere, erudire, lumine i. e. favore suo ac gloria donare nunquam cessabit (cf. *Osor. Sanct. Mald. Mar. For.*), qui in nube lucida populo suo praecessit eumque duxit per desertum et eodem symbolo se in populo inhabitare declaravit. Ut talis simul est *Sanctus Israel* (cf. 6, 3) qui ut gloriam suam et sanctitatem manifestaret theocratiam condidit et proinde pro ea aemulatur ; quare in eius adversarios lumen eius ac splendor fit in ignem devorantem (cf. Deut. 9, 3). Quid sint homines frustra nitentes contra consilia divina, vepribus declaratur ac spinis in cineres subito ac facillime redactis. En, quanta firmitate ac certitudine theocratia, Dei regnum, consistat ; en quid et quomodo zelus Domini exercituum (9, 7) sit operaturus (cf. 17, 14. Ier. 2, 3 ; 30, 16. Zach. 12, 3 ; 14, 3).

Post iactantiam immensam Assyriorum omnino ad rem est aeque ac stili elegantiae congruit, ut in ruinae descriptione vates immoretur. Eam autem ruinam commemorata Assyriorum gloria reddit illustriorem declarans, in quantam sui admirationem sublimis illa potestas alios rapuerit, ut casu repentino et eorum impotentia et sublimitas Dei manifestetur ; v. 18 « *et gloria saltus eius et carmeli eius ab anima usque ad carnem consumetur et erit terrore profugus,* v. 19 *et reliquiae ligni saltus eius prae paucitate numerabuntur et puer scribet eos* » ; — ante catastrophen Assur adstat coram populis sicut saltus quidam amplissimus, sicut Carmelus mons altus, silvis nemoribusque consitus qui maiestate quadam et amoenitate longe lateque dominari videtur et sua magnificentia regionem exornat ; post catastrophen omnis ille vigor qui *interne* adesse videbatur, omnis splendor quo *externe* oculi omnium capiebantur, subito evanuit ; saltus ille magnificus ita excisus est, ut paucos qui remanserunt truncos puer parvulus facillime numeret. Unde bene rem comprehendit paucis *Tir.* : « quidquid gloriae ac maiestatis habuerit Assyrius (hoc enim per saltum seu silvam frondosam designatur), quidquid item opulentiae et venustatis (quod per Carmelum montem fertilissimum et amoenissimum significatur), omnino et ex toto consumetur ». *Ab anima*

usque ad carnem i. e. penitus, omnino intrinsecus et extrinsecus consumetur (*Mald.*), proverbiali forma dicitur (*For. Sanct. Malv.* et recentiores); contabescet scil. ex hebr. *et erit sicut dissolutio tabescentis* (cf. *Net. Rohl. Del. Naeg.*); ad quam comparationem cf. v. 16. Ex variis rerum generibus propheta imagines mutuatur, quo magis casum repentinum et stragem inauditam et omni exspectatione maiorem significet.

S. Hier. vertit *et erit terrore profugus;* sim. *Chald:* et erit confractus et profugus. Etiam LXX *fugientis* mentionem ingerunt; unde vocem נֹסֵס retulerunt ad נוס fugere; ita quoque *For.* aliique; dissolutionem vel liquefactionem acceperunt de terrore, quo homines quasi dissolvuntur (cf. *For.*). Verum recentiores vocem נסס explicant debilem esse, morbo laborare et confici, provocantes ad vocem syriacam נסיסא, נשישא aegrotus. Contra quam explicationem nuper *Delitzsch* (Prolegomena zu einem neuen hebr. aram. Woerterb. p. 63) movit vocem syriacam potius videri derivatam ex graeco νόσος; ipse satius censet vocem explicare ex assyriaco *nasâsu* flere, lamentari. Demum *Bred.* haec verba *ab anima* . . . ex hoc loco transferenda censet in v. 16, quibus scil. *macies* clarius describatur. Proinde legit v. 16: mittet in pinguia membra maciem, ab anima usque ad corpus (interiora et exteriora) consumit, ita ut sit ac si tabescens tabescat. Verba quae remanent ex v. 18, refert ad v. 17: flamma succendit et devorat spinas eius et vepres in uno die et gloriam saltus eius et campi. Quandoque verba quaedam in alienum irrepsisse locum constat v. g. vide 38, 21. 22. Sed hoc loco idem assumere dubito, quia statim sequitur in v. 19 *et reliquiae ligni saltus eius;* arbores autem aliquas relinqui ex comparatione quae nunc adest in v. 18 facile fluit; sed nescio an aeque bene dicatur in medio incendio eoque vastissimo relinqui arbores aliquas. — E contra *Bickell* (Zeitschrift f. kath. Theolog. 1886 p. 548) haec verba suo loco retinet, sed ea quae sequuntur *et erit sicut*... omnino censet eiicienda.

b) Ex afflictione salus 10, 20-27.

Post poenae effectum in hostes ponitur effectus in populum (*S. Thom.*). Et effectum fore salutarem, iam ex norma generali 1, 27 exspectamus et h. l. eo magis quia iam v. 12 edocti sumus de divino consilio quo populi bonum promoveatur, et v. 6 quo populi eruditio innuitur. Haec autem institutio innovatione quadam spiritus theocratici continetur, qua abiecta fiducia humana ad unum Deum salvatorem opem efflagitaturi confugiunt. Et aptissime quidem. Nam spreto auxilio divino et fiducia in Assur posita Achaz rex cum populo in Deum regem Israel deliquerat; quare istud vulnus et expiandum et sanandum erat. Unde per Assyrios afflicti didicerunt esse malum et amarum dereliquisse Dominum, petram Israel. Quare v. 20 « *Et erit in die illa, non adiiciet residuum Israel et hi qui fugerint de domo Iacob inniti super eo qui percutit eos, sed innitetur super Dominum Sanctum Israel in veritate* »; — cladem instare magnam (cf. Is. 36, 1) populo Dei et ratione habita omnium solum paucos iri eruditum et ad meliorem mentem reversuros, verbis ipsis

satis indicatur; fiet enim excoctio ita, ut scoriae absumantur. Isti autem *vere* ac fideliter mente theocratica Deo adhaerebunt. Unum Dominum esse salvatorem populi et quicumque ab hac petra Israel (cf. Deut. 32, 37. 2 Sam. 22, 47. Ps. 18, 3 hebr. etc.) defecerit, misere esse interiturum, vates graviter monet.

Verum quod prophetae iam in visione inaugurali ostensum est, quod ipso filii eius nomine *Schearjaschub* praefiguratur oraculo quasi continuo et quod vario modo iam in antecedentibus indicatum est (cf. 1, 25; 4, 3), denuo minitantis in modum ne de populi electione ac dignitate theocratica falso sibi blandientes securitati se tradant perniciosae, vates serio inculcat v. 21 « *reliquiae convertentur, reliquiae inquam Iacob ad Deum fortem* »; — bene advertit *S. Hier.* : « pro Deo forti in hebr. scriptum habet *El gibbor,* duo nomina de sex nominibus quibus parvulum puerum et filium qui datus est nobis supra legimus appellatum ». Atque ne se ipsos decipientes promissiones iactent patriarchis datas et se filios esse Abraham inaniter gloriantes minas spernant et irrideant, ad illa ipsa promissionum verba alludens propheta oraculum confirmat v. 22 « *si enim fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiae convertentur ex eo* »; — cf. Gen. 22, 17; 32, 12. Hac ipsa repetitione adeo gravi concludendum erit prophetam obviam ire voluisse falsae cuidam securitati quam sibi propter suam ab Abraham et patriarchis prosapiam promiserint, simili ratione ut Ieremiae tempore templum Domini quasi palladium contra minas prophetarum obtendebant (Ier. 7, 4). Quare decretam esse stragem plurimorum et ea demum via salutem orituram, iterato inculcat : « *consummatio abbreviata inundabit iustitiam*; v. 23 *consummationem enim et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terrae* »; — hebr. *internecio decreta* (est) *adducens iustitiam; excidium enim et firmiter decretum Dominus facit*... tali asseveratione stragem certissime fore neque iam ulla ratione averti posse declaratur; alias enim vaticinia minis plena quandoque proferri conditione quadam subintellecta solent (cf. ad Ion. 3, 10. Ioel 2, 1. 19). Verbum *abbreviare* explica ex hebr. *decidere* i. e. firmiter statuere, decernere (cf. *Vat. For. Mald. Mar.*); unde *abbreviatio* quoque est id quod firmiter est statutum et determinatum, ergo Dei consilium immobili modo stabilitum. Illa vero internecio vel consumptio *inundabit* i. e. abundanter adducet *iustitiam* i. e. illam rerum conditionem, pietatem, sanctitatem quam Deus vult (cf. ad 9, 7). Sensum bene exponit *Osor.* quem eo libentius affero quia video paucos ex priscis interpretibus versiculi sensum esse assecutos : « omnem perfidiae ac sceleris impietatem extrema calamitas stabili iudicio definita conficiet et ira Domini omnes qui fidem abiecerint vastitate consumet. Quod

tamen impiorum exitium et vastitas in eorum qui permanserint in fide fructum mirifice redundabit ». Unde propheta repetit quod 1, 27 dixerat : Sion in iudicio redimetur.

Alii concipiunt *inundans iustitiam* de iudicio divino et de vindicta quam Dominus sit exerciturus (ita *Mald. Calm. Ges. Kn. Del. Naeg. Troch. Rohl.*). Sed excidium illud esse iustam Dei punitionem satis superque ex antecedentibus elucet; quare minime placet id verbis prophetae dici de quo nemo dubitat et quod cum per se planum sit etiam nemo iure exspectaverit. Insuper a v. 20. 21 propheta fructum ex afflictione oriturum describit, ergo ad seriem nexumque plane conformatum est, ut his quoque fructum exprimi censeamus. Sententia hoc fructu ostenso apte absolvitur et iam piorum praeparatur consolatio ac confortatio, quae v. 24 exhibetur. Immo illud « propter hoc » in v. 24 talem fructum in antecedenti esse assignatum prorsus exigere videtur; id quod in nostra explanatione commodissime habetur. Quare de statu iustitiae sensu proposito vocem accipe; in quam explanationem multi interpretes concedunt (cf. *S. Thom. For. Sanct. Pint. Sasb. Lap. Tir. Men. Schegg*), et eo sensu vocem ab Isaia usurpari saepe certissimum est apud omnes.

Sed forte quispiam obiiciet explicationem datam eo refutari, quia status ille perfectae iustitiae etiam post cladem assyriacam non sit effectus. Verum id quidem est; at negari debet ex mente prophetae afflictionem unam assyriacam iam sufficere, ut demum conditio salutis plena sua perfectione in opus deducatur. Nam qua via per plura quasi stadia et per varias epochas demum status ille sit efficiendus, vates edoctus est in visione inaugurali cp. 6; ergo iam propter illam nemo poterit merito locum nostrum ita interpretari, ut prophetam post cladem assyriacam exspectasse statim salutem messianicam opinetur. Alias enim prophetam secum ipso committeret. Deinde ex v. 21. 22 propheta normam illam *generalem* statuit qua deinceps sors populi regatur. Unde eventum assyriacum particularem huic quoque normae substare indicat et pro temporis ratione illo iudicio particulari eum effici fructum, qui indoli theocratiae conveniat et proinde optime *iustitia* dicitur. Et talem iustitiam fuisse effectam i. e. animos regis populique sensibus theocraticis, pietate, firma in Deum fide ac fiducia fuisse imbutos, ex narratione Is. 37, 2. 14 et iam 36, 21 liquet. Vide ad 32, 1.

Normam proferri revera generalem qua populi sortes regantur, etiam omnino consequitur ex argumentatione S. Pauli Rom. 9, 27. Ostendit enim apostolus ex v. 22 vocationem ad regnum messianicum esse donum gratiae, cuius ex cognatione et nativitate carnali nullum exsistat ius vel debitum, neque adesse, cur quis offendatur ex eo quia maior Iudaeorum pars salutem messianicam sibi oblatam repudiet; *reliquias* enim salvas fore iam ab Isaia esse praedictum. Ad eandem prorsus considerationem delabimur, si quod apud prophetas usuvenit etiam ad hunc locum applicamus, cerni scil. et considerari a propheta in uno imperio assyriaco et in eius contra theocratiam impetu hostili adumbrationem quandam et typum illius pugnae quam potestas Deo adversaria contra Dei regnum et speciatim contra regnum messianicum geret. In uno eventu particu-

lari vates cernit et depingit normam Dei universalem, vel aliis verbis : eventum singularem eo in nexu quo ad universam Dei supernaturalem providentiam refertur vates proponit, ut in tota rerum dispositione unum Dei consilium cognoscatur. Igitur res similiter se habet ac si iudicia Dei particularia schemate ac figura iudicii universalis describuntur; vide quae notavi ad Ioel 2, 10. Abd. v. 15. Mich. 1, 2. Hab. 3, 8.

Quia igitur ex iudicio illo firmiter decreto quod Deus facturus est *intra universam terram* (hebr. v. 23) i. e. in universa regione iudaica, et pro electis fructus exoriturus est praeclarus et pro aggressoribus ruina et exitium, monentur pii, qua ratione sese habeant in illa rerum conditione, ut omni abiecto timore calamitatis exitum felicem prospiciant v. 24 «*propter hoc haec dicit Dominus Deus exercituum : noli timere populus meus, habitator Sion, ab Assur; in virga percutiet te et baculum suum levabit super te in via Aegypti*»; — appellatione ipsa duplici duplex continetur certissimae fiduciae titulus : populus Dei enim non poterit prosterni, quia Dei est, Deum habet patrem, protectorem, ita ut populi gloria vel ignominia suo modo in Deum populi redundet (cf. ad Nah. 1, 14. Hab. 1, 16. Zach. 2, 8), et habitator Sion praeclaris illis potitur promissis de regno et throno Davidis aeterno et de Sione tamquam sede et centro theocratiae inconcusso (cf. Ioel 2, 32. Mich. 4, 8). Hisce firmissima adsunt spei fundamenta; quare propter Dei veracitatem et potentiam *noli timere ab Assur;* utique tempus tribulationis et angustiae instabit, dura ingruet afflictio *virga, baculo* designata et *percussione* et *agitatione* baculi graviore molestia declarata, immo afflictio quae sit *modo Aegypti* i. e. sicut illa olim in Aegypto. Ita bene hebr. explicant *Osor. For. Mald. Malv. Vat. Sanct. Sa, Mar. Net. Troch. Rohl.* etc.; sed *pro more Aegypti* simul spem et consolationem dicit et si opus fuerit magna illa Dei miracula in salutem populi patrata denuo promittuntur.

Hac explanatione illud *pro more Aegypti* sicut duram declarat afflictionem, ita spem salutis quam maxime commendat. Unde ad consolationem additur et simul ad Dei fidelitatem commendandam, qui uti olim propter foedus cum patribus initum populum suum ex fornace servitutis aegyptiacae (cf. Deut. 4, 20) mirabiliter eduxit, ita eundem populum propter idem foedus salvum reddet et incolumem servabit. — Alii explicant *in via Aegypti* de eventu 4 Reg. 19, 9 narrato, de petitione auxilii Aegyptiis facta, de legatione in Aegyptum missa auxilii obtinendi causa (cf. *S. Ephr. Cyr. Hier. Thom. Tir. Calm.*); sed vaticinium hoc ad particularem illum eventum referre neque indoli huius oraculi congruit, neque verbis satis aptari potest. Difficile enim dixeris, quomodo baculus assyriacus praecise in via Aegypti maiore vi agitatus sit contra Iudaeos. Sed in priore explanatione sensus exsurgit aeque aptus ac fecundissimus. Refert

Theod. vertisse *Sym.* διὰ τὴν ὁδὸν Αἰγύπτου; idque *Theod.* exponit propter imitationem Aegyptiorum; sim. *Euseb.* : « quia viae Aegypti te denuo commisisti idololatriae Achazi tempore deditus, ideo vos Assyrii virgae tradidi, ut ad sanam mentem et conversionem reducerem ». Hic sensus utique de se est bonus; at ne is quidem commode in contextu fluit, quia Deus iam pios alloquitur eosque solatur; pii quoque affligentur, neque tamen propter imitationem idololatriae aegyptiacae calamitas ingruit. Quare explicatio supra proposita pluribus nominibus commendatur.

Ulterius consolatur et erigit pios declarans furorem hostilem atque insaniam fore brevem, exiguo tempore se permissurum, ut hostis grassetur v. 25 « *adhuc enim paululum modicumque et consummabitur indignatio et furor meus super scelus eorum* » ; — per aliquod tempus habenas laxabit insolentiae hostium, donec scil. compleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion (cf. v. 12). Hebr. verte : *adhuc enim paululum modicumque et cessavit indignatio mea* (scil. a Iuda recessit) *et furor meus* (convertetur) *ad internecionem eorum* scil. Assyriorum. Ita quomodo Deus se habeat ad utrosque bene declaratur. Eodem modo aliqui latinum quoque textum concipiunt : consummabitur indignatio mea, placabor erga te sumptis dignis de te poenis, avertam iram abs te et convertam in Assyrios (*Mald. Sa, Mar. Osor.*). Iam ad versum ita bipartitum figura chiastica adnectuntur duo sequentes; statim enim v. 26 furor Dei ad internecionem Assur describitur, v. 27 autem declaratur quomodo indignatio Dei cessatura sit in Iuda. Contra Assur antiqua miracula Deus innovabit v. 26 « *et suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum iuxta plagam Madian in petra Oreb et virgam suam super mare et levabit eam in via Aegypti* » ; — Dominus *suscitabit* i. e. miracula antiqua quae oblivioni data et a Domino derelicta videbantur, iterum excitabuntur secundum illud : exsurge, quare obdormis Domine? Flagellum quo olim Madianitae prosternebantur (cf. Iud. 7, 21 seq.) et virga illa Moysis quam levavit super mare, ut aquis involverentur currus et equites Aegyptiorum, haec insignia divinae potentiae et favoris in populum indicia quasi abiecta et sopita et exstincta videbantur, quamdiu populus miseriis oppressus iacet; iam flagellum et virga denuo suscitatur : eadem potentia pro eodem populo eadem patrat miracula; ita maxima cum elegantia Deus dicitur eodem quo olim etiamnum populum favore prosequi propter foedus olim initum, ex quo uno omnia beneficia populo electo profluunt omnesque eius sortes continuo reguntur [1]. Exemplis illis ex vetere historia deprompțis uti acerba

1. Simile cernitur in actione symbolica pastoris apud Zach. cp. 11; cf. in Comment. Proph. min. II p. 343.

afflictio praesignatur, ita liberatio mira, singulari Dei interventu concedenda, egregia prostratio hostium maior quam quae humanis viribus effici possit. Iucunda est repetitio in fine v. *et levabit eam in via Aegypti;* cf. v. 24 : Assur more Aegyptiorum baculum agitat populumque percutit, etiam Dominus ex sua parte suum super Assur baculum agitabit; uti Aegyptii et Madianitae, iniuste oppressit Assur, easdem luet poenas (cf. 10, 7). — Madianitarum princeps, nomine Oreb (corvus), fuga post cladem gentis suae interceptus occisus est apud petram Oreb non longe uti videtur a Iordane in eius ripa occidentali, dum per Iordanis vada in ripam orientalem vitae servandae causa fugam tentaret (cf. Ps. 82, 12). Regio illa ex eo facinore nomen traxisse videtur, uti torcular Zeb principe Madianitarum Zeb (lupo) eo in loco interfecto (Iud. 7, 25).

Pro Iuda autem instat liberatio v. 27 « *et erit in die illa; auferetur onus eius de humero tuo et iugum eius de collo tuo et computrescet iugum a facie olei* » ; — instare pro Iuda magnam afflictionem, denuo comparationibus exprimitur. Et ultimo quidem membro indicatur iugum iri excussum propter robur auctum in ipso Dei populo. Est enim vis comparationis haec : metaphora depromitur ab animalibus quae prae pinguedine et crassitie laxatis nexibus dissolvunt iuga vel lora iugo adstricta rumpunt iugumque excutiunt; quasi dicat : o Iudaee, eris adeo validus et opulentus, ut facile tyrannidem excutias (ita fere *Malv. For. Osor. Lap. Drechsl. Del. Naeg. Net. Troch. Rohl.*). Comparatur Iuda tauro (cf. Deut. 32, 15. Os. 4, 16; 10, 11) qui antea debilis iugo subditur, sed viribus auctus collo pingui et cervicibus crassis iam lora quibus iugum est adstrictum rumpit vel iugum ipsum e ligno confectum colli crassitie frangit et abiicit. Idque apte dicitur ad v. 16. Nam sicut Assyriorum pinguibus Deus maciem mittit ac tabem i. e. eos reddit infirmos ac debiles, ita Iudaeis debilibus fortitudinem dabit, ut qui antea quasi macri et subacti boves neque auderent neque possent iugum detrectare, iam pinguefacti et robusti illud a cervicibus excutiant et confringant. Victoria igitur de Assur reportabitur eo quod oppressione assyriaca in populo Dei vera pietas et mens theocratica sit aucta et ad vigorem roburque provecta. Fructus proinde ille qui e calamitate enasci debet (cf. v. 20) simul ratio et causa assignatur victoriae reportandae. Populus *interne* mente et animo augescet, innovabitur.

Explanatio haec aptissime et comparationi adhibitae congruit et sensum praebet optimum et verissimum. Nam calamitate assyriaca fides regis populique est aucta et propter eorum fidem et humilem ad Deum supplicationem Assyrii miro modo prostrati sunt (cf. Is. 36, 21 ; 37, 4 seq.). Hebr. verte : *et corrum-*

petur iugum a facie pinguedinis i. e. propter pinguedinem. Alii eam comparationem paulo aliter inflectunt : ut nodi laxantur oleo inunctis funibus aut loris, sic iugum grave Sennacherib a quo se expedire non poterant Iudaei, divinae misericordiae beneficio solvetur, immo putrescet, ut illo iterum non sint vexandi (cf. *Tir. Men.*) ; a qua acceptione proxime abest aliorum expositio : a facie olei i. e. a facie divinae misericordiae (*S. Hier. Gregorius* in S. Paterii expos. *S. Thom.*). Alii in oleo et pinguedine vel unctione unctum regem Ezechiam deprehendunt et iugum confringi volunt propter unctum regem (cf. *S. Ephr. Mald. Mar.*) vel propter Christum ; ita iam *Chald.* : et conterentur populi a facie Christi (משיחא). Alii in varias olei virtutes et proprietates investigantes vim comparationis reponunt in victoria non cruenta, sed tranquilla et tacita ; oleum enim fluere placide, oleum adhiberi ad tranquillitatem designandam, oleo tranquillius abiisse in proverbium (*Sasb.* plura apud *Sanct.*). Neque desunt qui a facie olei, propter oleum, explicent sensu contrario propter olei defectum ; iugum scil. vel iugi lora oleo minime delibuta arescere et frangi (*Sanct. Calm. Schegg.*) ; provocant pro ea notione ad Ps. 109, 24 (hebr.) caro mea immutata est propter oleum i. e. propter olei defectum ; sed locutio est alia in hebr. כָּחַשׁ מִשָּׁמֶן carnem scil. a pinguedine deficere, contabescere, emaciari, et ita utique caro est *sine* pinguedine ; מִן utique quandoque explicari oportet *sine* (cf. Iob 11, 15 ; 21, 9) ; at num idem etiam מִפְּנֵי ? *Kn.* in textu legit חֶבֶל *funis* et exponit de fune quem bos *a facie pinguedinis* i. e. a capite pingui et crasso abiicit, scil. de loris iugi quae ex cervicibus ita tolluntur, ut supra caput abiiciantur. Alii demum textum *mas.* mutant ; de qua re vide *Bred.* p. 73, qui ita versum exhibet : et iugum de collo tuo desinet ; ascendit a septemtrione. Ultima verba ad seq. pertinent.

c) Assyriorum impetus et ruina subita 10, 28-34.

Grande Dei opus et maximum beneficium populo praestitum vates denuo ob oculos ponit. Postquam enim nos de Assyriorum consiliis ac sensibus animorumque insolentia edocuit (v. 7-11. 13-14) eorumque ruinam vaticinatus est (v. 12. 16-19. 26), iam integram scenam, iter versus urbem, varias exercitus stationes, furorem hostium ac festinationem ea luce et evidentia depingit, ut rem coram agi credideris. Ita post vaticinium novo oraculi genere eventum futurum sub aspectum subiicit et hac rei gerendae anticipatione et descriptione ipsi oraculo pondus addit animosque ad illud rite percipiendum ac perpendendum maxime stimulat. Vaticinium enim ipsa iam rei narratione efficacius animis imprimitur et quia res praedicta tanta luce depingitur, omnes iam sensus omnesque cogitationes in illum eventum quasi defiguntur. Ita sane rei iteratio novo modo instituta ad consilium ac propositum prophetae magnopere confert neque a dicendi genere eius est aliena (cf. 5-11. 12-19. 24-27). Primo nobis proponitur quanto impetu Assyrii terram iudaicam invadant et ad

urbem sanctam citato cursu festinent. Cernimus eos advenientes in Aiath, in parte septemtrionali regni iudaici; inde exercitus urbem versus ita diffunditur, ut in omnem circa regionem bellum et terror inferatur, ut nullo impedimento, nulla valle abrupta, faucibus montium nullis cursus eorum retardetur. Sermo ipse brevibus membris atque concisis gradu citato incedens festinationem illam depingit : v. 28 « *Veniet in Aiath, transibit in Magron, apud Machmas commendabit vasa sua;* v. 29 *transierunt cursim, Gaba sedes nostra; obstupuit Rama, Gabaath Saulis fugit* »; — *Aiath* idem erit cum Ai « iuxta Bethhaven ad orientalem plagam oppidi Bethel » (Ios. 7, 2; 9, 12; cf. Esdr. 2, 28); quod oppidum in loco hodierno Tell-el-Chadschar situm fuisse aliqui volunt, alii in Khirbet-el-Kudeireh (cf. *Riehm,* Handwoerterb. I p. 41). *Schegg* oppidum invenisse se putat prope Tajjibeh, ex quo loco aspectus late pateat in omnem circa regionem ultra Ierusalem (cf. Theologisches Literaturblatt, 1867 c. 81). Inde festinant in *Magron;* forte ibi situm erat, ubi hodie sunt ruinae Makrun a meridie orientem versus a Burka ad partem occidentalem vallis, quae ad occidentem Michmas a septemtrione meridiem versus tenditur (cf. *Riehm,* l. c. II 998). In *Michmas* quo iter sit magis expeditum deponuntur et relinquuntur impedimenta, sarcinae; eodem nomine hodie vocatur Muchmâs in colle situm qui meridiem versus Wadi Suweinît finitimum habet (cf. 1 Reg. 13, 2. 16) et ab oriente et occidente vallibus concluditur. Inde abiectis impedimentis *transeunt transitum* (hebr.), vadum vel traiectum (cf. 1 Reg. 13, 23) מַעֲבָר Wadi Suweinît via utique perdifficili (cf. *Schegg* l. c.). Quare ut itineris difficultatem emolliant sibique animos addant, clamant « Gaba diversorium nobis » (hebr.) ad pernoctandum, uti מָלוֹן indicat. Geba enim in campo fertili opportunum requiei locum offerebat. Dum autem exercitus Assyriorum iter arripit, terror longe lateque spargitur, incolae se fuga proripiunt; quare *tremit Rama,* occidentem versus a Geba; incolae autem *Gabaath Saulis* fuga dilabuntur; Gabaath meridiem versus a Geba 30 stadiis a Ierusalem distabat (cf. *Iosephus,* Antiq. 5, 2, 8; Bell. iud. 5, 2, 1; situm fuisse ibi, ubi hodie Tell el-Ful inveniatur, vide *Riehm,* l. c. I 511; *de Hummelauer* in 1 Reg. 14, 2).

Terrorem invasionis hostilis porro describit propheta v. 30 « *hinni voce tua, filia Gallim, attende Laisa, paupercula Anathoth* »! — eiula, vel exalta vocem filia Gallim i. e. qui habitatis in Gallim (cf. 1 Reg. 25, 44 — de cuius tamen situ nihil certi constat, nisi quod ex hoc loco et 2 Reg. 3, 16? colligitur). Monet, ut *Laisa* sibi attendat et caveat, ut saluti quantum fieri possit prospiciat; commiseratione autem de sorte Anathoth motus o miseram Anathoth gemebundus dolorem significat. De situ Laisa ex hoc solo loco coniectura facienda est. In Anathoth est elegans paronomasia in

hebr. nomen scil. et omen habet, hodie Anâta, quindecim stadiis septemtrionem versus a Ierusalem. Quo magis inundatio Assyriorum (cf. 8, 8) progreditur, eo magis perturbatio et horror augetur; unde v. 31 in hebr. *Madmena fugit, habitatores Gebim cum rebus suis aufugiunt* vel res suas in tuto collocare student; in *vulg.* v. 31 « *migravit Medemena, habitatores Gabim confortamini* »! — intellige de confortatione et fortitudine in rebus suis in tuto collocandis, ne manibus quasi terrore dissolutis nihil efficiant, et horrore perculsi de salute in fuga quaerenda desperent. Ergo non ad resistendum, saltem ad fugiendum animos sumite! De ipsis locis nihil notum est. — Assyrii autem cursu haud interrupto pergunt v. 32 « *adhuc dies est ut in Nobe stetur; agitabit manum suam super montem filiae Sion, collem Ierusalem* »; — hebr. *adhuc hodie in Nobe ad consistendum* i. e. hodie adhuc, aiunt, ad Nobe est perveniendum; ibi paulisper est consistendum, sunt vires colligendae, ut demum uno ictu valentissime impacto urbs prosternatur; « stans scil. in oppidulo Nobe et procul urbem conspiciens Ierusalem agitat manum suam atque concutit super montem Sion » *(S. Hier.)*. Ex ipsis prophetae verbis elucet *Nobe* (uti nomine iam innuitur) non in valle ad El-Isawîje esse quaerendum, verum in monte vel colle, unde pateat in urbem aspectus, ergo forte in parte septemtrionali vallis superioris Kidron in montis iugo (cf. *Riehm,* l. c. II p. 1100). Ibi urbem prospiciens Assur vehementi manuum brachiorumque agitatione minas et interitum intentat urbi; manum vibrat quo fortius ictum letalem infligat. Post complura membra adeo brevia et concitata sermone sollemniore iam utitur propheta et cum emphasi effert, contra quem manum agitet Assur: *super montem filiae Sion, collem Ierusalem:* Sion, Ierusalem Dei scil. habitatio tot promissis exaltata, sedes aeterna regni Dei sempiterni num fieri potest, ut ab incursu Assur prosternatur? Vocibus Sion, Ierusalem iam pignus continetur fore, ut in hoc conamine Assur ruat; quomodo montem percutiat vel collem manuum agitatione perfringat? Unde quam stulte rem appetat Assur suis viribus longe maiorem, vates membro illo atque illa repetitione ad oculum demonstrat.

Sed dum Assur manum agitans iam urbem propediem uno ictu prosternere gestit, v. 33 « *ecce dominator Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore et excelsi statura succidentur et sublimes humiliabuntur,* v. 34 *et subvertentur condensa saltus ferro et Libanus cum excelsis cadet* »; — in hebr. primum quoque membrum metaphoram saltus (cf. v. 14) exprimit: *ecce dominator Iahve Sabaoth decutit ramos cum violentia;* adstat Assur ad instar saltus magnifici; verum ad unum Domini exercituum nutum — sollemnibus titulis in hoc momento sollemni appellatur — pompa illa magnifica corruit; quinquies sacer vates fastum

et pompam et superbiam et magnificentiam et potentiam Assur depingit sed ita, ut quinquies triumphantis in modum casum et ruinam et humiliationem et excisionem eius et internecionem statim adiungat; v. 34 hebr. *et caedit condensa silvae ferro et Libanon per potentem cadit;* i. e. Assur cum gloria sua et maiestate quasi Libanon [1] omnes in sui admirationem rapuit, at splendor ille evanescit, ruit Libanon. Ista sermonis ubertate omnes ordines exercitus Assyriorum iri percussum poetice ac graphice depingitur : rami decutiuntur, excelsae statura arbores cum strepitu cadent et in altitudinem assurgentes exscindentur, condensa silvarum ferro succidentur : nobiles et ignobiles, duces et communis militum turba; demum integram Assyriorum potentiam et pompam montis Libani nomine et comparatione praeclare complexus Libanum ad nutum potentioris corruentem nobis depingit. Dicendi genus aeque sublime est ac graphicum. —*Lagunculam* in textu lat. vel explicant ad modum comparationis : Assyrios tam facile confringet quam lagunculam (cf. *Sanct. Mald. Sa, Mar. Gord.*) vel allusionem esse volunt ad victoriam a Gedeon reportatam (cf. *Malv. For. Lap. Men. Tir.*). « Verbum hebr. פארה [2] *phura* quod Aquila κεραμεῖον interpretatus est, Theodotio Symmachusque verterunt ληνόν, id est *torcular* » (*S. Hier.*); unde discimus *S. Hier.* in Aquilae auctoritatem hoc loco concessisse (*Malv. For.*). Sed vocem cognatam Ez. 17, 6; 31, 5. 6. 8. 12. 13 vertit *propagines, ramos, frondes, arbusta.*

Quid haec incursus itinerisque assyriaci descriptio sibi vult? Estne vera praedictio qua statuatur quo itinere, qua via et quo modo Assur accessurus sit ad urbem oppugnandam? estne mera fictio poetica? Hoc aliqui recentiores affirmant, illud veteres plerumque tenent. Ut quid rei sit deprehendamus, monumenta rerum gestarum sunt consulenda. Iam ipsa s. Scriptura tribus in locis de invasione Sennacherib narrat 4 Reg. 18, 13 seq. 2 Par. 32, 1 et Is. 36, 1; ex istis narrationibus efficitur, Assyrios ascendisse ad universas civitates munitas Iuda, easque obsedisse et si non omnes saltem plerasque cepisse. Neque statim ipsam metropolim est aggressus Sennacherib, sed antea reliquas urbes capere totamque regionem bello occupare voluit, ut demum subsidiis omnibus metropoli subtractis in eam ultimus fieret impetus, qui successu carere non posse

---

1. Notat *S. Hier.* (ad Zach. 11, 3) nihil esse in terra repromissionis excelsius, nihil nemorosius atque condensius Libano; quare comparatio a vate inducta quam aptissima est ad Assur potentiam adumbrandam.

2. Sed probabilissime legerunt פֻּרָה, uti codd. sat multi legunt apud *de Rossi.* Vox פאר significationem habet *ornare, lucere,* unde intelligitur versio LXX συνταράσσει τοὺς ἐνδόξους; sim. *Syrus;* torcularis mentionem facit *Chald.* · proiiciet interfectos in castris eius sicut cum uvae calcantur in torculari.

videretur (cf. 2 Par. 32, 2). Unde antequam belli vis in ipsam urbem Ierusalem verteretur, regem Assyriorum Lachis urbem in parte meridionali Iudaeae sitam obsidentem invenimus; ex ea urbe mittitur Rabsaces cum manu valida ad Ierusalem, ut urbis deditionem postularet. Qui cum re infecta rediret ad regem, eum invenit proeliantem adversus Lobnam (Is. 37, 8. 4 Reg. 19, 8), quae urbs etiam magis ad meridiem Aegyptum versus sita fuisse videtur. Ex qua urbe iterum, cum audisset Tharacam regem Aethiopiae cum exercitu valido appropinquare, nuntios misit ad Ezechiam, ut eum ad subiectionem adigeret. At Ezechias rex in Domino spem collocans omnes minas Sennacherib regis sprevit et ab Isaia confortatur oraculo : « non ingredietur urbem hanc nec mittet in eam sagittam nec occupabit eam clypeus nec circumdabit eam munitio » (4 Reg. 19, 32. Is. 37, 33). Neque tamen exercitus Assyriorum statim peste perculsus interiit. Nam ex prophetae verbis (4 Reg. 19, 29. Is. 37, 30) : « tibi hoc erit signum : comede hoc anno quae repereris; in secundo autem anno quae sponte nascuntur; porro in tertio anno seminate et metite », Assyrios diutius regionem occupasse elucet ita ut solum anno post oraculum illud altero Iudaea penitus ab illis sit liberata (cf. ad Is. 37, 30). Quare ex ipsa s. Scriptura incursus Assyriorum non eo modo cogitandus est, quasi advenientes ex regno israelitico uno impetu per urbes v. 28-32 nominatas Ierusalem versus prorupissent, ibique simul ac constitissent minitantes repentina clade fuissent prostrati.

Id quod ex s. literis de expeditione Sennacherib edocemur, magnam partem vel confirmatur vel suppletur inscriptionibus cuneiformibus; ex iis enim discimus Sennacherib ex Assyria profectum exercitum duxisse in Syriam et Phoenicen; urbem ac ditionem Sidonis esse captam usque ad Acco; regem descendisse cum exercitu itinere ad litus maris mediterranei usque ad Ascalonem; rege Ascalonis Zidka devicto ipsoque cum omni domo sua et diis in Assyriam misso « expeditionem meam prosecutus iter direxi contra Bit Dakan (Beth-Dagon; cf. Ios. 15, 41), Yappu (Ioppe), Banaibarka (Bene Barak; cf. Ios. 19, 45 in tribu Dan), Azur (Hasor), urbes Zidka, quae imperio meo non erant subiectae; eas cepi et habitatores captivos duxi »; dein mentionem facit cladis Aegyptiis illatae prope Altaku (Elthece; Ios. 19, 44 in tribu Dan), quam urbem simul cum Tamna (Thamna, Thimnah Ios. 15, 10; Thimnatah Ios. 19, 43) aggressus est et cepit. Tum arma et iter vertit contra urbem Amgarruna, quam alii explicant Migron (ita *Oppert, Ménant*), alii multo probabilius Accaron (*Rawlinson, Smith, Talbot, Hincks, Fried. Delitzsch, Schrader, Lenormant*); urbe capta et rebellibus vel interfectis vel deportatis Padi regem restituit regno Accaron. « Et Khazakiahu Yahudai

(Ezechias Iudaeae) qui sese non mihi subiecit, quadraginta sex urbes munitas eius et castella et oppida regni eius innumerabilia... expugnavi; ducenta millia centum quinquaginta homines, viros et mulieres, equos, mulos, asinos, camelos, boves, oves innumerabiles abstuli; ipsum sicut avem in cavea, ita in civitate sua Ursalimmu (Ierusalem) inclusi.... ipse Ezechias timore maiestatis meae correptus tributum solvit triginta talenta auri et octingenta talenta argenti » etc. Praeterea exstat monumentum cum inscriptione, Sennacherib recipere spolia urbis Lakis, in quo monumento captivi supplices regis gratiam efflagitant; unde urbem quoque Lachis esse captam certo colligitur [1].

Quae cum ita sint, etiam ex monumentis assyriacis, uti ex s. literis intelligimus incursum Assyriorum non ea ratione, uti ex v. 28 seq. videri posset, in urbem Ierusalem esse factum. Quare hic quoque applicari oportet quod saepius erit monendum, visione prophetica ea quae tempore et loco disiuncta sunt uno conspectu et una imagine exhiberi atque in ea eventum certa quadam ac definita ratione quae ex ipsa prophetia colligi debeat quasi circumscribi ac repraesentari. Unde in ipsa imagine menti prophetae proposita singula quidem quae revera vel per se vel per symbola exprimuntur, vera sunt i. e. aliquid exhibent quod utique accidit, at cavendum est ne singula eadem ratione qua visa sint in rerum eventu exprimi debere censeamus. Cum enim species illa menti exhibita a conditionibus loci temporisque plerumque absoluta in se comprehendat ea quae in rerum natura solum successione quadam exsistant, cum insuper in specie illa non eventus totus exprimatur oporteat, verum solum ea illius quasi pars et ratio, quae in doctrinam vel admonitionem prophetae ingrediatur vel peculiari providentiae divinae administrationi substare sit ostendenda, facile intelligitur, primo aspectu magnum posse intercedere discrimen inter eventum ipsum et eius speciem propheticam neque nobis in specie illa talem praeberi descriptionem qualem a rerum gestarum narratore suo iure exspectamus. Exemplum eius rei illustre cernitur in modo quo v. g. Ezechieli prophetae (9, 1 seq.) urbis destructio in imagine et symbolo ostenditur, quam si cum rerum eventu comparaveris, documenta colligere poteris utilissima, quomodo res humanae in visione prophetica ad normam sublimiorem Dei exactae menti prophetae sistantur.

---

1. De monumentis illis eorumque explicatione vide *Delattre* (Études religieuses, t. 12. 1877, II p. 96 suiv.), Civiltà cattolica 1881 XI, 6 p. 405 etc.; *Vigouroux* (la Bible et les découvertes modernes, 3 edit. IV p. 192); *Schrader* Keilinschr. u. A. T. ad Is. 10, 28. *Kaulen*, Assyrien und Babylonien p. 133 et seq. Textum assyriacum etiam edidit *Friedr. Delitzsch*, Assyrische Lesestücke, 2 ed. p. 100.

Unde ut ad nostrum locum revertamur, Assyrii cernuntur venientes ab aquilone, id quod verum est, quia Assyrii et Babylonii semper a septemtrione ingruentes describuntur; cernuntur invadentes impetu incredibili cui nihil resistat, festinatione summa; idque recte, nam revera urbes munitas Iudaeae aliasque multas ceperunt et pro modo quo Assyrii bellum gerere solebant, ubique horrorem et terrorem spargebant: cernuntur recta via tendentes in Ierusalem; etiam hoc verum est eo sensu quia quaecumque fiunt in expeditione illa saltem in ditione iudaica id potissimum spectant et recte ad id tendunt, ut metropolis omnibus privata subsidiis et undique ab hostibus cincta demum subigatur. Visio igitur prophetalis consilium praecipuum Assyriorum quo omnia ad urbem Ierusalem expugnandam diriguntur, *plastice* ac *graphice* ob oculos ponit. Et si in itinere illo prophetico non via lata incedit exercitus, sed per avia ac devia, per valles angustas ac praecipites quandoque incedit, apte exprimitur, nullis viae impedimentis et obstaculis itineris Assyrios iri retentum. Insuper, ut plena rei veritas oraculo constet, cum omnes urbes Iudaeae captae sint, certum videtur agmina quaedam et turmas militum Assyriorum omnia illa oppida invasisse omnemque illam regionem incendiis, praedatione, vastatione perlustrasse, de qua mentio fit v. 28-32. Propheta igitur non quidem iter illud exhibet quo exercitus maxima pars sit ingressa, at vastationem et horrorem illum describit, quo totam urbis viciniam compleverunt, idque describit dicendi genere poetico atque prophetico. — Quare illi errant qui hisce versibus iter et bellicam expeditionem Assyriorum ita minutatim describi opinantur ut totus eventus narretur, sed etiam illi falluntur, qui in v. 28-32 nihil vident nisi fictionem poeticam. Rei veritas in medio collocatur.

3. *Emmanuel eiusque regnum* 11, 1-12, 6.

Post cladem Assyriorum sermonem inferri de Emmanuele, iam ex ordine quem vates in antecedentibus tenuit exspectamus. Iam 8, 8 audivimus peculiari modo efferri terram Emmanuelis inundari ab Assyriis: «et erit extensio alarum eius implens latitudinem terrae tuae, o Emmanuel»; et simul omnium gentium quae contra Deum assurgant ruinam irritosque conatus vates praedixerat: «congregamini et vincimini . . . quia Emmanuel» (8, 9. 10). Idem nexus aderat 9, 4 seq.: describitur iugum et contritio iugi, sed ratio redditur: «quia parvulus natus est nobis» et ipse ex dignitate sua et regnum eius describitur. Iam eadem est in hac parte rerum series. Praecessit quali iugo Assur sit oppressurus Iudam et quam praeclaro modo iugum eius sit confrin-

gendum, ergo quid aliud erit ad antecedentia consequens nisi ut Emmanuel eiusque regnum nobis exhibeatur, per quem et propter quem haec omnia divinae providentiae consilio disponuntur?

Et arcte quidem ea pars ad antecedentia adnectitur eoque modo, quo indoles regni Dei quam aliena sit a regno mundano et quam longe remota ab omni pompa sed in se virtute divina praedita, quam illustrissime delineetur. Quod ut percipias mentem converte ad duo quae inter se opponuntur : Assur magnificentia ac sublimitate quasi Libanus, quasi saltus densissimus, extollitur, sed ad Dei nutum concidit et quasi evanescit — ex trunco Iesse oritur surculus et surculus ille fit in signum populorum : ex humiliata domo David oritur rex et regnum eius complectitur omnes gentes. Tria proponit vates in quibus discrimen illud inter regnum mundi et Dei regnum luculentissime apparet: ipsum regem Messiam describit (11, 1-5), indolem regni eius (11, 6-9) regnique propagationem (11, 10-16) nobis meditandam exhibet. Quibus additur cp. 12 hymnus laudis et gratiarum actionis quem gloriose redempti cantabunt.

a) Messias rex 11, 1-5.

Ut signum 7, 14 datus *domui David* est conceptus ac partus Emmanuelis. Idem liberationis ac felicitatis auctor, qui *super solium David* et regnum eius sessurus sit, oraculo prophetico 9, 6. 7 nobis est propositus. Iam eundem *ex domo David* esse oriturum vates ostendit v. 1 « *Et egredietur virga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet* » ; — hebr. *et egredietur surculus e trunco Isai et propago ex radicibus eius fructum feret.* Ad versionem notat *S. Hier.* : « pro *radice* quam soli LXX transtulerunt in hebraico scriptum habet *geza* (גֶּזַע), quod Aquila et Symmachus et Theodotio κορμὸν interpretati sunt i. e. *truncum* . . . ut ostenderet quod multo post tempore babylonicae captivitatis, nullo de stirpe David antiqui regni gloriam possidente, quasi de trunco Christus exortus sit ». Ex trunco igitur qui remansit arbore excisa et qui absconditus in terra latet (cf. 6, 13) i. e. ex familia David in humiliatione et oblivione quasi sepulta (cf. 7, 16) soboles praeclara exorietur. Talis ergo erit conditio regni davidici; « qua similitudine docet propheta fore, ut cum regnum Davidis penitus excisum videatur, tamen adhuc maneat truncus aliquis qui repullulascat » (*Mald.* sim. *Euseb. Procop. Osor. Sanct. Malv. Sasb. Mar. Calm. Gord.*); iis scil. iam praeluditur quae malitia regum davidicorum completa demum Deus apud Ezechielem loquitur : « aufer coronam, aufer cidarim; eversionem, eversionem, eversionem ponam illam . . donec veniat cuius est ius et dabo illi» (heb. Ez. 21, 31) et conditio futura eadem fere

imagine adumbratur, qua apud Ezechielem Deus cedro sublimi succisa ramum tenerum servare et in monte Israel plantare dicitur, ut suo tempore «erumpat in germen et faciat fructum et sit in cedrum magnam, et habitabunt sub ea omnes volucres et universum volatile sub umbra frondium eius nidificabit» (17, 23). Truncus iste exhibet tabernaculum David quod cecidit (cf. Am. 9, 11). Vocatur truncus Iesse, Isai; uti scil. David ex humili origine ad thronum et regnum est evectus, ita Messias quoque, vel ut *Mald.* rem explicat, « adeo afflictum iri regnum Davidis, quemadmodum quando ille unctus est rex, familia Isai patris eius minime clara erat, tamen regno divinitus dato in magnam veluti arborem coepit excrescere, ita cum et regnum abolitum et familia eius obscurata esse videretur, ex eadem radice pullulaturum Christum, cuius regni non erit finis». David, ut adnotat *Sanct.*, ignominiae causa a Saul et a populo nonnunquam vocatus est filius Isai; voluit ergo indicare propheta, nihil Emmanueli accessurum esse gloriae ex splendore regio, sed potius regem ipsum David et totum Iudaeorum genus ab ipso futurum esse gloriosum. Commemorato Isai simul ortus ex Bethlehem innuitur, quia ibi Isai vixit et fructum tulit i. e. genus propagavit, dum David in Sion et Ierusalem sedem fixit familiamque auxit; unde ea quoque ratione Isai nominari probabile est, praesertim cum Michaeas quoque aequalis Isaiae post tempus ignominiae atque opprobrii Dominatorem Israel ex Bethlehem prodeuntem vaticinetur (cf. ad Mich. 5, 1 seq.). Messias rex igitur in ea quoque re similitudinem exprimit Davidis, quia uti hic ex Bethlehem oriundus et ex familia humili tamquam surculus ex radice Iesse fructum tulit, regnum condidit et rex theocraticus bella Domini gessit, ita Messias rex ex eodem viculo atque ex eadem familia iterum in humilitatem atque fere in oblivionem redacta oriundus fructum feret, regnum fundabit universale et sempiternum. Qualem laturus sit fructum, vates a v. 3 seq. proponit. Radice Iesse assignata apertius declaratur, quomodo germen Domini simul sit fructus terrae (4, 2).

Locum esse messianicum etiam paraphrasi chaldaica declaratur. Ita enim habet *Chald.* : et egredietur rex de filiis Iesse et Messias (Unctus, משיחא) de filiis filiorum eius excrescet. Et *S. Hier.* simpliciter asserit : « virgam et florem de radice Iesse ipsum Dominum Iudaei interpretantur, quod scil. in virga regnantis potentia, in flore pulchritudo monstretur ». Atque ita Iudaeos de Messia interpretatos esse, ex rabbinorum quoque testimoniis constat; vide v. g. quae affert pluribus locis *Galatinus* (de arcanis cath. verit. 5, 1; 8, 1; 10, 4) et quae ex Iarchi, Abarbanel, Kimchi in medium attulit *Reinke* (ad h. l.). Nihilominus aliqui ex Iudaeis (Moses Hakkohen, Abenesra) et quidam ex protestantium castris (*Grotius, v. der Hardt, Hensler, Paulus, Hezel, Bahrdt, Augusti,*

Hendewerk) verba ad regem Ezechiam transferri volebant[1]; contra quos advertit ipse rationalista *Kn.*, id fieri nullatenus posse quia rex qui hic describatur adhuc nascatur oporteat ex v. 1 et quia v. 1-5 magnus ille filius David 9, 6 seq. depingatur ; sensum esse v. 1 : ex prosapia Isai patris Davidis nasciturum esse Messiam. Praeterea aliqui de Zorobabele explicarunt, de quibus *Theod.* ita censet : lacrimis vero digna est Iudaeorum stupiditas qui prophetiam hanc affingunt Zorobabeli qui neque Iudaeis omnibus praefuit, sed paucis quibusdam, gentibus autem nullo modo ». SS. Patres, interpretes catholicos et plerosque quoque ex protestantibus caput hoc de Christo Domino interpretari, probatione non indiget (plura congessit *Reinke* ad h. l., et *Tailhan* in editione Analysis biblicae Kilber I p. 359). Res ex ipso vaticinii contextu nimis clare elucet, cum aperte constet prophetam de eodem de quo 9, 6 sermonem instituerat iam iterum verba facere, ut regnum eius ibi adumbratum hic uberius clariusque describat.

Aliqua tamen varietas inter ipsos catholicos deprehenditur in explicatione vocum singularum. Explicat enim *S. Hier.* : « nos autem virgam de radice Iesse sanctam Mariam virginem intelligamus, quae nullum habuit sibi fruticem cohaerentem, de qua et supra legimus : ecce virgo concipiet et pariet filium ; et florem Dominum Salvatorem, qui dicit in Cantico Canticorum : ego flos campi et lilium convallium ». Quam explicandi rationem post *S. Hier.* iisdem fere verbis amplexi sunt multi v. g. *Haimo, Herveus, S. Thom. Pint. Sanct. Lap. Men. Tir. Gord.* Verum contra eam explicationem iam merito dubia moverunt *Sasb.* et *Est.* Et certe si plerique exponunt : ex stirpe virga nascetur et ex virga postea nascetur flos, id dicunt quod in textu non habetur, in quo scil. nihil adest nisi parallelismus *synonymus* : ex trunco ascendet surculus et ex radicibus (i. e. ex trunco, non ex ipso surculo) propago feret fructum ; idem autem habes in textu lat. : virga de radice, flos non de virga, sed etiam de radice ; idem cernitur in textu graeco : ῥάβδος ἐκ τῆς ῥίζης Ἰεσσαί καὶ ἄνθος ἐκ τῆς ῥίζης. Quare in utraque appellatione unum designari Messiam recte censent *S. Cyr. Euseb. Theod. Procop. Osor. For. Vat. Calm.* et plerique recentiorum. Voces ipsas ita fere explicat *S. Cyr.* : *virga* designari regiam dignitatem (cf. Ps. 44, 7), vel dici eum virgam, quia omnia in recto statu conservet et quod infirmum sit faciat consistere ; vel virga declarari munus pastoris boni (cf. Mich. 7, 14) vel etiam iudicis ac vindicis malorum (cf. Ps. 2, 9) vel munus sacerdotale, cum virga Aaron floruerit et in sancta sanctorum illata sit ; *florem* autem appellari, quoniam hominis natura in illo ad incorruptionem et ad novitatem conversationis evangelicae refloruerit, vel propter suavem fragrantiam et odoris suavitatem (sim. *Procop. Pint. Lap.*). Vide *Corluy*, spicil. dogm. bibl. I p. 440.

Multorum est opinio eaque haud improbabilis, h. l. in hebr. נֵצֶר inveniri quod allegat S. Matthaeus : « dictum est per prophetas : quoniam Nazaraeus vocabitur » (2, 23). Ita *S. Hier.* : « illud quod in evangelio Matthaei omnes quaerunt ecclesiastici et non inveniunt ubi scriptum sit, *quoniam Nazaraeus vocabitur*,

---

1. Etiam *Barh.* historice (corporaliter) de Ezechia et typice (spiritualiter) de Messia verba valere vult.

eruditi Hebraeorum de hoc loco assumptum putant. Sed sciendum quod hic *neser* per *sade* literam scribatur, cuius proprietatem et sonum inter *z* et *s* latinus sermo non exprimit. Est enim stridulus et strictis dentibus vix linguae impressione profertur, ex qua etiam Sion urbs scribitur. Porro Nazaraei quos LXX *sanctificatos*, Symmachus *separatos* transtulerunt, per *zain* semper scribuntur elementum ». Si hoc loco rem videatur in medio relinquere vel potius ad explicationem ex נָזִיר petitam confugere, alibi tamen priorem firmiter asserit; v. g. in epistola ad Pammachium de optimo genere interpretandi : « discant in Isaia positum. Nam . . . in hebraeo iuxta linguae illius idioma ita scriptum est : exiet virga de radice Iesse et Nazaraeus de radice eius crescet » (*M.* 22, 574). Quam sententiam multi interpretum adoptarunt v. g. *For. Malv. Mald. Salmeron, Barradius, Lap. Mar. Gord. Sa, Est. Men. Calm.* et ex recentioribus protestantibus *Hengstenberg* (Christologie, II p. 124), *Drechsl. Del.*, ex catholicis *Schegg* (eam explicationem saltem non esse reiiciendam), *Reinke, Rohl.* (sed num apud Matth. solum « eine geistreiche Anwendung » un aperçu ?), *Troch. Schanz* (Commentar über d. Evang. d. h. M. p. 114) *Corluy* etc. — De aliis sententiis luculenter tractarunt *Riggenbach* in Studien und Kritiken 1855 p. 601-612 et *Schanz* l. c. — id quod latius prosequi non est huius loci.

Uti in v. 1 humana Messiae origo eaque humilis declaratur, ita in seq. exponitur quantis donorum omnium thesauris sit instructus, ita ut si vilis videri possit *externe, interne* in se condat omnem divinitatis plenitudinem, in hoc quoque exprimens in se indolem operum divinorum quae utut nihil habere videntur splendoris humani, pompae, fastus, ita in se opes immensas sapientiae et beatitatis reconditas habent. Tali autem coelesti supellectile cum praeditus describatur, statim explicatio adiungitur ad ultimum v. 1 membrum, quomodo scil. fructum sit laturus (hebr.) ; v. 2 « *et requiescet super eum spiritus Domini : spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis,* v. 3 *et replebit eum spiritus timoris Domini* » ; — statim perspicitur verbis istis exprimi in Messia esse Spiritus Dei donorumque coelestium plenitudinem atque permanentiam (de qua re h. l. praeclare agunt *S. Hier. Cyr. Theod. S. Thom. Sanct. Sasb. Pint. Lap.*), « et quomodo idem sermo Domini vocatur lux et vita et resurrectio, sic spiritus sapientiae et intellectus et consilii et fortitudinis et scientiae et pietatis ac timoris Domini nuncupatur, non quod diversus sit iuxta differentias nominum, sed unus atque idem cunctarum virtutum fons sit atque principium » (*S. Hier.*); et eundem in modum *S. Cyr.* : « uni autem Spiritui multiplicem tribuit efficacitatem ; nec enim alius est Spiritus sapientiae, alius intelligentiae... at quemadmodum unum est ex Deo Verbum, energia autem et efficientia vocatur multipliciter (vita namque est et lux et virtus), sic etiam in S. Spiritu intelliges : unus enim cum

sit, intelligitur multipliciter et sic etiam operatur ». — Hisce in universum dictis iam singula expendamus. Spiritus Domini dicitur induere Gedeon (Iud. 6, 34) et Gedeon fit salvator populi oppressi; idem Spiritus fit super Iephte, super Samson ita, ut praeclara facinora edant; idem Spiritus implevit Beseleel et cuncta quae ad sanctuarium necessaria erant ab eo arte exquisita fabrefiunt (cf. Iud. 11, 29; 13, 25; 14, 6. 19. Ex. 31, 3; 35, 31); idem Spiritus insilit in Saulem et prophetat et mutatur in alium virum (1 Reg. 10, 6); idem Spiritus loquitur in prophetis, mentem divina luce perfundit, eos reddit « civitatem munitam et columnam ferream et murum aereum » (Ier. 1, 18) etc. Unde Spiritus Domini ipsum dicit Deum quatenus vi ac virtute sua et luce hominis mentem animumque pervadit et penetrat, hominis actiones sibi reddit subservientes et hominem ipsum ad maiora et intelligenda et perpetranda evehit. Primum igitur de Messia enuntiatur, eum permanenter influxui divino Deoque in se inhabitanti substare ac vi ac virtute divina perpetuo regi, luce divina perenniter collustrari. Atque haec plenissima Spiritus Dei infusio ac communicatio primo loco iure merito commemoratur in Messia, insigni Davidis filio alteroque Davide, quia etiam de primo Davide simulatque eum a Deo electum esse audivimus, haec legimus : « tulit ergo Samuel cornu olei et unxit eum in medio fratrum eius et directus est Spiritus Domini a die illa in David et deinceps » (1 Reg. 16, 13).

Quanta vero copia ac plenitudine Spiritus Dei induat alterum Davidem, insigni hac enumeratione qua longiorem vel sublimiorem in donis Dei recensendis nullibi inveneris, aperte declaratur. Tali enim amplitudine ad oculum demonstratur in ea sobole davidica inhabitare plenitudinem, vel ut *S. Hier.* notat, omnia ita in eo concludi, « ut absque Christo nec sapiens quis esse possit nec intelligens nec consiliarius nec fortis nec eruditus nec pius nec plenus timoris Dei ». Plenitudo haec qua non ad mensuram dat Deus spiritum et de qua nos omnes accepimus (Ioan. 1, 16; 3, 34), sacro exprimitur quoque numero septenario. Uti enim numero septenario opus creationis benedictionisque rerum creatarum continetur, uti eodem numero Deus operans et in sua beatitate quiescens nobis exhibetur, uti eodem numero tota hominis vita distributa atque religioni adnexa cernitur, ita eodem numero complexum quendam universalem ac plenitudinem exprimi illis ipsis exemplis illoque numeri usu suadetur.

Quodsi autem singulorum explicationem postulaveris, haec ex verborum significatione usuque in s. literis obvio dicenda sunt : *sapientia* quidem latissime dicitur; complectitur enim rerum cognitionem omnium rectumque de illis iudicium et praeprimis investigationem ac notionem rerum absconditarum, ita tamen ut in sacris literis is solum sapiens

dicatur sensu vero, qui res non solum uti in se sunt cognoscat, verum qui praeprimis res ad Deum auctorem ac iudicem rerum referens quasi notione divinitus hausta eas aestimet. Quare *sapientiam* recte descripseris cognitionem rerum ex luce et communicatione divina acceptam qua fit ut res omnes vere ac rite, uti apud Deum sunt, quasi ex norma divina aestimentur ac proinde ex hac cognitione ad finem supremum quem Deus opifex praefixit ordinentur. Ut autem sapientis species ac forma, prout in libris sapientialibus proponitur, absolvatur, addatur oportet ea sapientiae pars, qua quis quae ipse perspexit etiam sermone eleganti, polito, acute dictis illustri et exemplis et apophthegmatis ad persuadendum aptis condito valeat cum aliis communicare. *Intellectus* autem בִּינָה vi vocis denotat acrem discernendi ac diiudicandi vim et virtutem, ex qua igitur vera in agendo prudentia enascitur. Quam in rem bene notat *For.* sapientiam (חָכְמָה) esse lucem ac cognitionem rerum, בִּינָה vero iudicium quod ex hac sapientia oriatur, quo inter res discernamus, sicuti *nabun* est intellectu seu prudentia praeditus, qui in rebus agendis industriam habet et peritiam.

Haec duo iam praebent basin ac fundamentum pro *consilio*, quo scil. dono instructus in rebus difficilibus quid factu opus sit non solum videat, verum etiam cum aliis ita et velit et possit communicare, ut eis sit auxilio et saluti. Spectatur igitur facultas et voluntas thesauros sapientiae et cognitionis ita adhibendi et aliis quoque elargiendi, ut hostium calliditate insidiisque dissipatis emolumentum piorum promoveatur et contra omnes difficultates vindicetur. Huic tamquam operis effectrix accedit *fortitudo,* animi robur invictum ac constans, quo quae bene cognita et optimis consiliis decreta sunt, pari alacritate et vigore ac perseverantia operi mandantur. Cunctis autem subest tamquam fons et radix *scientia,* Dei cognitio in intellectu et *pietas* et *timor,* amor Dei et maxima eius reverentia in voluntate. Ita demum totus homo in omnibus suis facultatibus, sensibus, actibus divino spiritu imbutus ac motus apparet. Quae cum de Messia enuntientur, quid aliud dicunt nisi omnem divinitatis plenitudinem in eo inhabitare omnesque eius vitae actus uti a divino Spiritu animentur, ita ad Dei gloriam hominumque salutem referri? Hisce instructus simul quid nomina illa 9, 6 imposita velint: admirabilis,. consiliarius.. declarat.

Numerum indicari *septenarium* etiam in textu hebr. omnes etiam protestantes ultro fatentur, quamvis in modo perveniendi ad numerum hunc sacrum ab acceptione in textu lat. expressa recedant. Statuunt enim primo poni spiritum Iahve tamquam donum maxime amplum, cuius effectus singuli sex virtutibus exprimantur ita ut binae arctius inter se connectantur. Ita v. g. *Del.* septem esse

spiritus qui ordine enumerentur inverso, cum *timor Domini* fundamentum sit ac basis omnium (Prov. 1, 7. Iob 28, 28. Ps. 111, 10), *spiritus* autem *Domini* sit quasi cor ac centrum omnium ; ita spiritum Domini comparari posse stipiti candelabri sacri et tria illa virtutum paria lucernis e stipite prodeuntibus. Similiter *Naeg.* aliique. Praeterea monent ex nostro hoc loco doctrinam de septem spiritibus esse haustam quae Apoc. 1, 4 ; 3, 1 ; 4, 5 ; 5, 6 exprimatur. Sed id paucis tangi oportet rectene dona recenseantur, ita ut *pietas* et *timor* Domini tamquam duo dona distinguantur, cum in hebr. una eademque vox יִרְאַת י' usurpetur. Qua de re aliqui dubitant (cf. *Sasb. Sanct.*) et *Calm.* simpliciter asserit nonnisi sex dona in hebr. recenseri. At immerito. Ea est enim amplitudo timoris Domini in sacris literis, ut iure et pietatis et timoris vocabulo explicetur, quo magis singula quae in illo ambitu lateant percipiantur. Complectitur enim timor omnem erga Deum observantiam, religionem, pietatem ; quare uti principium et initium sapientiae vocatur (Prov. 1, 7 ; 9, 10. Eccli. 1, 16), ita quoque appellatur omnis sapientia, corona sapientiae, paradisus benedictionis etc. (cf. Eccli. 1, 16 ; 19, 18 ; 40, 28).

Iuvat quoque adnotare qualem nexum et ordinem donorum *S. Thom.* statuat h. l. : « dona perficiuntur aut per recessum a malo et sic est timor, aut per accessum ad bonum, et sic vel secundum vitam contemplativam vel secundum activam. Si secundum contemplativam, aut secundum contemplationem finis et sic est sapientia, quae est de causis altissimis, aut de his quae sunt ad finem, et sic est intellectus. Si secundum activam, aut quantum ad ea ad quae tenentur omnes et sic exsequens est pietas quae est benevolentia in eos qui fide vel imagine Dei sunt nuntii, dirigens scientia ; aut de his ad quae non tenentur omnes, et exsequens est fortitudo, ut exponat se difficilibus, dirigens vero consilium ». Vide quae de donis eorumque ordine docet *S. Gregorius* (hom. in Ezech. l. 2 hom. 7 ; *M.* 76, 1017) ; quomodo in Christo fuerint, bene exponit ad h. l. *Rup.*

Adhuc expediendum restat, quomodo textus hebr. v. 3 concipi debeat. Fert enim textus mas. וַהֲרִיחוֹ בְּיִרְאַת י'. Veteres interpretes, uti LXX, *S. Hier. Chald. Syrus* non infinitivum sed verbum finitum legerunt idque in notione *inspirandi* accepisse videntur. Ita certe LXX : ἐμπλήσει αὐτὸν πνεῦμα φόβου Θεοῦ ; ita *S. Hier.*; *Syrus* praebet : et exorietur in timore Domini ; *Chald.* : et applicabit eum ad timorem suum Dominus. Et si analogiam linguae spectaveris, negare non poteris רוח verbum denominativum in hiphil ad eam significationem posse accommodari. Uti enim Hebraei a voce שֹׁרֶשׁ *radix* formant denominativum in hiphil *radices agere*, uti ex קֶרֶן similiter *cornua producere* et sim., ita non videtur esse ab usu hoc alienum, ut a רוח verbum oriatur quod *spiritum augeri*, *impleri* vel spiritum producere i. e. aliquem tali spiritu imbuere significet. Quamvis fateri oporteat verbum הֵרִיחַ alibi hac notione non adhiberi ; usurpatur enim ex ipsa *vulg.* interpretatione pro *odore perfrui* (Ex. 30, 38), *odorem suscipere* i. e. sibi complacere (Lev. 26, 31. Am. 5, 21), *odorari* (Gen. 8, 21. Deut. 4, 28. 1 Reg. 26, 19. Ps. 115, 6. Iud. 16, 9. Iob 39, 25), *sentire* (Gen. 27, 27). Quare interpretes a veterum acceptione recedentes ex usu alias obvio explicant vario tamen modo ; v. g. *For.* : respirare ipsius erit in timore Domini i. e. nihil nisi timorem, reli-

gionem ac pietatem spirabit; sim. *Mar. Calm.*; *Sanct.* : olere faciet eum timorem Domini i. e. quocumque aut opere aut loco odorem emittet ex se timoris Domini; *Vat.* odorari faciet eum timorem Domini i. e. parvo indicio agnoscet illum qui fuerit iustus ac timens Deum; alii, uti *Malv. Mald. Lap.* varias proponunt explicationes pro nulla certum ferentes iudicium; « inspirabit ei, aut odorari faciet eum in timore Domini i. e. iudicare, discernere; aut olfactio eius » (*Mald.*). Atque in eadem varietate recentiores deprehenduntur; alii enim explicant vel ut *Vat. Vitringa* et iam *Abenesra*, agnoscere, deprehendere qui sit timens Deum; ita *Lowth, Eichhorn, Umbreit;* quae tamen explicatio satis ieiuna videtur; alii : nihil spirat nisi timorem Dei; ita *Herder, Hensler, Paulus, Hendewerk, Ewald, Naeg. Bred.*, cui expositioni usus praepositionis ב obstat; cum ea enim verbum הֵרִיחַ notionem induit *delectari* aliqua re; unde plerique ei interpretationi acquiescunt : delectabitur timore Dei; cf. *Ges. Hitz. Hengstenberg, Drechsl. Kn. Reinke, Bade, Rohl. Troch.*; vel odor suavis est ei timor Domini *Net.* vel timor Dei quem in aliis deprehendit, ei est odor suavitatis *Del.* — Sed cuicumque demum acceptioni palma datur, id semper constat, timorem Dei, reverentiam, pietatem singulari quadam et excellenti ratione animo indi Messiae. Quare hac quoque consideratione adhibita et numerus proponitur septenarius et ea quae fieri solet horum donorum enumeratio suo fundamento non destituitur. Vide *Bade* l. c. p. 125.

« Iam hic se produnt Spiritus sancti donorum opera » (*Sanct.*). Talibus enim instructus quam maxime aptus est et dignus qui regnum iustitiae fundet atque administret. Homo saepe externa rerum specie qua humani capiuntur et falluntur oculi decipitur; in rebus cognoscendis saepe fidere debet aliorum testimoniis qui fortasse ipsi quoque vel falluntur, vel partium studio et aliis animi commotionibus quominus rem sincere, integre, pure introspiciant misere impediuntur. Non ita Messias rex : « *non secundum visionem oculorum iudicabit neque secundum auditum aurium arguet* »; — interiora enim introspicit eaque quae hominum solertiam plerumque fugiunt (*Sanct.*); iudicat non secundum ea quae patent, ut homo, sed secundum ea quae latent, ut Deus (cf. 1 Reg. 16, 7. *Mald.*). Quia externa specie non ducitur, longissime abest a partium studio (*S. Hier. Mar. For.*), a fallacia quam simulata pietas quandoque bonis quoque iniicit (*Malv. Lap. Men. Tir.*), ab errore omni cui hominum iudicia et testimonia obnoxia esse possunt. Id praeprimis effertur versione graeca : non secundum gloriam (δόξαν) iudicabit, neque secundum sermonem (λαλιάν) arguet; « digna res Deo summaeque naturae consentanea » (*S. Cyr.*), neque enim hominum auctoritate, potentia, opibus movetur, verum sola veri iustique norma, quam sanctione potentissima munitam in opus deducet. Ita v. 4 « *sed iudicabit in iustitia pauperes et arguet in aequitate pro mansuetis terrae et per-*

cutiet terram virga oris sui et spiritu labiorum suorum interficiet impium » ; — in oppositione ad oppressionem iuris iustitiaeque quam impii perpetrant (10, 2. 3), et ad conculcationem gentium non paucarum quam regnum Deo adversarium affectat (10, 7), Messias rex *afflictis* et *miseris* (hebr.) opem fert, eorum iura tuetur causamque agit, iis se benevolum praebet, terribilem vero ac vindicem oppressoribus. Et quanta potentia eos prosternere poterit ? Quali *fortitudine* sit instructus, ex eo elucet quia *os eius*, i. e. effatum ac iudicium eius est sicuti *virga* qua adversarium percutit ; sententia eius, immo nutus eius vel halitus labiorum i. e. minima eius voluntatis significatio *impium* qui scil. iustitiae per Messiam stabiliendae repugnat, interficere potest. Alter ergo David, uti afflictis summam affert benignitatem, ita superbis Dei iustitiaeque inimicis perniciem summam ; vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti (Hebr. 4, 12). Uti versu antecedenti Messias tamquam cordium scrutator describitur (cf. Luc. 7, 39 ; 19, 5. Ioan. 2, 24 ; 4, 18. 19 ; 6, 64), ita h. l. eum cernis delineatum, qui pauperes et afflictos *beatos* praedicat in evangelio, qui *pauperes evangelizari* tamquam notam sibi peculiarem Messiaeque propriam statuit (cf. Matth. 5, 3 ; 11, 5.). Atque simul cum Messia benevolentissimo nobis exhibet triumphatorem invictum, qui quidem non armorum strepitu neque tumultu bellorum, sed suo verbo, imperio, sententia, iudicio (*Mald.*) i. e. ipsa veritatis iustitiaeque vi et valore cui eius accedat voluntas, ergo armis spiritualibus adversarios deiiciet. Ecce lex fundamentalis regni messianici ! Omnis Christi adversarius intelligitur *impius*, a fortiore ergo etiam ille, quem docente revelatione fore scimus totius impietatis quasi caput et fastigium, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui (2 Thess. 2, 8) ; neque tamen opus est eum solum h. l. (*Bade*) intelligere.

In benevolentia autem et in vindicta id unum prosequitur, ut iustitia stabiliatur et quae a Deo promissa sunt fideliter in opus deducantur. Quare omnia complectens et absolvens vates hanc nobis Messiae speciem ob oculos ponit : v. 5 « *et erit iustitia cingulum lumborum eius et fides cinctorium renum eius* » ; — cf. Apoc. 19, 6 ; cum vestis sit hominis indumentum aeque atque ornamentum, dona illa et virtutes quibus indutus quis se coram aliis maxime manifestat, haud raro vestibus comparantur (cf. 59, 17. Iob 29, 14. Ps. 103, 2 ; 108, 18. 19 etc.). Praeterea cingulum in praecipui ornamenti loco habebatur ; cingulo vestes defluentes sinusque continebantur, quo incessus, cursus, operatio esset expeditior ; unde accinctus idem est qui expeditus, paratus, alacer est ad opus subeundum, et demum cum cingulum arcte adhaereat ad lumbos viri, in eo unionis quoque ac amoris symbolum cernitur (cf. Ier.

13, 11). Unde iustitia ornamentum est Messiae ; hanc habet comitem perpetuam (*Sasb. Sanct. Mald. Sa*) eamque maxime familiarem (*For.*), hac accinctus et armatus perpetuo est ad opus expeditus et consistet invictus (cf. *Mar.*), huic quoque maximo amore et societate individua coniungitur. Idem dic de *fidelitate*. Duo haec, iustitia et fides, frequenter in s. literis coniuncta invenies et dicta de Deo (Ps. 32, 4. 5 ; 35, 6. 7 ; 144, 13 etc.) et de Messia (Ier. 23, 5 ; 33, 15. Ps. 71). Illa declaratur ea rerum conditio quae a Deo pro providentiae suae consilio instituitur, hac autem, quo studio, qua fidelitate et perseverantia promissa a Deo data opere sint exsequenda. Unde istis duobus et munus Messiae et ipsius Messiae mores, studia, desideria egregie adumbrantur simulque in aperto collocatur, qualis restauratio a Messia sit exspectanda. In antecedentibus enim sacer vates et apud Israelitas (cf. cap. 5 ; 10, 1 seq.) et apud Assyrios varia accusaverat iniustitiae genera ; proinde in rege Messia accincto iustitia et fide ea praesertim vulnera sanari proponit, quibus genus humanum sauciatum iacuit. Quare post multiplicem Israelitarum apostasiam et infidelitatem, post ferocem Assyriorum saevitiam, crudelitatem vates nobis exhibet iustitiam et fidem Messiae, quo melius cognoscamus in eo demum omnium bonorum fontem unicum esse constitutum et quo ardentiore desiderio ad eius salutem et amorem feramur.

b) Symbolum pacis messianicae 11, 6-9.

Talis igitur Messias et rex qualem eum 11, 1-5 consideravimus, cum generi humano detur, iam quanta simul bona cum eo hominibus proponuntur! Hanc bonorum beatitatisque copiam delineare vates aggreditur, eam autem symbolo nobis repraesentat pacis perfectissimae. Quod quam apte ad antecedentia fiat, explicatione non indiget. Quid enim descripta ruina regni iudaici (cap. 3. 5) et Assyriorum saevitia proposita iam gratius incidere potest et quo animi magis ad Messiam alliciantur, quam summae pacis ac felicitatis descriptio? Et quid iustitiam illam a Messia stabiliendam magis commendat, quam insignia eius iustitiae bona? Iam vero *pax* omnia illa bona in se complectitur. Uti enim peccato homo factus est a Deo alienus et proinde simul terra maledicto obnoxia, ex qua discessione a Deo omnia demum mala inexhausta fecunditate pullularunt, ita in reconciliatione cum Deo et pace omnia bona concluduntur.

Iam sacer vates pacem non tam verbis, quam *imagine, symbolo* nobis ob oculos ponit. Quem in finem talem nobis depingit rerum conditionem talemque terram, in qua quae eousque odiis, caedibus, ferocitate inter se erant divisa et interitum inter se afferentia, iam summa concordia, tran-

quillitate, securitate vivere atque inter se agere cernuntur ablata omni caede, omni nocendi cupiditate et virtute veneni evacuata : v. 6 « *Habitabit lupus cum agno et pardus cum hoedo accubabit; vitulus et leo et ovis simul morabuntur et puer parvulus minabit eos;* v. 7 *vitulus et ursus pascentur; simul requiescent catuli eorum et leo quasi bos comedet paleas;* v. 8 *et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, et in caverna reguli qui ablactatus fuerit manum suam mittet* » ; — in hebr. v. 6 *vitulus et leo et bos saginatus simul;* illa igitur impune ac secure [1] cum leone versantur, quae alias aut teneritudine carnis aut pinguedine naturam leonis quam maxime ad devorandum stimulare solent; v. 7 hebr. *vacca et ursus;* v. 8 infans lactens delectabitur, secure ludet ad foramen aspidis; ultimum membrum aliqui vertunt : et ad oculos lucidos [2] basilisci extendet manus (sim. *Chald. Saadias, Kimchius, Abenesra,* quos sequuntur *Del. Bred. Rohl.*), vel ad coronam reguli (*Hitz.*), sed plerique retinent explicationem : in cavernam basilisci manum ducet.

Sensus sane in universum is est, quem *Sanct.* describit : ad eam aequitatem rediget Emmanuel ea quae toto coelo antea diversa erant, ut infimi iam et summi, robusti atque infirmi, moribus ac natura dissidentes communem iam vitae consuetudinem amplexi eodem utantur vivendi genere neque alii ab aliis quidquam sibi metuant aut cavendum putent. Hancque concordiam ac securitatem pluribus imaginibus depingit quibus quae inter se sociari nequeant summa pace coniungit. In tota autem descriptione hac cerni oportet symbolum quod adhibet propheta ad regnum pacis non verbis, sed rebus, imaginibus quasi per modum parabolae vel metaphorae depingendum. Quem in finem imagine hac pastoritia quasi novam terram, novam creaturam nobis proponit, in qua nihil saevi, crudele nihil inveniatur, verum placida regnet beatitas. Sed cur propheta eligit symbolum ex natura ratione carente depromptum? Causa vix alia reddi potest quam ea quae cernitur in arcto nexu inter hominem et naturam. Uti enim homine peccante etiam terra maledicto est percussa et uti propter hominum peccata etiam terra vastitate, inundatione, sterilitate affligitur (Gen. 3, 17. Os. 2, 12; 4, 3. Mich. 1, 4. Nah. 1, 3. Hab. 3, 6. Soph. 1, 3 etc.) et quidem, ut omnis creatura ingemiscat (Rom. 8, 22), ita sollemne est in vaticiniis messianicis gloriam ac prosperitatem describere redundantem ab homine redempto in ipsam rerum naturam eamque ad quandam claritatem et miram amoe-

1. Locos similes poetarum ad h. l. collegerunt *Sanct. Lap. Ros. Ges.*

2. Vox scil. מְאוּרָה ab iis ad אוּר lux refertur. Alii idem etymon sequentes explicant foramen per quod lux illabitur in cavernam (cf. *Ges.*). Alii vocem eandem esse censent ac מְעָרָה; idque membro parallelo commendatur et versione LXX, *Syri, S. Hier.* suadetur.

nitatem elevantem (cf. ad Os. 2, 21. Ioel 3, 18. Am. 9, 13 etc.). Idque iure merito. Nam si ipsa rerum natura clarior redditur ex eo quod homo est redemptus, quanta esse censenda sit redemptionis ac redemptoris gloria facile concipitur, quippe quae ex redundantia quadam sua in ipsam rerum naturam suum diffundat splendorem. Quare eo modo salus ipsa messianica praeclare celebratur et etiam mentibus crassioribus efficaciter laudatur. Insuper cum in paradiso natura homini esset plane subiecta (cf. Ps. 8), ad Christi restitutoris omnium dignitatem et excellentiam describendam omnino pertinet, ut quaecumque peccato amissa sint, per ipsum abundantissime restituta nobis repraesententur. Atque haec sunt doctrinae capita quibus symbolum a vate depictum innititur. Adde simul cum homine creaturam iri glorificatum [1] (Rom. 8, 21).

Si dico *symbolum,* iam limites assignavi qui in ipsa explicatione transiliendi non sunt. Ad symboli enim veritatem minime requiritur, ut omnia eo modo quo in symbolo repraesentantur, re et opere exprimantur; verbalem igitur ac literalem impletionem excludimus iuremerito eamque ex ullo capite asseri posse negamus. In symbolo enim res adhibentur in figuram ac repraesentationem aliarum rerum; proinde ipsae res symbolicae nequeunt esse eaedem cum iis quarum sunt symbola; insuper quia sunt symbola, non possunt in eodem ordine atque in eadem forma transferri in seriem rerum exsistentium; alias iam non essent symbola, sed ipsae illae res repraesentandae. Cur autem in hac prophetia symbolum sit agnoscendum, paucis erit probandum, cum non desint qui hoc quoque vaticinium ad literam esse explendum censeant. Sed haec sententia omni caret fundamento. Cum enim certum sit *naturam* rerum peccato non esse mutatam, aeque certum esse debet ablatione peccati naturam animalium non in aliam transmutari. Sed si verba illa ad literam essent explicanda, animalium natura ita penitus esset mutanda et abolenda, ut iam lupus cessaret esse lupus, pardus iam non esset pardus et leo iam penitus naturam leoninam exuisset. Deus autem has naturas ut tales condidit ante peccatum hominis et quae creatione et institutione naturae facta sunt, in sua indole stabilia manent; Deus enim quae creavit conservat, nullo pacto ea retractat, mutat, abrogat. Proinde hisce in terris talem rerum mutationem exspectare, plane est contra ordinem providentiae divinae. Ergone erit talis mutatio in *nova terra* quam post filiorum Dei glorificationem docente revelatione exspectamus? Sunt qui id affirment. Sed in quantas absurditates etiam in literali explicatione incidunt? Erunt igitur lactentes in nova terra; sed in regeneratione ne-

1. De hoc loco vide quae scripsit *Zingerle* (Zeitschrift f. kath. Theologie, Innsbruck 1880 p. 651-661) oraculum non esse intelligendum literaliter et referri etiam ad vitam beatam.

que nubent neque nubentur; quomodo ergo lactentes infantes, vel ablactati ? Eritne beatitas messianica pro puero in officio pastoris quod subire debebit constituta ? Et si leo comedit paleas, ergo etiam in nova terra iterum erit vitae organicae destructio !

Sensu literali oraculum hoc explicarunt chiliastae, inter quos S. Irenaeus (contra haer. 5, 33; *M.* 7, 1214) et Lactantius (Instit. 7, 24; *M.* 6,809) quibus etiam aliqui recentiores accedunt v. g. *Hengstenberg, Drechsl. Bade, Schegg, Del.* et cum aliqua dubitatione *Naeg.* In sententiam chiliastarum ubique acerbe invehitur *S. Hier.* (cf. in meo Comment. in Proph. min. I p. 336); ad h. l. haec inter alia habet : « haec quoque Iudaei et nostri iudaizantes iuxta literam futura contendunt, ut in claritate Christi quem putant in fine mundi esse venturum omnes bestiae redigantur in mansuetudinem et pristina feritate deposita lupus et agnus pascantur simul, et cetera cum ceteris, quae nunc videmus sibi esse contraria... haec breviter diximus, ut iudaizantes nostros gravissimo somno stertere convincamus ». Quodsi autem *Hengstenberg, Drechsl.* suam sententiam eo fulciant, quod per peccatum indoles animalium crudelis, sanguinolenta, ferox sit effecta, vel ut *Schegg* censet, quod demum cum peccato res venenosae et nocivae in rerum naturam immigraverint, vehementer, ne dicam turpiter errant, quem errorem iam *Petrus Lombardus, S. Thom.* aliique repudiarunt (cf. 2 lib. sentent. 15 dist.; Summa I qu. 69, 2 ad sec.) docentes tamquam rem certam, per peccatum naturam rerum non esse mutatam. Neque iuvat cum *Schegg* et. *G. K. Mayer* (Mess. Prophez. des Jesaias, p. 94) provocare ad exempla in vitis sanctorum obvia, quibus animalia ferocia vel venenosa nihil damni intulerint, vel ad verba Christi Marc. 16, 17. Luc. 10, 19, et inde concludere, fieri posse, ut aucta per orbem terrarum in omnibus fide talia iam in usu communi ponantur, et insuper accidere posse, ut quo magis homines orbem terrae sibi subiiciant, eo magis fera bestiarum genera reddantur cicura. Sed etsi leo reddatur cicur, nunquam paleas comedet quia organis ad id necessariis est destitutus; dein adverte, etiamsi continua illa miracula et apud omnes iam communia ea supponantur, quae quandoque in vitis sanctorum leguntur (id quod gratis assumitur aliquando fore normam universalem), nondum habes literalem nostri oraculi impletionem; non enim in eo dicitur fera animalia fore familiaria cum homine, sed *habitabit lupus cum agno* etc.

Sed dixerit quis : Deus talia clare et aperte per prophetam praedixit, ergo erunt vel in hac terra vel in nova terra. Qui ita arguit, monendus est, idipsum in quaestione versari, utrum talia Deus praedixerit necne. Cum enim Messias docente revelatione nobis ostendatur tamquam reparator damni ab Adamo illati, minime autem tamquam qui res a Deo creatas et institutas vel deleat vel substantialiter mutet, ratio adest sane gravissima, ut aliam verba ea explicandi viam si qua alia exsistere potest ineam. Atqui alia via omnino exsistere et usu sermonis humani prorsus admitti potest. Neque enim abhorret a sermone humano neque a genere prophetico, ut ideae quandoque non verbis sed rebus rerumque involucris et symbolis proponantur. Quantopere talis rerum mutatio

contradicat creationi rerumque institutioni et providentiae divinae, iam monui Praeterea talem conditionem ne in nova quidem terra esse exspectandam, etiam eo satis colligitur, quia communi scholasticorum doctrina in innovatione illa de bestiis glorificatis non erit cogitandum; alia eius sententiae incommoda supra iam exposui.

SS. Patres et plerique interpretes vaticinium hoc ita explicant, ut nomine ferarum homines designari dicant: homines antea feroces luporum instar reddi per Messiam mansuetos etc. (cf. *S. Ephr. Hier. Cyr. Euseb. Theod. Gregorius M. Thom. Osor. Sasb. Malv. Mald. Sanct. Pint. For. Mar. Lap. Men. Tir. Gord. Calm. Reinke, Troch.*). Sensum qui ex hac explanatione eruitur non esse repudiandum, ex interpretatione supra proposita satis liquet. At *modum* ipsum interpretationis approbare non possum. Nam aliud est dicere v. g. Beniamin est lupus rapax; vel: circumdederunt me canes multi, tauri pingues obsederunt me, et talem exhibere vitae ac consuetudinis animalium descriptionem, qualem in nostro oraculo legimus. Isti duo dicendi modi apertissime inter se differunt, quare eos eodem modo explicare, arbitrarium est. Insuper adverte, simul cum animalibus mentionem fieri pueri parvuli. Iam si propheta *directe et per se* intendisset homines eorumque mores bestiis in medium adductis describere ita, ut in agno v. g. et hoedo et vitulo homines mansueti ac pii designentur qui a lupis i. e. olim ferocibus iam non insectationes experiantur, quid puerum parvulum commemorasset? quale iam hominum genus in eo delineasset? cur relicta subito metaphora animalium ad hominem delabitur, ut hominum mores exprimat quos ex supposito ex animalium indole nominare et describere instituit? Magna igitur cernitur inconcinnitas, magna inconstantia in illa explicatione. Si vero symbolum explicaveris, adest unitas et concinnitas; exhibet enim vates in modum pictoris nobis imaginem quandam et repraesentationem symbolicam in se unam, pacem, concordiam, securitatem spirantem; iam nemo si talem picturam coloribus expressam cerneret, diceret: lupus est homo ferox, agnus est pius ac mansuetus etc. Sed sine ulla haesitantia pronuntiaret pictorem ideam pacis ablatis odiis et speciem quandam summae securitatis voluisse re ipsa exprimere et imagine depingere. Sed non solum coloribus verum etiam verbis pingitur; dicamus ergo vatem ideam pacis expressisse rebus pictoris instar et habebimus unitatem et facilitatem explicationis.

Iam si quaeratur, quomodo idea haec pacis imagine illa et pictura symbolice expressa in regno messianico exsecutioni mandetur, adverti oportet id proponi quod per se regno messianico et gratiis in eo oblatis effici possit; exhiberi ergo et describi vim illam salutiferam quae absolute insit regno messianico et quae fructus suos allatura sit, dummodo homines libero arbitrio praediti Messiam in rebus omnibus tamquam arbitrum summum ac iudicem et legislatorem revera agnoscere et sequi voluerint. Bene enim distingui necesse est, quid per se lege messianica ubique et ab omnibus observata fieri possit et in quantum hominum libertate et malitia vel negligentia impedimenta obiiciantur, ne

salus messianica eas afferat benedictiones ubique et apud omnes, quas in se concludat virtute sibi propria. Iam certum est ab hominis arbitrio multum dependere, utrum cum gratia sibi oblata plus minusve velit cooperari an eam fere negligere, abiicere, in se et aliquo modo pro aliis quoque effectu frustrare. Et quod de singulis valet, etiam de populo unoquoque et de universo genere humano aeque dicendum est. Proinde ad hoc quoque vaticinium et symbolum quo involutum est applicari oportet ea quae ad 2, 4 adnotata sunt. Talem autem revera conditionem intelligendam esse, ex nexu quoque huius oraculi cum antecedentibus colligi potest. Proponitur enim symbolum hoc *postquam* victoria Messiae *plena* et *plena* prostratio impietatis v. 4 est descripta. Ergo innuitur, id tum demum fieri posse, si omnis iniquitas fuerit ablata; id autem hisce in terris ab hominum libera cum gratia cooperatione dependere quis ignorabit? Eadem conditio porro indicatur in subseq. v. 9 *quia repleta est terra scientia Domini,* i. e. quo magis cognitio Dei omnium animos mentesque occupaverit, eo magis veritas symbolo illo expressa etiam in hominum singulorum totiusque generis humani moribus et vita cernetur ad vivum depicta et repraesentata. Sed permultum iterum in hominis arbitrio libero positum est, in quantum cognitioni Dei aditum ad animum atque imperium concedat. Quae cum ita sint, ad hoc quoque oraculum rite intelligendum ea oportebit in memoriam revocare quae de vaticiniis faustis atque minacibus in ipsis s. literis traduntur; cf. Ier. 18, 7-10. Ez. 33, 13-16; de qua re iam saepius et uberius tractavi in Comment. in Proph. min. I p. 212. 225. 385; II p. 72. 292. 307. — Ad eandem rem apte notat *Sanct.* : « neque si adhuc in Ecclesia spectantur lupi rapaces et leones fraterni sanguinis sitientes, ideo haec de evangelii pace prophetia vera non est, quia doctrina illa et potens est et digna quae talem effectum consequatur. Quod iuxta regulam saepius a nobis traditam satis est, ut Dei scientia id praestatura dicatur quod propheta promittit; congruum enim est et debitum ut ita fiat ».

Demum adumbrationem pacis messianicae complexus causam affert vates ex qua aurea illa aetas exsurget v. 9 « *non nocebunt et non occident in universo monte sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini sicut aquae maris operientes* »; — hebr. *non malo afficient nec perdite agent* i. e. nulli iniuria infertur, nemo pravis moribus se aliosve perdet; vel retento symbolo : animalia illa prius venenata et ferocia mansuefiunt, nihil laedunt, nihil perdunt; mons sanctus Dei est Sion vel mons templi (cf. 2, 2 seq. 4, 5) qui ipse symbolum est regni messianici, uti erat centrum veteris theocratiae. Adscribitur ergo regno messianico vera sanctitas interna eaque ut fons illius pacis et

fundamentum declaratur; haec vero sanctitas enascetur ex intima cognitione divina; « quomodo aquae maris operiunt profunda maris, sic scientia Dei omnis terra complebitur » (*S. Hier.*); en quanta et qualis cognitio Dei ad pacem illam procreandam postuletur! quae scil. oceani instar latissima sit ac profundissima. Haec scientia Dei principium est ac fundamentum totius sanctitatis (*For.*), cum omnis vita supernaturalis ex fide enascatur et in plena Dei cognitione suum habeat terminum felicissimum; haec est enim vita aeterna, ut cognoscant te. Maior cognitio Dei constans est periodi messianicae indicium et emolumentum (cf. Is. 54, 13. Ier. 31, 34); idque merito, nam per Messiam demum et revelatio altior datur et gratia uberior, quare Deus maiore quoque lumine se credentium intellectui manifestat et gratia potentiore atque excellentiore se eorum voluntatibus infundit; gratia et veritas per Christum facta est (cf. Ioan. 1, 17; 6, 45). — Ad nexum attendi oportet : haec fient, *quia*... ergo, ut monui, eo ipso innuitur si homines singuli vel nationes christianae sua culpa et negligentia ad tam eximiam, profundam, omnia penetrantem scientiam Dei non pervenerint, etiam fructus illos praeclaros non adesse posse. Debebit scil. Dei cognitio et scientia veluti oceanus omnia occupare, omnium mentes pervadere, omnes conditiones regere, ut ablata iniquitate pax illa coelestis in hac regione sublunari resideat ac stabilis permaneat. — Demum consideranda est laeta huius partis oppositio ad antecedentia : cp. 5 omnia plena erant iniquitate et quae inde consequitur vastitate et ruina; cp. 10 tyrannis et superbia et oppressio ferox atque insolentia regni mundani nobis exhibebatur : nunc autem cernimus Messiam pacem afferentem suavissimam et largissimam benedictionem, Messiam scil. qui uti ipse est tota iustitia et sanctitas totusque Dei spiritu imbutus et consecratus, ita eundem Dei spiritum et veram sanctitatem cum suis communicat. Nonne ita sacer vates omnium animos simul efficaciter movet ad talem Messiam amore ac desiderio complectendum?

Non consentiunt interpretes, utrum verba *nocere, male agere* directe ad animalia referantur, de quibus antea vates dixerat, an relicto iam symbolo ad homines sermo transferatur. Plerique interpretes hoc censent ; ita uti fere per se patet omnes qui in animalibus v. 6-8 propositis hominum varios ordines censent expressos, sed etiam aliqui ex iis qui animalia non tam immediate de hominibus dici recte sentiant. (cf. *Hengstenberg, Drechsl. Kn. Rohl.*). Alii tamen prius praeferunt (cf. *Hofmann, Schegg, Del. Naeg.*). Discrimen *sensus* fere nullum est. Si de animalibus est sermo, pertexitur symbolum a v. 6 inceptum ; sin minus, sed si ad homines transfertur oratio, iam ipsius symboli explicatio paucis subditur. Dubito num ex ipsis verbis (quod aliqui putant, uti *Hitz. Drechsl. Zingerle* in Zeitschrift f. kath. Theol. Innsbruck 1880 p. 658) certo colligi possit sermonem de animalibus non continuari. Nam הִשְׁחִית Ier. 2, 30 certe dicitur de leone; neque cernitur ratio, cur non etiam הֵרַע de iis possit usurpari, cum חיה רָעָה satis frequenter dicatur.

c) Regni messianici propagatio 11, 10-16.

Postquam alter David ex radice Iesse oriundus descriptus est rex atque iudex (11, 1-5) et regni eius indoles et pax symbolice adumbrata (11, 6-9), iam sua quasi sponte regni eius propagatio subsequitur. Ita simul declaratur, quomodo surculus ex radice Iesse fructum sit allaturus (11, 1). Quare ad verba 11, 1 reversus propheta radicem illam ostendit quae facta sit in signum populorum illustrissimum : v. 10 « *In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum eius gloriosum* » ; — hebr. *ipsum gentes inquirent et erit requies eius gloria;* denuo sacer vates monet Messiam ex humilitate et abiecta conditione esse oriturum, non statim eum iri circumdatum gloria regia Davidis, sed eum fore surculum Isai; est scil. ramus ille tener decerptus ex regia cedro quae succisa est sed qui ramus a Deo servatus et plantatus « erumpet in germen et faciet fructum et erit in cedrum magnam et habitabunt sub ea omnes volucres et universum volatile sub umbra frondium eius nidificabit » (Ez. 17, 23). Ita fit signum, vexillum populorum ; ex humilitate a Deo exaltatus iam centrum constituitur omnium, adstat conspicuus in orbe universo; adest tamquam caput et rex generis humani, ad quem sicut ad vexillum ab imperatore erectum omnes tamquam milites eius accurrunt, ut proelia eius proelientur, ut sub eius signis stipendia mereantur (cf. Ps. 44, 5 seq.). Iam ut bonorum omnium largitor agnoscitur; quare sedulo *gentes eum inquirunt,* eius desiderio et studio eo fruendi tenentur, urgentur; neque id mirum; ipse enim iam *requie* ac beatitate ea est potitus quae *gloria* sit i. e. innotescit iam orbi terrarum tamquam talis qui laboribus messianicis pro omnium salute transactis ingressus sit in *requiem* suam quae adeo est gloria plena et insignis, ut non alia descriptione, sed gloriae ipsius nomine designari possit. Tali autem beatitate et gloria omnes efficaciter allici, expositione non indiget. Unde sacer vates nos aperte docet, Messiam *glorificatum* regnum suum per orbem esse propagaturum, Messiam beatitate et gloria coronatum vexillum suum ad populos congregandos esse erecturum et omnes ad participationem *requiei* suae et *gloriae* invitaturum (cf. *Osor.*). Sic demum, ut *Theod.* notat, vaticinia patriarchis data et regnum aeternum Davidi promissum Deus in radice Iesse adimplet.

Textus hebr. *et erit requies eius gloria* etiam indicat locum quietis vel sedem quietis eius fore gloriam; id enim ex priore explicatione consequitur facile et per se et insuper vox מְנוּחָה hanc notionem sedis quietae saepe induit; ita templum dicitur *quies* i. e. sedes Domini, ita

vocatur terra palaestinensis, quae scil. ut sedes quieta populo erat promissa (cf. Is. 66, 1. 1 Par. 28, 2. Ps. 132, 8. 14. — Deut. 12, 9. Is. 28, 12. 1 Reg. 8, 36. Ps. 95, 11 etc.). Unde alii vocem accipiunt de regia sede Messiae et coelesti habitaculo (cf. *Rohl.*), alii de loco mansionis eius terrestri, ubi thronum suum et regnum collocavit i. e. de Ecclesia i. e. Ecclesia erit gloriosa et illustris (cf. *For. Malv. Mald. Calm.*). *Chald.* habet : et locus mansionis eius in gloria. Atque ex hac vocis significatione et sensu huius loci generali forte gradus fieri potest ad specialem illam applicationem quam cernimus in *vulg.* expressam. Cum enim Messias talis tantusque sit, eius gloria redundare concipitur in omnem regionem et locum quem unquam sua praesentia et suis operibus divinis illustravit. Quare sententia in *vulg.* expressa concipi potest ut applicatio particularis normae illius generalis in hebr. enuntiatae : *locus quietis eius erit gloria.* Quamvis non ea via *S. Hier.* ad hanc versionem pervenerit, verum potius ex interpretatione LXX quae fert καὶ ἔσται ἡ ἀνάπαυσις αὐτοῦ τιμή· quam ἀνάπαυσιν *Cyr. Theod. Euseb.* de morte interpretantur. Ita enim *S. Hier.* de textu hebr. et sua versione disserit : « pro requie eius in hebr. positum est *mnuatho* (מְנֻחָתוֹ) quod omnes similiter transtulerunt, et est sensus : et erit mors eius gloriosa . . . nos autem ut manifestum legenti sensum faceremus, pro dormitione et requie altero verbo sed eodem sensu *sepulcrum* vertimus ». Quare probe notandum est nos habere in hoc loco in *vulg.* non verba Isaiae sed sensum illum quem *S. Hier.* verbis prophetae substituit. Hanc autem interpretationem quam *S. Hier.* legentibus manifestam facere voluit, *verbis* Isaiae non congruere certum est. Vox enim מְנוּחָה de dormitione mortis nunquam dicitur, multo minus *sepulcrum* significat. Utrum alia consideratione adhibita et ex sensu consequente, uti antea tentavi, ad hanc applicationem perveniri possit necne, aliorum iudicio relinquo; *Corluy* enim fidenter scribit : « hic agi de Christi sepulcro contexta certe oratio minime suadet » (l. c. p. 438). Sepulcrum Christi gloria ornari, vide 53, 9.

Caveant igitur concionatores, ne sensum et explicationem *S. Hier.* auditoribus suis tamquam vaticinium Spiritus s. vendant ! Simile quid erit notandum ad 16, 1 et iam adnotavi ad Hab. 3, 18 et monere oportet ad Dan. 9, 26 quo in loco « populus qui eum negaturus est » interpretamentum est ex *S. Hier.* scriptis in *vulg.* assumptum. Ceterum de liberiore vertendi modo quo nonnunquam s. Doctor usus est, vide quae disputat *Cornely,* Introd. I p. 427. — Audacter quidem asserit *Sasb.* : « vox hebr. significat dormitionem sive requiem vel mortem; significat vox requiem sed qualem precamur defunctis ; sensus ergo est : moriturus est Messias etc. » et sim. *Sanct.* qui ex notione cessationis et requiei ad sepulcrum utpote locum requiei et dormitionis viam sibi sternere

conatur. Haec praeeuntibus graecis interpretibus forte dici possunt de voce ἀνάπαυσις, non autem de textu hebr. Praeterea eo loco ordine plane et loco praepostero mentio fieret de morte. Iam enim Messias consideratur tamquam vexillum orbi ostensum i. e. conspicuus in gloria, ad quem incitato studio gentes accurrunt et quem avide expetunt et exquirunt; ergo versamur in periodo gloriae Messiae; quomodo autem ex ea verbis illis regressus fiat ad mortem tam subito, tam inexspectato, sine nexu neque cum antecedentibus neque cum subsequentibus, nemo ulla probabili ratione explicaverit. — Melius ad nexum aptatur alia explicatio, quam *S. Ephr. Basil. Cyr.* quoque et *Procop.* proponunt requiem illam quam Messias suis sit largiturus fore gloriam; quae expositio utique sensu consequente ex verbis prophetae facile fluit; gloria enim Messiae redundabit in redemptos et quia gentes in Messiae gloriam credunt, huius gloriae avidae eum inquirunt et ipse Messias, volo, inquit, ut ubi ego sum, ibi sit et minister meus.

Primum quod vates h. l. in propagatione regni messianici effert, *gentes* spectat: ponitur vexillum populorum et *gentes* (גּוֹיִם) inquirunt eum. Impletione facta facile deprehendimus in hoc quoque ordine Spiritum s. innuisse, regnum messianicum potissimum ex gentibus esse formandum; de qua re explicitum habes vaticinium 65, 1. 2. Sed si gentes vocantur, fidelis Deus foederis non deest neque unquam deerit stirpi illi in patriarchis electae. Illi enim promissiones datae sunt, ex illa Messias oriundus (cf. Rom. 9, 4. 5) et « non repulit Deus plebem suam quam elegit ». Unde sermonem fieri de stirpis electae reductione et conversione plane oportet et omnino consequens est ad oracula iam data (cf. 1, 26; 4, 3; 6, 13; 9, 6. 7; 10, 21). Et si Messias signum est et vexillum ad quod gentes accurrunt, etiam populo israelitico disperso sese manifestabit tamquam qui ad patriam et beatam secum societatem exsules revocabit. Iam cum cp. 5 et 6 magna quaedam praedicta fuerit populi dispersio et reipublicae israeliticae dissolutio, aptissime ad illa adnectitur promissio v. 11 « *et erit in die illa, adiiciet Dominus secundo manum suam ad possidendum residuum populi sui quod relinquetur ab Assyriis et ab Aegypto et a Phetros et ab Aethiopia et ab Aelam et a Sennaar et ab Emath et ab insulis maris* »; — in die illa i. e. quando Messias intravit in gloriam suam, quando iam adstat et agnoscitur tamquam vexillum populorum. Semel Dominus iam immisit manum (Ex. 7, 4) ut populum educeret ex servitute aegyptiaca, semel iam manu magna et brachio extento (cf. Ex. 3, 20; 13, 9. Deut. 5, 17; 7, 19; 9, 29; 11, 2; 26, 8) populum sibi acquisivit et in suum peculium (Ex. 19, 5) assumpsit; nunc *secunda vice* apponit manum, ut *possideat* (cf. Ex. 15, 16), denuo in peculium sibi acquirat populum, i. e. *reliquias* populi; lege enim constanti reliquiae salvabuntur (cf. 1, 9; 4, 3; 6, 13; 10, 21) id quod

nomine filii Isaiae Schear jaschub quoque indicatur. Comparatur liberatio messianica priori aegyptiacae, id quod satis frequens est apud prophetas (vide ad Mich. 7, 15) et priorem illam typum fuisse alterius non obscure innuit; cf. ad Os. 2, 14 seq. Si autem Dominus manum suam apponit ad *possidendum* populum suum, eo ipso populum in exsilium eiectum, inter gentes dispersum et foedere violato a Deo in scelerum ultionem abiectum antea esse propheta docet. Id ergo iam impletum cernit quod 6, 12 minatus erat et quod iam Moyses Deut. 29, 28; 30, 1 praedixerat. Dispersio describitur latissima in quattuor ventos, ergo longe lateque per orbem. Si iungimus cum LXX, *S. Hier. Syro* (?) *Chald.* (?) et interpretibus *Drechsl. Reinke, Naeg.* aliisque *quod relinquetur ab Assur* etc., omnes istae gentes directe assignantur ultrices et vindictae in populum foedifragum administratrices, id quod ad prophetarum oracula apprime congruit (cf. 5, 26; 7, 17; 8, 6; 10, 5. Zach. 11, 10. 11 etc.) et sermonem magis nervosum reddit; aliis praeplacet iungere *possidebit ex Assur* etc. ita ut sola dispersio directe enuntietur et reductio ex illis regionibus (ita v. g. *Mald. Kn. Del. Net. Rohl.*). Porro quo maior dispersio est, eo gloriosior atque illustrior manifestabitur reductio ac salus messianica. Incipit a septemtrione, inde enim omne malum pandetur (Ier. 1, 14), ab Assur, cum per Theglathphalasar et Sargon abductio populi Israel in exsilium et regni israelitici abolitio sit effecta. Transit vates in regionem oppositam ad meridiem in Aegyptum et Phetros i. e. Aegyptum inferiorem et superiorem; Pathros, aegyptiace Patoris, designat superiorem Aegyptum, cum Patoris ex textibus aegyptiacis urbem habeat principalem No vel Thebas (cf. *Brugsch,* Geograph. Inschriften I p. 175; *Riehm,* Handwoerterb. II p. 1144); quare Mitzraim, Aegyptus sensu arctiore accipiatur oportet de regione inferiore, ex qua enumeratio meridiem versus transit ad superiorem et ad Aethiopiam, ad Kusch, quod regnum cum aegyptiaco foedere modo iunctum erat, modo subiectum, modo etiam dominans in Aegyptum (cf. 18, 2; 20, 2 seq. 37, 9). Forte iam per Sesac (3 Reg. 14, 25 seq.) Iudaei captivi illuc translati sunt; capta Samaria aliquos Israelitas ad Aegyptios, a quibus opem efflagitaverant (4 Reg. 17, 4), confugisse omnino probabile est; Aethiopes iam inveniuntur in exercitu Sesac (2 Chron. 12, 3), contra Iudam pugnavit Zara Aethiops (2 Chron. 14, 9), et cum Edomitae captivos Iudaeos vendidisse accusentur (Am. 1, 6. 9), etiam Aegyptiis vendidisse non videtur improbabile.

A meridie vates oculos dirigit in regiones inter septemtrionem et orientem sitas; Aelam, cuius urbs principalis erat Susa, regio vocabatur a Tigride inferiore orientem versus et a sinu persico septemtrionem versus sita (cf. *Delitzsch,* Wo lag das Paradies ? p. 320 seq.). Cum Syri devicti transportarentur in Kir (cf. Am. 1, 5. 4 Reg. 16, 9), Israe-

litae quoque foedere scil. cum Syris iuncti (Is. 7, 2; 8, 6) forte simul cum iis sicuti devicti, ita quoque transportati sunt. Sennaar, שִׁנְעָר idem nomen est cum Sumer atque Babyloniam designat inferiorem vel meridionalem, uti Akkad superiorem vel septemtrionalem (cf. *Delitzsch* l. c. p. 199; vide quae notavi ad Zach. 5, 11); in regionem babylonicam Iudaei per Chaldaeos translati sunt, uti iam Michaeas, aequalis Isaiae, vaticinatur (Mich. 4, 10). De Emath vide 10, 9; cum Achaz traderetur in manu regis Syriae et magnas ab eo pertulisset strages, captivos Iudaeos in Syriam esse abductos per se patet [1]. Ab orientali ergo plaga vates oculos dirigit in regionem Palaestinae vicinam atque ex ea occidentem versus in insulas maris occidentalis vel mediterranei. Ita gyrum suum absolvit atque a quattuor ventis populum Dei collectum iri atque vocatum per Messiam ostendit. In insulas maris filiis Iavan venditos esse filios Iuda et Ierusalem per Phoenices iam Ioel (3, 6) conqueritur. Unde Isaias ex temporis sui conditione et ex dispersione mox futura formam derivat qua vocationem populi Dei ex omnibus regionibus undique futuram adumbrat.

Accuratius explicatur, quomodo Deus manum sit appositurus ad possidendum populum suum v. 12 « *et levabit signum in nationes et congregabit profugos Israel et dispersos Iuda colliget a quattuor plagis terrae* »; — hebr. *et levabit vexillum gentibus* i. e. cum vexillum Messiae iam gentibus est erectum et manifestatum, tum Iudaei quoque intrabunt in regnum messianicum; cf. Rom. 11, 13. 14; congregabit *expulsos Israelis et dispersas Iudae* (hebr.) i. e. nemo, nec vir nec femina (cf. 3, 1), a salute et invitatione gratiae excluditur. Uti supra 5, 26 gentibus erexit vexillum, ut ad vindictam de populo rebelli sumendam accurrerent, ita vexillum Messiae inter gentes erectum continua est adhortatio Iudaeis facta, ut ad Deum suum redeant. Hanc adhortationis vim praeclare exprimit S. Paulus scribens: « vobis dico gentibus: quamdiu quidem ego sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo, si quomodo ad aemulandum provocem carnem meam et salvos faciam aliquos ex eis » (Rom. 11, 13). Conversione enim gentium et earum adoptione Deus Iudaeos vult ad aemulationem provocare (Rom. 10, 19). Qui huic divinae invitationi dicto audientes sunt, etiam intima inter se unione et caritate iunguntur v. 13 « *et auferetur zelus Ephraim et hostes Iuda peribunt; Ephraim non aemulabitur Iudam et Iudas non pugnabit contra Ephraim* »; — ablata sunt intestina illa dissidia, aemulationes, invidiae, quibus Ephraim tribus numero hominum prae-

---

1. Quare carere possumus coniectura a *de Lagarde* proposita (Semitica I p. 27) *Adiabenen* rescribere satius esse.

stans electam a Deo tribum Iudam domumque David aegerrime tulit; cf. 2 Reg. 20, 1 : non est nobis pars in David neque hereditas in filio Isai et 3 Reg. 12, 16. Dissidia illa et invidiae continua erant malorum fomenta et theocratiam a Deo institutam misere discerpebant. Quantopere eadem mala tempore Achaz invaluerint, testis est foedus illud Israelitarum cum rege Syriae initum ad evertendam domum David (cf. 7, 2. 6). Unde hic quoque vates conditiones sui temporis ob oculos habens a contrario bono periodum salutis designat. Regnum messianicum pacem affert et concordiam, odia exstinguit, amovet invidiam, aemulationem tollit, quia omnes uno Christi spiritu imbuti idem sentiunt ac sapiunt. Ut sint unum, adeo ardenter Christus a Patre efflagitat. Cum Iuda sit tribus a Deo electa, in qua theocratia per domum David in aeternum stabiliatur, *hostes Iuda peribunt;* quis enim contra Deum praevalebit? Apta est monitio, ut iam Ephraimitae apud se perpendant, quomodo suis in regnum iudaicum inimicitiis sibi ipsi viam sternant ad interitum. Sic enim propheta ipsa de rebus futuris oracula ut suis aequalibus salutaria conferat documenta solerter adhibet. — Alii intelligunt *oppressores Iuda* eos ex Iudaeis qui animis sint infensis in Ephraimitas, ut scil. adsit perfectus membrorum parallelismus (*Ges. Ewald, Kn. Reinke, Cheyne*), quem parallelismum alii ea ratione restituunt, ut *hostes contra Iuda* retinentes *zelum* explicent et *aemulationem contra Ephraim* (cf. *Mald. Naeg.*); at utroque modo verbis planis vis infertur et sensus in priore explicatione aptus habetur.

Tali autem inter se concordia et amicitia coniuncti et roborati viribus valebunt in hostes et a quibus eousque varie fuerant oppressi et afflicti, eosdem iam unitis viribus aggredientur et subiicient; cf. Abd. 17 : « et possidebit domus Iacob eos qui se possederant »; unde v. 14 « *et volabunt in humeros Philisthiim per mare, simul praedabuntur filios orientis; Idumaea et Moab praeceptum manus eorum et filii Ammon obedientes erunt* »; — hebr. *in humerum Philisthiim versus mare* i. e. non in cervices vel terga Philisthiim (*For. Sanct. Lap, Tir.*) sed in regionem, quae mare versus descendens *latus* vel *humerus* vocatur (cf. Ios. 15, 11. Ez. 25, 9; ita *Vat. Mald. Mar. Calm.*); *volare* impetum, celeritatem, facilitatem victoriae depingit. Uti occidentem versus dominium stabiliunt, ita ex orientali plaga spolia acquirent. Supra 2, 6 acriter reprehensi sunt quia ad res et luxum gentium defluxerint; verum regno messianico stabilito opes gentium et thesauri cedunt in decus et ornatum theocratiae (cf. Is. 60, 5 seq. Agg. 2, 7). Filii orientis i. e. nomades tribus in deserto Arabiae (cf. ad Iob 1, 3) et in tractu terrae usque ad Euphratem; immo Mesopotamiam terram filiorum orientis dici, elucet ex Gen. 29, 1. Num. 23, 7 hebr.; ii inter oppressores populi

Dei saepius recensentur; cf. Iud. 6, 3. 33; 7, 12. Ier. 49, 28. Edom et Moab *immissio manus eorum* (hebr.) i. e. in hostes antea infensos robustosque manus victrices immittent, et filii Ammon *obedientia eorum* (hebr.) i. e. eis subiecti ad nutum parati obedient. Similiter Amos vaticinatur de tabernaculo David reaedificato, ut possideat reliquias Idumaeae et omnes nationes (Am. 9, 12).

Regno alterius Davidis oriundi ex radice Iesse eaedem gentes dicuntur subiici, quibus prior quoque David arma victricia intulit sed quae post ipsum rebelles in Iudam factae varias populo Dei attulerunt molestias (cf. 2 Reg. 8, 2. 12. 14 ; 10, 14 ; 11, 1 ; 12, 26 ; 23, 20. 1 Par. 18, 11 etc.). Unde rex Messias David eiusque regnum ab eo, cuius antitypus est, adumbratur et aedificatio tabernaculi David quod ceciderat ex vetere illa forma nobis exhibetur. Tali autem inter se aequiparatione typica ratio declaratur vel saltem innuitur, quae inter Davidem eiusque victorias partas regnumque et inter Messiam eiusque regnum intercedat, quae ratio iam eo potissimum continetur, quod thronus David in sempiternum stabiliri dicitur (2 Reg. 7, 14). Ex typo autem simul colligitur, qua indole futurae sint victoriae illae Messiae. Neque enim armis et hostium strage sanguineque effuso debebunt comparari; secus enim alter David in eodem ordine ac censu collocaretur cum priore; verum modo sublimiore et spirituali et cum fructu priorem illum longe superante reportari censendae sunt, uti dignitatis ratio et gradus inter typum et antitypum postulat. Ad quod adde indolem regis Messiae eiusque regni modo a vate descriptam (11, 2 seq.), qua egregie illustratur illud : multiplicabitur eius imperium et pacis non erit finis (9, 7). Describuntur arma Messiae spiritus Domini largissime in eum effusus, iustitia, fidelitas, verba eius i. e. arma spiritualia, gratiae spiritusque Dei communicatio, doctrina et exemplum Messiae. Hisce regno eius gentes subiiciuntur, cui propagationi ipse Messias in gloria triumphans vexillumque suum omnibus longe lateque conspicuum ostentans potentissime assistit. Inter eas gentes h. l. recensentur Moab et Ammon i. e. illae quoque quae a vetere theocratia excludebantur : « Ammonites et Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt ecclesiam Domini in aeternum » (Deut. 23, 3). Sed per Messiam, in quo benedicendae sunt omnes gentes, limites mosaici removentur (Mich. 7, 11), tollitur legis maledictum. Idem vide 56, 3-7.

Oraculum hoc v. 14 multi explicant de tempore apostolorum et de expugnationibus spiritualibus per apostolos Iudaea relicta factis; ita *S. Hier. Euseb. Cyr. Theod. For. Sasb. Pint. Malv. Lap. Tir.*, dum *S. Thom.* et *Sanct.* de Machabaeorum tempore explicari posse censent. Hoc sane abest a serie et nexu prophetiae. Illud autem eatenus consistit, quatenus expeditionibus apostolicis

initium quoddam et fundamentum positum est. Sed vaticinium nostrum v. 11-14 magis est universale totumque tempus complectitur messianicum ; et ut *Tir.* bene advertit : « in genere significat reliquias Iudaeorum ubicumque gentium et locorum dispersae fuerint, inde a Deo evocandas atque ad Ecclesiam Christi convertendas » ; sim. *Mald. Lap.* Unde oraculum hoc eandem continet promissionem quam Deut. 30, 1-10 legimus. Deus enim non abiicit populum quem elegit ; semper eis gratia offertur messianica ; docente autem S. Paulo scimus, cum plenitudo gentium intraverit, tum hoc quoque vaticinium de reliquiis Israel plenum habiturum esse effectum ; tum enim « omnis Israel salvus fiet » (Rom. 11, 25). Ex eorum autem conversione magnum in Ecclesiam redundaturum esse emolumentum, ab eodem docemur : « si enim amissio eorum reconciliatio est mundi, quae assumptio nisi vita ex mortuis » (Rom. 11, 15).

Atque uti olim Deus populum suum magna manu et brachio extento, multis splendidisque miraculis in libertatem vindicavit et in terram introduxit, pro qua iuravit patribus eorum, ita non minoribus auxiliis eos adducere paratus est ad terram illam, cuius figura et typus Palaestina erat, ad regnum scil. messianicum, ad veram populi Dei hereditatem. Sic utraque liberatio, aegyptiaca et messianica, iterum inter se comparatur : v. 15 « *et desolabit Dominus linguam maris Aegypti et levabit manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui et percutiet eum in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati ;* v. 16 *et erit via residuo populo meo qui relinquetur ab Assyriis, sicut fuit Israel in die illa qua ascendit de terra Aegypti* » ; — uti v. 11 reditus commemoratur praeprimis ex Aegypto (tribus nominibus) et ex regionibus assyriaco-babylonicis (tribus quoque nominibus), ita hoc loco impedimenta quae removenda sunt ad duplicem illum reditum efferuntur ; olim patres sicco vestigio per mare rubrum traduxit ; hanc « linguam maris » i. e. sinum heroopolitanum *anathemate percutiet* (hebr.) [1] i. e. funditus perdet, ut nihil remaneat quod obstaculum itineris esse possit. Fluvium vero i. e. Euphratem, uti Moyses baculo suo extento mare divisit, Deus manu agitata in multiplices meatus (*For. Malv.*) dividet, ita ut ablato fluminis tumore iam ut quis per eum transeat ne calceos quidem deponere necesse sit i. e. voluntate Domini salvatoris impedimenta potentissima facillime destruuntur. Fortitudinem spiritus vel *ardorem venti eius* (hebr.) explica ex Ex. 14, 21 : « cum extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi et urente tota nocte et vertit in siccum » (cf. *Osor. Sasb. Malv. Mald. Lap. Tir. Troch. Rohl. Net.*). Supra hostes frustra agitabant manum (10, 31) ; non ita Dominus. In via ipsa populo suo erit ductor, custos, vindex, sic-

1. Aliqui tamen corrigendum censent החריב exsiccabit ; ita iam *Houbig.* et nuperrime *Bred.*

ut fuit per desertum liberatione ex Aegypto concessa. — Hisce optime in exemplo et imagine delineatur salutis messianicae sublimitas, quam scil. Deus tanto apparatu vestit, donum gratuitum, quod singuli mereri nulla ratione possunt, sicuti olim Israelitae minime se ipsos ex servitute aegyptiaca redimere vel ex persecutionibus Pharaonis eripere poterant, et demum tantis miraculis commemoratis illud quoque innui haud temere affirmaveris, quod impletione factum esse et fieri cernimus, reditum ad Ecclesiam, veram terram promissam, uti semper est gratiae quoddam miraculum, ita saepe veris quoque effici miraculis et charisma miraculorum etiam vi huius oraculi perpetuo esse permansurum in vera Ecclesia. Quae enim hisce versibus promittuntur, ad totum tempus messianicum extenduntur et adductionem ad regnum illud describunt auxiliis illis providentiae non ordinariae verum plane excellentis summisque miraculis et beneficiis, quibus Israelitae et ex Aegypto liberati et per desertum ducti sunt. Sed si in umbra et typo adeo mirabilem se Deus praestitit, quis in impletione et veritate mirabilia Dei opera editum iri negaverit ?

Plerumque interpretes agnoscunt eum in finem v. 15. 16 fieri allusionem ad miracula in Aegypto, ut ostendatur Deum paratum esse omnia impedimenta et obstacula removere quae cursui evangelii obiiciantur (cf. *Euseb. Osor. For. Pint. Malv. Mald. Sa, Mar. Lap. Gord.*) et *S. Thom.* explicite statuit : « promittitur praeparatio secundum similitudinem ad duplex beneficium quod exhibitum fuit patribus venientibus de Aegypto .... quod quidem ad literam nunquam fuit factum, sed significatur amotio omnis impedimenti detinentis ». Alii tamen hac expositione generali non contenti specialem verborum impletionem quaesierunt. Ita Euphratem in septem rivulos divisum aliqui (*Sanct. Malv. Tir.*) referunt ad expugnationem Babylonis a Cyro factam ; « Euphrates durante obsidione Babylonis a Cyro per septem fossas et rivos ab urbe alio derivatus est teste Herodoto, Xenophonte et Orosio » (*Tir.*). In v. 15 cernunt *S. Hier. Cyr. Procop.* expugnationem Aegypti per Augustum Caesarem factam ; accipiunt scil. ad literam « de sinu pelusiaco quem cum Augustus Caesar Antonium et Cleopatram persequeretur, siccavit Deus austro vehementissimo praeter morem immisso, qui aquas omnes etiam septem rivorum Nili pro magna parte depulit in mare, adeo ut milites Augusti sicco pede transirent et Pelusium aliaque Aegypti claustra celerrime occuparent et exstinctis Antonio et Cleopatra soli Augusto monarchiam orbis relinquerent teste Strabone (lib. 17), Dione Cassio (5, 51) et Plutarcho (in Anton.) » (*Tir.*). Simillima ratione aliqui etiam explicant Zach. 10, 11 ; at uti apud Zach. ita multo etiam magis apud Isaiam, ad totius prophetiae seriem, ordinem, conformationem minime spectat assumere subito fieri praedictionem adeo singularem, adeo incohaerentem, de eventu adeo particulari qui cum regno messianico vel populi israelitici conversione quomodo cohaereat aut ad ea referatur, frustra explicare tentaveris. — Aeque a scopo et

nexu prophetiae h. l. recedere videtur qui v. g. cum *Calm.* ut ostendat vaticinium esse impletum commemoraverit cladem a Sennacherib Aegyptiis illatam (de qua gloriatur 4 Reg. 19, 21. Is. 19, 5-7), vel caedes et strages a Cambyse factas, vel Alexandri Magni victorias et Antiochi Magni et Epiphanis eius filii incursus in Aegyptum hostiles. Ceterum vide ad Zach. 10, 10. 11. Pariter seriem et filum prophetiae relinquit, qui cum *Sanct. Calm.* ea de reditu ex exsilio intelligit et solum cum *Sanct.* in typo aliquid sublimius intuetur, scil. fundationem, splendorem, incrementum Ecclesiae. Nam post 11, 1-10 iam non de tempore exsilii babylonici sermo inferri potest, nisi ordinem rerum plane subverteris.

d) Hymnus laudis et gratiarum actionis 12, 1-6.

Iam aequissimum est, ut qui tanta gratia et liberalitate divina redempti sunt, sicut Israelitae Aegyptiis in mare submersis, hymnum laudis et gratiarum actionis cantent. Quare bene *S. Hier.* : « qui prius in solitudine dixeratis, quando ascendistis de terra Aegypti et mare siccatum est rubrum : cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, nunc glorificate Dominum » et similiter *Euseb. Cyr. Theod. Sanct.* etc. monent canticum hoc fundi simili conditione liberationis sicut Ex. 15. Et cum propheta ipsum Messiam et regni eius beatitatem et miros Dei in salute communicanda favores proposuerit, quid magis aptum esse potest quam ut post tam splendida vaticinia quorum desiderio et gaudio animi meditantium sunt accensi, hos animi sensus carmine lyrico complectatur ? Ergo iam nobis exhibet vates pium animorum iubilum quo redempti divinam benignitatem laudant et grati ac laetabundi recolunt et extollunt, quantum felicitatis in Domini gratia invenerint. — Primum quod visis Dei magnalibus divinam bonitatem in se experti praedicant est, quod Deus adeo offensus per peccatores iustissimeque iis iratus nihilominus misericordiam praestitit et gratiam ; unde v. 1 « *Et dices in die illa : confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, conversus est furor tuus et consolatus es me* » ; — quae ex hebraismo paratactice ponuntur, explica cum *S. Hier.* : « quoniam qui iram merui et furorem tuum, misericordiam consecutus sum » vel cum *Est.* : quia postquam iratus mihi fuisti, conversus est furor tuus (sim. *Malv. Mald. Mar.*), ideo *confitebor* i. e. te laudibus extollo, te praedico ac magnifico. Consideratur scil. populus Dei quasi *una persona moralis,* quae in exsilium eiicitur et Dei gratia reducitur et Messiae adventum praestolata eius salute fruitur. Primus ad Deum gradus fit per poenitentiam, per agnitionem et dolorem culpae; atque omnes et singuli habent, cur eodem modo de salute accepta gratiarum actionem ab humili culpae confessione et dolore incipiant, cuius rei perpetua exempla in orationibus sanctorum adsunt. Ita homo se pro-

fitetur reum, indignum gratia, sed hac ipsa humilitate gratiam Dei et amorem mire extollit Deoque summopere placet.

Verum haec propriae infirmitatis cognitio, cui Deus tam amanter remedium attulisse et solatium cognoscitur, fundamentum est solidum et inconcussum summae in Deum fiduciae animique alacritatis, unde v. 2 « *ecce Deus salvator meus, fiducialiter agam et non timebo, quia fortitudo mea et laus mea Dominus et factus est mihi in salutem* » ; — hebr. *ecce Deus salus mea* vel ecce Deus salutis meae; nunc scil. plenissime adest fructus ille qui enasci debuit ex afflictionibus ; cf. 10, 20; fiducia et spes in hominum auxilio est abiecta, iubilantes agnoscunt et alta voce omnibus praedicant : en Deus isque solus salus mea ; quare fiducia filiali sine ullo timore, sine anxietate, quidquid evenerit, in hac fide ac spe acquiescunt; intime enim persentiscunt, Deum esse *fortitudinem* populi sui i. e. qui eum fulcit, sustentat, roborat, uti in psalmis vocatur petra vel saxum Israel tamquam fundamentum inconcussum theocratiae. Et quia Deum ut talem plena fide complectuntur, ideo est etiam *laus mea* vel *cantatio* hebr. i. e. quem laudibus et laetis carminibus celebro, in quo gaudio exsulto. Ratio autem fiduciae, amoris, iubili est, quia praeclaram salutem a Domino datam redempti gratis animis perpetuo recolunt; quare illud *en Deus salus mea* cum emphasi repetitur *et factus est mihi in salutem;* in hac enim fide cardo rei vertitur, in ea summa collocatur spes, animi alacritas summa; quare uti est iubilantium idem repetunt et in subsequentibus hanc salutem pluribus amplificant ; cf. Ex. 15, 2.

Iam huius salutis infinitam beneficentiam (*Malv.*) extollere et quod consequens est ad tanti boni amplissimam participationem inter se provocare student v. 3 « *haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris* »! — hebr. *de fontibus salutis;* aquae metaphora refectio exprimitur et cum aqua omnis fertilitatis et viriditatis sit conditio pernecessaria et aquae beneficium sub coelo ardenti multo magis agnoscitur, quam in regionibus humidis, facile intelligitur, cur toties in s. literis aqua ad bona transferatur spiritualia. Aquae istae quae refectionem, vigorem, fecunditatem afferunt, iam abundantissime fluunt; *fontes* perenniter aquam subministrantes adsunt; numerus pluralis hic abundantiam sane declarat; aquae fontium praeclarae et optimae censentur; eas hauriunt *cum gaudio* ablata miseria et oppressione, agnoscentes et profitentes in fontibus illis a Deo liberaliter datis veram hauriri vitam, iam non, uti olim, spernentes aquas Siloe quae vadunt cum silentio (8, 6). Totus versus aptissime in memoriam revocat, quanto iubilo sitiens multitudo aquas hauserit in deserto miraculo suppeditatas (Ex. 17, 6. Num. 20, 11). Iam non derelinquunt fontem aquae vivae (Ier. 2, 13), non abeunt

in Aegyptum vel in Assur, ut bibant aquam turbidam, aquam fluminis (Ier. 2, 18). — Huius salutis fontem se declaravit Messias (Ioan. 4, 13), praesertim in festo tabernaculorum, quando in memoriam aquae in deserto subministratae aqua ex Siloe fonte hausta ad altare effundebatur et hic Isaiae versus sollemniter cantabatur (Ioan. 7, 37; cf. Apoc. 7, 17; 21, 6).

Salute hac cum exsultatione percepta sequitur, quid populus in grati animi significationem et in tantae salutis aestimationem praestare debeat: v. 4 « *et dicetis in die illa : confitemini Domino et invocate nomen eius; notas facite in populis adinventiones eius; mementote quoniam excelsum est nomen eius* »! — cf. Ps. 104, 1. 1 Par. 16, 18; duo postulantur, ut scil. populus Deum laudibus celebret et reliquis nationibus maiestatem Dei et magnalia eius annuntiet. Nomen Dei invocare, vel uti hebr. quoque concipitur, praedicare nomen Dei (*Rohl. Del. Naeg.*) est agnoscere, venerari, notum facere id quod nomine Dei exprimitur i. e. totum id quod Deus revelatione operibusque suis nobis manifestavit; nomen enim rei naturam, virtutes omniaque designat quibus res nobis innotescit. Cum nomen Dei speciale sit *Iahve,* praecipue eius nominis vis nexusque cum foedere inito erit perpendenda; vide quae adnotavi ad Os. 12, 5. Ioel 2, 32. Atque haec annuntiatio laudum Domini, haec inter gentes gloriae eius propagatio speciali ratione ad regnum pertinet messianicum; veteri theocratiae arctis Palaestinae finibus conclusae munus adeo excelsum non committebatur, sed novae theocratiae necessario et per se inhaeret apostolatus ad omnes gentes, quia omnes in Messia benedictionem accepturae sunt (cf. Is. 2, 2; 11, 10). « O rem admirabilem et incredibilem! qui modo mysteriis initiatus est, dein ad salutis fontes accessit vitalesque hausit latices, tantam videtur cepisse progressionem ad hoc ut fidus et germanus exsistat, ut statim apostolicum ministerium ostendat; et non solum ad glorificandum Deum instigabatur solus, sed iam aliis quoque omnibus hoc factitandum mandat;.. ne enim, inquit, lateat Servatoris gloria; omnibus conspicua sit divina eius vis atque potestas » (*S. Cyr.*).

Uti talis apud omnes annuntiatio indole novae theocratiae exigitur, ita quam maxime est testimonium animi gestientis et magnitudinem beneficiorum agnoscentis (*Sanct.*). Quare repetita vice seipsos exhortantur v. 5 « *cantate Domino quoniam magnifice fecit; annuntiate hoc in universa terra* »! — hebr. *quia magnificentiam* (sublimitatem) *fecit,* res magnificas atque excellentes peregit; prius igitur ipsi intime penetrent ac perpendant, quam sublimia Deus beneficia ipsis sit largitus, et altissimam quandam de Deo eiusque operibus speciem et admirationem suis animis imprimant; deinde *notum hoc fiat* (hebr.), quod ipsi altis animis

gestientes reposuerunt, hoc iam laudibus extollant in universo orbe! Ita demum fiet, ut quod seraphim cantabant opere expleatur : plena est omnis terra gloria eius, ut scil. sanctitas Dei reluceat in terra, agnita ab hominibus et imagine quadam expressa in animis fidelium. De tali autem gloria Dei laetis animis iubilent et purissimi in Deum amoris affectus induant : v. 6 « *exsulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel* »! — gaudium et exsultatio sublimi modo absolvitur eo quod demum unice in Dei magnitudinem refunditur; non tam de sua salute iubilant, quam de Domini gloria et magnificentia, qua in medio populo suo praeclare innotuit. Est ergo affectus amoris excellentissimi, qui unice in amati claritate et beatitate acquiescit et triumphat, uti similiter Ecclesia orat : « gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam ». En, talis est fructus quem radix Iesse est allatura : Sanctus Israel claritate lucens in populo suo et populus sanctus hac Dei gloria et magnitudine exsultans. Haec autem gloria et salus reponitur in *Sion;* nam qui scriptus est in vita in Ierusalem, is sanctus vocabitur (4, 3), quicumque civis esse vult in regno Dei, in Sion natus sit oportet (Ps. 86), in Sion enim thronus David sempiternus erigitur, « et regnabit Dominus super eos in monte Sion ex hoc nunc et usque in aeternum » (Mich. 4, 7). Ita radix Iesse in Sion erit in vexillum populorum, uti David ex Bethlehem progressus in Sion arcem regiam condidit, quem nexum iam adumbrat Michaeas : « et tu *turris gregis,* collis filiae Sion ad te veniet dominatio prima, regnum filiae Ierusalem,... et tu Bethlehem, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel » (Mich. 4, 8; 5, 2).

Carmen hoc accuratius ita distribuit *Drechsl.*, ut v. 1 et 2 verba redemptorum, v. 3 acclamationem vatis, v. 4 et 5 verba redemptorum, v. 6 iterum acclamationem vatis agnoscat. *Del.* et *Naeg.* duas odes partes distinguunt, quae v. 3 annuntiatione prophetica inter se sint separatae. Sed cum carmen v. 1 et v. 4 ab eadem formula incipiat, indicium praeberi videtur, cur duas quasi strophas assumamus (cf. *Rohl.*), quarum priore *salus* describatur, altera autem *huius salutis effectus.* Sic carmen hoc aliqua ratione simile est cantico Moysis, cuius aliqua verba refert et in quo a v. 16 etiam effectus miraculi illius recensetur ad indolem veteris legis : irruat super eos pavor. Neque opus est v. 3 a carmine quasi separare et prophetae epiphonema interpositum assumere, uti volunt *Kn. Drechsl. Reinke,* vel in eo cernere verbum promissorium a propheta cantantibus propositum (*Del. Naeg.*). Nam uti v. 4 populus seipsum exhortatur ad Dei laudem, ita nihil obstat quominus talis exhortatio et acclamatio ipsorum canentium iam v. 3 statuatur. Quod si admiseris, maior adest odes huius unitas. Neque a poesi lyrica alienum est, ut qui canunt seipsos excitent vel ad canendum vel ad varios affectus prodendos eosque opere complendos (cf. Ps. 67, 27; 60, 8; 97, 4 etc.).

Bickell (Carmina vet. test. metrice p. 201) carmen hoc versibus (octosyllabis et sexsyllabis, concluditur utraque stropha decemsyllabo) descriptum exhibet; stichum qui etiam Ps. 105, 1 legitur : annuntiate inter gentes opera eius, eiiciendum censet, quia putat haec verba a scriba quodam ex loco psalmi huc esse translata. Verum id gratuito asseritur. Nam verba ea optime in contextum congruunt, uti supra ostensum est; exprimunt peculiarem indolem periodi messianicae et apostolatum quem redempti exercere debent. Iis retentis adest parallelesmus rei inter v. 4 et 5, ut scil. in utroque versu duplex ille effectus describatur, quo ipsi Dei magnalia agnoscunt eaque aliis nota faciunt. Et cum 1 Par. 16, 8 duo membra exsistant, cur non dicamus Isaiam utrumque membrum carminis iam noti in suum canticum eodem modo transtulisse, sicut v. 2 ex cantico Moysis transsumpsit? Atque sane uti hymnus eucharisticus Aegyptiis devictis optimam praebet redemptionis messianicae adumbrationem, ita carmen ad celebrandam arcae sollemnem in Sion collocationem apte inducitur ad dominium regis sionitici describendum; ibi cives sionitici peculiari favore affecti sunt, atque etiam nostro carmine, ut alia omittam quae sese consideranda offerunt, habitatores Sion ad peculiarem gaudii significationem provocantur. Insuper membrum hoc optime quoque ad eandem metri rationem cum aliis accommodatur. Utique si omnino constaret, utramque stropham ad idem prorsus schema esse rigorose exigendam, membrum hoc foret eliminandum; eo enim retento schema est strophae 8. 8. 6-8. 6-8. 10, dum in priore solum cernitur 8. 6-8. 6-8. 10. At utrum strophae ad rigorem aequales exigi possint vel debeant, res est plus quam dubia. Etsi pro aliquibus carminibus tales strophae ostendi possint, nondum continuo sequitur, ubique eas esse quaerendas et membrorum etiam eiectione efficiendas. Sufficiat nobis quod testes antiqui omnes membrum illud constanter hoc loco praebent; ita LXX, *Syrus, S. Hier. Chald.* Ceterum non cernitur, quare emphasis gratia non quandoque membrum possit *addi,* uti alias eadem ex causa membrum repetitur. Atque révera numerum aequalem membrorum et stichorum non esse requirendum, disce inter alia v. g. Ps.107 hebr. in quo eiusdem versus repetitione strophae constituuntur eaeque tamen satis inaequales.

III. — TERTIA VATICINIORUM SERIES CP. 13-27.

Hac serie vaticinia in gentes exteras, in orbem universum continentur. Vates annuntiaverat : « quia dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum et super omnem arrogantem et humiliabitur » (2, 12) ; id quomodo implendum sit in ipsa theocratia et in Assur expositum est in antecedentibus ; nunc vero vates ostendere aggreditur eandem normam valere in universum de cunctis gentibus. Supra ab eo quod Assur invaderet terram Emmanuel ideoque necessario esset prosternendus, vates ad omnium gentium inimicitias propter Emmanuel devincendas transiit brevi formula cladem omnium complexus : « congregamini et vincimini... quia Emmanuel » (8, 9. 10). Idem transitus iam hoc loco cernitur : post Assyrii cladem, quam cp. 10 nobis exhibuit et quae fit *quia Emmanuel,* de quo cp. 11 et 12 sermo est factus, iam ad omnes gentes sermonem transfert ostendendo, quomodo singulae sint humiliandae et inimica potestate exuendae. Sed, uti pro Sion norma est promulgata : « Sion in iudicio redimetur » (1, 27), ita eadem norma iam cernitur applicata ad omnes gentes. Victoria enim quae reportatur de inimicis *quia Emmanuel,* humiliatio est inimici eo fine et scopo, ut salutis fiat particeps ; quare in subsequentibus quoque vaticiniis fructus iste divinorum iudiciorum iterato effertur (cf. 14, 1. 2. 30. 32 ; 16, 5 ; 17, 7. 8 ; 18, 7 ; 19, 18 seq. 23, 18 etc.). Quibus simul hanc partem intime cohaerere cum antecedentibus et ibi suas quasi habere radices ita, ut quae antea seminum instar proiecta sint nunc ad maturitatem frugemque educantur, satis per se patet.

Porro advertere iuvat quam apte etiam alia consideratione adhibita haec vaticinia inferantur. Achaz rex multique ex populo ope Dei spreta ad Assyrios auxilii efflagitandi causa confugiunt ; propheta autem quam inanis sit non solum Assyriorum potestas verum universa gentium omnium dominatio et potentia et quomodo ut Dei regnum consistat deiicienda sit, graviter et per singula ostendit. Quid efficacius animos percellere potuit iisque quasi ad oculum demonstrare, quam stultum sit in Assur spem ponere ? et e contra quo sermone gravius clariusque omnium animis insculpi potuit inconcussum illud documentum, in una theocratia omnem salutem et felicitatem concludi ? Manifestat igitur propheta obtutu divinitus directo rerum omnium regnorumque cursum considerans, quae sit divinae providentiae administratio et ad quem tandem exitum sortes regnorum nationumque perventurae sint. In sublimi Dei specula constitutus (Ez. 33, 6. Hab. 2, 1) non secundum ea quae apparent et strepitu humano sensibus obiiciuntur, sed secundum

normam aeternam et secundum consilia divinae gubernationis iudicium fert; quare quae longo saeculorum cursu efficienda sunt et procreanda, ad ea iam tum in omnibus eventibus mentis oculos dirigit suosque edocet, non arcta et limitata acie humana, verum norma illa divina cuncta esse dimetienda. Unde ex his oraculis etiam nos informamur, quale Dei consilium in variis nationum sortibus sit investigandum.

Quantum porro eiusmodi oracula in gentes exteras conferant splendoris, quo ipsius Iahve maiestas ac sublimitas clarius ab ipsis Iudaeis cognoscatur, declaratione non indiget. Etenim ea argumento sunt et firmissimo et intellectu facillimo, Iahve non esse deum quendam nationalem, verum rectorem ac dominatorem universalem, cuius nutui et praescientiae omnia plane subsint; neque minus Iudaei edocebantur de divina in omnes gentes cura et gubernatione, qua Deus demum per Messiam omnibus afferri vult salutem et benedictionem omnesque in unam Dei familiam et unum Dei populum colligere et adunare. Ex quibus iam per se liquet, Iudaeos talibus doctrinis institutos, ad quas nulla Graecorum vel Romanorum scientia pervenit, solos aptos fuisse qui vere et digne de rerum gentiumque fatis iudicarent et in genere humano non stirpes odio implacabili inter se divisas, sed magnam unius Dei familiam agnoscerent.

Series haec oraculorum hoc ordine proponitur: primo loco quasi typus et complexus omnis potestatis Deo inimicae proponitur *Babylon*, (13, 1-14, 27), regio illa rebellione antiqua in Deum nota, qua ultimum quoque vulnus et excidium extremum veteri theocratiae est inflictum; quare suo iure prologi instar eius deiectio ac prostratio in omnium figuram et exemplum proponitur. Dein iudicia Dei devolvi describuntur in nationes circa Palaestinam inhabitantes : in *Philisthaeos* ad occidentem versus et meridiem, ad orientem in *Moabitas,* in *Damascum* septemtrionem versus (14, 28-17, 14). Exinde iam gentes longe dissitas eidem divino iudicio subiici demonstratur : meridiem versus *Aethiopes* et *Aegyptios, Babylonios* in septemtrionali regione (18, 1-20, 10). Iis autem adnectuntur eae tribus in quas terrarum tractus fere intermedios inter Aegyptum et Babyloniam incolentes Babylonii prius vindictae divinae ministri sint futuri; et demum iudicium denuntiatur dominatrici maris occidentalis, *Tyro* (20, 11-23, 18). Ex iudiciis istis particularibus ut norma Dei generalis innotescat gradus fit ad iudicium universale (cp. 24); atque uti antea saepius mediis in terroribus iudiciorum praeclarus commemorabatur salutis fructus, ad quem efficiendum castigationes divinae diriguntur, ita post iudicium in omnem terram devolutum eius effectus ac scopus exhibetur : adest populus sanctus Dei

magnalia laudibus celebrans (25, 1-27, 13). Proinde haec oraculorum series eodem modo concluditur, uti praecedens hymno (cp. 12) absolvitur : in utraque illustratur canticum seraphim et quomodo effectum sortiri debeat ostenditur : plena est omnis terra gloria eius (6, 3).

Quae cum ita sint, quam arcte haec series in se concludatur, quam proxime ex antecedente quasi sit enata et quantopere ad eandem formam et ad eundem finem sublimem sit exacta, non opus erit hoc loco pluribus prosequi. Id monuisse sufficiat, ut hac tota conformatione ita ad unitatem et consonantiam elaborata quisque intelligat haud infirmum contineri argumentum, quo auctorem partis huius esse eundem qui antecedentem mente conceperit et calamo expresserit, valide suadeatur, immo persuadeatur.

1. *Oraculum in Babel* 13, 1-14, 27.

Arg. — Deus milites suos quibus vindictae ministris utitur ad expeditionem bellicam contra Babylonem evocat, iique magno strepitu ad opus accurrunt (13, 1-5) ; vae eis contra quos evocantur ; iis ingruit dies Domini crudelis, quo vindictam sumet de universis iniquitatibus omnia terrore et horrore complens (13, 6-13) ; quo iudicio Babylon misere interibit et demum ad vastam ac horridam solitudinem redigetur (13, 14-22). Hac vero ruina via panditur populo Dei simul cum alienigenis ad salutem (14, 1-2) ; ab hoste tyrannico liberati eius interitum, pristinam superbiam, arrogantiam, oppressionem tyrannidemque et summum quo nunc prostratus sepultusque iaceat opprobrium carmine prosequuntur epinicio (14, 3-21) ; cui iterata praedictione et oraculo Dei iureiurando confirmato calculus adiicitur (14, 22-27).

Vates ita iudicium in Babylonem describit, ut in eo simul iudicium in omnem potestatem Deo inimicam adumbret eique hoc oraculo quasi praeludat. Id praesertim ex 13, 10. 13 elucet. Ad quod consequens est, etiam Babylonem h. l. considerari quasi in se exhibentem et exprimentem ad instar exemplaris vel typi omnem potentiam Deo adversariam, quae edocta a satana superba rebellione contra Deum assurgat. Id enim 14, 12 etc. commendatur. Ut autem talis typus et complexus in Babylone describatur, ex iis facile intelligitur quae et olim in illa regione gesta sunt et postmodum in theocratiam impie ac crudeliter perpetrata. Ibi enim in terra Sennaar rebellio in Deum exorta est quam Deus confuso labio prostravit, ita ut ipsum Babel nomen eius rei documentum sit (Gen. 11, 9), ibi Nemrod « robustus venator coram Domino » qui « coepit esse potens in terra » i. e. alios subiugare et tyrannide coercere, regni sui principium fundavit (Gen. 10, 9. 10) ; regnum demum baby-

lonicum templo et urbe sancta destructis ultimum excidium intulit theocratiae, et ita sicuti primus exstitit hostis Dei et tyrannus hominum, ita has in Deum inimicitias in populi Dei ruina absolvit et quasi ad fastigium perduxit. Quare Babylon in se omnem potestatem Deo adversariam complecti ac repraesentare iure dici potest, unde in Apocalypsi quoque symbolum potestatis tenebrarum et principis huius mundi ministra praecipua describitur Babylon.

Cum oraculum hoc a rationalistis Isaiae esse negetur, in eius expositione ad ea quoque advertere oportet quae magnam cum dicendi genere Isaiae similitudinem prae se ferunt et quae a prophetis subsequentibus, praecipue Ieremia et Ezechiele, imitatione expressa sunt. Si enim oraculum hoc eo iam tempore exstitit, fieri non potest, ut aut ignoratum sit cuius esse censeri debeat aut falso sit Isaiae attributum. Quam sedulo enim minora quoque oracula suis servata et adscripta sint auctoribus, documento sunt quaedam in libris historicis oracula relata et ipse minorum prophetarum liber, in quo cernere est quanto studio minima quoque oracula, v. g. Abdiae, suis adscripta et attributa sint auctoribus. Praeterea nostrum de Babel oraculum explicite inscriptione ipsa attribuitur Isaiae; ergo adest testimonium historicum gravissimum. Inscriptionem enim esse genuinam, eo quoque suadetur, quia cum in subsequentibus v. 2-18 Babylon non nominetur, necessaria est ad oraculum intelligendum; deinde non immerito etiam asseri potest, si esset ad interpolatorem referenda, similes inscriptiones ab eodem interpolatore non uni alterive oraculo, verum *omnibus* futurum fuisse ut apponerentur. — Offensioni praecipuae illud est rationalistis, quod in hoc oraculo sermo fit de regno babylonico et de eius per Medos excidio, cum uti volunt, Isaias solum de regno assyriaco agat. Sed id arbitrarie asseritur. Uti Michaeas exsilium vaticinatus est babylonicum, uti ipse Isaias Ezechiae regi exsilium praedicit babylonicum (39, 6. 4 Reg. 20, 17. 18), ita eadem ratione hoc de Babylone oraculum fundere poterat. Obiectio illa solum eo orta est quod omnem veri nominis prophetiam de re futura perfracte negant.

a) Deus suos convocat milites 13, 1-5.

Praemittitur totius oraculi titulus: v. 1 « *Onus Babylonis quod vidit Isaias filius Amos* » ; — notat *S. Hier.* : « verbum hebraicum *messa* מַשָּׂא vel onus vel pondus intelligi potest; et ubicumque praepositum fuerit, minarum plena sunt quae dicuntur ; unde miror LXX translatores in re tristi voluisse ponere visionem » ; et recte *onus* explicatur; cf. ad Nah. 1, 1; ita vox hebr. intelligitur a *Syro, Chald. Aq.* eiusque notio colligitur 2 Reg. 5, 17; 8, 9 hebr. 2 Chron. 35, 3, Is. 46, 1.

Num. 11, 11. Ad *oneris* significationem oraculum minis plenum ac triste plane adaptatur, atque revera ubique tale oraculum ea voce declaratur, etiam Zach. 12, 1 (vide quae ad h. l. notavi). Quare *onus* retinendum est neque cum aliquibus « effatum » verti oportet.

Statim vates in medias res ingreditur. Quo maior sit vehementia, commotio, attentio, nullo nomine prolato neque invitantis neque eorum qui convocantur abrupte incipitur ab acri exhortatione v. 2 « *super montem caliginosum levate signum, exaltate vocem, levate manum, et ingrediantur portas duces* » ! — hebr. *in monte plano* (seu laevi) *levate vexillum,* ut scil. longe lateque conspicuum omnes ad expeditionem bellicam celeriter aggrediendam admoneat ; ex textu lat. de signo ignibus accensis in vertice montis cogitandum erit, quo ex condicto fiat militum concursus. Quanto cum impetu ac festinatione convocandi sint, triplici membro explicatur ; vexillo erecto, alta voce, manuum agitatione excitantur ; solent enim qui negotium urgent et voce uti et gestibus. Quo alacrius fortiusque rem aggrediantur, statim rei eventus subditur : *et ingredientur portas principum,* vel *ut introeant portas principum* (hebr.) scil. portas urbis celeberrimae cuius incolae quasi principes aestimantur et nobiles (cf. 23, 8), vel in arces et palatia principum. Unde certa iam victoria promittitur eaque facilis ; sufficit enim, ut agmine collecto veniant ; et cum portarum principum mentio fiat, spolia opima tamquam expeditionis praemia proponuntur. Ita simul statim ab initio summa oraculi paucis exhibetur.

Quis autem ea agmina convocaturus sit, explicatur v. 3 « *ego mandavi sanctificatis meis et vocavi fortes meos in ira mea, exsultantes in gloria mea* » ; — « quo autem pugnantium insuperabilem manum demonstret, adnectit et dicit : ego instruo et ego adduco eos » (*S. Cyr.*) ; sun *sanctificati,* quia a Deo ad hoc munus et negotium Dei gerendum electi sunt ; quidquid enim pro Deo seponitur et a reliquis rebus separatur, ut in Dei servitium cedat, sanctum vocatur ; « sanctificavi dicit pro segregavi et veluti selegi ad ea gerenda quae in vos statui » (*S. Cyr.* sim. *Theod. Thom.*), sicut Nabuchodonosor qui vindictam et punitionem Dei in gentes exercebat simili modo servus Domini vocatur (*S. Hier.* cf. Ier. 25, 9 ; 27, 6 ; 43, 10). A Deo prae ceteris electi ad tale negotium, Deo auctore et auspice (*Sanct.*) illud aggressi invicti sunt ; praeterea Deus fortes, *heroes vocat ad iram suam* (hebr.), scil. ut ministri sint vindictae Dei iraeque exsequendae et in tali officio se fortes ac heroes praebeant ; neque frustra, nam iam describuntur *exsultantes de gloria mea* vel de maiestate et sublimitate mea (hebr.), Deus enim per illos se sublimem ac potentem declarare vult, quare eos summa quadam alacritate, fortitudine, bellandi cupiditate inspirat, ita ut trium-

phatorum instar maxima laetitia et tripudio ad proelium currant ; vel verte hebr. *exsultantes sublimitatis meae* i. e. exsultantes gloriosi mei (*For.*), tales sunt quales decet meam maiestatem milites conscribere, de quibus scil. belli dux possit gloriari, et qui ipsi exsultabundi et roboris sui invicti conscii ad certamen properent. En quibus titulis praeclarus Domini exercitus commendatur !

Atque statim post hanc annuntiationem divinam vates mentis acie ingentem percipit exercitus fragorem et tumultum, quo omnia circumquaque perstrepunt : grandi enim Dei verbo grandis scena respondeat necesse est; unde v. 4 «*vox multitudinis in montibus quasi populorum frequentium, vox sonitus regum, gentium congregatarum : Dominus exercituum praecepit militiae belli,* v. 5 *venientibus de terra procul a summitate coeli; Dominus et vasa furoris eius, ut disperdat omnem terram*» ; — hostes igitur montani sunt, duri et asperi; ergo eo maiorem horrorem Babyloniis luxu et mollitie diffluentibus incutient; iam montes qui ad orientem planitiem babylonicam cingunt strepitu hostium resonare vates percipit; *strepitus regnorum gentium congregatarum* (hebr.) i. e. innumerabilis multitudo ibi collecta est; neque de tanto apparatu mirandum est, nam Dominus exercituum, cui agmina omnia et coelestia et terrestria subserviunt (cf. ad Os. 12, 5. Mich. 4, 4) lustrat copias suas bello paratas. Ad horrorem augendum veniunt de terra longinqua, de extremis terrae plagis; *a summitate coeli* i. e. extremitate terrae, ubi videtur tangere coelum (*Sa, Malv. Men. Tir.*) vel ab iis regionibus quas definire videtur pars illa coeli quam extremam videmus (*Sanct.*), vel ab ea terra quae tam longe distare videtur quam summum coelum (*Mald.*); hebr. *a fine coeli* i. e. ab extrema terra qua scil. coelum super nos expansum finitur, suum habet finem. Tale agmen ducit Dominus, in eo adsunt *vasa* i. e. instrumenta furoris eius, quibus uti vult ad perdendam universam terram. Unde quae terrifica sunt in coelo et in terra quasi impetu facto irruunt.

Verum hisce ultimis verbis iam indoles *generalis* iudicii innuitur. De sola enim expugnatione urbis babylonicae a Medis Persisque facta non apte diceretur gentes advocari de terra procul, *de fine coeli;* idem cernitur in ultimo membro, quo instrumenta furoris a Domino praeparari dicuntur ad perdendum universum orbem (cf. *Kn. Del. Naeg. Rohl.*). Ad quod etiam subsequens horroris descriptio omnino adaptatur. Neque a visione prophetali (13, 1 : onus quod *vidit*) alienum est, ut effectus particularis iudicii, quia est pars iudicii Dei generalis, conditionibus et coloribus quasi delineetur iudicii universalis. In visione enim propheta non intervalla temporum considerat, sed illum percipit nexum sine temporis intervallo quem Deus inter eventus varios ex

rerum similitudine secundum eandem normam divinam enata statuit. Unde satis est frequens, ut iudicia particularia forma et schemate universali repraesententur; de qua re vide quae alias iam monui ad Ioel 2, 10 et Abd. 15 et Mich. 1, 2 et Hab. 3, 8.

Quamvis illud *ut disperdat omnem terram* non certo accipiendum sit sensu generali; multi referunt ad regnum babylonicum solum quod propter latitudinem et in multas gentes dominium dicatur tota terra; ita v. g. *S. Cyr.* : « οἰκουμένην vocat Chaldaeorum terram, utpote maximam et supra modum spatiosam et quae cum orbe terrarum quodammodo certaret propter habitantium multitudinem » ; vel ita dici, quia per Persas gentes complures punitae sint; quemadmodum habet *Theod.* : « multae gentes sub Persarum erant imperio; Cyrus enim Asiam universam obtinuit, Cambyses vero eius filius etiam Aegyptum parere coegit. Darius filius Hystaspis Scythas etiam nomades subegit, Xerxes Darii filius contra Graecos expeditionem suscepit; per hos autem impietatis et iniquitatis poenae ab omnibus exigebantur ». Alii omnem terram Babylonis et Chaldaeorum explicant (cf. *Sanct. Malv. Mar. Sasb. Men.*), uti iam dicit *S. Hier.* : « idioma est sanctae Scripturae, ut omnem terram illius significet provinciae de qua sermo est; quod quidam non intelligentes ad omnium terrarum subversionem trahunt ». — Sed cum alia adsint indicia *certa* sermonem transferri ad genus universum, verba de se apta ad sensum generalem exprimendum modo generali sane accipi poterunt. Atque in iudicio hoc particulari figuram quandam exhiberi diei iudicii, agnoscunt *Basil. Pint. Sa.*

Cum rationalistae contra hoc oraculum excipiant, ibi cerni genus dicendi ab Isaia alienum, statim a limine oraculi operae pretium erit quam falso id iactetur paucis demonstrare. Iam eo ipso in v. 2 genus Isaiae deprehendi potest, quia totius oraculi summam ibi brevi proponit. Dein phrases quae adhibentur, satis frequenter ab Isaia usurpantur : *vexillum erigere* נְשָׂא נֵס iam legimus 5, 26; 11, 12 et iterum usurpatur 18, 3; *vocem exaltare* apud Isaiam legimus 37, 23; 40, 9; 58, 1; *manum agitare* 10, 32; 11, 15. Quare sane iste versus a genere dicendi Isaiae non abest. *Princeps* נדיב habetur quoque 32, 5. 8. Vox autem v. 3 עַלִּיז *exsultabundus* non invenitur nisi apud Isaiam 22, 2; 23, 7; 24, 8; 32, 13 et in hac phrasi coniuncta cum גַּאֲוָה etiam apud Soph. 3, 11; sed cum Sophonias frequentius a prioribus dependeat ab iisque et phrases et sententias mutuetur, dicendum erit, etiam hanc phrasin a Sophonia ex nostro oraculo esse decerptam, non e contrario auctorem nostri oraculi a Sophonia deprompsisse. Ad quod corroborandum accedit quod גַּאֲוָה apud prophetas uno excepto apud Ier. loco (48, 29, ubi omnia eius radicis substantiva ad paronomasiam habendam uno cumulo proferuntur) non occurrit nisi apud Is. 9, 8; 13, 11; 16, 6; 25, 11 et in phrasi quam Soph. 3, 11 ex nostro loco mutuatus esse videtur. In v. 4 קוֹל הָמוֹן cf. 33, 3; דְּמוּת cf. 40, 18. De voce שָׁאוֹן ita disserit *Naeg.* : invenitur in tota veteris testamenti Scriptura 17 vicibus, inter quas octies apud Is. 5, 14; 13, 4; 17, 12 (bis) 13; 24, 8; 25, 5; 66, 6. Neque quod iudicium in Babel quandoque coloribus universalis iudicii

describatur, ab Isaia alienum est; sed cum a cap. 24 iudicia particularia generali et universali iudicio comprehensa et absolvenda describantur, et ita finis isti iudiciorum seriei imponatur, potius congruum esse videtur, ut prologus i. e. cap. 13 accommodetur et efformetur ad modum epilogi i. e. ut sicut in fine seriei iudicium universale exhibetur, ita idem etiam in initio non plane omittatur, quo melius statim ab omnibus percipiatur, quem in finem et sub qua norma ista iudiciorum series proponatur.

b) **Dies Domini horrore plenus 13, 6-13.**

Si Dominus talem conscribit exercitum et instrumenta immittit furoris sui, quid restat nisi ut omnia terrore corripiantur? Unde sonitui illi bellicoque tumultui subiunguntur effectus in miseris conspicui, quibus voci illi (v. 4) quasi respondent v. 6 « *Ululate quia prope est dies Domini, quasi vastitas a Domino veniet* »! — cf. Ioel 1, 5. 11. 13. 15; dies Domini est dies iudicii, quo Deus ultionem capit de inimicis et suum ius repetit et statuit, ubi hominis opera Deo adversaria pereunt et unum Dei opus consistit; ceterum cf. Ioel 2, 1. 11. 31; Am. 5, 18. Abd. 15. In hebr. adest paronomasia : כְּשֹׁד מִשַּׁדַּי sicut vastitas a Deo vastatore (*For. Malv.*), a Deo praepotente et insuperabili; *quasi* (כ veritatis) i. e. vastitas talis, qualem decet supremum vastatorem inferre (*Malv.*), qualis ipsius furorem et potentiam decet (*Sanct.*). Quantus ea vastitate terror incutiatur et quam impotes futuri sint homines ad evadendum, graphice depingitur v. 7 « *propter hoc omnes manus dissolventur et omne cor hominis contabescet* v. 8 *et conteretur; torsiones et dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt; unusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustae vultus eorum* »; — metu et terrore omnia languescunt et stupefiunt : manus *flaccescunt* (hebr.), ad quodcumque opus ineptae torpescunt; est scil. indicium externum abiisse omnem vim, vigorem, studium omne; ab externo indicio sermo progreditur ad internum omnis roboris defectum (id quod principale est) : *cuiusque cor liquescit* (hebr.), cor, sedes intelligentiae et affectuum ex Hebraeorum modo considerandi, diffluit i. e. omnis consilii et fortitudinis sunt expertes, quo se vertant plane nescii; unde consequens est quod sequitur in hebr. *et conturbabuntur,* perplexitate obruti, intricationi et praecipitantiae obnoxii, sui plane non compotes, quasi insania et amentia perculsi. Ad quam perturbationem accedunt *torsiones et dolores,* tormenta et cruciatus corporum, quae, uti parturienti accidit, et subito ingruunt et acutissima sunt ac vehementissima (cf. Ier. 30, 6; 49, 24). Unde consequens est, ut prae nimia perturbatione et dolore quisque ad alterum *stupeat,* sine voce, expers consilii stupens ac stolidi in morem alterum intueatur; angoribus et doloribus

excruciatae facies eorum et vultus facies sunt *flammarum* (hebr.), i. e. facies anxietatibus quasi ignibus succensae vel prae confusione ac pudore erubescentes. Bene adnotat *Sanct.* : « optima hypotyposis hominum, quorum animus gravi dolore metuque concutitur, in quo neque consilium est ullum neque spes effugii, sed aestus atque angor, ex quo nascitur manuum dissolutio quae nihil audent vel moliuntur, et mentis caligo quae nihil videt aut cogitat opportunum, ac tandem desperatio, qua robustorum etiam animus solvitur ac tabescit ».

Quid sint *facies flammarum,* varie explicant ; sane mirum est aliquos ex flammis pallorem deduxisse ; ita iam *Mald.* « facies pallidae vel ustulatae » et e recentioribus *Kn. Hitz.* qui acute perspicientes flammam etiam lumen afferre ac claritatem statim de claritate et albo colore palloris interpretantur, sane artificio interpretationis haud invidendo ! Verum quidem est ad antecedentia bene adaptari pallorem ; sed aeque bene adaptatur angor et anxietatis aestus, quo ardent et rubescunt sanguine in vultus vehementer ascendente. — Alii explicant facies flammarum, facies exustas, luridas, aridas, inde fumo et ustione nigras, ergo moerore et dolore et inedia nigrescentes et exsiccatas, pallidas, exsangues (cf. *Sa, Malv. Mar. Men. For.*) et comparant Ioel 2, 6. Nah. 2, 10 (*Sanct. Calm.*). Sed *flammae* ardorem, aestum insinuant neque inusitatum est, ut quis prae nimia anxietate quasi ardoribus quibusdam uratur et crucietur ; ergo *flammae* in sua obvia significatione retineantur oportet, neque opus erit cum *Rohl.* (id quod in priore commentarii editione etiam *Del.* docuit) recurrere ad id quod « flamma modo rubeat ut sanguis, modo ut luna pallescat ».

Talibus autem terroribus homines concuti et iis horroribus periodum illam vestiri aequum est ; nam v. 9 « *ecce dies Domini veniet, crudelis et indignatione plenus et irae furorisque ad ponendam terram in solitudinem et peccatores eius conterendos de ea* » ; — indolem iudicii generalem vates describit ; quare nos monet, ut quae iudicia singula annuntiantur, ea sub generali Dei norma consideremus ; hebr. *crudelis et excandescentia et ardor furoris ;* fervor irae divinae et in res creatas fertur et in peccatores qui peccatis terram polluere dicuntur et peccando abutuntur rebus. Etiam hic nexus ille effertur inter hominem et mundum adspectabilem, qui simul cum homine peccatore affligitur (cf. ad Os. 4, 3. Hab. 3, 17. Soph. 1, 3). Et quantopere in ipso mundo ira Dei iudicis conspicua ad omnium terrorem reddatur, explicatur v. 10 « *quoniam stellae coeli et splendor earum non expandent lumen suum ; obtenebratus est sol in ortu suo et luna non splendebit in lumine suo* » ; — tenebris et caligine augescunt horrores ; uti lux metaphora est et imago gratiae, felicitatis, beatitatis, ita tenebrae miseriam et calamitates adumbrant ; unde nox atra sine ulla stellarum vel lunae luce (cf. 8, 22)

aptum est ingruentium malorum augurium. Uti enim Deus iusta vindicta lumen vultus sui i. e. favorem et benignitatem subtrahit tempore iudicii, ita aequum est, ut etiam lux creata, quae est quasi imago reflexa lucis increatae eiusque symbolum, cesset et obscuretur. Hebr. *stellae coeli et Oriones eius* i. e. sidera quae splendore et pulchritudine sunt sicut Orion, כְּסִיל cf. ad Iob 9, 9. Talibus signis in coelo astrisque dies iudicii exhiberi solet; vide quae dixi ad Ioel 2, 30. 31. Quare cum tanto apparatu inducatur, non solum iudicium in Babylonem devolvendum h. l. concipi potest, verum concedi oportet hoc iudicium saltem coloribus ab universali depromptis depingi. Id autem facilius explicatur, si Babylonem h. l. typum et complexum quendam esse dicimus omnis potestatis Deo inimicae. Tunc enim in deiectione Babylonis iam adumbratur prostratio omnis potentiae quae Deo obnitatur; cum autem talis prostratio complete fiat in iudicio universali, intelligitur, quomodo typus ut hanc suam indolem reddat manifestam, ad antitypi formam exhibeatur. Qua re simul nexus declaratur qui adest inter omnia Dei iudicia et scopus ille omnibus communis. In visione autem prophetica *nexus iste et scopus* ita ad visionem mentisque intuitionem accommodate *repraesentatur*, ut singula iudicia cernantur quasi substare illi universali, ab eo compleri, ad id referri i. e. eius vestiri coloribus quasi unum cum eo efficerent remoto temporis intervallo.

Ut ita res concipiatur, ipse loquendi modus de coeli stellarumque obscuratione locique alii similes apud Ioelem, Matthaeum etc. omnino suadent. Nam qui de sola expugnatione Babylonis ea interpretantur ad hyperbolas nimias confugere debent vel explicationem contortam proponunt. Omnia enim ad solos hominum affectus referunt. Audi e. gr. *S. Cyr.*: « quoniam magnitudo calamitatum quandoque humanam mentem tantum non tenebris et caligine opplet, ut etiam cum dies sit, lux solis abesse existimetur et ad lumen praebendum omnis ille ornatus coeli et ipsius lunae orbis inefficax esse videatur, ideo inquit: astra coeli et Orion et omnis ornatus coeli lumen non dabunt »; similiter *S. Hier.* ita dici censet, quia prae timoris magnitudine mortalibus cuncta tenebrescant et sol etc. videatur negare fulgorem; afflictis enim, ut dicit *S. Thom.* ad h. l. omnia videntur esse tenebrosa. Atque huic acceptioni acquiescunt multi; v. g. *For. Pint. Sasb. Sanct. Mald. Malv. Lap. Men. Tir. Calm.* loquentes de hyperbolis et statuentes « moris esse prophetae hyperbolis plus quam hyperbolis uti, cum significare velit maximos terrores » *(Sasb.)*; immo aliqui ita sibi persuadent talibus locutionibus apud Hebraeos designari magnos terrores et extremam infelicitatem, « ut iam signa illa evangelii: *sol obscurabitur et luna* etc. ex hoc et similibus intelligi facile possint » *(For.)*. Verum, ut aperte dicam, talis explicandi modus mihi videtur respuendus. Hyperbolas enim statuit plus quam hyperbolas; et si adeo progreditur, ut in ipsis verbis Christi de ultimo iudicio nihil nisi extremam hominum infelicitatem exprimi asseratur, falsus omnimo

est et pluribus nominibus respuendus. Quare locum nostrum ex illa de stellis locutione ad iudicium universale pertinere rite perspexerunt et docuerunt *Euseb. Basil. Herveus;* alii saltem in eo typum et figuram iudicii universalis agnoscunt (cf. *Lap. Troch.*).

Sed forte quis dixerit : at quomodo verba illa Christi de stellis cadentibus sensu quodam literali poterunt concipi ? Audi quae *Epping* respondet : quid putas futurum esse, si densa quaedam turba illarum stellularum quas meteorita vocamus concitato impetu in nostram ferretur terram ? Tum ad verbum impleretur illud Christi vaticinium Matth. 24, 29. Et addit : Wenn die Meteore in der Ebene der Ekliptik dicht geschaart zwischen Mond und Erde durchziehen, so ist nichts natürlicher, als Verdunkelung von Sonne und Mond ; an Sternschnuppenregen wird es dann sicher auch nicht fehlen. Was die Erschütterung der Kraefte des Himmels betrifft, so brauchen wir nur vorauszusetzen, dass ein Haufen, dessen Masse ein Tausendstel der Mondmasse betraegt, der Bewegung der Erde gerade entgegengesetzt mit der gewœhnlichen Geschwindigkeit von 6 Meilen auf sie losstürzt, und wir haben eine Revolution in unserer Atmosphaere wie unsere Einbildungskraft sie kaum fassen kann. Eine solche Masse würde ploetzlich eine Waerme erzeugen, die im Stande waere eine Eiskugel von 5° Kaelte und von der Groesse unserer Erde vollstaendig in Wasser zu verwandeln (cf. Stimmen aus Maria-Laach 1886, XXX p. 303).

Uti v. 10 in externa mundi specie immutata et in tenebris adumbratus est furor et irae ardor (v. 9) iudicis, ita nunc exponitur in quos furor ille proprie et per se dirigitur v. 11 « *et visitabo super orbis mala et contra impios iniquitatem eorum et quiescere faciam superbiam infidelium et arrogantiam fortium humiliabo* » ; — primo generatim enuntiatur, Deum visitaturum i. e. animadversurum esse *in malitiam super terram ;* nota תֵּבֵל dici quae vox non unam aliquam regionem designat, sed οἰκουμένην sensu generali ; quare hic quoque explicatio supra proposita confirmatur. Ex culpis impiorum speciatim tamquam iudicio conculcanda effertur *superbia arrogantium* (hebr.) et fastus *violentorum* (hebr.) i. e. eorum qui insolentia elati superbiunt et potestate ad oppressiones et violentias abutuntur. Ergo id fiet quod 2, 12 seq. dicitur. Utroque vitio, superbia et tyrannide, Babylon plurimum peccavit ; haec duo etiam apud suos propheta maxime accusat (cf. 5, 8 ; 10, 1. 2) ; iis ergo iudicium maxime severum instare minatur. Bene delineatur effectus iudicii divini qui in eo consistat, ut insolentia hominum qua in Deum et contra homines efferuntur de gradu deiecta misere pereat. Est enim superbia et elatio sicut peccati initium exstitit, ita omnis peccati et radix et culmen. — Et quousque tandem recidet elatio hominum et superba iactantia et ostentatio? Omnia interitu et ruina absorbebuntur, quod excidium per proverbium vates describit v. 12 « *pretiosior erit vir auro et homo mundo obrizo* » ; — hebr. *pretiosiorem faciam hominem quam*

aurum (depuratum) et virum quam aurum Ophir; i. e. « pretiosum dicitur omne quod rarum est » *(S. Hier.* sim. *Cyr. Thom. For. Sa, Malv. Mald.* etc. et recentiores). Norma scil. illa *reliquiae salvabuntur* etiam ad iudicium in universum si consideretur extendatur necesse esse vates docet, uti in particularibus valet (cf. 10, 16 seq. 16, 14; 17, 4; 24, 6. 13; 30, 17). Alii, sed multo pauciores, locutionem proverbialem ita accipiunt, ut nemo neque nobilis neque plebeius *redimi* posse i. e. excidium effugere dicatur; nullas scil. opes, divitias nullas sufficere, quibus vita salusque redimatur (cf. v. 17; ita *Osor. Mar. Sanct.*); neque haec explicatio a scopo aberraverit.

Ubi regio Ophir, de qua saepius in s. literis sermo est (cf. 3 Reg. 9, 28; 10, 11. 2 Par. 8, 18; 9, 10), quaerenda sit, magna est inter eruditos controversia; vide ad Iob 28, 16. Inter sententias mentione dignas accipe has: aliqui Ophir quaerebant in litore orientali Africae, in Sofala, quae regio insulae Madagascar opposita iacet; ita *Quatremère, Movers, Bruce, d'Anville, Robertson, Guillain, Mauch;* ipsum nomen Ophir inveniri in appellatione arabica Fura vel Afura, qua montes auri feraces ad occidentem regionis Sofala vocentur; ad quam appellationem etiam nomina illa accedere, quibus LXX Ophir designant: Sophir, Suphir, Sophira praeter Upheir et Opheir. Sed ei sententiae alii opponunt, indicari Gen. 10, 29 regionem prope Seba et Havila; valde videri dubium litus illud an veteribus fuerit cognitum; nomen potius derivari ab hebr. Schephela, regione campestri; neque merces ex Ophir allatas inveniri omnes in Sofala. — Alii Ophir in regione *indica* sitam esse opinati sunt; eam enim indicari nominibus illis a LXX usurpatis, cum Sophir appellatio sit Indiae Koptis usitata, eam indicari, cum *Flavius Iosephus* et etiam qui LXX in arabicam linguam transtulerint ita verba sint interpretati; ei favere quod *Edrisi* et *Ptolemaeus* portum in litore indico, Suphara vel Supara nomine noverint; immo nomina mercium pleraque ex linguis explicari indicis indeque esse deprompta; ita *almuggim* vel *algummim* explicari ex voce sanscrita *valgu; tukhijjim* ex voce sanscrita *çikhi; qof* item ex sanscrita *kapi;* insuper notum esse, quantopere India gemmarum sit ferax; nomen *Abhira* tribus indicae vel alterius tribus *Sauvira* ad vocem hebr. et graecam satis adaptari; neque obstare si aurum non inveniatur in litore indico; id enim facile ex regione septemtrionali v. g. ex vicinia Kaschmir per commercium in oram maritimam deferri potuisse. Eam sententiam iam proposuerunt *S. Hier.* et postmodum *Vitringa, Bochart, Reland, Lassen, Ritter, Del.* — Alii propter Gen. 10, 29 regionem quaerendam esse dicunt in *Arabia* in parte meridionali vel in parte inter meridiem et orientem spectante (Oman, Yemen ?); ita *Niebuhr, Ges. Ros. Seetzen, Hitz.*; de qua re vide *Goergens* in Studien und Kritiken 1878 p. 458 seq.; *Riehm,* Handwoerterb. II p. 1123; *Ebers,* Aegypten und die Bücher Mose's p. 33; *Schenkel,* Bibellexikon s. v. — *Delitzsch* etiam ex Gen. 10, 29 argumentum ducens insulam designari vult vel oram maritimam intra sinus persici partem septemtrionalem

et partem Arabiae meridionalem occidentem versus spectantem (Wo lag das Paradies? p. 99). — Sed haec pro loco sufficiant.

Simul cum iudicio in homines ira Dei in mundum adspectabilem devolvitur; quae autem in creaturam fiunt, terrorem et magnitudinem vindictae adumbrant; v. 13 « *super hoc coelum turbabo et movebitur terra de loco suo propter indignationem Domini exercituum et propter diem irae furoris eius* » ; hebr. *propterea movebo* nexus arctus indicatur qui intercedit inter hominis punitionem et signa tremenda in mundi machina; haec concutitur propter illum. Ita dies Domini crudelis sese in terra et in coelo manifestat; cf. v. 10. 24, 1. Quae si de iudicio universali acceperis, de quo sine dubio 24, 1 etc. agitur, explicationem habent non adeo difficilem; difficillimam vero, si de solius Babylonis ruina cogitaveris. Cum enim iudicis adventus describitur, terra dicitur tremere, montes fumigare, valles scindi, montes liquescere etc. (cf. Ps. 75, 9 et ad Mich. 1, 3) et sane si virtutes coeli commovebuntur, etiam terram concuti ac tremere quis mirabitur? ceterum vide ad v. 10. Imaginem iudicii universalis hisce absolvi etiam eo commendatur, quia in v. 13 ad v. 9 reditus fit. Terroribus hisce maiestas « Domini exercituum » describitur et apte post tale prooemium singula iudicia particularia introducuntur. Eo enim proscenio praeclare docetur, ad quem finem et quo exitu singula exerceantur et quid documenti in singulis ob oculos habeatur necesse sit, ut *unum* Dei consilium rite agnoscatur.

c) Ruina Babylonis 13, 14-22.

Post iudicii terrores modo descriptos iam illustriore etiam modo patet, milites a Domino evocatos stragem ingentem esse illaturos neque quemquam iis resistere posse. Primus effectus expeditionis contra Babylonem a Deo excitatae est, ut quotquot eousque ex variis regionibus populisque quasi admirabundi et venerabundi Babylone degerint; ii omnes subito fuga celerrime arrepta dilabantur v, 14 « *Et erit quasi damula fugiens et quasi ovis — et non erit qui congreget — unusquisque ad populum suum convertetur et singuli ad terram suam fugient* » ; — Babylonem, maximum scil. emporium Asiae interioris et caput regni vastissimi, magna multitudo hominum ex dissitis quoque regionibus confluere solebat; insuper habebatur quasi miraculum mundi propter moenia et aedificia. Sed omnem splendorem uno ictu exstingui posse propheta minatur. Quam primum iudicia Domini ingruunt, urbs ab admiratoribus, adulatoribus, amicis turpiter deseritur; aufugiunt omnes fuga praecipiti terrore insani; damulae et oves animalia sunt timidissima, quae si terrore percelluntur, in fugam praecipitem ruunt et

quam facile terrentur. Ecce tales sunt ad Domini nutum, qui Babyloni et decori et praesidio firmissimo fore censebantur. Neque quisquam opem ferre Babyloniis suscipiet. Tanta gloria adeo subito corruit!

Babylon ab omnibus derelicta iam crudeli sorte occumbet et hic est alter effectus expeditionis quam Dominus evocat v. 15 « *omnis qui inventus fuerit occidetur, et omnis qui supervenerit cadet in gladio;* v. 16 *infantes eorum allidentur in oculis eorum ; diripientur domus eorum, et uxores eorum violabuntur* » ; — nemini parcitur ; « tanta erit urbis vastitas et victorum saevitia, ut nec innoxiae parcatur aetati, ut cunctae domorum diripiantur opes, et in conspectu maritali uxorum violetur pudicitia » (*S. Hier.*) ; tantus scil. hostium furor, tanta etiam Babyloniorum impotentia, qui antea orbis victores iam nunc extrema quaeque pati et carissimorum caedem et oppressionem oculis cernere coguntur nec possunt impedire. Ita furore hostium descripto iam ipsos vates nomine effert et horrores quos undique spargunt iterata assertione et descriptione proponit etiam magis ad singula descendens v. 17 « *ecce ego suscitabo super eos Medos qui argentum non quaerant nec aurum velint,* v. 18 *sed sagittis parvulos interficient et lactantibus uteris non miserebuntur et super filios non parcet oculus eorum* » ; — ne sibi blandiantur Babylonii ope divitiarum se posse suam suorumque vitam redimere ; tales sunt hostes qui non sacra auri fame, verum sanguinis caedisque siti teneantur in tantum, ut ne tenera aetate quidem infantium ad misericordiam flectantur. « Tantam scribit Medorum Persarumque saevitiam, ut ardore sanguinis effundendi aurum argentumque contemnant et oblatas opes pro luto reputent » (*S. Hier*). Praeclara oppositione ferocitas eorum notatur : aurum non cupiunt, sed crudelem parvulorum caedem quasi lusum sagittariorum affectant. In hebr. *arcus pueros diffindent et fructus ventris non miserebuntur* (cf. *For. Malv. Mald. Mar.*) i. e. « praegnantium uteri secabuntur elidenturque infantes » (*S. Hier.*). Crudelitas ea est, qua omnes gradus vitae enecantur : iuvenes robusti, infantes adhuc in utero, « filii ad ubera pressi » (*S. Hier.*). Medi cum Persis coniuncti regno babylonico finem fecerunt ; de Medis vide *Delattre* S. J., le peuple et l'empire des Mèdes, mémoire couronné par l'académie de Belgique, Bruxelles 1883. Etiam veteres dicunt eos sagittandi arte eminuisse (cf. Herod. 7, 61. Xenoph. Cyrop. 2, 1. 7).

Eam autem stragem consequitur vastitas et desolatio : v. 19 « *et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta superbia Chaldaeorum, sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrham;* v. 20 *non habitabitur usque in finem et non fundabitur usque ad generationem et generationem, nec ponet ibi tentoria Arabs nec pastores requiescent ibi* » ; — antiquo

splendore commemorato ruina et calamitas magis sentitur et effertur; cf. Nah. 2, 11; hebr. *Babel decus regnorum et magnificentia pompae Chaldaeorum sicut subversio Dei,* qua subvertit.... qualis oppositio! pro splendore et gloria instat maledictio, vastitas summa, incendium et foetor, verbo talis clades qua illae civitates, documenta irae divinae sempiterna, funditus sunt eversae et eversae etiam horrorem, mortem spargunt. En quomodo propheta in specula Dei constitutus etiam quae longe absunt quasi praesentia et instantia considerat neque pompa humana tangitur, sed ad Dei normam et mensuram cuncta revocat. Tempore Isaiae Babylon « decus regnorum erat et magnifica pompa Chaldaeorum » ; eius laudes et splendorem monumentorum ruinae praegrandes, inscriptionum praeconia, veterum scriptorum testimonia concordi encomio celebrant (cf. *Herod.* 1, 178. *Curtius* 5, 1. Stimmen aus Maria-Laach 1873 IV p. 155; *Riehm,* Handwoerterb. I p. 132; *Vigouroux,* la Bible et les découvertes modernes 3 éd. IV p. 305; *Kaulen,* Assyrien und Babylonien p. 76; *Oppert,* Expédition en Mésopotamie I p. 135 seq.). Augetur maledictio et desolatio, quia vastitas erit sine ulla reparationis spe; non modo non assurget aliquando ad pristinam gloriam, sed ne vilis quidem oppiduli species ei unquam concedetur, verum in tanto horrore et in tanta desolatione erit regio illa, ut ne nomades quidem ibi tentoria figere vel greges ducere velint. Sic enim illa solitudine et vastitate prae se feret superba illa et copiosa civitas vestigia vindictae divinae et monumentum erit aeternum et illustre: « quia dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum » Is. 2, 12.

Idque magis etiam illustratur, quia « decus regnorum et pompa magnifica » erit in diversorium bestiarum v. 21 « *sed requiescent ibi bestiae et replebuntur domus eorum draconibus et habitabunt ibi struthiones et pilosi saltabunt ibi,* v. 22 *et respondebunt ibi ululae in aedibus eius et sirenes in delubris voluptatis* » ; — hebr. (in quantum probabilius nomina bestiarum explicari possunt) *et accubabunt ibi bestiae deserti et implebunt domus eorum bubones et habitabunt ibi struthiones et capri saltabunt ibi et respondebunt ibi thoes* (ululabunt alternis vicibus) *in palatiis eorum et canes feri in palatiis voluptatis;* ubertate quadam dicendi ferarum genera recensentur, quo illustrior vastitatis et horroris imago exhibeatur. Uti olim terra maledicto percussa est, « spinas et tribulos germinabit tibi » (Gen. 3, 18), ita palatiis deliciarum similes dirae intentantur, dum bestiarum latibula fore dicuntur.

S. Hier. adnotat ad suam versionem : « *pilosi saltabunt ibi,* vel incubones, vel satyros vel silvestres quosdam homines quos nonnulli fatuos (faunos?) ficarios vocant aut daemonum genera intelligunt. Sirenae autem *thennim* vocantur, quas nos aut daemones aut monstra quaedam vel certe dracones magnos interpreta-

bimur qui cristati sunt et volantes. Per quae omnia vastitatis et solitudinis signa monstrantur, quod tanta sit depopulatio urbis quondam potentissimae, ut prae multitudine daemonum ac bestiarum nullus in eam audeat pastorum, id est, deserti appetitor intrare. Didicimus a quodam fratre Elamita qui de illis finibus egrediens nunc Ierosolymis vitam exigit monachorum, venationes regias esse in Babylone et omnis generis bestias murorum eius tantum ambitu coerceri ».

De veterum interpretationibus haec advertit *S. Hier.* : « *siim* (צִיִּים) soli LXX *bestias* (θηρία) transtulerunt ; alii ipso nomine quod apud Hebraeos scriptum est volentes genera daemonum intelligi vel phantasmata. *Et replebuntur,* inquit, *domus,* ut nos diximus, *draconibus*, ut Aquila transtulit, *typhonibus,* ut Symmachus *ohim* (ὠχείμ, אֹחִים) ipsum verbum hebr. exprimens, LXX vero et Theodotio *clamores* vel *sonitus* (ἤχου) interpretati sunt ; pro *ululis* quoque omnes verbum hebr. *iim* (אִיִּים), soli LXX *onocentauros* transtulerunt ». Ceterum צִיִּים h. l. *S. Hier.* transtulit *bestias,* Is. 34, 14 *daemonia,* Ier. 50, 39 *dracones,* Ps. 72, 9 et 74, 14 *Aethiopes,* Dan. 11, 30 *trieres.* Etiam LXX valde variant ; praeter θηρίον etiam praebent Αἰθίοπες, δαιμόνιον, ἴνδαλμα. *Syrus* h. l. exprimit *animalia ; Chald.* habet vocem תְּבוּוֹן quam ex etymologia explicant vel de animali pavido vel e contra de feroci quod horrorem incutiat (cf. *Levy,* Chald. Woerterb. II p. 543). אֹחִים *Syrus* expressit *filias vocis,* ergo ἦχος uti LXX ; *Chald.* vocem hebr. retinuit ; vox אחח sonum imitari videtur gemitus vel ululatus ; unde explicant vel generatim de ferarum ululatu, vel speciatim de *bubonibus* (ita *Aurivillius* quem sequuntur *Ros. Ges. Del. Naeg. Net. Rohl.*) vel *ululis,* vel de *martibus* (Kimchi, Abarbenel apud *Ges.* Thes. I p. 69). Vox שָׂעִיר frequentissima est et vertitur a *S. Hier.* hircus, hoedus, pilosus ; Lev. 17, 7 et 2 Par. 11, 15 vox redditur *daemones* LXX οἱ μάταιοι, τὰ εἴδωλα ; verum etiam ibi sermo est de cultu aegyptiaco hircorum ; ergo exprimitur illa versione, in cultu illo coli daemones, id quod etiam S. Paulus de cultu gentilium in universum pronuntiat (1 Cor. 10, 20), vel opinio redditur popularis etiam apud veteres pervulgata daemones speciem formamque hircorum induere ; cf. *P. Scholz,* Goetzendienst p. 137 ; *Riehm,* Handwoerterb. I p. 428. Similiter apud LXX : δασύς, τράγος, χίμαρος, ἔριφος, αἴξ, δαιμόνιον. —

Vocem אִיִּים *S. Hier.* hic vertit *ululas ;* sed infra 34, 14 *onocentauros* et Ier. 50, 39 *faunos ficarios* ; *Chald.* exprimit חַתּוּלָא quam vocem *felem* vel *martem* interpretantur. *Theod.* onocentauros τῶν LXX veteres appellasse dicit empusas, nunc vocari onoscelidas, cruribus asininis incedentes. *Syrus* h. l. praebet *sirenes* i. e. ut *Barh.* interpretatur ad h. l. aves suavisonas in locis desertis nidificantes ; sed alio in loco (Chron. syr. p. 333 l. 15) videtur *canes silvestres* intelligere ; dicit enim : « sirenes in Odessam urbem ad carnem occisorum vorandam noctu ingrediuntur et facta est habitaculum לירורא » i. e. canibus aureis vel thoibus ; cf. *Tullberg,* Barh. scholia in Ies. p. 10 ; *Bernstein,* lex. syr. Chrest. Kirsch. p. 220. Et ita recentiores quoque ex arabico de thoibus (Schakal) interpretantur ; Arabes vocant *ibnu awa* filium ululatus, quia canes aurei noctu praesertim ingentes edunt ululatus. — De ultima demum voce תַּנִּים quomodo a LXX et *S. Hier.* aliter in aliis locis explicetur (dracones, lamiae) iam egi ad Iob. 30, 29 (Comment. p. 353 in nota 1.) et ad Mich. 1, 8 (Comment. in Proph. min. I p. 402) et ad Mal. 1, 3 (Comment. II p. 425) ; sufficiat ergo h. l. adnotasse LXX vertere ἐχίνους, *Chald.* יָרוֹדָא quam vocem de fera ululante, de dracone explicant : cf. *Levy,* Chald. Woerterb. I p. 344. *Syrus* eandem h. l. vocem

adhibet quam *Chald.* praebet. Recentiores h. l. interpretantur *canes feros* (*Del. Naeg.*) vel *canes aureos* (*Net. Rohl.*). — Legitur v. 22 בְּאַלְמְנוֹתָיו in qua voce aliqui singulare dicendi acumen deprehendunt; dici scil. in *viduis* scil. palatiis viduatis, a domino vacuis; at non desunt codd. qui 'אר formam usitatam pro *palatio* exhibent (cf. *de Rossi*) et ita quoque veteres versiones vocem intellexerunt.

Concludit propheta hoc vaticinium iterata affirmatione qua simul ad aliud caput scil. ad salutem ex prostratione urbis inimicae consequentem sibi viam sternit; haec pars in editionibus hebr. ad finem huius capitis additur (uti iam *Sasb. For. Lap.* adnotant), in *vulg.* vero ad initium capitis sequentis ponitur. Utraque collocatio bona est quia et vaticinium antecedens absolvitur et gressus fit ad oraculum subsequens : « *prope est ut veniat tempus eius et dies eius non elongabuntur* » ; — utique illud *prope* ita intellige, ut regnum babylonicum postquam fastigium gloriae attigit, *non diu* ratione habita *regni* durationis, in illo culmine splendoris permaneat. Sub Nabuchodonosore illud culmen attigit; quis regno adeo florenti non longissimam quandam durationem praedixisset? verum iam Ieremias praedicit post septuaginta annos Deum visitaturum esse super regem Babylonis iniquitatem (Ier. 25, 12). Iam duratio per annos tantum septuaginta, non utique pro homine, sed pro *regno* et dynastia potentissima sane *brevis* dicenda est, praesertim si longissima illa temporum spatia attenduntur, per quae regna steterunt aegyptiacum, assyriacum et priscum babylonicum et per quae ipsum stetit iudaicum in una Davidis familia. Unde hac consideratione adhibita illud *prope* iam non potest iure esse offensioni; de qua enim materia subiecta agatur attendi oportet. Quam in rem bene notat *S. Hier.* : « post captivitatem quippe Ierusalem non multum tempus in medio et a Medis Persisque vastata est » ; tempus autem Nabuchodonosoris designat regnum babylonicum destructa urbe Assyriorum Ninive independens et florentissimum. Ita vero prophetam intelligi debere elucet ex v. 19; elucet ex 14, 4 seq. hisce enim aperte Babylonem supponit in ea potestatis amplitudine constitutam quam non attigit nisi regno assyriaco destructo; proinde ipsi Isaiae aequales intelligere *poterant,* oraculum hoc longius complecti tempus, scil. prius eo praedici Babyloni supremum quoddam amplissimumque dominium, deinde autem illum regni splendorem non diu permansurum. Quamdiu, definit Ieremias ; unde quoque non inepte concluseris nostrum vaticinium, utpote magis generale, in universum et indefinite dictum, antiquius esse debere quam illud Ieremiae. Bene advertit *Tir.* tempus illud breve esse respectu durationis alicuius regni et *Malv.* dies non protrahi quibus futurum sit ut floreat regnum (sim. *Mald.*).

Iam *Sanct.* in memoriam revocat oraculum hoc de ruina Babylonis

completa pedetentim et per gradus quosdam longo temporis intervallo esse opere expressum. Quae *Sanct.* in hunc locum collegit, hodie quoque merito proponuntur et huius interpretis eruditionem ostendunt ac sedulitatem : « quomodo vero quove cursu funditus Babylon perierit, haec carptim ab auctoribus accipe. Imprimis a Daniel cp. 6 habemus a Dario Medo et Cyro ablatum esse sub Baltasare Chaldaeorum imperium et ad Persas translatum. Deinde ab Herodoto (lib. 3) domitos esse rursus rebellantes Chaldaeos et dirutos magna ex parte babylonicos muros. Praeterea ut tradit hic Hieronymus et Plinius lib. 6 cap. 26 et Iustinus lib. 1, cum exstructa esset a Nicanore seu Nicatore Seleucia et a Parthis non longe a Babylone Ctesiphon, illuc habitatoribus commigrantibus pene exhausta est a civibus Babylonia. Denique Adriani tempore, ut refert Pausanias, nihil erat reliqui praeter muros : « Babylon omnium quas sol aspexit urbium maxima iam nihil praeter muros reliqui habet » . . . . . constat in Scriptura omnium concessu esse locutiones hyperbolicas. . . quare licet muri reliqui fuerint et rarae atque ruinosae domus, non ideo Babylon in solitudinem redacta non est. Accedit quod ex Scripturae sacrae usu nihil relictum esse dicitur, quando ex magna aliqua multitudine parum relictum est. Quapropter cum ex tam frequenti atque opulenta civitate reliquiae tantum exiguae superfuerint, iure in solitudinem redacta dicitur Babylonia » [1]. Tempore Strabonis ad Babylonem applicabatur effatum ἐρημία μεγάλη ἐστὶν ἡ μεγάλη πόλις (cf. Pausan. 8-33, 1. Dio Cass. 75, 9; *Winer,* bibl. Realwoerterb. s. v. *Riehm,* Handwoerterb. I p. 135; *de Hummelauer* in Stimmen aus Maria-Laach 1874, IV p. 156).

Hoc oraculo etiam docemur prophetas in mentis visione ea saepe videre coniuncta et quasi sine intervallo inter se excipientia, quae tamen in rerum cursu longo inter se spatio distant. Proponitur enim ruina Babylonis quasi uno ictu efficienda, quamvis paulatim et solum per gradus quosdam ad vastitatem illam et solitudinem redacta fuerit. Verum attendere oportet prophetas normas Dei exhibere ab omni tempore absolutas, decreta divina uti sunt in se; per quot gradus et intervalla, per quot eventus similes inter se succedentes illa opere sint exsequenda non ita tangunt. Simile iam habuimus 1, 27 : Sion in iudicio redimetur; norma statuitur generalis; quoties illa sit in opus deducenda, donec plenus iudicii fructus obtineatur, non dicitur. Huic intime cognatum est prophetas ea inter se immediate coniungere quae nexu

1. Quibus *Sanct.* iam praeoccupavit obiectionem quam aliqui recentiores (cf. *Cheyne, Diestel*) eo eo moverunt, quod in loco veteris Babel inveniatur Hilla et aliqua oppidula arabica.

quodam interno inter se copulentur, etsi in natura rerum et eventuum serie longiore intervallo separentur.

Potissimum enim cogitationes et decreta et consilia Dei tradunt, quae in se plurima complectuntur sed quae ut opere et vita exprimantur, multis indigent conatibus, longa annorum serie; ad idem caput v. g. refertur quod toties apud prophetas invenimus, praeparationem temporis messianici eiusque perfectionem absolutionemque uno proponi complexu; de qua re plura iam adnotanda erant ad Os. 2, 18; 11, 11. Ioel 2, 2. Mich. 1, 9. Soph. 3, 20. Zach. 2, 4; 10, 10 etc.

Tandem non omitti debet hanc quoque partem oraculi ex internis quas vocant rationibus nihil prae se ferre cur Isaiae possit abiudicari, potius adesse vestigia quibus Isaiam esse auctorem omnino commendetur. Ad quod adverte, postquam in universum de impetu hostili actum est, demum v. 17 qui futuri sint hostes illi efferri; qua in re idem habes quod supra apud Isaiam invenitur. Nam postquam 5, 26 etc. iudicium in Iudam generatim descriptum est, demum postmodum 7, 17; 10, 5 qui sint iudicium illud exercituri, suo efferuntur nomine. Idem hoc loco advertes. Quam praeclare autem nostro oraculo norma illa 2, 12 seq. proposita in opus deducatur, iam notatum est. Nonne haec tanta cogitationum cognatio indicio erit unius eiusdemque auctoris ? Porro omitti minime debet a v. 7 usque ad 22 ea quae in antecedentibus magis in universum dicta fuerint, iam per singula accuratius describi ac determinari; id vero ad Isaiae genus dicendi quam maxime accommodari, quippe qui iactis lineamentis generalibus descendere soleat ad particularia, neminem fugerit qui attente dicendi genus Isaiae perlustraverit. — Sed praeter haec lineamenta generalia quae plane ad Isaiam conformata sunt, attendatur oportet usus vocum et phrasium singularum omnino ad Isaiam aptus factusque. Ita v. g. שׁד 13, 6 cf. 16, 4; 22, 4; 51, 19 et saepius; v. 8 חול haud raro apud Isaiam v. g. 23, 4. 5; 26, 17. 18; 45, 10; 54, 1; 66, 7. 8. — v. 9 עֶבְרָה non raro invenitur apud Isaiam v. g. 9, 18; 10, 6; 13, 13; 14, 6; 16, 6 etc.; praeterea ad eundem v. 9 cf. 5, 9; 10, 7; 14, 23; 24, 12; 26, 14. Ad v. 11 nota תֵּבֵל frequenter usurpari apud Isaiam 14, 17. 21; 18, 3; 24, 4; 26, 9. 18; 27, 6; 34, 1. Quantopere autem eodem v. 11 ex mente Isaiae contra oppressionem et superbiam iudicium ac condemnatio proferatur, ex 1, 17. 21 etc. satis legentibus liquet. Adde ad eundem v. גָּאוֹן frequenter usurpari ab Isaia 2, 10. 19. 21; 4, 2 etc. 60, 15; de גַּאֲוָה cf. ad v. 3; עָרִיץ cf. 25, 3. 4. 5; 29, 5. 20; 49, 25. Paronomasia quae in v. 12 hebr. adest inter אוֹקִיר et אוֹפִיר genus prodit dicendi apud Isaiam usitatum (cf. *Naeg. Del.*). Dein v. 14 verba repetuntur apud Ier. 50, 16; sed notum est Ieremiam saepius oracula iam olim data recolere; unde allegatio illa apud Ier. demonstrat, nostrum oraculum iam tempore Ier. fuisse notum; unde novum colligitur argumentum non potuisse falso inscribi Isaiae. Ceterum totum vaticinium Ier. 50 seq. multis in locis ad nostrum alludere (cf. Ier. 50, 2. 3. 9. 13. 39. 40. 42 etc.) apud omnes in confesso est; unde denuo oraculum nostrum antiquius esse probatur. Quodsi hoc, cur ergo Isaiae negetur, cui inscriptio te-

stimonium fert? Neque id omittas velim, v. 17 Medos appellari; nam si vaticinium hoc, uti rationalistae volunt, tempore exsilii esset editum vel ut aliis placet post exsilium, certo certius Persae nominati fuissent, iam propterea quia qui sub nomine Isaiae vaticinium falso edidisset, id certe quam maxime observasset, ut praedictio quam optime eventui responderet, ne suspicio fraudis oriretur; notum est enim quantopere eiusmodi falsarii praedictiones suas fictas eventibus accommodent, ne falsarii deprehendantur. Unde quod soli Medi nominantur, non exiguum est ex internis rationibus momentum, oraculum hoc esse satis antiquum (cf. *Naeg.*). In v. 19 adest ea verborum consociatio quae solum 4, 2 invenitur, i. e. in loco qui Isaiae negari nequit. Ad v. 20 cf. Ier. 50, 39. Nomina autem bestiarum v. 21. 22 recensita fere etiam inveniuntur apud Is. 34, 13. 14; 35, 7; 43, 20.

Ex quibus satis patet neque in dicendi genere vel stili conformatione, neque in usu vocabulorum quidquam inveniri posse quo oraculum hoc Isaiae esse iure negetur. Ceterum interpretes quoque protestantes, uti *Drechsl. Del. Naeg.* strenue Isaiam esse auctorem tuentur idque argumentis haud infirmis demonstrant, inter quae non ultimum locum illud occupat, oraculum hoc iam Ieremiae fuisse notum.

d) Restitutio Israel 14, 1-2.

Cum iudicio in potestatem Deo inimicam intime conseritur redemptio et salus Israel. Ita iam 1, 27 enuntiatur; ita elucet ex 4, 1. 2; 6, 13; ita ex 8, 9. 10 *quia Emmanuel*; ex 9, 5. 6; ex nexu qui adest inter cp. 10 et 11; isque nexus praesertim in altera Isaiae parte lucidissime effertur, quare verba quae hic consideranda offeruntur, argumentum alterius Isaiae partis praeoccupant et praeformant. Unde in aperto positum est, quantopere nexus hic et transitus ad salutem Israel ex Isaiae vaticinandi genere sit depromptus. Immo eadem quoque particula qua nexus adstruitur inter ruinam hostium et Israel salutem adhibetur, uti 8, 10; 9, 6: v. 1 « *Miserebitur enim Dominus Iacob et eliget adhuc de Israel et requiescere eos faciet super humum suam; adiungetur advena ad eos et adhaerebit domui Iacob* »; — i. e. per iudicium via sternitur ad salutem quam Deus per Israel omnibus largiturus est; quare duo annuntiantur: restitutio Israel et ea facta aliarum nationum ad Israel adunatio, ut una demum Dei familia, una exsistat theocratia. Prior praedicatur ut Dei miserentis operatio; idque optimo iure; populus enim foedere violato iustas abiectionis poenas incurrit; verum Deus fidelis memor est foederis initi cum patribus et uti olim *elegit* populum in suam peculiarem possessionem de cunctis gentibus (Deut. 7, 6 בָּחַר), ita denuo *eliget* sibi Israel; haec autem nova assumptio iterum eo demonstrabitur, ut terram promissam, pignus gratiae divinae, illis incolendam concedat, quemadmodum olim concesserat. Haec est mira illa conformitas inter foedus olim

initum cum populo et eius restaurationem (cf. ad Os. 2, 14 seq.). Iam 5, 5. 14; 6, 11 Isaias exsilium fore innuit; idem clare praedixerunt Os. 2, 14; Mich. 2, 4 seq. 3, 12; quare hoc loco exsilii mentionem inferri minime potest censeri ab Isaia alienum. Fore autem restitutionem Israelis et ipse Isaias iam in antecedentibus innuit et explicite asseruit (1, 26; 4, 2; 6, 13; 9, 6 etc.) et Osee, Amos, Michaeas clare annuntiant aequales Isaiae; vide Os. 2, 14; 3, 5. Am. 9, 12. Mich. 2, 12; 4, 1; 7, 11.

Haec autem restitutio id demum secum adducet, ut in Israel benedicantur omnes gentes; unde *adiungetur advena;* cf. 2, 2; 11, 10; 44, 5; 49, 12; 56, 3 etc. Hisce iam tangi tempus instaurationis messianicae certum videtur. Nam eo demum tempore et apud Isaiam et apud alios prophetas fore praedicitur, ut reliquae quoque nationes accenseantur ad populum Dei (cf. Am. 9, 13). Quamvis in proselytis ex gentibus qui ubique Iudaeis se adiungebant parva quaedam initia cernere sit; quare haud immerito oraculum hoc explicant *historice* de temporibus Zorobabelis, Esdrae, Nehemiae, *mystice* autem vel *plene* valere aiunt de periodo messianica *S. Cyr For. Mald. Malv. Lap.*, dum alii solum de tempore exsilii soluti interpretentur (cf. *Euseb. S. Hier. Theod. Procop. Thom. Sanct. Calm. Troch.*). Vates igitur in hoc quoque vaticinio a reditu in Palaestinam exorsus totam epocham subsequentem una quadam norma generali delineat, quae completur et in tempore praeparationis et tempore messianico pro indole utriusque temporis varia vario quoque modo. Idem valet de sequenti v. 2 « *et tenebunt eos populi et adducent eos in locum suum et possidebit eos domus Israel super terram Domini in servos et ancillas et erunt capientes eos qui ceperant et subiicient exactores suos* »; — primo describitur prompta gentium voluntas qua Iudaeis in terram reducibus opem praestant et subsidium (cf. 11, 12; 49, 22; 55, 5; 60, 4. 9); id quod suo modo revera cernitur in decreto Cyri, in vasis templi redditis, in subsidiis Esdrae et Nehemiae praestitis etc. cf. Esdr. 1, 2-11; 2, 65; 7, 12 seq.: « sed et cetera quibus opus fuerit in domum Dei tui, quantumcumque necesse est ut expendas, dabitur de thesauro et de fisco regis et a me; ego Artaxerxes rex statui atque decrevi omnibus custodibus arcae publicae qui sunt trans flumen, ut quodcumque petierit a vobis Esdras sacerdos, scriba legis Dei coeli, absque mora detis usque ad argenti talenta centum » etc.; Neh. 2, 7. 8. Deinde populus Dei dicitur fieri reliquarum nationum dominator. Quo autem sensu, intelligi potest ex antecedentibus, v. g. 9, 6 quia in populo Israel adest thronus David sempiternus eumque tenebit Emmanuel cuius regni pacis non erit finis et 11, 1 seq. Inde quoque explica servitutem qua reliquae nationes tenebuntur; est scil. servitus illa quam Dei lex et scientia omnibus imponit (11, 9. 10). Salus enim erit ex Iudaeis; quare iuremerito Iudaei

considerantur positi in capite gentium (cf. Ier. 31, 7 hebr. Zach. 8, 22. 23) idemque cernis, si v. g. Paulus apostolus gentibus conversis inculcat eos esse debitores Iudaeorum iisque ex suis opibus succurrere debere, ut pro spiritualibus quae acceperint bonis rependant [1] carnalia (cf. Rom. 15, 27. 1 Cor. 9, 11. Gal. 2, 10). Non autem intelligendum esse dominationem quandam temporalem vel regnum quoddam iudaicum eo sensu quo Iudaei posteriores periodum messianicam sibi finxerunt, iam eo quoque elucet quod (praeter 2, 4; 9, 6; 11, 1 seq.) propheta 19, 24. 25 populum Dei novum recenset eodem ordine ac sensu conflatum quasi partibus aequalibus ex Assyriis, Aegyptiis, Israel [2]. Praeclare quoque in eo elucet providentia divina et vera oraculi huius impletio : *erunt capientes eos qui se ceperant,* quod Iudaei per terras dispersi cognitionem veri Dei eiusque cultum inter gentes propagantes sublimiore modo dominos suos et victores subegerunt (cf. ad Zach. 10, 9). Eius rei exemplum ad veteris foederis indolem accommodatum habes in turba illa promiscua quae simul cum Israelitis ex Aegypto egressa est, habes in aliquibus Chananaeorum reliquiis quae templi servitio addictae sunt (cf. Ios. 9, 27. 3 Reg. 9, 20. 21. Ps. 67, 19) vel tempore Machabaeorum in Idumaeis subiectis et ad circumcisionem adactis (*Iosephus,* Ant. 13, 9, 1 ; 15, 7, 9). — Ceterum hi duo versus quasi *in nuce* complectuntur ea quae multo accuratius et distinctius a cap. 40 et deinceps explicantur. Unde iam suo modo ad partem illam praeludunt, quemadmodum 11, 12 clarius proponunt; qua in re iterum non obscurum colligitur iesaiani dicendi generis indicium

e) Paean in oppressores 14, 3-21.

Cum prostratione inimicorum Dei regnum et salus populi instauretur, merito celebratur strages illa epinicio. Cernitur quippe in illa sublimitas ac maiestas Dei, cui omnes nationes subduntur, cernitur amor eius ac fidelitas in populum electum, qua pignus exhibet maiorum bonorum, ergo abundans adest laudis materia et exsultationis argumentum. Si vero propheta tale carmen h. l. inserit, non obscure significasse videtur, in tali inimico prostrato omnem potestatem adversariam conculcatam a se considerari. Ita scil. denuo nobis clare ob oculos ponit, qua ratione theocra-

---

1. Idque factum est ita, ut *Tacitus* (hist. 5, 5) conqueratur : « pessimus quisque spretis religionibus patriis tributa et stipes illuc (Ierusalem) congerebant, unde auctae Iudaeorum opes » ; cf. *Drechsl.*

2 Quare falso asserit h. l. *Naeg.* in vetere testamento propter vanitatem illam carnalem qua Israel de sua nobilitate fuerit inflatus semper magnum asserit dignitatis discrimen inter Iudaeos et gentes conversas ; illos dominos, servos hos fore. Ita utique rem considerabant Iudaei posteriores ; at perperam id impingitur ipsis prophetis.

tica hostium ruina multiplex debeat concipi. Verum ipso carminis prooemio denuo monet, iudicio ac dura calamitate demum perveniendum esse ad salutem promissam ; unde hoc quoque loco praecavet, ne propter futuri temporis beatitatem promissam instantes calamitates et viam obliviscantur duram per quam emergendum sit ad lucem ; quod quam apte et concinne ad 1, 27 ; 3, 1 ; 6, 12 ; 8, 17 seq. moneatur, non opus erit pluribus ostendere. Igitur adverte, quantopere ubique vates idem consilium constanter prosequatur. Unde propheta et sui temporis necessitatibus consulens et futurae aetati prospiciens pergit v. 3 « *Et erit in die illa, cum requiem dederit tibi Deus a labore tuo et a concussione tua et a servitute dura qua ante servisti,* v. 4 *sumes parabolam istam contra regem Babylonis* » ; — cf. de acerba calamitate quae immineat 7, 17 ; 9, 4. Uti liberatio ex illa cum liberatione aegyptiaca saepius aequiparatur (cf. ad 12, 1), ita ipsa oppressio quoque ad modum aegyptiacae quae est omnium quasi typus exhibetur iisdem fere verbis sententiisque adhibitis ; cf. Ex. 1, 14 ; 2, 23 ; 5, 9 ; 6, 9. Deut. 26, 6 etc. Parabola, hebr. maschal, ut *Sanct. For. Malv.* rite advertunt, non solum sermonem dicit similitudinibus vel comparationibus distinctum, verum etiam gravem aliquam et illustrem sententiam designat et sermonem figuratum, dicterium, apophthegma exprimit et generatim quaecumque acute et sententiose dicuntur, in parabolis proponi censentur. Hoc ergo loco carmen lyricum, irrisorium, acute dictis et comparationibus illustre ita appellatur.

Carmen ipsum iterata particula *quomodo* (quae lamentationibus est propria, hoc autem loco lamentatio instituitur in Chaldaeos irrisoria) in duas partes dividitur 4-11 ; 12-20. Priore parte primum describitur quod psychologice animos ex servitute modo ereptos quam maxime tangit : quam *crudelis* fuerit tyrannus quem Dominus subito contriverit (v. 4-6) et quanta iubilatione et irrisione ruina eius excipiatur et in terra (v. 7. 8) et in inferno (9-11).

Liberati ab oppressione « per admirationem videntur omnes quaerere, qui potuerit fieri ut tantum regnum subito concideret » (*Malv.*). Unde eorum prima vox in exclamationem solvitur : « *et dices : quomodo cessavit exactor, quievit tributum* » ? — optime ea voce mirus eventus ; omni exspectatione maior et subitam afferens salutem depingitur, sunt scil. verba denuo quasi respirantis post longam duramque oppressionem.

In secundo membro legitur ἅπ. λεγ. מַדְהֵבָה ; LXX vertunt ἐπισπουδαστής ; *S. Hier.* vertit *tributum* et refert Aquilam *famem* esse interpretatum ; *Syrus* explicat חפטנא exactorem, compulsorem operis, *Chald.* fortitudinem peccatoris. Unde coniectant aliqui veteres legisse מַרְהֵבָה a רהב *insistere, opprimere* et sunt qui ita rescribendum

esse censeant *(I. D. Michaelis, Ges. Kn. Meier, Cheyne, Naeg.)*, uti teste *Doederlein* revera fert editio Isaiae cum comment. thessalonicensis ex anno 1600 (cf. *de Rossi*). Interpretatione Aquilae vox vel sumitur pro מרעבה vel cum hoc audacius esse videatur pro מדאבה a דאב *languere* (cf. *Naeg.*). Hanc derivationem a דאב vel דוב etiam *Del.* adoptat vocemque cum *mem* locali formatam explicat locum tormentorum, locum languoris. Veteres aliqui sequentes Kimchi transtulerunt [1] derivantes ab aramaico דהב *aurum, auri cupidum* i. e. Babylonem quae tributum auro pendendum exegerit; ita *For. Mald. Mar.* et alii plures quos recensent *Malv. Vat. Ros.* At monet *Delitzsch* (Prolegomena zu e. n. aram. hebr. Woerterb. p. 1) eiusmodi aramaismos apud Isaiam non esse quaerendos. — Unde quid vox proprie significet, nondum est erutum, nisi in quantum ex parallelismi lege coniici possit, nisi priorem coniecturam a רהב ortam sequi malueris, quae monente *Naeg.* eo quoque commendatur quod non solum veteres versiones ita legisse videntur, sed quod etiam 3, 5 רהב et נגש in membris parallelis inter se subsequuntur. Quare eam sequuntur *Hitz. Ewald, Umbreit, Drechsl.* aliique.

Ut dicit poeta : et haec meminisse iuvabit, ita sacer vates exsultationem de liberatione accepta eum quoque in modum depingit, ut quantopere hostis saevierit pluribus proponat v. 5 « *contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium,* v. 6 *caedentem populos in indignatione plaga insanabili, subiicientem in furore gentes, persequentem crudeliter* » ; — cf. 9, 4 ; 10, 5 ; hebr. v. 6 *caedentem populos in indignatione plaga sine cessatione* i. e. plagis continuis ; *conculcantem in furore gentes persecutione* (violentia) *non parcente* ; quo maior aderat crudelitas, eo maior laus et triumphus victoris qui talem deiecit hostem ; unde *contrivit Dominus ;* tyrannis describitur baculo et virga, quibus graviter, continuo, sine ulla remissione gentes affligebantur ; bonis debitis privabantur, dura servitute premebantur. Durum autem iugum optime et cum gradatione describitur eo quod ipsa terra et arbores, cypressi et cedri (hebr.), exhibentur laetantes et plaudentes de dura servitute et tyrannide ablata v. 7 « *conquievit et siluit omnis terra, gavisa est et exsultavit ;* v. 8 *abietes quoque laetatae sunt super te et cedri Libani : ex quo dormisti, non ascendet qui succidat nos* » ! — *iugo* ablato et pondere remoto terra pulchre exhibetur quasi denuo respirans et colligens animum et tranquillitatem captans, mox autem in gaudium et exsultationem vocem solvens ; iucunda prosopopoeia arbores Libani proponuntur inter se gratulabundae : ex quo accubuisti, iam quiete degimus. Idque eo melius fit, quia reges babylonici pretiosis Libani lignis ad aedificia revera utebantur [2]. Ceterum etiam hoc dicendi schemate nexus ille indica-

---

1. Similiter vocem explicat *Field,* Origenis Hexapl. II p. 436 : *aurum exigens.*

2. De qua re v. g. exstat inscriptio Nabuchodonosoris Babylone inventa, in qua dicitur (ex versione publici iuris facta in Records of the Past, V p. 119) : « in abundance I wrought the best of my pine trees which from Lebanon together with tall Babil-wood I brought for

tur qui est inter creaturam et hominem, et illa terrae arborumque exsultatione optime illustratur quod S. Paulus dicit creaturam vanitati subiectam esse non volentem, eam subdi servituti corruptionis et ingemiscere (Rom. 8, 20-22); invita scil. servit peccato et tyrannidi; bellis et vastationibus ipsa quoque affligitur et conteritur; sicut cum populo punito ipsa est punita, ita cum liberato et triumphante ipsa quoque respirat et gaudet in praeludium quasi et typum illius gloriae quae in revelatione gloriae filiorum Dei etiam in ipsam naturam, comitem hominis ac sociam, redundatura sit. — Cum igitur talis adsit nexus ex rebus gestis et s. Scripturae doctrinis (cf. ad 11, 6) petitus, cum insuper talis personificatio et valde poetica sit et sermonis aptam gradationem prae se ferat, minime oportet cypressos et cedros metaphorice de regibus explicare (cum *Euseb. Theod. S. Hier. Cyr. Thom. Chald. For. Mald. Sanct. Sa, Sasb. Pint. Men. Lap. Tir. Calm. Ros.*) — neque unquam cedri etc. pro regibus et sim. immediate ponuntur et immerito pro tali appellatione aliqui provocant ad 2, 13; 10, 33. 34. Zach. 11, 1. 2 — sed sensus proprius retineri debet (cum *Osor. Malv. Mar. Rohl. Troch.* et generatim cum recentioribus). Ceterum vide 35, 1. 2; 44, 23; 49, 13; 52, 9; 55, 12. Ez. 31, 15 etc.

Iubilatio in terra iam aliqua conditur irrisione contra Chaldaeum qui e fastigio adeo subito est deturbatus. Ruinae magnitudo ipsius inferni obstupefactione egregie describitur v. 9 « *infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui, suscitavit tibi gigantes; omnes principes terrae surrexerunt de soliis suis, omnes principes nationum* »; — in hebr. audax personificatio orci etiam in altero membro retinetur, id quod est magis elegans et poeticum: *Scheol suscitans tibi umbras* (manes), *hircos* (principes) *terrae, excitans e thronis suis omnes reges gentium;* notat *S. Hier.* « haec emphaticos legenda sunt et scenae modo, non quod facta sint, sed quod fieri potuerint; nisi forte animas regum quos interfecerat insultantes regi babylonio occurrisse credamus; solatium enim malorum est, cum inimicos viderint eadem sustinere ». Scena sane audax est et poetica valde: cum nuntius in Orcum perfertur de adventu Chaldaei, ipse Orcus commovetur in eius occursum et obstupescit; ut dignam tanto principe pompam celebret, manes principum excitat, reges demortuos e soliis suis surgere iubet, « ut solent commoneri homines alicuius praepotentis tyranni inopinato adventu; deinde honoris causa admista irrisione vehementi fingit excitantem manes, ut obviam prodeant

---

the portico of the temple of Merodach » (in 3 col. lin. 20-24). Ad quod optime congruunt verba quibus Assyrius gloriabundus loquitur: « ascendi altitudinem montium, iuga Libani et succidam excelsa cedrorum eius » etc. Is. 37, 24.

adventanti regi et ut omnes mortui reges ei assurgant » (*For. Malv.* sim. *S. Cyr. Sanct. Sasb. Pint. Lap. Men. Tir. Calm.*); locum hunc imitatione expressit Ez. 31, 17; 33, 19 (*Calm.*).

Hebr. רְפָאִים *S. Hier.* vertit *gigantes ;* cum *Raphaim,* antiqua Palaestinae natio, procera statura fuisse tradantur (cf. Deut. 2, 11 ; 3, 11 hebr.), mirum non est nomen hoc Raphaim saepius et apud LXX et in *vulg.* explicari *gigantes,* de iis vide Gen. 14, 5; 15, 20. Ios. 12, 4 ; 13, 12 ; 17, 5. 2 Reg. 21, 16. 1 Par. 20, 4. Sed si inferorum incolae, si mortui hoc nomine appellantur, certe de voce alia erit cogitandum. Inferi vocantur rephaim (a voce רפא arab. quietum esse) i. e. *quieti,* debiles, flaccidi, quemadmodum Scheol regio designatur quietis, oblivionis, perditionis (cf. Ps. 87, 13; 113, 17. Iob 26, 6; 28, 22. Prov. 15, 11), uti *vulg.* Prov. 2, 18 vocem reddit : ad *inferos* semitae ipsius. Si autem mortui *gigantes* dicuntur, forte cogitare licet et explicare de horrore quem manes inspirare solent vivis (cf. *For.*).

Verum salutatio illa in amarulentam vertitur irrisionem, qua toti defunctorum sodalitio vates vocem dat et artem (*Sasb.*) v. 10 « *universi respondebunt et dicent tibi : et tu vulneratus es sicut et nos ; nostri similis effectus es ;* v. 11 *detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum ; subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes* » ; — i. e. itane *attritus es* (hebr.) debilitatus, ad umbrae scil. conditionem redactus es ; siccine immensa quoque Chaldaeorum gloria et potentia et pompa plane concidit ? Qui se olim regem regum nominavit, iam cum sarcasmo salutatur : siccine nostri similis factus est ? Et in quantum fuerit attritus et abiectus, v. 11 depingitur : maiestas illa et magnificentia detrusa est in orcum, in terram horroris, tenebrarum, oblivionis ; item *strepitus nabliorum tuorum* (hebr.) i. e. ingens ille tumultus instrumentorum musicorum, quibus Chaldaeus gloriam celebravit et voluptatum incitamenta auxit, pariter in orcum deturbatus iam cessavit (cf. 5, 12. 14) ; qui olim fastu vestibusque pretiosis ac splendida colorum varietate insignibus ad luxum et superbiam abutebatur (cf. Ez. 23, 6), iam habet subter se stratum vermem et tegumentum suum vermiculos, foedam corruptionem ; cadaver est putidum, horrore et foetore plenum. Ita e celsissimo loco in infimum est deturbatus, ex summo fastu et pompis inauditis in opprobrium summum.

Uti supra laetitiam et exsultationem terrae arborumque non ad meram fictionem figuramque poeticam referendam esse diximus, ita multo minus haec inferni personificatio et irrisio quae fit ab inferorum turbis censeri potest inanis loquendi forma. Subest enim symbolico loquendi generi doctrina de adaequata apud inferos retributione et de opprobriis quibus potentes potenter cruciabuntur. Quae enim seminavit homo, haec et metet. Ad quae sane etiam ludibria et opprobria pertinent, quibus reprobi inter se invehuntur. Quo quis magis fastu et superbia elatus fue-

rit in terris, eo magis eum deprimi et subsannationibus oppleri aequum erit. Iam Daniel quoque monuit, evigilaturos esse alios *in opprobrium ut videant semper* (12, 2); quale futurum sit ex parte opprobrium, hac inferorum scena nobis exhibet Isaias; et si in Apoc. legimus : quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum (18, 7), in hac scena et irrisione inferorum exemplum cernimus eius rei symbolice repraesentatum. Insuper addere licebit, uti beatitudo accidentalis ex doctrina theologorum varia est atque alia pro varia beatorum conditione, officio, munere, quibus hisce in terris defuncti sint, ita pro alio et alio culparum genere aliam quoque fore punitionem et ignominiam apud inferos subeundam.

Sunt qui verba inferorum ad v. 10 restringant (cf. *Rohl. Del. Naeg.*). At aptius videtur cum aliis, ut *S. Hier. Sasb. Troch. Net.* etc. etiam ad v. 11 ea extendere. Nam vix poterit supponi vatem solum dicere velle per inferos, Chaldaeum iis factum esse similem; tota irrisio acerbius quid spectat et infimam superbi abiectionem designat; haec autem demum v. 11 pronuntiatur. Deinde cum a v. 12 *quomodo* (cf. v. 4) altera epinicii pars inchoetur, magis concinnum esse videtur atque grave, ut prior pars egregia illa personificatione concludatur, quam ut figura haec adeo ad artem facta consideratione quadam ab aliis adiecta suo robore et amoenitate privetur. — Interpretationis latinae *concidit cadaver tuum* originem bene explicat *For.*; legit *S. Hier.* הומות נבלתך*;* in textu mas. de nabliorum sonitu qui conciderit sermonem esse iam rite explicant *Osor.* («cantus et symphonia qua aedes tuae personabant obmutuit ») *For. Mald. Malv. Mar.* etc. LXX habent ἡ πολλή εὐφροσύνη σου.

Considerationem ab inferi habitatoribus invectam sacer vates denuo proponit scil. maximam illam superbiam, cui ima obtigerit depressio. Id summatim iam v. 12 proponitur, quo quasi complexu quodam tota iam irrisio continetur : ex qua scil. altitudine quam sibi arrogaverit in quam profundam abyssum deturbatus fuerit, qui dicendi modus plane ad Isaiam factus est ; v. 12 « *quomodo cecidisti de coelo lucifer, qui mane oriebaris ? corruisti in terram qui vulnerabas gentes* » ? — hebr. *lucifer* (stella splendens), *filius aurorae*, prostratus in terram, *domitor gentium*. Sidus fulgens, stella matutina in coelo amico fulgore splendens apta est imago splendidi regni, eo aptior quia Chaldaei astrologiae multum studebant. Quantam autem splendoris et dignitatis eminentiam Chaldaeus appetierit, vates declarat v. 13 « *qui dicebas in corde tuo : in coelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis*, v. 14 *ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo* » ! — quinque assertionibus fastu plenis immensa depingitur superbia, cuius fastigium in eo

cernitur, quod reges tamquam numina praesentia honorem et adorationem expostularent atque in deorum concilio praecipuam sedem sibi attribuerent. Hoc numen divinum sibi adscribunt, dum Babyloni nomen inditur : ego sum et non est praeter me amplius (Is. 47, 8 ; cf. ad Soph. 2, 15), dum v. g. Nabuchodonosor statuam auream omnibus adorandam proponit et cum ingenti fastu asseverat ; et quis est Deus qui eripiet vos de manu mea (Dan. 3, 15) ? Atque similem gloriationem inscriptionibus quoque cuneiformibus servatam habemus a Theglathphalasar I qui se a diis ad sedem vocatum ait in domicilio montis terrarum in sempiternum i. e. se vocatum ad imperium aeternum dei instar (cf. *Delitzsch,* Wo lag das Paradies ? p. 118). Unde simul explicatur *mons conventus* (hebr. mons congregationis *Mald. Mar. Malv.*), scil. in opinione fuisse populari exsistere montem altissimum deorum domicilium, qui mons apud Babylonios Aralu vocabatur et qui ex Isaiae hoc loco in septemtrionali parte collocabatur (cf. ad Iob 37, 22). Neque tamen contentus est, ut sit quasi unus ex iis ; in ipso illo deorum domicilio locum eminentissimum affectat, deo supremo aequari appetit.

Interpretes veteres montem testamenti concorditer explicant montem Sion, latera aquilonis (cf. Ps. 47, 3), quem montem Babylonius expugnare et ubi pro cultu veri Dei suam adorationem cupiat stabiliri ; nomen *montis testamenti* aptum quidem est pro Sion ratione multiplici : ibi enim tabulae erant legis et testimonii, ibi Deus sua edidit continuo testimonia, ibi sacrum illud inter Deum populumque commercium, uti olim coram arca testimonii (Ex. 25, 22 ; 26, 33 ; 27, 21 ; 28, 43 etc.) celebrabatur ; sed cum Babylonius loquens fiat, aptius ex Babyloniorum mythologia verba explicantur ; insuper verba plus prae se ferunt quam merum *consilium* de occupatione montis Sion ; deinde non intelligitur, quomodo Babylonius montem Sion in lateribus aquilonis collocare potuerit.

Hoc loco intelligi generatim regem babylonium qui imperium babylonium et fastum in se uno repraesentare et exhibere a vate proponitur, res est ex contextu satis explorata et agnita quoque a *S. Hier. Cyr. Euseb. Theod. Thom.* et plerisque interpretibus, quamvis alii id speciatim de Nabuchodonosore, de Baltassar alii valere velint. Sed praeterea vix non omnes in hac superbiae et elationis loquela et in abiectione in profundissimum barathrum diaboli figuram, elationem, punitionem expressam cernunt ; immo sunt ex veteribus qui unice de diabolo explicare videntur. Bene advertit *Sanct.* : « communiter interpretes haec de rege Babylonis accipiunt historico sensu [1] ; allegorico tamen de

1. Unde non debuit *Lutherus* interpretationem de casu angelorum irridere tamquam « insignem errorem totius papatus » ; multoque minus debuit *Naeg.* eandem calumniam recoquere.

diabolo, quod credo etiam dicerent auctores superioris sententiae (qua in lucifero intelligitur satan apud Origenem, Tertullianum, Cyprianum, Ambrosium etc.), si de ea re plura, aut non casu in illum locum incurrentes pauca dixissent ». Et revera qui hunc locum ex serie interpretantur, primo et per se de rege babylonico explicant; dein vero addunt, uti v. g. *S. Cyr.* : « adaptare autem quis poterit et valde merito haec quae dicta sunt historice capiti eius qui omnia comminuit, draconis inquam, principis malorum » ; vel *Euseb.* : « restat ut totam prophetiae sententiam quae de Babylonis rege prolata est in illam virtutem referamus, quae quia Dei gloriam apud sibi subditum populum altum sapiebat iure arguitur his Scripturae verbis » ; similiter notat *Mald.* theologos hunc locum ad luciferum malorum angelorum principem transferre, et *Est.* omnes fere de principe daemoniorum exponere, qui haud dubie vel literalis vel saltem mysticus sit huius loci sensus. Sed sensus literalis certe non est de diabolo ; in ruina autem regis babylonici agnoscere *typum* casus diaboli, cum notione typi non potest conciliari (cf. *Cornely,* Introd. I p. 530 seq.) ; unde sensus quoque mysticus quomodo eruatur non intelligitur ; neque dici potest cum *Lap.* graphice hoc loco depingi casum diaboli et sub eo quasi typo intelligi ad literam casum regis babylonici ; nam primo et per se casum diaboli describi, a contextu alienum est ; dein hunc diaboli casum considerari quasi typum ruinae regni babylonici, etiam a notione typi usitata nimium recedit et videtur esse incredibile. Unde restat inquirendum, quo modo acceptio illa adeo communis suaderi possit ita, ut neque multiplicem sensum literalem, neque novam typi rationem, neque alias et novas regulas interpretationis in medium proferamus.

Veram explicandi viam iam ingressus est *Theod.* scribens ad h. l. : « haec vero non hic solus (rex babylonius) animo agitavit, sed et qui ipsum hoc docuit » ; regem esse imitatum eam superbiam, quam in veritate diabolus prae se tulisset. Consideratur h. l. ut variis indiciis ostendimus, Babylon tamquam in se repraesentans et exhibens omnem potestatem Deo adversariam ; sed ex s. Scripturae doctrina a primo peccato et deinceps in aperto est positum caput et belli ducem huius contra Deum pugnae esse diabolum, malosque considerari tamquam semen diaboli (Gen. 3, 15), eum esse principem huius mundi, deum huius saeculi ; pugnam ergo inter theocratiam et regna mundana esse ultimatim pugnam inter Deum et diabolum, uti aperte professus est Christus qui cum pugnam illam in sua passione subiret, nunc, inquit, princeps huius mundi eiicietur foras. Proinde oppugnationi et rebellioni adversus Deum eiusque regnum subest vis diabolica ; diabolus est uti primus rebellionis incitator, ita eius motor ac rector continuus. Unde qui re-

gnum Dei oppugnant, discipulos se diaboli exhibent qui quod a magistro edocti sunt et dicunt et agunt. Quare iuremerito cernere licet in verbis his superbia et arrogantia plenis et in hac rebellione adversus Deum doctrinam diaboli suo discipulo instillatam. Ex discipuli proinde rebellione discenda est ipsius magistri contra Deum rebellio; in modo agendi et loquendi discipuli cernitur ipse modus diaboli imitatione expressus. Hoc sensu nexus adstrui potest inter verba regis babylonici et diaboli superbiam et contra Deum rebellionem, et ni fallimur adstrui debet; igitur explicatione illa adeo communi de diaboli peccato et casu revera edocemur, ut quod in se verissimum est rite deprehendamus, in illo scil. contra Deum certamine potissimas agere partes diabolum.

Iactantiae et arrogantiae fastigium enuntiatur in ultimo membro : similis ero Altissimo; quibus verbis blasphemia in verum Deum continetur quippe cum apud Babylonios Deus Iudaeorum eo nomine עֶלְיוֹן appellaretur (cf. Dan. 3, 26. 32 hebr. 93. 99 *vulg.*; 5, 18. 21). Verum hunc fastus cumulum excipit abyssus perditionis v. 15 « *verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci* »; — hebr. *immo vero... ad latera foveae* allusione scil. aptissima et gravi ad *latera aquilonis* v. 13; locum deorum excelsum appetiit; in imum orci barathrum detruditur; poena igitur ad amussim respondet peccato; bene *S. Hier.* : « non solum ad infernum, sed ad infernum ultimum detrahitur; hoc enim significat laci profunditas ». Ruinam adeo praecipitem consequitur irrisio omnium et contumelia, qua ei rependitur quidquid adeo fastuose corde volverat (v. 13. 14) : v. 16 « *qui te viderint, ad te inclinabuntur teque prospicient : numquid iste est vir qui conturbavit terram, qui concussit regna,* v. 17 *qui posuit orbem desertum et urbes eius destruxit, vinctis eius non aperuit carcerem* »? — ex ipso corporis habitu intuentium et oculorum acie iterum iterumque intenta bene depingit vates rem stupendam et pene incredibilem et omnium admirationem; *inclinabuntur* : « quasi dicat : tantum eris infra alios quod oportebit eos inclinari ad hoc ut te videant » (*S. Thom.*), et *For.* : « gradus sunt in his tribus verbis, quibus significat tantam futuram commutationem gloriae in ignominiam, dignitatis in abiectionem, superbiae in subiectionem, ut vix credi possit unum et eundem esse qui utramque hanc fortunam experiatur ». Uti est obstupescentium de casu subito et tanta sortium mutatione, sibi singula quaeque recensent, quibus illius potentia summa, crudelitas, tyrannis, dominandi destruendique libido describitur. Simul hisce optime delineatur flagellum illud quo Deus per Chaldaeorum dominationem gentes punire intendit; cf. Ier. 25, 11 : « et erit universa terra haec in solitudinem et stuporem et servient omnes gentes istae regi Babylonis septuaginta annis ».

Quam ignominiose corruerit regnum babylonicum, symbolice exhibetur in cadavere regis quod honesta careat sepultura et foedum in modum abiectum sit, dum tamen reliqui nationum reges vita functi honoribus debitis decorentur : v. 18 « *omnes reges gentium universi dormierunt in gloria, vir in domo sua* »; — i. e. unusquisque regiam nactus est sepulturam in suorum sepulcro, in superbo mausoleo; ibi dormiunt adhuc cum gloria, cum monumenta eorum gloriam posteris annuntient; aliter vero actum est cum Chaldaeo : v. 19 « *tu autem proiectus es de sepulcro tuo quasi stirps inutilis, pollutus et obvolutus cum his qui interfecti sunt gladio et descenderunt ad fundamenta laci, quasi cadaver putridum* »; — en sidus refulgens, filius aurorae, gentium domitor, similis Altissimo iacet cadaver putridum infimo loco coopertum cadaveribus putrescentibus occisorum. Sepultura carere vel e sepulcro iterum proiici pro summa censebatur ignominia: cf. 34, 3. Ier. 22, 19. Ez. 29, 5 ; *stirps inutilis* hebr. *surculus abominandus* (*Mald. Mar.* puter *Malv.*) ; « נֵצֶר proprie virgultum appellatur quod ad radices arborum nascitur et quasi inutile ab agricolis amputatur; possumus id ipsum saniem tabemque intelligere » (*S. Hier.*); *Sym.* enim vertit ἔκτρωμα, *Aq.* ἰχώρ, LXX νεκρὸς ἐβδελυγμένος. Atque tali opprobrio in sempiternum obvolvetur v. 20 « *non habebis consortium neque cum eis in sepultura; tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti*; *non vocabitur in aeternum semen pessimorum* »; — par pari referetur; uti ipse omni moderatione abiecta in populum ipsamque regionem crudeliter saeviebat, ita aequa poena in ipsius genus stirpemque devolvitur. In afflictione et occisione regioni et populo illata graviter adumbratur maledictio tyrannici imperii. — *S. Hier.* bis coniungit : quasi cadaver putridum non habebis consortium(*M.*24, 162. 224); id quod ad abominationem augendam confert, quasi dicat : adeo est abominabile ut reliqua cadavera ipsum nolint admittere in sepulcrum.

Poena augetur, quia simul totum genus regis babylonici exstinguetur. Ultimam v. 20 partem exsequitur vates v. 21 « *praeparate filios eius occisioni in iniquitate patrum suorum; non consurgent nec hereditabunt terram neque implebunt faciem orbis civitatum* »! — genus exscindi, deleri nomen, spem posteritatis auferri in maximi infortunii loco reputabatur apud veteres. Hac ergo maledictione bene carmen irrisorium absolvitur; exhibetur enim malorum genus plane contritum et exstinctum, dum populus Dei pace fruitur et beatitate (v. 3). Ita finis proponitur et terminus dispar ad quem tandem regni utriusque sortes deventurae sint : regni mundani interitus, opprobrium; regni Dei pax et splendor. Cum integra regis chaldaici stirps sine ulla recuperationis spe interitui devoveatur, carmen redit ad id unde exordium duxit, quia

nunc demum plane patet, quomodo cessaverit exactor. Insuper neminem fugere potest, hunc versum arcte adnecti ad ultimam praecedentis partem eamque explicare; quare fieri nequit, ut cum *Kn. Schegg, Rohl.* carmen v. 20 absolvatur. Neque obstat indoli carminis *praeparate* etc. Nam in ultima carminis parte proponitur cadaver regis abiectum et proculcatum; unde scena expugnationis urbis Babylonis oculis quasi subiicitur; in tali autem carminis lyrici conformatione nunc fieri acclamationem et exhortationem ad hostes, ut simul cum rege omnem eius stirpem funditus exscindant, ne unquam talis malorum progenies in terra ultra serpat, tantum abest ut offensioni esse debeat, ut prorsus apte ac facillime fluat. Hoc demum totius progeniei excidio tamquam digno supplicio fastus ille immensus, arrogantia, tyrannis vindicatur. Quare talis conclusio carminis gravitate et pondere excellit.

f) Confirmatur ruina Babylonis 14, 22-27.

Quod tanta cum asseveratione propheta Dei vaticinatur, ut iam carmen irrisorium condiderit, id oraculum Dei et effatum corroborat verbis planis. Atque saepe apud Isaiam deprehendimus longiori expositioni brevem subdi rei summae repetitionem, metaphoram tropumque excipi ac declarari propria locutione (cf. 1, 6. 22. 25; 2, 14; 5, 7. 18; 7, 20; 8, 7; 9, 14; 37, 33 etc.). Quare haec quoque iteratio quemadmodum oraculo addit gravitatem, ita ad Isaiae dicendi genus plane est accommodata; v. 22 «*Et consurgam super eos, dicit Dominus exercituum, et perdam Babylonis nomen et reliquias et germen et progeniem, dicit Dominus;* v. 23 *et ponam eam in possessionem ericii et in paludes aquarum et scopabo eam in scopa terens, dicit Dominus exercituum*»; — ipse omnium agminum coelestium ac terrestrium moderator contra eos prodit (cf. 13, 3); interitum declarat quam maxime completum et universalem dynastiae regiae et regionis. Urbe vastata aggeres quoque concident, unde regio inundationibus patebit et stagnorum efficietur multitudo, «ut quae regio olim clara et celeberrima erat et reliquarum regina et gloriosissima dicebatur, ea luti barathrum ac puteus evaderet corruentibus in perditionem» (*S. Cyr.*). Cum emphasi ter repetitur *dicit Dominus;* vastatio declaratur : *everram eam everriculo devastationis* (hebr.). Etiam hic cernitur nexus ille inter hominis peccatoris punitionem et terrae desolationem; ubique scil. valet «maledicta terra in opere tuo». קִפֹּד cf. 34, 11. Soph. 2, 14; forte intelligi debet echinus aquaticus qui teste Strabone (16, 1) in insulis Euphratis satis frequens et peculiari magnitudine inveniebatur (*Naeg.*).

Altera subditur confirmatio praecedentium etiam gravior «primum a iuramento Dei, deinde ab exemplo iudicii praecedentis contra Assyrios» (*Malv.* sim. *Sanct. Osor. Sasb.*) : v. 24 «*iuravit Dominus exercituum dicens : si non, ut putavi, ita erit et quomodo mente tractavi, sic eveniet!* v. 25 *ut conteram Assyrium in terra mea et in montibus meis conculcem eum, et auferetur ab eis iugum eius et onus illius ab humero eorum tolletur*»; — *si non* אִם־לֹא particula est asseverationis et iuramenti : profecto, certe, ita iuro (cf. 5, 9); ita Deus humano modo sese accommodans maximam addit oraculo firmitatem, ea formula declarans vaticinium non esse conditioni alligatum, verum absolute ita fore .(cf. ad Ioel 2, 1. 19; 3, 10. Hab. 2, 3). Iurat scil Deus, «ut per duas res immobiles quibus impossibile est mentiri Deum fortissimum solatium habeamus» (Hebr. 6, 18). Repetit autem oraculum in Assyrios ea affirmatione, ut certum esse constet ea in Chaldaeum comminatione nihil mutatum esse vel detractum in priore illo contra Assyrios; dein ut rem post longum demum tempus futuram eventu quodam propiore confirmet; «cum ergo videritis illud fieri, certo credite et hoc eventurum» (*Sasb.*). Vaticinium ergo in tempus longinquum prospectans alio oraculo mox eventuro roboratur; «ut fidem faciat, aliud adiungit quod mox erat eventurum» (*Sasb.*); est ergo, ut *S. Thom.* dicit, oraculum in Assyrios h. l. iteratum, ut sit in exemplum. Quod confirmationis genus non est absimile ei, quod consideravimus ad 7, 14 Deum scil. praedictionem datam corroborare tamquam signo quodam eventu postmodum futuro. Demum oraculo in Assyrios h. l. interposito etiam iuvamur, ut illud *prope est* 14, 1 rite percipiamus; prius scil. fore ut Assyrius deiiciatur, tum demum Chaldaeum ad potentiae fastigium ascensurum; proinde oraculum hoc iam non statim proximo tempore iri opere completum. — Notari debet loquendi modus *in terra mea, in montibus meis;* optime *Tir.* allegat 8, 8 : implens latitudinem terrae *tuae,* o Emmanuel.

Prophetam ad oraculum in Assyrios reverti aliqui tam parum intellexerunt, ut varias excogitarent coniecturas ad rem explicandam. Considerant enim quidam haec verba uti perperam ad hunc locum reiecta, quae potius sint statim post cp. 10 collocanda, ubi scil. sermo sit de Assyriis (*Ros. Ges. Maurer, Bickell* in Zeitschrift f. kath. Theolog. 1886 p. 546); alii ea pertinere volunt ad cp. 12, ex qua sede propria (?) avulsa sint insertione oraculi de Babel pseudo-iesaiani (*Hitz. Kn. Meier, Cheyne*); *Ewald* proprium denique oraculi locum odoratus est post 18, 7; alii esse effatum proprium et oraculum independens sine ullo cum antecedentibus nexu (*Umbreit*). Sed quam inutiliter haec excogitentur, explicatione supra proposita satis ostenditur. Ea autem valide confirmatur, quia Isaias saepius oraculum in longum tempus prospiciens corroborare assolet pro-

phetia rei mox futurae; ita habes additum ad oraculum de Moab 16, 13. 14; ita ad effatum contra Aegyptum (cp. 19) eventum mox futurum (cp. 20), ita ad onus in Arabia 21, 16. Quod igitur conceptis verbis Ieremias dicit : « ecce ego visitabo regem Babylonis et terram eius, *sicut visitavi* regem Assur » (Ier. 50, 18), idem collocatione hac et repetitione Isaias indicari voluit. — Ceterum quantopere haec pars contexta sit verbis priorum oraculorum, legentibus obvium est; cf. 14, 24 et 7, 5. 7; 8, 10; — 14, 25 et 9, 3; 10, 27; — 14, 26 et 7, 5; 8, 10; 9, 11. 16. 20; 10, 4; 11, 11; — 14, 27 et 8, 10 (*Drechsl.*).

Utriusque autem ruina, Babylonii et Assyrii, confirmatur norma generali quam Deus iam 2, 12; 8, 10 etc. statuit, omne quod extollatur contra Dominum esse subvertendum : v. 26 « *hoc consilium quod cogitavi super omnem terram et haec est manus extenta super universas gentes ;* v. 27 *Dominus enim exercituum decrevit et quis poterit infirmare? et manus eius extenta, et quis avertet eam* »? — cf. 9, 12. 17. 21; 10, 4. Consilium suum declarat immobile, potentiam suam asserit victricem omnium; *vult* et *potest* perficere; triumphantis in modum utrumque asserit, ut pusillanimis et potentiam hostium timentibus vires addat et animos. Utique, si quis unice exercitus hostium, bellicum apparatum, victorias iam partas regnaque deiecta consideraverit, oraculum de pleno excidio poterat videri audacius, incredibile; quare ad divinam considerationem provocamur. Eadem veritas omni tempore solatio esse debet, nunquam fore, ut portae inferi praevaleant adversus Dei consilium. — Notari velim iterum in huius oraculi fine sermonem fieri in universum; arbitrarie enim sententias verbaque adeo ampla post 8, 9. 10 etc. cum *S. Hier. Cyr. Sasb. Sanct.* aliisque ad solos Assyrios Babyloniosque limitaveris; uti ergo oraculum inceptum est, ita concluditur, ambitu quodam universali in se exhibens omnium temporum omniumque populorum sortes divinitus decretas. Quare novo indicio collegeris iuremerito, Babel hoc oraculo modo quodam proponi universali tamquam in suo exemplo typoque omnium hostium Dei conamina adumbrans atque sinu suo complectens. Quam considerationem si adoptaveris, mecum fateberis prophetam in hoc primo oraculo magnificum prologum ac sublimem condidisse, quo ad iudicia particularia praefatus omnia et singula uni normae divinae substare egregie manifestaverit.

2. *Oraculum in Philisthaeam* 14, 28-32.

Arg. — Vates declarat non esse cur exsultent Philisthaei, quod fracta sit virga qua antea percussi fuerint; fore enim ut durior impendat plaga. Iudaeos pace et securitate esse fruituros; Philisthaeos autem tempestate ab aquilone veniente iri prostratum; tunc omnes intellecturos Sionem peculiari Dei protectione muniri.

Modo v. 26. 27 Dei norma generalis statuta est. Iam illam applicat vates ad Philisthaeam, « quae ut proxima Iudaeae est, ita saepius ac durius illam vexavit » (*Sanct.*) ; v. 28 « *In anno quo mortuus est rex Achaz factum est onus istud :* v. 29 *ne laeteris Philisthaea omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui ; de radice enim colubri egredietur regulus et semen eius absorbens volucrem* » ; — *onus* cf. 13, 1. Nah. 1, 1. Philisthaea a quinque regulis occupabatur qui in Gaza, Azoto, Ascalone, Geth, Accarone dominabantur (cf. Ios. 3, 3. Iud. 3, 3. Am. 1, 6-8) ; istis cunctis interitus annuntiatur ; unde *ne laeteris omnis tu ;* ita communiter. At iam *For.* advertit : « existimo esse phrasim qua nos utimur : totus gaudio perfundor, ut non ad quantitatem Palaestinae sed gaudii potius referatur : ne tota gaudio perfundaris, ne omnibus partibus vel modis gaudeas, ne nimium exsultes » ; et sic explicant *Kn. Del. Rohl.* Fit allusio ad 2 Reg. 1, 20. Ex inscriptione consequi posse videtur *virgam percutientem* (hebr. *Osor. Mald.*) esse ipsum Achaz regem (uti censent *S. Hier. Thom. Mald. Sa, Tir.*). At tempore Achaz Philisthaei non solum iugum ab Ozia iis impositum excusserunt, sed etiam regiones quasdam iudaicas occuparunt : « Philisthiim quoque diffusi sunt per urbes campestres et ad meridiem Iuda ceperuntque Bethsames et Aialon et Gaderoth, Socho quoque et Tamnan et Gamzo cum viculis suis et habitaverunt in eis » (2 Par. 28, 18) neque supponere possumus cum *Tir* restauratis viribus ab Achaz postmodum infestatos et afflictos fuisse Philisthaeos ; quare cum plerisque *virga percutiens* intelligatur oportet regnum Iuda vel domus David generatim, cuius percussionem autem sub Davide, Ozia, experti sunt sed cuius potestas iam confracta et comminuta iacuerit et iaceat (cf. *Sanct. Malv. Lap. Men.* et recentiores). Verum, inquit vates, praepostere exsultant de potestate deiecta ; virga enim et sceptrum David non interibit ; surget denuo et maiore clade hostes prosternet ; id proverbiali fere forma enuntiatur : *de radice colubri* — an quod *virga* iam per colubrum explicetur, allusio erit ad *virgam* Moysis in colubrum versam ? ita *For Lap. Kn.* — vel coluber ille Gen. 49, 17 adhuc in Israel adest, ex *radice* (cf. 11, 1) *eius egredietur regulus* vel basiliscus qui multo nocentior est colubro. Hunc basiliscum plerique intelligunt Ezechiam regem (cf. *S. Hier. Thom. Malv. Sa, Mald. Men. Tir.* et recentiores), qui revera Philisthaeos domuit : « ipse percussit Philisthaeos usque ad Gazam et omnes terminos eorum » (4 Reg. 18, 8).

Virgam domus David non esse ita confractam ut non denuo potenter inimicos percutiat, vates altero quoque membro cum gradatione effert : *et fructus eius serpens volans* hebr., uti iam hebr. ipse *S. Hier.* explicat scribens : « pro eo autem quod nos transtulimus *absorbens volucrem* et

in hebr. scriptum est *saraph mopheph* שָׂרָף מְעוֹפֵף interpretari potest *serpens volans,* ut sit sensus : de radice colubri nascetur regulus et fructus illius i. e. reguli serpens volans, ut draconem volantem intelligas » ; de שָׂרָף cf. 6, 2. Num. 21, 6. 8. Deut. 8, 15. Iam opinione populari draco volans terribilior est regulo. Ipsis comparationibus Philisthaeos nullo modo pares fore resistendo edicitur; domum autem davidicam fore invictam et hostibus suis quam maxime terribilem et perniciosam. Ita tangi promissa messianica certum est ; ex *radice* enim Isai exsurget ille « qui percutiet terram virga oris sui et spiritu labiorum suorum interficiet impium » (11, 4), uti veteres basiliscum quoque halitu interimere dicebant. Messiam in hoc quoque oraculo designari iam docet *Chald.* : « de filiis filiorum Iesse egredietur Messias et erunt opera eius ut serpens volans » et explicant *Mar. Drechsl. Del. Naeg. Troch.*

Ceterum non una est huius loci quaestio disceptata. Primo iam disputatur, ad quid referatur *semen eius,* scil. an sit semen radicis colubri vel semen reguli. In hebr. *fructus eius* priorem acceptionem commendare videtur, quia videlicet ad radicem apte dicatur et referatur *fructus,* non item ad basiliscum. Unde non desunt qui alterum hoc membrum idem esse censeant cum priore; ita *For.* : « Ozias fuit veluti quidam serpens vulgaris qui non magnopere formidatur ; at pronepos eius erit vobis veluti aspis et veluti serpens ignitus, alatus » ; sim. *Mald. Sanct. Lap. Men. Kn. Drechsl.* atque hanc acceptionem etiam versio *vulg.* prae se ferre videtur, quam ita *S. Hier.* elucidat : « pro hoc (Achaz) nocentior nascetur Ezechias regulus quem Graeci vocant basiliscum qui te suo aspectu interficiat et spiritu oris occidat ; quomodo enim nulla avis reguli aspectum potest illaesa transire, sed quamvis procul fuerit eius ore sorbetur, ita et tu a conspectu regis Ezechiae totus peribis ; et pulchre servavit metaphoram : quia enim serpentem et regulum nominarat, ore eius et spiritu dicit volucres devorari ». Sed praestat acceptio aliorum, quam ipse *S. Hier.* in explicatione textus hebr. sequitur : *fructus reguli est serpens volans* et quam LXX quoque exprimunt et sequuntur *Mar. Osor. Calm. Del. Net. Troch.* Ita enim ipsa gradatione postulatur : ex serpente oritur basiliscus, ex eo draco volans ; ita quoque ipsius sermonis conformatione et concinnitate, neque פְּרִי *fructum* obstare, satis ex Ps. 21, 11 et ex locutione satis usitata *fructus ventris* colligitur ; accedit quod locutio a radice et fructu deprompta saepius habeatur neque tamen ad *unam* aliquam notionem efferendam ; cf. 2 Reg. 19, 30 hebr. Ier. 12, 2.

Deinde quis sit Philisthaeos tamquam regulus et draco volans percussurus, varie quoque explicant. Unius Ezechiae mentionem faciunt multi : *S. Ephr. Hier.* (qui colubrum Achaz, regulum et serpentem absorbentem Ezechiam explicat) *Cyr.* (qui ἔκγονον ἀσπίδος Achaz, serpentem volantem Ezechiam intelligit) *Euseb. Theod. Haim. Thom. For. Sanct. Malv. Sasb. Pint. Mald. Lap. Sa, Men.* Magis generaliter rem accipit *S. Basil.* intelligens regum post Achaz sequentium successionem. — Alii non regem Iuda, sed Assyrios ita designari

volunt. Huius interpretationis iam meminit *S. Cyr.*; semen serpentis esse Theglathphalasar et fetum aspidis Salmanasar; aliter *Barh.* : « ne laeteris.. quia Sargon qui te servitute tenet mortuus est, quia e rādice eius Sennacherib, sicut e serpente aspis, prodibit »; fortasse 20, 1 in ea explicatione ob oculos habuit. Atque de Assur quoque intelligunt *Calm. Kn. Net. Rohl.*; et *Calm.* quidem Sennacherib et Asarhaddon, *Net.* virgam intelligit Sargon, regulum Sennacherib et draconem volantem Asarhaddon. Rem eo declarant, quia per Achaz Assyrii conducti sunt, ut invaderent Syriam et Israel; inde autem Assyriis occasionem esse oblatam ad Philisthaeam subiiciendam; exiisse ergo dominationem Assyriorum ex Iudaea (ita fere iam *S. Cyr. Kn. Rohl.*). At quis non videt, quam improprie ea conditione dicatur ex Iudaea exiisse dominationem Assyriorum? Alii (*Calm.*) provocant ad v. 31, malum scil. Philisthaeis obventurum esse ab aquilone, ergo ab Assur, ergo regulum esse Assur. Id verum esset, si in utraque oraculi parte de uno eodemque hoste, de una eademque clade esset sermo. Id autem non obtinet; saltem nullo modo obtinere debet, ergo clades v. 31 relata non potest adhiberi ad explanationem v. 29. Insuper advertatur oportet *virgam* illam cum radice colubri intime iungi, ita ut ipsa virga sit et habeatur radix colubri; sed quis tali imagine exprimeret opportunitatem illam, quae Assyriis sit oblata Philisthaeam occupandi?

Dum regulus et draco volans inimicis Dei exitium affert, populus Dei bonis ac pace fruitur v. 30 « *et pascentur primogeniti pauperum et pauperes fiducialiter requiescent; et interire faciam in fame radicem tuam et reliquias tuas interficiam* »; — radix et germen Iuda prosperabitur, faciet fructum (cf. 11, 1); radix Philisthaeorum interibit, progenies et germen non aderit. Ita vates exsultationi Philisthaeorum ultimum rerum exitum quippe qui vaticiniis messianicis et Dei in inimicos norma tamquam totidem documentis stabilitus sit, opponit : *primogeniti pauperum* sunt pauperrimi, qui in ordine pauperum primum quasi locum occupant et non simpliciter filii pauperum sed primogenitorum dignitate et plena hereditate constituti sunt. Ita populum Dei quoque fore afflictum et oppressum indicat simulque innuit etiam regnum messianicum non fore splendore mundano conspicuum (cf. Soph. 3, 11). Isti « beati pauperes » *pascentur*; cf. 11, 6; rex theocraticus, ergo a fortiore Messias, dicitur pastor, pascere populum; populus est grex Domini; bonis ac securitate, pace abundabunt (cf. Mich. 7, 14). In oppositione ad ubera pascua populo Dei concessa ex omni calamitatum genere quo gens solet interire *fames* effertur (cf. Is. 65, 13): et pro pace ac securitate in eos saeviet gladius: hebr. *reliquias tuas interficiet* scil. draco volans i. e. ultor ille ac vindex ex radice Iuda oriundus.

Huic denuntiationi generali et ultimum rei eventum spectanti aliam addit propheta quae proximo iam tempore adimplenda sit ac proinde prioris confirmatio quaedam ac pignus haberi possit. Mox enim Phili-

sthaea experietur, quam diversa a Iudaea sorte utatur. Calamitatem insignem magna doloris ac lamentationis significatione declarat v. 31 « *ulula porta, clama civitas ! prostrata est Philisthaea omnis; ab aquilone enim fumus veniet et non est qui effugiet agmen eius* » ; — hebr. *nec est separatus in coetibus eius* i. e. nullus remanet, omnes conferto agmine incedunt, uno impetu exercitus hostilis irruit (5, 27); eodem sensu etiam versio *vulg.* accipi potest (cf. *For. Malv. Mald.*). Vastatio indicitur et ululatio *portis* i. e. arcibus et munitis urbibus et *civitatibus*, incolis generatim. Magni incendii instar quod fumum longe lateque spargit exercitus ab aquilone appropinquat i. e. non rex Iuda (uti volunt *Mald. Sanct. Sasb. Pint. For. Lap. Mar. Malv. Tir. Troch.*) ab Ierusalem, sed Assur ab aquilone regionem vastaturus invadet omnia immensi incendii instar ruinis et fumo obvoluturus; ita *S. Ephr. Hier. Cyr. Euseb. Theod. Thom. Calm.* et recentiores, et ad Assyriam ipsa locutio *ab aquilone* usu constanti refertur (cf. Ier. 1, 13. 14. 15; 4, 6; 6, 1; 15, 12; 46, 6 etc.). Atque Philisthaeam ab Assyriis varie esse afflictam, monumentis quoque assyriacis aperte proditur. Sargon in pugna ad Raphiam Hanonem regem Gazae divicit (anno 719) et anno regni eius undecimo (710) bellum denuo motum est in Philisthaeos iique pluribus cladibus prostrati; ita devictus est Azuri, rex Azoti, cum sociis suis; mox nova rebellione contra Assyrios orta rex Yavan cum exercitu fusus fugatusque est; eius idola, uxores, filii et filiae, thesauri abducti, urbes captae, incolae in captivitatem abducti (cf. *Vigouroux,* la Bible et les découv. mod. 3 éd. IV p. 164-167). Etiam tempore invasionis a Sennacherib factae non parcebatur Philisthaeis. Maior enim eius exercitus pars per Beth-Dagon, Accaron et Azotum iter arripuit (cf. ad 10, 28-34).

In ea rerum perturbatione omnibus clare manifestabitur Deum peculiari cura Sionem protegere et sui populi esse tutorem fidelem v. 32 « *et quid respondebitur nuntiis gentium? quia Dominus fundavit Sion et in ipso sperabunt pauperes populi eius* » ; — hebr. *nuntiis gentis;* unde valde probabile est, sermonem esse de nuntiis Philisthaeorum, qui foederis concludendi causa Ierusalem adierint, quos vero tali responsione remitti re infecta propheta iubeat. Etiam Sargon in suis inscriptionibus nobis narrat Azuri regem Azoti ad reges vicinos, ad inimicos Assur misisse malumque perpetrasse. Ne tali foederi se committant, propheta suos monet neque id ullo pacto opus esse; quare id unum effert Sionem esse fundatam a Domino ; quis igitur contra Sionem praevalebit? neque populo alium opus esse defensorem ; nam et si sint afflicti omnes in solo Domino spem ac fiduciam collocare nomine omnium propheta profitetur et ita faciendum esse docet. Responsio ea quam maxime est

ad normam theocraticam exacta et optima formula complectitur Dei circa Sionem consilium immotum et inde consequentem populi theocratici fiduciam ac spem inconcussam. Iis verbis simul admonentur extranei, ubi vera salus sit speranda; sic praeparatur via qua « advena adiungatur ad eos » (14, 1); deinde elucet ex iis res afflictas pro populo Dei certum esse salutis et auxilii divini pignus : pauperes, afflicti sperabunt in ipso; ea enim rerum necessitate adimitur fiducia humana et agnoscitur infirmitas propria; ex hac autem enascitur fiducia in Deum credentibus in Dei promissa.

Nuntios a Philisthaeis esse missos, ut Ezechiam ad foedus ineundum invitarent contra Assyrios, explicant *Malv. Kn. Rohl. Naeg.* Alii intelligunt nuntios Assyriorum qui ut urbs Ierusalem regi Assur tradatur postulent (*Drechsl. Loch*); vel cum admiratione interrogent cur una haec urbs exitium evaserit (*S. Hier.* sim. *Net.*); alii nuntios gentium vicinarum qui veniant gratulabundi ad Ezechiam et iis a quibus missi sint hoc referant responsum, quod ipsi a civibus Sionis acceperint; ita *S. Ephr.* : « quid respondebit Ezechias legatis gentium » ? vel *Sanct.* : « gentium legatis qui gratulatum venerint ad Ezechiam ob victoriam de Philisthaeis comparatam respondendum esse illam acceptam esse referendam Dei benignitati atque potentiae » ; sed ex contextu proximo v. 31 responsio refertur ad invasionem Assyriorum qua Philisthaei sunt prostrati, dum Sion salva consistebat. Unde melius generatim exponunt : nuntiabunt populis a quibus missi sunt Deum fundasse Sion, evertisse Philisthaeos (*Mar. Men.*) vel : quae fama toto orbe spargetur (*Tir. Lap.*)? Aliter *Mald.* : « quid dicetur nuntiis qui ad exteras gentes mittentur, ut belli exitum nuntient » ? Sed a Iudaeis mitti nuntios et hos dici propterea nuntios gentis, videtur esse satis improbabile; eos mitti ad foederatos principes cladem Sennacherib nuntiaturos *Calm.* vult. Demum alii vertunt : quale responsum afferent nuntii (cf. *Chald. For. Del. Net. Troch.*). Sim. iam LXX; vertunt enim τί ἀποκριθήσονται βασιλεῖς ἐθνῶν; sed versio *vulg.* est praeferenda; iungitur enim ענה accusativo duplici; cf. 1 Sam. 20, 10. Mich. 6, 5. Ier. 23, 37; et formam tertiae pers. sing. adhiberi sensu generali et impersonali notum est (cf. *Kn. Naeg. Rohl.*).

3. *Oraculum in Moab* 15, 1-16, 14.

Arg. — Urbe principali et arce destructis fletus et ululatus auditur in universa regione omnesque moeroris luctusque signa et indicia prae se ferunt (15, 1-4). Tanta calamitate et doloris significatione ipse vates commovetur; undique enim cernuntur fugitivi, auditur ululatus, videtur vastitas regionis antea florentissimae; aufugiunt incolae et facultates servare conantur; sed inter lamentationes et planctus multi caeduntur; ipsis fugitivis instat exitium (15, 5-9). Qua in miseria monentur, ut auxilium flagitaturi regem Iuda deprecentur; nam in Ierusalem solum adest thronus gratiae et auxilii opportuni (16, 1-5). Nunc autem

superbia et arrogantia Moab castigatur ; fertilissima regio ita in vastitatem et desolationem redigetur et praecipue vineae praeclarae exscindentur, ut nemo sine dolore et lacrimis talem spectare possit ruinam (16, 6-11). Plaga haec in Moab firmiter est decreta et quod olim Deus iam minatus est, post tres annos opere complebitur : humiliatio Moab (16, 12-14).

Dum regnum israeliticum per Syros et postea per Assyrios infestaretur, Moabitae urbes quasdam et regiones ultra Arnon fluvium occupabant. Unde explicatur, cur in hoc oraculo v. g. Hesebon et Eleale urbibus Moabitarum accenseantur. De bellis inter Israelitas et Moabitas gestis indicium habes Os. 10, 14 (vide in Comment. in Proph. min. I p. 138). — Etiam in hoc oraculo singulari cura effertur omnem arrogantiam et superbiam esse humiliandam, sed castigationem infligi, ut inde via salutis demonstretur. Unde elucet etiam hoc oraculum exacte ad eam normam esse formatum quam Isaiam secutum esse constat. Uti oraculum in Babel, ita hoc quoque Ieremias imitatione expressit (cf. Ier. 48, 1 seq.) ; cum igitur iam tempore Ieremiae exstiterit oraculum nostrum, fieri non potuit, ut *falso* attribueretur Isaiae.

a) Luctus in Moab 15, 1-4.

A Philisthaeis propheta sermonem transfert in regionem oppositam, ad orientem maris mortui, in Moab. Annuntiatur Moabitis calamitas regnique destructio magna animi vatis commotione, ex qua quam horrenda futura sit plaga facile coniicitur. Re visione percepta vates quasi attonitus et obstupefactus haeret et infortunii magnitudinem non tam sententiis quam exclamationibus iteratis significat : v. 1 « *Onus Moab, quia nocte vastata est Ar Moab, conticuit ; quia nocte vastatus est murus Moab, conticuit* » ! — *quia* rationem reddit, cur dicatur *onus ;* unde oraculum hoc simul argumento est מַשָּׂא designare prophetiam onerosam ; *conticuit* i. e. redacta est urbs ad silentium, periit, actum est de ea (*For. Malv. Mar.*) ; hebr. *excisa est* vel *periit* (cf. ad 6, 5. Os. 10, 15) ; idque *nocte*, ut tenebris augeatur horror et pavor, ut quam nulla supersit spes evadendi miseriam, significetur. Ruina incipit ab urbe principali, a regni capite ; *Ar Moab* urbs sita in valle Arnon (cf. Deut. 2, 36. Ios. 13, 9. 16) i. e. *urbs* (עָר, עִיר) Moab ; « metropolis civitas quae hodie ex hebraeo et graeco sermone composita *Areopolis* nuncupatur » (*S. Hier.*). In altero membro legitur in hebr. קִיר־מוֹאָב *Qir Moab*, arx principalis in Moab alta in rupe sita, versus meridiem ab Ar Moab, quae etiam Qir cheres vel Qir chareset (16, 7. 11) vocabatur et hodie Kerek audit et apud Graecos Χαράξ (2 Mach. 12, 17), Χαρακμῶβα, Χαραχμῶβα

(*Theod.*), Χαράκωμα (Ptol. V, 17. 5. *Naeg.*) nuncupabatur. Cum קִיר Hebraeis sit nomen appellativum *murus*, intelligitur versio *S. Hier.*

In inscriptione moabitica quae ex nomine Mesa regis appellatur quater occurrit קר significatione *urbis* lin. 11. 12. 24 bis; hebr. dicitur קִרְיָה. Forte etiam עָר forma est moabitica pro hebr. עִיר. Notatu dignum est quod לֵיל *nox* h. l. efferatur pro usitata voce hebr. לַיְלָה; in stela Mesa legitur לֵלָה lin. 15, unde *Naeg.* concludit pronuntiationem לֵיל esse moabiticam. Alii putarunt לֵיל esse statum constructum, ita ut verti debeat : in nocte qua destruitur Ar Moab, periit (cf. *Drechsl.*) vel ita ut apodosis a v. 2 inchoetur (*Hitz.*); sed utrumque magno incommodo laborat; prius enim effert tautologiam plane ridiculam; alterum sententiam exhibet longiorem, nimisque implicatam et ab animi commoti significatione alienam. — De inscriptione Mesa regis cf. Revue archéologique 1870 I p. 185, 357. Studien und Krit. 1871 p. 596. Zeitschrift der deutsch-morgenl. Gesellschaft XXIV. p. 253. 438. 645. Tübinger Quartalschr. 1870 p. 292; *Vigouroux* l. c. p. 52. Civiltà cattolica serie XIII vol. I p. 695; *Noeldeke* in Bibellex. ed. *Schenkel*, IV p. 185.

Destructis praecipuis regni munitionibus interitus et miseria ingruit; quare omnia fletibus et luctu complentur v. 2 « *ascendit domus et Dibon ad excelsa in planctum, super Nabo et super Medaba Moab ululavit; in cunctis capitibus eius calvitium et omnis barba radetur* » ; — versionem suam ita explanat *S. Hier.* : « subauditur autem domus regia et urbs Dibon ad idola quae in editis posita sunt ascendit ; super Nabo et super Medaba, nobiles civitates, ululabit universa provincia. In Nabo enim erat Chamos idolum consecratum quod alio nomine appellatur Beelphegor ». Ululantes et flentes fana idolorum visitant, ut ibi remedium quaerant; quod cum non inveniatur sed cum e contra in subseq. etiam maior horror et dolor pandatur, simul frustra ab idolis opem sperari docetur. Textum hebr. ita probabiliter concipies : *ascendunt in domum* i. e. in templum, *et Dibon ad excelsa ad fletum;* Dibon a flumine Arnon septemtrionem versus sita, olim tribui Gad (Num. 32, 34), postea Ruben attributa (Ios. 13, 17) tamquam urbs regia in inscriptione Mesa commemoratur, qui se vocat הדיבני Dibonitam; iam Ios. 13, 17 statim post Dibon fit mentio Bamothbaal i. e. excelsi sanctuarii Baal consecrati et in inscriptione Mesa statim ab initio legitur : feci hoc excelsum pro Chamos in Qorcha ; explicant autem Qorcha (calvitiem, locum excelsum et glabrum) tamquam nomen vel partem urbis Dibon ; unde prope Dibon vel in ipsa urbe sanctuarium in colle fuisse constare videtur. Hodie ostenduntur ruinae Dibon nomine. *Super Nabo* i. e. in altis collibus, in quibus Nabo et Medaba oppida sita sunt, auditur clamor Moab (ita *Drechsl. Kn. Del. Naeg. Net. Rohl.*), ita ut ululatus a colle in collem quasi migrare et terram Moab pervadere dicatur. Nabo cf. Num. 32, 3. 38; urbs certe ex ipso nomine iuxta montem Nabo sita fuit; eius mentio fit quoque in

inscriptione Mesa lin. 14, sicut lin. 8 legitur מה דבא quam vocem מידבא Medaba explicant (cf. Num. 21, 30. Ios. 13, 9. 16); erat oppidum in colle situm meridiem versus ab Hesebon; utrumque oppidum tempore Mesa ab Israelitis erat occupatum. Ad ululatum accedunt luctus signa usitata; *in cunctis capitibus*... cf. Am. 8, 10. Ier. 48, 37. Ez. 7, 18; « apud antiquos barbae capitisque rasura luctus indicium fuit; per haec ergo magnitudo moeroris ostenditur, Ieremia contra Moab eadem conclamante » (*S. Hier.*); unde Mich. 1, 16 : dilata calvitium tuum sicut aquila.

In explicatione prioris partis huius v. sat magna cernitur varietas. Sat multi explicant, uti supra : ascendet (scil. Moab) in templum (*Mald. Sa, Mar. Vat. Malv. Tir. Del. Naeg. Rohl. Loch*); alii tamen הַבַּיִת intelligunt nomen proprium et vertunt : ascendit Baith et Dibon ad excelsa (cf. *For. Osor. Sanct. Calm. Kn. Drechsl. Schegg, Net.*) et ad Baith supplent quae desunt explicantes vel Beth Diblathajim, quae urbs Ier. 48, 22 iuxta Dibon et Nabo commemoratur (cf. *Kn. Cheyne*) vel Beth Baal Meon vel Bethphegor (cf. *Drechsl.*) vel Beth Bamoth; etiam in inscriptione Mesa narrat se aedificasse Baal Meon, Beth Bamoth et Beth Diblathan (vel templum? lin. 9. 30). Sed quia plura exsistebant oppida composita cum Baith, nullum autem adhuc ostendi possit quod eo solo nomine (et cum articulo!) appellatum sit, talis suppletio videtur omnino improbabilis. — Alii iungunt ut unum nomen Medaba-Moab (*Naeg.*); sed cum talis coniunctio nusquam inveniatur et per se pateat de oppido in Moab sito sermonem fieri, vertendum est uti *S. Hier.* iam explicat. *Chald.* praebet : ascendite in domos Dibon... super Nabo et Medeba ululant Moabitae. *Syrus* : ascendite in domum Ribun. LXX autem ita vertunt, ut alium prorsus textum legisse videantur : contristamini in vobis, peribit enim Dimon (Debon) ubi ara est (vestra) illuc ascendetis ad plorandum super Nabo Moabitidis; ululate; super omne caput calvitium, omnia brachia concisa.

Non solum caput et barba, totus habitus luctum prae se fert v. 3 « *in triviis eius accincti sunt sacco; super tecta eius et in plateis eius omnis ululatus descendit in fletum* »; — bene adnotat *S. Hier.* : « non erunt privatae lacrimae, publicum luctum publica lamenta resonabunt, nec matronae nec virgines nec aetas parva puerorum nec fracti senum gressus tenebuntur domibus », et *S. Cyr.* : « effigiem urbium non mediocri terrore fluctuantium nobis prophetica sententia describit »; extra domos, in viis publicis oberrant lugubri veste induti; alii in planis domorum tectis consistentes et calamitatem longe lateque serpentem prospicientes eiulant; hebr. *totus* (universitas eius) *ululat descendens in fletum* i. e. omnia lacrimis diffluunt, lacrimis quasi solvuntur et immerguntur [1]. Hic vero

---

1. Aliis tamen haec locutio a veterum more videtur aliena; unde explicant *descendens in fletu* i. e. uti *ascendunt* cum fletu in loca excelsa, in Nabo et Medaba, in tecta, ita etiam

luctus et eiulatus per omnes fines moabiticos pompa quadam funesta et lugubri circumducitur v. 4 « *clamabit Hesebon et Eleale, usque Iasa audita est vox eorum; super hoc expediti Moab ululabunt; anima eius ululabit sibi* »; — Hesebon « civitas Seon regis Amorrhaeorum in terra Galaad quae cum fuisset antea Moabitarum ab Amorrhaeis belli iure possessa est.., porro nunc vocatur Esbus, urbs insignis Arabiae in montibus qui sunt contra Iericho, viginti a Iordane millibus distans » (Onom.); cf. Num. 21, 25; 32, 3. 37. Ios. 13, 17; 21, 39 etc. Ab ea urbe milliario distat Eleale fere septemtrionem versus; utrumque oppidum in colle situm aptum praebet lamentationis miserae locum, ex quo uti calamitas ubique sparsa adverti, ita eiulatus in vicinam regionem late personare potest. Hunc eiulatum Moab permeantem vates describit: *usque Iasa;* cf. Num. 21, 23. Deut. 2, 32. Ios. 13, 18; 21, 36. Iud. 11, 20; oppidum teste Eusebio situm erat inter Debus (Dibon) et Medaba, cui sententiae etiam recentiores adstipulantur, dum alii oppidum collocari volunt in deserto quo orientem versus fines Rubenitarum et Moabitarum concludebantur, vel distinguunt duo oppida, nostrumque septemtrionem versus ad mare mortuum situm esse statuunt (cf. *Schenkel,* Bibellex. III p. 139; *Riehm,* Handwoerterb. I p. 658; *Riess,* bibl. Geogr. s. v.). Eius urbis etiam meminit Mesa quae a rege Israel sit munita, sed a rege Mesa ope Chamos occupata (lin. 18) et cum ditione Dibon coniuncta. Eiulatui communi etiam milites expediti Moab suam iungunt vociferationem, imminet ergo miseria talis, qua fortium quoque animi et pectora franguntur; quare planctus et desperationis descriptio sententia generali concluditur: *anima eius tremit ipsi* i. e. Moab intimis animi medullis concutitur et horrore et terrore perfunditur, iactatur, vibratur; vel sensu haud ita absimili: anima eius dolet sibi, tota dolore et aegritudine dissolvitur.

Verbum quippe ירע hoc solum loco invenitur; ii qui ei notionem tremendi etc. attribuunt provocant ad vocem arab. quae *gravi timore agitari* significet et ad vocem derivatam יְרִיעָה *aulaeum* quasi leviori cuilibet cedens impulsui (ita *Ros. Ges. Fürst Kn. Del. Rohl. Mühlau-Volck);* alii vocem explicant uti רָעַע, imperf. יֵרַע afflictum esse, malum esse et formam inusitatam volunt esse adhibitam ut adsit paronomasia ad יָרִיעוּ (cf. *Drechsl. Net. Naeg.). Syrus, S. Hier. Chald.* vertunt ita quasi verbum retulerint ad רוּעַ ad vociferandi scil. et clamandi notionem; LXX demum praebentes γνώσεται literas inter se similes commutarunt ידעה.

---

auxilio a diis non impetrato *descendunt* precibus frustra effusis cum fletu (ita *S. Thom. For. Men. Houbig. Naeg.).* Verum huic explicationi collocatio ipsa non favet, quam *Houbig.* utique mutat.

b) **Ruina et vastitas in Moab 15, 5-9.**

In planctu adeo universali etiam vates loquitur dolentis affectu et psa sua commiseratione pandit quantis calamitatibus sint opprimendi, ita ut etiam inimicis miserabiles fiant (*S. Hier.*); ostendit ergo magnitudinem poenae ex compassione hostium (*S. Thom.*); est etiam « piorum hominum inimicorum incommodis commoveri; eodem prope modo Ieremias 48, 36 dicit » (*Sanct.*) : v. 5 « *Cor meum ad Moab clamabit* »; — i. e. pro afflictione Moab (*S. Thom.*); cf. 16, 9. Atque statim nova commiserationis causa subiungitur, uti bene notat *Osor.* : « videor enim mihi videri regionem florentissimam eo tempore quo maxime omnibus vitae commodis affluebat et tamquam trima iuvenca in opimo ac fertili prato nutrita lasciviebat et vim insiti roboris et alacritatis indicabat, subito concidentem; qui ex illa fugerint, Sohar usque pervenient, perfusique lacrimis ad iuga Luith evadent » etc. Primo paucis statum olim florentem delineat vates, cui miseriam opponit iam omnia occupantem : « *vectes eius usque ad Segor vitulam conternantem; per ascensum enim Luith flens ascendet et in via Oronaim clamorem contritionis levabunt* »; — i. e. antea Moab erat in conditione florenti et firmis munitionibus adversus incursus hostiles protegebatur; « vectes pro terminis et robore intellige, eo quod Segor in finibus Moabitarum sita sit dividens ab eis terram Philisthiim » (*S. Hier.*); sunt igitur vectes munimenta, firmamenta (*S. Hier.*); eo modo quo v. g. de vectibus urbis saepius mentio fit; cf. Ier. 51, 31. Lament. 2, 9. Segor (Zoar) in valle Siddim (Gen. 13, 10; 14, 2. 8; 19, 18-23), antiquitus Bela, oppidum conterminum Idumaeae ditionem designat maxime meridionalem Moabitidis. Quod additur *vitulam conternantem* designare videtur robur ac fortitudinem ; « possumus vitulum conternantem pro perfecta aetate accipere sicut enim tricesimus annus in hominibus, ita in pecudibus ac iumentis tertius robustissimus est » (*S. Hier.*); sim. *S. Cyr. Theod. Basil. Thom.* vel « civitatem vocat nondum bello edomitam, robustam ac florentem, sicut Ieremias 46, 20 vocat Aegyptum vitulam elegantem atque formosam » *Mald.* sim. *Sanct. Sasb. Sa, Lap. Men. Vat. Tir. Del. Naeg.* ; alii ad fertilitatem et pinguedinem soli vocem referunt (cf. *For. Malv.*); sed propter *vectes* minus apte; potius aetatem declarat nondum iugo domitam (cf. *Ges.*). Iam in oppositione ad conditionem illam olim florentem atque indomitam populus describitur praecipiti fuga meridiem versus abreptus. Ergo hostis ingruit a septemtrione. Luith « est usque hodie vicus inter Areopolim et Zoaram » (Onom.) i. e. inter Ar-Moab et Segor; illuc igitur fugiunt et cum fletu ascensum Luith ascendunt, dum aliae fugiti-

vorum turmae in via Oronaim, vel uti habet Ier. 48, 5, in descensu Oronaim clamorem de contritione tollunt. In meridionali parte Moabitidis oppidum situm fuisse videtur ex hoc loco et etiam quia in inscriptione Mesa legitur : descende et pugna contra Horonaim (Choronan, lin. 32); cf. Ier. 48, 3. 5. 34 ; videtur esse idem oppidum atque Oronae, quod simul cum Segor aliisque oppidis moabiticis Alexander Iannaeus Arabibus eripuit, Hyrcanus autem filius eius Aretae Arabum regi restituit (cf. *Iosephus,* Ant. 13, 15, 4; 14, 1, 4; *Riehm*, Handwoerterb. I p. 643).

Verum plerique hebr. aliter intelligunt; vertunt enim בְּרִיחֶהָ non *vectes eius* sed *fugitivi eius* usque Segor scil. fugiunt ; ita iam *Chald.* (in corde suo dicent Moabitae, ut fugiant usque Segor), *For. Pint. Mald. Malv. Sa, Calm. Ges. Kn. Drechsl. Naeg. Net. Rohl.* ; sed iuremerito advertunt *Del. Troch.* vocem nihil aliud significare nisi *vectes* et de vectibus regionis simili metaphora sermonem esse posse, sicut de vectibus urbis. Neque sensus obstat ; priorem enim felicitatem ac prosperitatem commemorari in planctu saepius solet. Quare versio et explicatio a *S. Hier.* data omnino retineri potest. Alii etiam *vectes* illo sensu explicare conantur ; « fortes et robusti milites qui sicut vectes tutari solebant portas urbium iam fugerunt usque ad Segor ; vel optimates et principes » (*Malv. Lap. Men. Tir.*).

Sat magna quoque varietas cernitur de vitula conternante. Ad Segor retuli, quia cum Segor intime iungitur ; explicavi cum multis de urbe florente, indomita. Eiusmodi enim comparationibus uti auctores sacros saepius deprehendimus ; cf. Os. 4, 16 ; 10, 11. Ier. 46, 20 ; 50, 11. Idem suadetur quia eadem appositio apud Ier. 48, 34 videtur addita ad Oronaim. Alii appositionem referunt ad Moab ; verum obstat collocatio. Alii cernunt in nomine oppidum designatum quod Eglath tertium vel Eglath schelischija vocatum sit (cf. *Ewald, Kn. Drechsl.*) ; immo duo oppida ibi cernit *Calm.* : « occurrit urbs Beth Agla, domus vitulae, ad mare mortuum (Ios. 15, 6 ; 18, 19. 21) et Salisa vel Baal Salisa, cuius meminere libri Regum (1 Reg. 9, 4. 4 Reg. 4, 42) ; igitur verti debet : fugitivi eius currunt usque ad Segor, usque ad Agelat, usque ad Salisam ». Sed oppidum illud Ios. 15, 6 etc. vocatur בֵּית חָגְלָה neque in regione moabitica situm est, sed pertinet ad tribum Beniamin ; terra autem Salisa prope montes Ephraim erat ; unde non probabile est in eas regiones Moabitas fuga esse dilapsos, ut hostem a septemtrione invadentem evitarent. Alii provocant ad *Iosephum* (Ant. 14, 1, 4), apud quem Segor, Oronai et Ἄγαλλα leguntur (cf. *Drechsl. Kn.*) ; at res est incerta ; forte oppidum illud Ἄγαλλα agnoscendum est in v. 8 אֶגְלַיִם ; neque quid sibi velit « tertia Egla » satis explicatur, cum vix probabile sit tria oppida eiusdem nominis exstitisse et numero addito fuisse inter se distincta. Alii tripolin, foedus trium civitatum, coniectant inter Segor, Oronaim et Egla, indeque nomen explicant (cf. Studien und Krit. 1862 p. 113 seq.). Nuper *A. Scholz* (Commentar zum Buche d. Proph. Ieremias p. 522 et in praefatione) omni controversiae se posse finem imponere censuit statuens no-

mine hoc vitulae triennalis honorifico designari Kir-Heres tamquam arcem indomitam. Sed supponit apud Isaiam describi fugam a meridie septemtrionem versus, dum e contra, si vertendum est *fugitivi eius*, isti dicuntur fugere usque ad Segor, ergo meridiem versus. LXX, *Syrus, Chald.* etiam non videntur agnovisse nomen proprium, quia vertunt δάμαλις τριετής et sim. Quare explicatio *S. Hier.* et veterum manet probabilissima et similibus fulcitur comparationibus in sacris literis saepius obviis; cf. iam Gen. 49, 14. 21.

Cur fugiant et clamorem edant de ruina, ulteriore descriptione ostenditur v. 6 « *aquae enim Nemrim desertae erunt, quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit* »; — i. e. regio florentissima versa est in desertum, maxima praebet vastationis hostilis indicia; fontes scil. et fluenta aquarum ab hostibus obstructa sunt; duo ergo כִּי *enim* non inter se subordinata sunt, sed coordinata duas afferunt rationes, cur planctus edatur. Obturatione fontium universorum etiam olim Israelitae in Moabitas ultionem exercuerunt 4 Reg. 3, 19. 25. Cum fuga fiat meridiem versus, nihil obstat quominus Nemrim intelligamus idem oppidum quod Num. 32, 3. 36. Ios. 13, 27 Beth-Nimra appellatur et in regione septemtrionali situm est; igitur fugiunt quia regio septemtrionalis iam crudeli hostium vastatione prostrata iacet. Sed plerique Nemrim in regione meridionali esse quaerendum censent etiam in Onomastico vicus esse dicitur nomine Bennamarem ad septemtrionalem plagam Zoarae (Segor), ergo in vicinia Segor, et plerique nomen agnoscunt in torrente Nemeirah vel Mojet Nimmery, apud quem ruinae quoque En-Nmera ostenduntur in parte meridionali maris mortui (cf. *Scholz* l. c. *Kn. Naeg. Troch. Net. Riehm,* Handwoerterb. II p. 1082). At priorem interpretationem cum veteribus tenent *Winer* s. v. *Drechsl. Del. Rohl.* et *Kneucker* in Bibellex. IV p. 428. — Simul cum homine etiam creaturam affligi, hic quoque manifestatur.

Cum igitur hostis regionem devastet, Moabitae quod a direptione hostili servaverunt secum asportant fugientes in regionem edomiticam; ita v. 7 in hebr. *propterea quod reliquum fecerit* (Moab) *et opes suas ad torrentem salicum portant eas* (cf. *Vat. For. Malv. Mald. Mar.* et recentiores) vel *ad torrentem Arabum* (cf. LXX); sed cum עֲרָבִים saepius in notione salicum inveniatur (44, 4; cf. Lev. 23, 40. Iob 40, 22. Ps. 137, 2 hebr.), nunquam autem in significatione Arabum, versio prior quam etiam *S. Hier.* exprimit praeferenda est. Ad fugam (cf. 16, 1) quam maxime consentaneus est torrens ille Wadi el Achsa qui inter fines Moab et Edom fluit et quem h. l. agnoscunt *Kn. Drechsl. Naeg. Del. Wetzstein,* dum alii torrentem Safsaf (i. e. torrentem salicum) partem septemtrionalem torrentis Seil-el-Kerek h. l. assumunt (cf. *Net. Rohl. Troch.*). Priorem versus partem aliter intellexit *S. Hier.* ita, ut

media in fugae et vastationis descriptione ratio et causa tantae poenae inseratur v. 7 «*secundum magnitudinem operis et visitatio eorum; ad torrentem salicum ducent eos*»; — i. e. «iuxta morbi magnitudinem erit visitatio; visitationem hic non pro remedio sed pro plaga accipe» (*S. Hier.*).

Cur fugiant, ratio affertur v. 8 «*quoniam circuivit clamor terminum Moab, usque ad Gallim ululatus eius et usque ad puteum Elim clamor eius*»; — omnes fines moabitici luctu et clamore personant; quod ut vates demonstret, et locum nominat in parte meridionali et in septemtrionali; *Gallim,* hebr. *Eglaim* probabiliter erit Agallim (*Agalleim, Aigaleim*) vicus ad australem plagam Areopoleos distans ab ea millibus octo (Onom.) [1]. Puteus Elim, Beer Elim i. e. puteus fortium vel terebinthorum videtur idem esse qui Num. 21, 16 (cf. *Malv. Kn. Drechsl. Del. Naeg. Net. Rohl.*); erat in parte septemtrionali orientem versus, uti ex Num. 21, 13 seq. elucet. Et iuremerito tantus eiulatus auditur; hostis enim ingentem stragem Moabitis intulit plurimis trucidatis et etiam iis qui eam cladem effugerint aliud et fere gravius instat exitium. Utrumque proponitur v. 9 «*quia aquae Dibon repletae sunt sanguine; ponam enim super Dibon additamenta his qui fugerint de Moab leonem et reliquiis terrae*»; — duo כי *enim* pari modo duas rationes vestiunt pro v. 8 (cf. v. 6). In hebr. et apud LXX et *Chald.* legitur Dimon id quod plerique ut allusio habeatur ad דם *sanguinem* sic censent scriptum, uti iam *S. Hier.* monet: «ne quis scriptoris vitium putet et errorem emendare dum vult faciat,una urbs et per *m* et per *b* literam scribitur ... usque hodie indifferenter et *Dimon* et *Dibon* hoc oppidulum dicitur». Alii tamen propter Ier. 48, 2 hebr. coniectant intelligi Madmen (cf. Is. 25, 10 hebr.), alii Damnaba octo milliariis ex Onomastico septemtrionem versus ab Areopoli distans. Verum cum *S. Hier.* usum nominis duplicis testetur, non erit de alio oppido cogitandum. *Aquae* Dibon de flumine Arnon non adeo dissito accipi poterunt; aquas sanguine rubere hyperbole est ad caedem plurimorum declarandam. Verum hac una poena ultori Deo non est satisfactum; addit enim super Dibon i. e. super poenas ibi iam exactas *additamenta,* alias castigationes, iis scil. qui effugerint, qui sunt reliquiae regionis fertilis et cultae (hebr. אדמה) statuet *leonem* i. e. locutione proverbiali aliud (idque gravius et ferocius?) exitii genus; «est proverbium quod aliis verbis explicat et Moabitis

---

1. Perperam aliqui comparant En Eglaim, Engallim Ez. 47, 10; quem locum ad meridiem maris mortui situm esse volunt (*Kn. Del. Naeg.*); immo *Naeg.* ad *S. Hier.* testimonium provocat; verum *S. Hier.* explicite dicit: « Engallim in principio est maris mortui, ubi Iordanis ingreditur ».

intentat Ieremias dicens : qui fugerit a facie pavoris cadet in foveam, et qui conscenderit a fovea capietur laqueo 48, 44 » *Lap.* sim. *For. Sanct.* Alii tamen bestias feroces iri immissum explicant (*S. Hier. Mald. Malv. Mar.*), uti factum est illi gentium colluviei 4 Reg. 17, 25; alii alteram per Nabuchodonosorem devastationem interpretantur (*Sa, Lap. Men. Tir.*); immo *Del.* leonem ex Iuda Gen. 49, 9 expressum cernit; verum ad eam prophetiam allusionem fieri ex solo nomine leonis certe concludi nequit, neque leo adeo est nomen commune et usitatum pro Iuda, ut ea notio statim legentibus occurrat.

c) Salus a domo David efflagitanda 16, 1-5.

Miseria et ruina quae Moabitis instet descripta vates monet, ubi pro Moabitis quoque auxilium et salus reponatur. In Sione et in throno davidico talem salutem pro omnibus esse conclusam et proinde omnibus auxilii flagitandi causa ad Ierusalem esse confugiendum, facile ex iis consequitur quae propheta iam in antecedentibus docuit; cf. 9, 7; 11, 14; 14, 1. 32; idem colligitur ex norma generali quae pro Israel et pro gentibus iam statuta est, per miseriam et castigationem ad salutem esse perveniendum (cf. 1, 27; 2, 12 seq.); idem conficitur ex 8, 9. 10 : vincimini, quia Emmanuel; nam victoria Emmanuel in eo consistere facile concipitur ut fastu et peccato destructo salus afferatur. Unde quae nunc fit admonitio bene est praeparata et plane consequens ad consilium propheticum. Eam autem ita vestit propheta, ut modo ad historiam anteactam consentaneo efferatur, cf. 2 Reg. 8, 2 : factus est Moab David serviens sub tributo et 4 Reg. 3, 4: solvebat enim Mesa rex Moab regi Israel tamquam vectigal centum millia agnorum et centum millia arietum; ipsi autem Moabitae fuga meridiem versus arrepta iam usque ad civitatem principalem Edomitarum pervenisse censentur. Quae si attenderis, facile fluit textus hebr. 16, 1 : *mittite agnum* (vel quod כַּר proprie significat : *arietem saginatum*) *dominatoris terrae a Sela* (Petra) *desertum versus ad montem filiae Sion* i. e. mittite arietum tributum ad dominatorem terrae, ad montem filiae Sion; ut hac tributi pensione, uti olim se subditos professi sunt regi Israel (4 Reg. 3, 4), iam se dicant subdere sese regi Iuda eiusque opem vectigali soluto implorare. Sela, vel Petra, urbs est Edomitarum (cf. 2 Reg. 14, 7 hebr.) quam Amasias rex expugnatam vastavit; quare postmodum Bosra urbs locum obtinuit praecipuum — unde etiam non defuerunt qui unam urbem nomine Bosrath ha Sela eas constituisse velint — at communiter et recte utraque urbs distinguitur. Via a Sela Ierusalem versus ducit per desertum. Ipsa urbs trium vel quattuor dierum itinere a Ierichunte et trecentis stadiis meridiem versus a mari mortuo distat; cernuntur

ruinae eius prope Wadi Musa medio fere itinere inter summam partem sinus aelanitici et infimam maris mortui loco quam maxime tuto et hostium incursioni impervio (cf. *Winer* s. v. *Riehm* l. c. p. 1454; *Riess,* bibl. Geogr.); unde explicatur, cur fugitivi ibi constitisse censeantur refugium quaesituri. — Ita textum esse accipiendum, inter veteres iam viderunt et agnoverunt *Pagninus, For. Malv. Mar. Osor. Sasb. Vat. Clarius, Houbig.* (eius acceptionis mentionem facit neque tamen approbat *S. Thom.*) et recentiores fere omnes ex quibus nominare sufficiat catholicos : *Reinke, Schegg, Loch, Net. Rohl. Troch. Cornely* (Introd. I p. 427). Eandem acceptionem iam exprimit *Chald.* : deferent tributa uncto Israel, qui potens est super eos in deserto, ad montem coetus Sion.

In *vulg.* legitur v. 1 « *Emitte agnum, Domine, dominatorem terrae de Petra deserti ad montem filiae Sion* »; — *S. Hier.* ipse agnoscit textum hebr. etiam verti posse ita, ut quem dedimus sensus habeatur: notat enim : « hoc quod de hebraeo interpretati sumus *emitte agnum dominatorem terrae* potest ita legi *emitte agnum dominatori terrae* »; ipse vero explicat sensu messianico de agno qui ipse sit dominator terrae vel dominatori terrae immoletur. *Domine* quod in *vulg.* legitur glossa est quae apud *S. Hier.* non invenitur; sed haec glossa multum contulit, ut explicatio de agno messianico apud multos altas ageret radices. Sensum messianicum ita enucleat *S. Hier.* : « o Moab, habeto solatium hoc : egredietur de te agnus immaculatus qui tollat peccata mundi, qui dominetur in orbe terrarum; de petra deserti, hoc est de Ruth quae mariti morte viduata de Booz genuit Obed et de Obed Iesse et de Iesse David et de David Christum ». Ita ille. Verum bene iam advertit *Sasb.* : talem explicandi modum « in ipso mirandum esse, cum in his decem oneribus non ferat commentarios qui absque urgente necessitate a litera discedant »; urget enim saepius in istis de gentibus oraculis seriem historiae esse retinendam; verum in hoc loco cursum modumque consuetum subito relinquens scribit : « quod interpretamur, non est historia, sed prophetia ; omnis autem prophetia aenigmatibus involvitur et praecisis sententiis, dum de alio loquitur transit ad aliud, ne si ordinem Scripturae conservet, non sit vaticinium sed narratio ». Verum explicatio haec adeo mira et a reliquis vaticiniis aliena continet modumque loquendi adeo insolitum postulat, ut admitti nullo pacto possit. Nam plane inauditum est rogari Dominum ut Messiam mittat ex regione Edom ad Ierusalem. Neque quod *S. Hier.* habet, probari potest : Messiam egredi de Moab; petram deserti esse Ruth; quis enim hoc contextu in « petra deserti » Ruth deprehendere potest? Nulla quippe allusione vel ad nomen vel ad rem aliquam gestam facta ostendi potest, quis nexus

adsit inter petram deserti et Ruth. Accedit quod Petra urbs quae h. l. intelligitur, non sit in Moab, sed in Edom sita; quare ne illud quidem remanet simile Ruth esse Moabitidem et petram deserti esse in Moab sitam. Neque iuvat quod alii, ut deserti petram Ruth esse suadeant, ad Is. 51, 1 provocent; ibi enim *attendite ad petram unde excisi estis* statim declaratur membro adiecta : attendite ad Abraham patrem vestrum. Quare etsi concesseris *agnum* esse Messiam, nondum sequitur petram deserti intelligi posse de Ruth. Saepe enim praedicitur Messiam esse oriundum de domo David, eum esse oriundum de Ruth, nunquam dicitur; quomodo ergo in petra deserti Ruth deprehenditur?

Porro adverti oportet esse prorsus insolitum, ut Messias sine ulla praevia declaratione vocetur כַּר ; nomen hoc de Messia neque antea neque postea occurrit, ergo de eo nequit intelligi. Immerito ut hoc argumentum eludant, provocant aliqui ad Is. 53, 7; nam hoc loco non Messias *ovis* dicitur, sed adest *comparatio :* sicut ovis ad occisionem ducetur. Nomina quae Messiae induntur, uti David, Germen, in ipsa vaticiniorum serie sedulo praeparantur, explicantur (cf. quae latius exposui ad Agg. 2, 7), sed ubi כַּר ut tale nomen apparet? Adde ipsum hoc nomen ineptum esse ad Messiam adumbrandum, quia proprie dicit arietem eumque saginatum — et arietem *S. Hier.* vocem transtulit 1 Reg. 15, 9 — et sensu translato machinam designat bellicam, *arietem ferreum,* κριόν, qua moenia urbium expugnandarum concutiebantur.

Verba igitur *vulg.* sensu quem dicunt accommodato de Messia usurpari possunt, et eo sensu adhibentur in liturgia ecclesiastica, in qua quoties solo sensu accommodato verba s. Scripturae proferantur satis superque est notum; quare ex eo usu nihil colligi posse pro *explicatione* constat; de qua re vide *Cornely,* Introd. I p. 547.

Versiones graeca et syriaca in sensu satis differunt; attamen ex iis elucet fere eundem textum hebr. si consonantes solas spectes supponi. Habet graeca : ἀποστελῶ ὡς ἑρπετὰ ἐπὶ τὴν γῆν· μὴ πέτρα ἔρημός ἐστι τὸ ὄρος θυγατρὸς Σιών; prior pars referri debet in hac translatione ut sensus adsit ad 15, 9 scil. et residuum Adama mittam tamquam reptilia super terram (cf. *S. Cyr.*). Quomodo haec versio ex consonantibus textus hebr. orta sit, iam satis bene explicat *Sanct.*; advertit consonantes easdem aliter inter se iunctas alia effecisse vocabula; ita legisse graecum כרמש לארץ pro mas. כר משל ארץ. Primam personam *mittam* etiam effert *Syrus,* qui insuper non כר legit sed parva literae mutatione בר : mittam filium, uti aliqui etiam codd. apud *de Rossi* praebent. *S. Ephr.* ita textum syr. exponit : filius dominatoris terrae redibit et ascendet contra reliquias terrae quae fugerint. — Numerum singularem שלח quam habet *vulg.* etiam praebet talmud babylonicum (cf. *de Rossi*).

Ceterum vix opus erit h. l. monere, editionem *vulg.* non eo sensu esse decla-

ratam authenticam in sessione IV Concilii tridentini, quasi *S. Hier.* ubique in sua versione sensum textus originalis rite esset assecutus; ipse enim *S. Hier.* aliquoties fatetur se dum celeriter verteret esse deceptum; dein distinguere oportet inter versionem ipsam et ipsius explicationem. Quandoque enim textum originalem non tam vertit, quam suam textus originalis acceptionem proponit (cf. ad 11, 10; vide quae notavi ad Hab. 3, 5. 18. Agg. 2, 8). Declaratione Ecclesiae certi reddimur, in versionem *vulg.* nullos irrepsisse errores in rebus fidei et morum, minime autem in locis obscuris ac difficilibus eam solam textus originalis explanationem, quam secutus sit interpres *vulg.*, esse genuinam. De vi et ambitu decreti tridentini vide *Cornely*, Introd. I p. 440-460; praesertim quae p. 455 seq. de limitibus authentiae *vulg.* disseruntur. Ceterum quo sensu locus sit messianicus, in ipsa explicatione et in titulo hisce versibus inscripto iam indicatum est atque etiam clarius cernitur v. 5.

Admonitionem ut gratiam sibi et auxilium concilient regis iudaici fulcit propheta describens [1] miseram Moabitarum conditionem (v. 2) et docens (v. 3. 4), quomodo auxilium et quam instanter efflagitent; v. 2 « *et erit, sicut avis fugiens et pulli de nido volantes, sic erunt filiae Moab in transcensu Arnon* »; — filia apud Hebr. dicitur saepe habitatio i. e. habitatores, incolae; idem hoc loco valet estque magis consentaneum quam explicare de viris qui timore correpti iam mulierum in modum paveant. Comparationibus *avis vagae et nidi disiecti* (hebr.) bene adumbratur pavor, anxietas, destitutio auxilii, desperatio. Scena haec, una ex multis — nam 15, 8 clamorem audiri in omnibus finibus Moab discimus — ad vada fluvii Arnon describitur; ergo media in illa regione quam tum Moabitae occupabant; olim enim Arnon fluvio fines Moabitarum septemtrionem versus concludebantur et ab Amorrhaeis (Num. 21, 13. Deut. 3, 8), postea ab Israelitis (Ios. 12, 1) dividebantur. Cum hostis ingruat a septemtrione, eorum qui adhuc in media terra versantur terror ac perturbatio facile concipitur; insuper quia vult adhortationem suam confirmare propheta, eam seligit conditionem Moabitarum qua maxime eos auxilio indigere repraesentatur. Vel cum Ar-

---

1. Qui explicationem *S. Hier.* in v. 1 sequuntur, simul cum ipso ita nexum construunt, ut v. 1 non rite esse explicatum serie orationis plane interrupta pateat. Audi v. g. *S. Hier.*. « redit ad ordinem quem coeperat : cum posuero, inquit, his qui fugerint de Moab et reliquiis terrae leonem saevissimum, tunc pavidi avolabunt »; ergo sententia v. 1 enuntiata in nexu adstruendo plane omittitur; vel audi *Sanct.* : « ex suavissima agni cogitatione redeo iam ad interruptum vaticinium de interitu Moab »; *Lap.* : « redit propheta post parenthesim, qua breviter aspiravit et avolavit ad Christum, ad inchoatam cladem et captivitatem Moab »; sim. *Gord.* : « post illam in parenthesi interiectam orationem ad Deum de venturo Christo redit Isaias ad cladem Moabitarum »; sim. *Mar. Men.*; sed talis « parenthesis » qua subito « avolat » propheta eo magis cuilibet redditur improbabilis, quo magis seriem et nexum sermonum propheticorum expenderit et iustum ubique ordinem deprehenderit.

non sit praecipuus ditionis moabiticae fluvius, eo nomine prolato generatim designari regionem moabiticam, cum *Rohl.* dicere potueris ; vel cur eius fluvii mentio fiat repete ex 15, 9 : aquae Dibon repletae sunt sanguine.

Quo adhortatio sit magis vivida et efficax, vates statim ipsam precandi formulam Moabitas docet qua adeant filiam Sion (v. 1), simul in membris concisis ac brevibus bene delineans anxietatem, desiderii impetum, animorum commotionem v. 3 « *ini consilium, coge consilium ! pone quasi noctem umbram tuam in meridie ! absconde fugientes et vagos ne prodas !* v. 4 *habitabunt apud te profugi mei ! Moab esto latibulum eorum a facie vastatoris* » ! — hebr. *affer consilium, fac decisionem* i. e. rogant, ut Sion in rerum perturbatione consilio et opere se adiuvet, et anxie flagitant, ne cunctetur, ne detrectet opem, verum celeriter illam praestare constituat. Dein quam magnam opem desiderent, hyperbolice ut animorum commotio fert exprimunt imagine densissimae umbrae qua in aestu calamitatis obtegi ac recreari desiderant ; umbram enim (cf. 30, 2 ; 32, 2) « non utcumque, ut in umbraculis esse solet raptim constructis, sed qualis esse solet nox, quae totius terrae umbra est, tam capax et potens ut neminem excludat, tam densa atque opaca ut nullum solis radium admittat » (*Sanct.*), efflagitant i. e. susceptionem ac defensionem copiosam ac liberalem (*Sasb.*). Petitionem iterato proponunt, uti est instanter flagitantium, positive, negative ; per modum petitionis, tum suspirii vel desiderii (per imperativum, optativum) ; *Moab* v. 4 emphasis gratia praeponitur ; explica : esto pro Moab, esto latibulum. Cum dicitur *profugi mei,* grata varietate atque elegantia regio moabitica tamquam supplex pro suis incolis describitur infelicibus.

Versibus 3 et 4 preces delineari Moabitarum quibus auctore propheta Sionem adeant, certum esse videtur. Ita optimus habetur nexus ; ita etiam censent *Net. Rohl. Troch.* Neque alienum est a more Isaiae et aliorum, ut ipsa verborum formula proposita quomodo sit rogandum doceant ; cf. 8, 19. 20 ; 12, 1 seq. 26, 2 seq. 63, 15 etc. Ier. 3, 22-25. Mich. 7, 9 etc. — At plerique praeeunte *S. Hier.* admoneri hisce volunt Moabitas, ut Iudaeos invasione Assyriorum (mox futura) fugitivos benigne apud se recipiant ; ita enim fore, ut sibi ipsi prosint quia ea benignitate gratiam Dei sibi concilient (cf. *S. Thom. Sanct. Sasb. Mar. Men. Tir. Calm. Drechsl. Naeg.*) ; alii hisce causam exponi volunt, quamobrem Deus Moabitas ita castiget, « quia Iudaeos servos suos cum possent ac deberent non iuverunt, sed afflixerunt ; sicut ergo pater dum filium verberat quod iuraverit, subinde inter ipsa verbera illi repetit : ne iures, ne iures, ita Deus Moabitas caedens commemorat illis imperando poenarum causas » (*Mald.*). Alii in verbis ironiam exprimi volunt ; Moabitas scil. concilium coegisse ac deliberasse, utrum Iudaei profugi excipiendi sint necne ; hos iam irrideri a prophe-

ta, quia regnum Iuda a Deo sub Ezechia sit confirmatum (*For.*). — Verum istis explanationibus varia supponuntur, quae vel gratis finguntur vel seriem orationis interrumpunt neque ipsis verbis facile accommodantur. Cum Assyrii terram palaestinensem invaderent, ipsi Moabitae, ut nostrum oraculum prodit, valde affliguntur; quomodo ergo Iudaeis auxilium praestabunt? Si autem scelera recenserentur Moabitarum olim in Iudaeos commissa, modus in v. 3. 4 conspicuus satis mirus esset ad talem reprehensionem. Neque illa ironia admitti potest, quia de miseriis Iudaeorum in antecedentibus non est sermo, verum de fuga et afflictione Moabitarum. Quare explicatio proposita et se ipsa et nexu apto et refutatione aliarum commendatur.

Admonitionem Moabitis factam vates ulterius urget et commendat et quam recte fiat probat eo quod Deus Sionem miro modo protegit ibique thronum iustitiae stabilem collocat. Ratio est eadem quae iam 14, 32 affertur, qua addita simul elucet non Moabitas se ipsos (v. 1) exhortari (*Kn.*), verum verba esse prophetae quippe qui bene noscat quid salutis in Sion a Deo sit repositum. Adeant ergo Sionem supplices, neve ullo pacto deterreantur eo quod Sion quoque eidem sorti oppressionis et afflictionis cui ceterae nationes subiacent videtur esse obnoxia; nam non est ita; « *finitus est enim pulvis, consummatus est miser, defecit qui conculcabat terram* »; — exclamatio est triumphantis qui docet impetum assyriacum ac tumultum egregie concidisse (cf. 10, 16. 33). Bene exponit *S. Hier.* pulverem « impetum vastatoris » et « depopulator terrae qui eam conculcabat et suis pedibus subiiciebat aura flante disperiet ». Hebr. *nam desinit oppressor, cessat vastatio, absumuntur conculcatores e terra;* ita Assyrii designantur cf. 10 7 : ad conterendum erit cor eius et ad internecionem gentium non paucarum. Insignis ergo illa clades Assyriis divinitus inflicta praeclaro erit gentibus documento et pignori protectionis qua Deus Sionem circumdat et proinde eos quoque qui ibi refugium quaerunt. Et eum fructum revera ex clade illa exstitisse, discimus ex 2 Par. 32, 23 : « multi etiam deferebant hostias et sacrificia Domino in Ierusalem et munera Ezechiae regi Iuda, qui exaltatus est post haec coram cunctis gentibus ».

Cur autem Sion tali protectione Dei cingatur et in ea pro omnibus auxilium reponatur et salus, vates repetit ex vaticiniis iam olim Sioni et domui Davidis datis v. 5 « *et praeparabitur in misericordia solium et sedebit super illud in veritate in tabernaculo David iudicans et quaerens iudicium et velociter reddens quod iustum est* »; — nexus cum antecedentibus est idem qui habetur 8, 10; 9, 6; 11, 1 : oppressio cessat, potestas Deo adversaria deiicitur, quia regnum Dei erit stabiliendum. Idque h. l. eo clarius effertur, quia ipsa illa verba repetuntur, quibus olim promissio Davidi data est de throno aeterno; cf. 2 Reg. 7,

12. 1 Par. 17, 12. Ps. 88, 5. 30. 38. Thronus ille paratur, firmatur, stabilitur (hebr.) *in gratia* (hebr.), quia est gratuita Dei promissio ex sola benignitate et clementia in Davidem facta; חֶסֶד iam declarat indolem regni theocratici et bona in eo conclusa in oppositione ad oppressionem, vastationem, conculcationem, qua potestas Deo inimica describitur. Qui in illo throno sedet, designatur tamquam heres Davidis qui *vere* laudes Davidi datas in se exhibet, qui ergo ut David rex vir sit secundum cor Dei et Dei voluntatem implens et ut talis non cum pompa et fastu agit, sed sedet *in tabernaculo David* i. e. cum mansuetudine, clementia et sine superbia et elatione regnum administrat. Tamquam talis erit iudex omnibus numeris absolutus : ius dicet, lites omnes ex norma iuris et iustitiae dirimit; dein *quaerens* i. e. ubique magno studio id unum spectat, ut ius et iustitia, status ille rectus quem Deus adesse vult, stabiliatur; et demum id quod *vult* etiam *potest* exsequi prompte et efficaciter; unde *festinus,* promptus *in iustitia* (hebr.). Quare dubitari nequit quin vates hic speciem quandam et formam regis davidici delineet, quam demum Messias rex in se exprimet. Id iam suadetur verbis ex 2 Reg. 7, 12 etc. depromptis; id ostenditur eo quod status iudicii ac iustitiae per talem regem revocatur, sicuti in oraculis praecedentibus per Messiam fieri ostensum est; vide 2, 4 ; 4, 3 ; 9, 7 ; 11, 4 seq. ad quae h. l. allusionem fieri certum est. Unde plerique etiam interpretes hic Messiam regem agnoscunt. Ita *S. Hier.* : « nec est ulla dubitatio quin capitulum hoc de Christo vaticinetur »; ita *Euseb. Basil. Procop. Haim. Herv. Sanct. For. Mald. Vat. Sa, Loch, Drechsl. Del. Naeg.* Neque obstat quod admonitio datur eo tempore quo ipse Messias adhuc longissime abest. Sensus enim adhortationis est, ut iam nunc in Sion opem quaerant, quia ibi thronus gratiae Dei stabilitus est. Uti scil. vates in antecedentibus ubique ad altissimas rerum causas penetrans propter Messiam regem iam praesentes calamitates superandas et parvi pendendas esse docet, ita hic quoque plane ad modum propheticum accommodatum est, ut ratio reddatur auxilii efflagitandi sublimissima. Sed dum vates vaticinia domui David data considerat in ultima sua perfectione et absolutione, nullo modo negat unumquemque regem theocraticum et sedere in tabernaculo David et ius ac iustitiam colere debere et exercere. Unde verba haec etiam ita accipi possunt, ut quid vi regni theocratici in Sion adesse debeat describant et ideo innuant ac promittant regem theocraticum qui ea mente res administret.

Quare a vero non plane aberrare censendi sunt qui v. 5 Ezechiam regem designari opinantur (*S. Ephr. Theod. Sasb. Pint. Lap. Men. Tir. Reinke, Net.*), in quo quae h. l. dicuntur aliqua ratione adumbrata cernuntur et laudibus in s. literis ei attributis confirmantur (cf. 4 Reg.

18, 3 ; 20, 3. 2 Par. 29, 2 ; 31, 20). Igitur Ezechias tamquam typus quidam et imago imperfecta veri regis theocratici considerari potest, in quo aliqua ratione verba ista completa sunt ; ita rem concipere videntur qui locum vel de Ezechia vel de Christo accipiendum esse docent (cf. *S. Thom. Mar. Malv.*). Atque revera saepius complectuntur prophetae ea quibus initia quaedam regni Dei et inchoatio constituuntur et absolutam eius regni perfectionem una quadam formula generali (cf. quae notavi ad Os. 11, 11. Soph. 3, 20. Zach. 2, 4 ; 10, 10-12). Sed quocumque demum modo verba acceperis vel unice de Christo vel complexu quodam generali de rege theocratico et Christo summo eius apice, id oraculo nostro modo excellenti in medium profertur, dum omnia corruant et miseriis tabescant, unum eminere Messiam, spem ac solatium et salutis fontem pro omnibus, et ipsas afflictiones ea de causa divinitus immitti, ut via sternatur ad Messiam.

d) Dira in Moab animadversio 16, 6-11.

Sed Moab tale consilium adhuc spernit. Ieremias enim idem recolens vaticinium miseriam iri devolutum in Moabitas praedicit et solum pro novissimis diebus meliorem spem ostendit : « convertam captivitatem Moab in novissimis diebus » (Ier. 48, 47). Illam animorum obfirmationem et superbiam etiam Isaias accusat et inde necesse esse deducit, ut repetitis ictibus Moab concidatur et conteratur. Cum fastu enim et indignatione adhortationem vatis repudiant. Unde v. 6 « *Audivimus superbiam Moab, superbus est valde; superbia eius et arrogantia et indignatio eius plus quam fortitudo eius* » ; — cf. Ier. 48, 14. 27-30. Soph. 2, 8. In hebr. *fastum Moab... fastum eius et arrogantiam eius et furorem eius et futiles iactationes;* Moab superbia valde est elatus, furore agitur et indignatione in Iudaeos ; ex iis vane ac superbe se iactat, magniloquus est, nullo se periculo tangi confidit, nullius ope se indigere summo omnium contemptu iactat. Nota quanta emphasi in hebr. fastus describatur : *fastum audivimus, fastuosus est valde* et duplici adhuc repetitione. Huic adiungunt inimicitias, *excandescentiam* (hebr.) in Iudaeos ; de vocibus גָּאוֹן et גַּאֲוָה cf. 2, 10 ; 4, 2 ; 9, 8; 13, 3. 11. 19; 25, 11. Ex ea animorum dispositione et iis affectibus vaniloquia oriuntur.

Sed sicut eorum insolentia omnem supergreditur mensuram, ita pariter castigatio erit omni exspectatione maior et quae fomenta erant pompae et superbiae, ea omnia misere concident; v. 7 « *idcirco ululabit Moab ad Moab, universus ululabit; his qui laetantur super muros cocti lateris loquimini plagas suas* »! — alternis ululatibus patriae

occasum deplorabunt; alii alios ad ploratum excitabunt (*Osor.*); « populus ad urbem vel metropolis ad provinciam et cuncta ululatibus terra resonabit » *S. Hier.* Ex textu lat. iis qui moenibus suis et arcibus et urbibus opulentis confisi (Ier. 48, 7. 11) superbiebant horum omnium ruina est annuntianda. Interpres « vulgatus nominis interpretationem posuit pro ipso nomine proprio, quod alibi non infrequenter ab ipso factum est » (*Men. Lap. Tir. Malv. Sanct. For.*); hebr. in altero membro vitae commoditatem et luxuriem iis iri ademptum exemplo declaratur : *de libis uvarum Qir chareseth gemetis valde contristati;* liborum ex uvis passis confectorum mentionem fieri ex subseq. facile explicatur, cum de vineis olim florentissimis sermo inferatur. Qir chareseth eandem arcem communiter censent ac Qir Moab (cf. 15, 1), hodie Kerek vel Kerak, quae regio hodiedum adhuc uvarum ferax est.

S. Hier. in sua versione secutus est *Symmachum* : τοῖς εὐφραινομένοις ἐν τῷ τείχει τῷ ὀστρακίνῳ φθέγξασθε. Veteres vocem אֲשִׁישֵׁי varie vertunt. LXX legerunt יוֹשְׁבֵי; vertunt enim τοῖς κατοικοῦσιν. *Sym.* vocem sane derivavit a שׂוּשׂ *laetari; Syrus* praebet : super fundamenta i. e. super ruinas gemetis; forte vocem retulit ad אָשְׁיָה Ier. 50, 15, et eandem significationem repetunt *Sanct. Vat. Clarius* et recentiores ex arabico *Ges. Fürst. Chald.* praebet : super viros; an ergo legit אַנְשֵׁי uti revera legitur in loco parallelo Ier. 48, 31 vel vocem hebr. ita explicavit? *Ros.* explanat *fortes* provocans ad 46, 8. Sed ubicumque haec vox invenitur denotat liba qualia ex uvis passis in certam quandam formam constipatis parare solebant; ita 2 Sam. 6, 19. 1 Chron. 16, 3. Os. 3, 1. Cant. 2, 5 (cf. *Ges.* Thes. 166). Unde recentiores etiam hoc loco certam hanc significationem retinendam esse censent (*Ewald, Kn. Drechsl. Del. Naeg. Net. Rohl. Troch.*), quae propter subsequentia satis etiam h. l. commendatur. Nomen *Qir chareseth* etymologice transtulerunt *Aq. Sym. S. Hier.* neque *Syrus* neque *Chald.* nomen proprium agnoverunt.

Vitae commoda esse ablata (cf. v. 7 hebr.), cum regio olim florentissima misere sit vastata, declaratur v. 8 « *quoniam suburbana Hesebon deserta sunt et vineam Sabama domini gentium exciderunt; flagella eius usque ad Iazer pervenerunt; erraverunt in deserto, propagines eius relictae sunt, transierunt mare* »; — hebr. *nam campi Hesebon elanguerunt;* de urbe cf. Num. 21, 25. Deut. 2, 26. Ios. 12, 2; 13, 17. 26; 21, 39. « Inter Esebon et Sabama vix quingenti passus sunt et per metaphoram vineae omnis provinciae significat vastitatem » (*S. Hier.*). Quo melius pateat qualis sit vineae excisio [1] terraeque vastatio ab inimi-

---

1. Alii hebr. vertunt : *vites Sibmae dominos gentium contuderunt* i. e. vino suo generoso potatores vino generoso assuetos percusserunt, inebriarunt, qua ratione quam excellens fuerit vinum explicari volunt (*Vitringa, Lowth, Eichhorn, Kn. Del. Cheyne, Rohl.*); accipiunt הלם uti Is. 28, 1. Sed coniunctio et interpretatio *vulg.* neglectis accentibus *mas.* omnino retineri potest; sic enim duo priora membra vastitatem enuntiant concinnitate magna; reliquis

cis invecta, vates describit, per quem ambitum vinea Sabama (Sibma) generosas suas propagines et vites nobiles extenderit i. e. quantopere per regionem moabiticam vites generosae cultae fuerint. Septemtrionem versus palmites generosi (cf. hebr.) ascendebant usque ad Iazer « decimo lapide Philadelphiae ad solis occasum trans Iordanem... distat ab Esebon millibus quindecim » (Onom.). Ad orientem versus errabant, extendebantur usque in desertum et meridiem versus adeo propagabantur, ut mare mortuum transirent; *relictae sunt* i. e. ubique relictae, diffusae sunt. « Mare transisse hyperbole erit, aut vere ii palmites ob nobilitatem deferebantur ad alias urbes et ultra mare » (*Mar. Malv.*). Magnam ubertatem et prosperitatem vates describit, ita ut non solum campi et arva laetos attulerint fructus, verum in ipsum desertum vineae dicantur penetrasse, immo mare transiisse. Cum de propagatione septemtrionem et orientem versus iam dictum sit, restat, ut *mare* eam indicet quae meridiem versus vel in regione meridiem inter et occidentem spectante facta sit; ibi autem mare mortuum est, ergo hoc transiisse palmites dicuntur; idque eo melius, quia in litore occidentali eiusdem Engaddi regio vineis celeberrima (Cant. 1, 13) et aliquot millibus passuum occidentem versus distans ab eodem mari Hebron inveniebatur palmitibus insignis (Num. 13, 23). Neque obstat quod Ier. 48, 32 dicatur : « usque ad mare Iazer pervenerunt » nam membro hoc prius illud apud Ier. « propagines tuae transierunt mare » declarari minime constat, quia hae duae enuntiationes satis inter se differunt neque *pervenire ad mare* idem est ac *mare transire;* unde perperam aliqui contendunt *mare* quod nostro loco apud Is. legatur explicari a Ier. mare Iazer.

Pristina conditione florenti et vastitate iamiam ab hostibus ingruente inter se comparata animus prophetae dolore tangitur, cuius significatione quanta sit vastitatis miseria quam visione prophetica aspexerit, magna vi nec minore elegantia proponitur v. 9 « *super hoc plorabo in fletu Iazer vineam Sabama, inebriabo te lacrima mea, Hesebon et Eleale, quoniam super vindemiam tuam et messem tuam vox calcantium irruit* »; — suas vates lacrimas commiscet cum ploratu incolarum Iazer de destructione et ruina illata; fletibus profusissimis calamitates deplorat quibus Hesebon et Eleale (cf. 15, 4) prosternuntur; quam subito et quam inexspectato medias inter vitae voluptates et delicias

---

prior conditio florens describitur. — Alii textum *mas.* iungunt et vertunt : campi Hesebon elanguerunt, vitis Sibmae — domini gentium propagines eius contuderunt; vel per sententiam relativam : cuius palmites domini gentium exciderunt. — Insuper vix apte dicitur in priore acceptione : *palmitibus* inebriari, percuti dominos gentium; id fit vino.

clamores hostiles insonuerint, vates declarat dicens super vindemiam eorum et messem irruisse celeusma, i. e. « non quidem iubilus aut laeta exclamatio calcantium uvas seu vindemias agentium, sed barbaricus hostium clamor in te ruet » (*Malv.*); cf. Ier. 48, 32. Tempore messis i. e. in ipso laetitiae tempore captivitatis tempus adveniet (*S. Hier.*); et super messem, super opes et divitias Moabitarum Deus alios mittet messores ac vindemiatores hostiles, ita ut pro iubilatione vindemiantium et laeta inter se acclamatione eorum qui uvas calcant, pro *hedad* vindemiatorum et torculariorum, clamores audiantur militum cuncta devastantium et conculcantium (cf. *Sanct. Mald. Sa, Mar. Calm.*). Unde Ier. 48, 33 eleganter dicit *hedad* illud non fore *hedad* (hebr.); cf. Ier. 25, 30; 51, 14.

Atque torcularii isti quos Dominus mittet (vel Dominus ipse, uti LXX habent καταπατήσω v. 9) maximo studio et successu suo funguntur munere, ita ut ubi illi calcaverint, iam vastitate et desolatione cuncta iaceant conculcata v. 10 « *et auferetur laetitia et exsultatio de carmelo et in vineis non exsultabit neque iubilabit; vinum in torculari non calcabit qui calcare consueverat; vocem calcantium abstuli* »; — ex carmelo i. e. ex regione fertili ; cf. 10, 18; « idioma Scripturarum est quod semper Carmelum montem opimum ac nemorosum... fertilitati et abundantiae comparat ac per hoc significat omnem laetitiam et fertilitatem de uberrimis quondam urbibus auferendam » (*S. Hier.*). Arva et vineae iacent deserta; « non erunt qui laetitiae vocem iaciant in vindemia, qui gaudio efferantur in maxima vini copia, qui in plenis torcularibus sese ad calcandas uvas mutuis clamoribus exhortentur et exsultent » (*Osor.*). Bene dicitur : *hedad* (*celeusma*) *cessare feci,* ut Dominus rerum omnium administrator qui hostibus utitur tamquam vindictae suae ministris, belli dux et castigationis auctor declaretur. — De tanta rerum conversione et ruina vates non potest non ingemiscere v. 11 « *super hoc venter meus ad Moab quasi cithara sonabit et viscera mea ad murum cocti lateris* »; — hebr. *ad Qir cheres ;* cf. 15, 1 ; 16, 7 ; bene *S. Hier.* : « ne quis putaret planctum prophetae exsultationis indictum per quam inimicos populi Israel gauderet esse captivos, ex affectu et ex intimo cordis dolore et potentissimam quondam urbem subrutam lugere se dicit »; « intima viscera mea tacta dolore et miseratione lugubrem in vestra clade sonum edunt » (*Men.*) ut cithara verberata et pulsata (*Malv.* sim. *Osor. Sanct.*); cf. 15, 5; 16, 9. Quemadmodum v. 9 maximam doloris significationem externis manifestationibus declaravit, ita nunc se intimo quoque affectu tangi eorum miseriis explicite asserit.

e) **Plaga Moab firmiter decreta 16, 12-14.**

Id quod vates visione perceptum exposuit, iam ita fore nova confirmatione asseverat : Moab calamitate ingruente frustra ad idola sua et sanctuaria confugiet; nam uti olim Deus in Aegypto iudicium suum exercuit contra idola Aegypti (Ex. 12, 12), ita in gentium afflictione simul ad oculum demonstrare gestit quam infirma sint atque imbecilla gentium idola. Unde v. 12 «*Et erit, cum apparuerit quod laboravit Moab super excelsis suis, ingredietur ad sancta sua ut obsecret, et non valebit*» ; — hebr. *cum apparuerit, cum laboraverit Moab . . . et ingrediatur ad sancta sua obsecrandi causa* — *nil valebit*, nihil obtinebit i. e. Moabitae ingruente periculo studio ac devotione sanctuaria visitabunt, immo pietatis exercitiis delassabuntur, sese fatigabunt — at frustra; «ultima miseria est nec in his quos semper venerata est, habere subsidium . . . perges ad idola, delubra veneraberis, nec in illis reperies auxilium, quibus vastitas tecum communis adveniet» (*S. Hier.*). *Excelsa* hic quoque intellige sanctuaria idolorum (cf. 15, 2). Hac sententia adiecta firmum Dei declaratur propositum quo statuerit poenas illas a Moabitis repetere. Proinde in hac iteratione indicium habemus et documentum quo cognoscamus oraculum datum non iam a conditione quadam dependere, verum omnino iri impletum (cf. ad Ioel 2, 1. 19. Ion. 3, 10. Hab. 2, 3).

Altera additur confirmatio, qua simul determinatur accurate, *quando* humiliatio illa Moabitis in universum praedicta sua sit captura initia : v. 13 «*hoc verbum quod locutus est Dominus ad Moab ex tunc;* v. 14 *et nunc locutus est Dominus dicens : in tribus annis, quasi anni mercenarii, auferetur gloria Moab super omni populo multo et relinquetur parvus et modicus, nequaquam multus*» ; — oppositione inter hos duos versus aperte declaratur, oraculum antecedens iam olim esse datum, nunc autem repeti eique addi novam hanc temporis determinationem qua humiliatio proxime instans et primus quasi ad oraculum opere implendum gradus designetur. Cum igitur vates ipse oraculum hoc de Moab designet ut antiquitus iam editum, omnino assumendum erit, uti illud cp. 2 de monte Domini a Michaea prolatum usurpavit, ita hoc quoque oraculum ab aliis olim prophetis editum in suum usum convertisse Isaiam. Qua re simul optime explicaveris, cur in hoc vaticinio genus dicendi non semel deprehendatur satis a consueto alienum. Quando autem et per quos annuntiationes hoc oraculo expressae traditae sint, accuratius definiri non potest. Minis istis antiquis nunc confirmationis loco additur instare impletionem opere futuram. Ergo hic quoque vaticinium generale confirmatur speciali addito (cf. 14, 24; 20, 1). Cum

mercenarius definitum tempus exspectet (*Theod.*), anni mercenarii ii sunt, quibus nihil deest neque superest ; mercenario enim certum tempus praestituitur neque patitur sibi aliquid addi, neque conductor quidquam demi patitur (*Malv.* sim. *Pint. Sasb. For. Mald. Mar. Net. Rohl. Troch.*). Eo tempore *gloria* Moab, omnis eius potentia, splendor, pompa *vilescet* (hebr.) cum omni illa copia et multitudine magna vel cum omni illo strepitu quo olim Moabitae intumuerunt; residuum autem quod relinquetur perpaucum erit : reliquiae tenues atque imbecillae (*Osor.*). Ita demum complebitur in Moab quoque : « oculi sublimes hominis humiliati sunt et incurvabitur altitudo virorum » (2, 11).

Ex quo tempore tres anni sint numerandi, nescimus. Haud improbabiliter tamen cum *Net.* dixeris quia oraculum subsequitur mortem Achaz (14, 28), spatium designatum haberi tempore illo quo Salmanasar vel Sargon contra Samariam et Aegyptum, cum cuius rege Osee foedus inierat, bellum movit ; ea temporis conditione facile fieri potuisse ut Moabitae ab Assyriis affligerentur, cum inter ditionem regni israelitici et Arabiam septemtrionalem quam Sargon in suam redegisset potestatem sedes haberent suas. Cum de plurimis eorum temporum eventibus vel admodum pauca vel plane nihil ad nos perlatum sit, mirum non est quod qua ratione hoc oraculum re sit completum per singula ostendi nequeat. Qua autem mente rationalistae in sacros prophetas invehantur, disce h. l. ex assertione aeque impia ac gratuita quam *Kn.* profert : probabiliter vaticinium hoc Isaiae non esse impletum, cum de ea impletione libris historicis nihil prodatur. Quid haec valeat ratio, modo dixi. Tempore ab Isaia assignato *inchoatam* esse Moabitarum humiliationem neque tamen eos plane prostratos, ex eo colliges quia Ieremias denuo vaticinium idem Moabitis annuntiat. Quod in aliis valere videmus etiam in hoc obtinet : norma statuitur generalis, quae ut opere compleatur saepe multis repetitisque casibus et longo temporis intervallo opus est (cf. oraculum de Babel).

Quo sensu dicatur v. 13 hanc prophetiam locutum esse Dominum *ex tunc* controvertitur. Voce מֵאָז *ex tunc* certum temporis spatium non definitur ; potest designare *a saeculo, ab aeternitate* vel generatim *iam olim* (cf. Is. 44, 8 ; 48, 3. 5. 7) vel tempus modo praeteritum *nuperrime* (cf. 2 Sam. 15, 34 hebr.). Sunt qui censeant nihil aliud dici quam ipsi Isaiae iam antea hoc oraculum de Moab esse patefactum (cf. *Rohl. Del. Naeg.*). Sed communiter tamen oracula iam olim data respici contendunt. Ita v. g. *S. Hier.* : « ex quo putas tempore ? videlicet ex eo quo creatus est Moab ; et Dominus ait : Moabitae et Ammonitae non intrabunt in ecclesiam Dei (Deut. 23, 3) ; sive *ex tunc* pro antiquo tempore intelligamus, quod olim divina sententia ista decreta sint » ; similiter etiam *S. Cyr.* mentionem infert prohibitionis mosaicae ; sed ad illam non fieri allusio-

nem satis patet. Alii *ex tunc* referunt ad Am. 2, 1-3; ita *Sanct. Lap. Tir.*; sed cum tam explicite dicatur *hoc verbum quod locutus est*, iure consequi videtur, in prisco illo oraculo similia praedicta esse iisdem fere verbis; at in vaticinio Amos nihil legitur tale, ut idem dici possit oraculum cum nostro. Eadem ratio etiam valet contra eos qui omnia oracula contra Moab in s. literis iam consignata intelligunt Num. 21, 27-30; 24, 17. Am. 2, 1-3. Ps. 59, 10; 82, 7 (*Haevernick, Drechsl.*); nam nemo dixerit oraculum hoc ad illorum imitationem esse expressum, cum ne minima quidem ad illa allusio in hoc vaticinio deprehendatur.

Ut quid rei sit maiore cum probabilitate investigemus, notandum est Isaiam etiam 2, 2 seq. prophetiam iam ab alio editam in suum adhibuisse usum; unde cum hoc loco ipse nobis dicat (quod 2, 2 non dixit) oraculum iam olim esse editum, facile quis sibi persuaserit vaticinium antiquum ab Isaia denuo proponi. Idque eo confirmatur quia haud pauca in eo inveniuntur, quae a modo quo Isaias loqui solet satis recedunt. Id quidem illi ipsi fatentur qui soli Isaiae oraculum adscribunt; et revera carmen adeo lugubre in quo *tanta* vatis commotio, fletus, dolor exprimatur, iam non invenies apud Isaiam; nunquam apud Isaiam deprehendes tot sententias particulis לָכֵן, אַל־כֵּן, כִּי inter se iunctas; accedunt phrases sat multae quae huic vaticinio omnino peculiares sunt (domini gentium, הֵידָד, additamentum, מֵץ oppressor, פְּקֻדָּה opes, facultates, הביא עצה afferre consilium, עשה פלילה decisionem facere, יָרַע, שית צל ponere umbram, ערער זעקה clamorem excitare, clamor contritionis; aliaque quae vide apud *Kn. Del.*). Neque haec ea sunt, ut soli argumento peculiari adscribi queant, quod cum alibi Isaias non pertractaret simile, iam non similia adhibere potuerit. Nam vaticinia de vastationibus et infortuniis non desunt. Ex altera parte complura etiam leguntur, quae omnino ad Isaiae genus dicendi exacta sunt; ita 16, 1-5 esse ad Isaiam referendum, *Ewald* omnino consentit; item vide 16, 6. 10; v. 13. 14 esse omnino Isaiae omnes concedunt. Quae si consideraveris, omnino suaderi videtur, Isaiam olim editum imitatione expressisse ita ut quae illi peculiaria essent aliquo modo retineret; unde vere dici potuit: *hoc est verbum* quod locutus est Dominus *ex tunc*; simul tamen priscum illud ita ad suam prophetiam accommodavit, ut normae illi substaret quam in hac oraculorum serie prosequitur. Neque obiici potest de tali vaticinio alteri prophetae facto nihil aliunde constare. Nam respondeo, etiam de prophetia ab Enoch edita *nobis* nil notum esse nisi ex assertione et verbis Iudae apostoli in sua epistola catholica v. 14; si ergo prophetia ab Enoch edita ad nos transmittitur per Iudam, multo facilius concipi potest, antiquum oraculum ab Isaia nobis esse conservatum. Insuper advertere iuvat etiam apud Iudaeos varia esse certa traditione conservata quae in sacris literis non continentur; ita v. g. quae idem Iudas v. 9 narrat: « cum Michael archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiae, sed dixit: imperet tibi Deus », ita nomina magorum aegyptiacorum qui restiterunt Moysi 2 Tim. 3, 8.

Quis autem fuerit vetus ille propheta, cuius oraculum Isaias in mentem revocaverit, frustra quaeritur. Ex 4 Reg. 14, 25, Ieroboam restituisse terminos

Israel « ab introitu Emath usque ad mare solitudinis iuxta sermonem Domini Dei Israel quem locutus est per servum suum Ionam filium Amathi » *Hitz.* evincere studet oraculum hoc de humiliatione Moab a Iona esse editum; sed quam infirma haec sit coniectura, facile patet; nam utut Ionas in illo vaticinio *aliquam* Moabitarum humiliationem per Ieroboam praedixerit, quis inde inferre potest *talem* ut h. l. legimus esse praedictam, quae tempore Ieroboam nullo modo opere est completa? Dein etiam valde dubitare licet, num Ionas qui Ninivitas ab exitio salvari aegre fert talem animi teneritudinem erga Moabitas exhibuisse et tot de iis fudisse lacrimas censeri merito possit. Nihilominus Ionam habent auctorem *Kn. Maurer, Gust. Baur, Thenius* (apud *Del.*). Ceterum de Iona propheta eodem qui 4 Reg. 14, 25 nominatur et qui Ninivitis praedicare iussus est deque eius moribus vide quae notavi in Comment. in Proph. min. I p. 357. 366. 386 seq.

4. *Oraculum in Damascum et Israel* 17, 1-14.

Arg. — Annuntiatur ruina Damasci talis ut solum damascenum non tam sit hominibus futurum domicilium quam pecoris stabulatio aut ferarum latibulum (*Sanct.*). Simul cum regno foederato Israel ita concidet, ut parvae solum reliquiae remaneant; ea demum castigatione adducentur, ut relicta idololatria Sanctum Israel agnoscant (17, 1-8). Denuo recitatur causa ruinae, Dei scil. oblivio et idololatria ab alienigenis transsumpta, qua fatales illi fructus editi sint (17, 9-11). Quare Israelitae sunt castigandi; verum ipsi huius castigationis exsecutores a Deo egregie erunt deiiciendi et subito prosternendi ; unde ex ipsa punitione spes adest pro populo Dei (17, 12-14). — Hoc vaticinio ea complentur quae iam 7, 8 de Damasco praedicta sunt ; ibi Damascus a spe ditionis suae dilatandae deiiciebatur ; iam ei interitus regni praedicitur. Simul cum Damasco minas intentari regno israelitico foedere antitheocratico in regni iudaici perniciem cum damasceno impie sociato, ex iis quae cp. 7 exponuntur facile fluit. Qualis autem fructus futurum sit ut enascatur ex iudicio inflicto, propheta hoc oraculo eodem modo enuntiat, uti in hac serie fieri solet (cf. 14, 1. 2. 32 ; 16, 5 ; 19, 32 ; 20, 6 etc.) et uti ex norma in vaticiniis praecedentibus statuta consequitur (cf. 1, 27 ; 4, 2 ; 9, 6 etc.).

a) **Ruina regni utriusque 17, 1-8.**

A regione moabitica, quae est ad orientem Iudaeae, sacer vates sermonem transfert in septemtrionem et regno damasceno eiusque foederato regno israelitico ruinam annuntiat v. 1 « *Onus Damasci. Ecce, Damascus desinet esse civitas et erit sicut acervus lapidum in ruina* » ; — cum mox (forte iam v. 2) sermo fiat de regno israelitico, aliqui titulum in dubium vocarunt vel ad compilatorem imperitum qui oraculum

haud bene intellexerit reiecerunt vel casui cuidam attribuerunt, quia Damascus primo loco nominata sit (cf. *Ges. Kn. Drechsl. Naeg.*). Sed titulus suo iure optime constat. Est enim Damascus, uti cp. 7 elucet, pars maior in illa contra regnum iudaicum coalitione ; Syria ibi 7, 2. 5. 7 primo loco nominatur, Syriae auxilium Israel expetebat ut bellum inferret Iudae. Quare propheta dum Syriae interitum annuntiat, etiam Israelis foederati sortes describit. Praeterea sortem Israelis adeo arcte connectens cum Syria et Israelem exhibens cadentem per Syriam et cum Syria, ita ut infortunium uno nomine oneris Damasci repraesentetur, simul indicat regnum israeliticum exuta indole theocratica plene quasi in gentilium ordinem et censum transiisse et cum iis esse annumerandum. Quare titulus non uno nomine bene positus est. *Ecce,* qua voce admirationem vestit vates, rem magni momenti, rem certo futuram esse declarat ad quam ut sedulo mentes advertant exhortatur. Damascus e numero civitatum removebitur (cf. hebr.); qui thronum davidicum subvertere conabantur (7, 6), suam ipsorum civitatem ac regni caput et decus mox cernent misere dirutum et destructum : erit *acervus ruinae,* cumulus ruderum ; ecce, ad quid recidet potestas theocratiae adversaria ? attende paronomasiam מֵעִיר, מְעִי i. e. quasi dicat : ex urbe (meïr) fit acervus (meï).

Ex capite et centro regni ruina serpet in regiones vicinas et in confoederatos ; pro splendore, bellico tumultu, multitudine hominum aderit vastitas et desolatio v. 2 « *derelictae civitates Aroer gregibus erunt et requiescent ibi et non erit qui exterreat* » ; — duo oppida Aroer nomine in regione transiordanica aderant : Aroer in tribu Gad in valle Gad orientem versus a Rabbath Ammon (cf. Ios. 13, 25. 2 Sam. 24, 5), et alterum in dextera Arnon ripa, quod oppidum modo ab Israelitis occupatum (Deut. 2, 36 ; 3, 12 ; 4, 48. Iud. 11, 26), modo Moabitis cedebat (Ier. 48, 19). Cum vates nominet urbes Aroer forte utraque erit intelligenda eo sensu, ut omnem ditionem transiordanicam ab oppido in septemtrione et ab oppido in meridie comprehensam velit vel urbes omnes circa Aroer designet. Attende paronomasiam in עָרֵי עֲרֹעֵר ; Aroer praeterea nomen et omen habet, cum sono suo accedat ad עַרְעָר *nudus* עֲרִירִי *inops* etc. Si utrumque Aroer [1] hic cernimus, certo iam transit sermo ad ditionem israeliticam ; si autem prius Aroer solum intelligimus, fieri posset ditionem damascenam ut vates designaret ; nam eas urbes forte a Syris esse occupatas negari non poterit (cf. *Drechsl.*) ; sed plerique interpretes iam h. l. ditionem tangi israeliticam affirmant. Regiones

---

1. LXX habent pro Aroer εἰς αἰῶνα i. e. עֲדֵי עַד et ita legendum censet *de Lagarde* עֲדֵיהָ.

olim fertiles et ab hominibus cultae, ipsae urbes iam desertae et destructae gregibus cedent qui placide ibi accubabunt, cum in regione deserta nemo sit qui eos exterreat, vel quia in campis vastis nulli sint agri culti, a quibus eos arcere oporteat (*Osor.*). Hac descriptione urbes dirutas, homines in captivitatem abductos esse dicit.

Atque cur Damasco ea instet ruina, in ruinae descriptione delarat v. 3 « *et cessabit adiutorium ab Ephraim et regnum a Damasco et reliquiae Syriae sicut gloria filiorum Israel erunt, dicit Dominus exercituum* » ; — bene rem proponit *S. Hier.* : « quia semper decem tribubus contra Iudam praebebat auxilium, ut Regum et Paralipomenon narrat historia, etiam ipsis vastitatem ab Assyriis appropinquare significat » ; Syria inimicitiis Ephraim contra domum davidicam opem praestitit : ergo vincimini, quia Emmanuel (8, 9. 10); qui viribus iunctis ordinem rerum et regnum a Deo institutum impugnarunt, iidem una quoque ruina cadent, ut sicut pares fuerint in superba contra Deum elatione, ita pares quoque sint et inter se assimilentur in abiectione. Unde multa cum ironia dicitur *reliquiae Syriae sicut gloria ;* qualis haec *gloria* futura sit, vates iam exposuit 7, 8. 9; 8, 7; utriusque regni fastus et pompa maxima cum ignominia concidet. LXX sensum referunt : neque enim tu melior es filiis Israel et gloria eorum. — Alii explicant : munimentum cessabit ab Ephraim i. e. Samaria urbs et arx principalis ruet vel generatim urbes munitae destruentur (cf. *Malv. Sa, Ges. Kn. Drechsl. Del. Naeg. Rohl. Troch.*); in qua acceptione ipsa annuntiatio a Damasco transit in regionem transiordanicam, dein in Samariam et demum Damascum revertitur (cf. *Naeg.*) ; sed idem etiam adest in priore explicatione ; nam eo ipso quod fulcrum et munimentum i. e. Syria recedat ab Ephraim, Ephraim quoque concidere intelligitur. Adde quod hac explanatione optime ratio redditur, cur Damascus ruat, dum in altera de tali nexu et mutua inter se habitudine nihil afferatur ; praeterea perpende, Damascum ex titulo et ex 7, 2. 5 in foedere illo locum occupàre eminentem, qui explicatione hac optime hic quoque, uti exspectari debet, exprimitur. Quare interpretationem iam a *S. Hier. For. Sanct. Mald. Sasb. Pint. Mar.* propositam esse praeferendam censeo; est h. l. nervosior, uberior. — Demum *dicit Dominus exercituum* Dei potentia et voluntate ostensa quasi sigillo effatum munitur; « hoc totum fiet quia Dominus locutus est, cuius verba irrita esse non possunt » (*S. Hier.*).

Quod modo ironice dictum est de gloria Israel, iam accuratius per singula declaratur ut ostendatur omnem potentiam quae sese erigat contra ordinem a Deo institutum suam ipsius moliri perniciem et misere demum esse collapsuram. En quam constanter vates vestigiis semel impressis inhaeret; unde v. 4 « *et erit in die illa, attenuabitur gloria Ia-*

cob et pinguedo carnis eius marcescet » ; — *in die illa* qua scil. Damascus concidet; iterum nexus effertur fatalis ille cui se Israel foedere funesto innodavit; utique « qui adhaeret labili, cadet cum labili »; ad hoc tandem spes in hominibus posita recidet! Gloriae nomine omnia comprehenduntur, quibus regnum floret et auctoritate pollet : incolarum multitudo et prosperitas, apparatus bellicus, splendor et magnificentia urbium, ditionis latitudo atque ubertas etc.; haec omnia parva et exilia reddentur; *pinguedine* designari solet insolentia, arrogantia, fastus superbiaeque tumor, quo quis divina iura et humana spernit et contumaciter in ea invehitur (cf. Ps. 72, 7. Iob 15, 27). Unde ea comparatione ratio quoque ruinae assignatur. Quanta vero tabe futurum sit, ut pinguedo illa evanescat, iam tribus comparationibus illustratur, quibus paucas reliquias salvas fore conditione valde humili constabit : v. 5 « *et erit sicut congregans in messe quod restiterit et brachium eius spicas leget, et erit sicut quaerens spicas in valle Raphaim* »; — hebr. *et erit sicut colligere in messe culmum* i. e. sicut si quis tempore messis colligit segetem in culmis stantem *et brachium eius spicas demetit et erit sicut colligens spicas in valle Raphaim* i. e. Israel maturus est iudicio, ager plenus segete; veniet ergo messor, Assyrius, et bene fungetur munere. Instituitur messis cum alacritate et cum sedulitate magna omnes fruges colliguntur; ita Assyrius prompte et penitus exercet iudicium exercebitque *facile,* sicuti segetes facile falcibus demetuntur sine ullo messorum vel periculo vel labore magno : « ergo sicut messor omnes spicas metit et alio comportat, sic Assyrius omnes Israelitas captos ducet alio » (*Mar.* sim. *For. Malv. Mald. Rohl.*). Imaginem messis de tali iudicio abscissionis et destructionis adhiberi, vide Os. 6, 11. Ioel 3, 13. Vallis Raphaim inter Ierusalem et Bethlehem, cuius pars septemtrionalis contermina erat utrique tribui Beniamin et Iuda (cf. Ios. 15, 8; 18 16. 2 Reg. 23, 13 — *Iosephus,* Ant. 7, 12. 4) magna olim fertilitate celebris fuisse videtur; unde sicut illuc ob segetum abundantiam messores accurrebant (*For.*), ita Assyrii ad spolia *gloriae* Iacob colligenda festinabunt alacres.

In messe praeter abductionem fere omnium paucas quasdam reliquias relinqui ex Israel cernere poteris. Ita textum graecum concipit *S. Cyr.* : « quod et facile et sine sudore victuri essent Samaritanos Assyrii bellantes et ad haec rursus quod non in totum ac prorsus in interitum ruerent, sed futurum esset residuum pusillum, denotavit manifeste nobis hisce verbis sermo propheticus. Nam qui metendi spicas habent peritiam, artificiose demessum frumentum colligunt, semper autem post se stipulam velut inutilem relinquentes totam segetum latitudinem percurrunt » — habent quippe LXX καὶ καταλειφθῇ ἐν αὐτῇ καλάμη. Utique

ea ipsa messis mentione suggeruntur et sequentibus explicite declarantur. A messis imagine non est aliena comparatio venationis vel piscationis, qua hostes omnia spoliare dicuntur; cf. Ier. 16, 16 : « ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus et piscabuntur eos, et post haec mittam eis venatores et venabuntur eos de omni monte et de omni colle et de cavernis petrarum », Hab. 1, 15. Quod Ieremias inserens *post haec* indicat, apte quoque ac facile ex duplici vel triplici comparationis membro h. l. colligitur; fore scil. plures Assyriorum vel generatim hostium incursiones, quibus messis illa abscindatur; unde *Men.* : « rex Assyriorum semel et iterum cladem inferet non solum messem faciens, sed etiam spicilegium paucorum illorum qui superfuerint congregans » ; de iterata irruptione explicant *Osor. Mald.* eaque revera habetur temporibus Theglathphalasar, Salmanasar, Sargon.

Cum קָמָה *culmus*, seges in culmis stans, in *vulg.* translatum sit h. l. *quod restiterit* (alias *seges* quoque cf. Ex. 22, 5. Deut. 16, 9; 23, 26. Iud. 15, 5; culmus Os. 8, 7) alii cum *S. Hier.* iam hunc versum de solis reliquiis paucis accipiunt : « et est sensus : tam pauci remanebunt in Damasco quam solent post messores paucae remanere spicae, quas in valle Raphaim latissima et potentissima solent pauperes legere » (*S. Hier.* sim. *Haim. Herv. S. Thom. Sanct. Pint. Lap. Tir. Calm.*). Sed alia explicatio verbis hebr. magis est consentanea. Singularis est acceptio *Sasb.* : « Damasceni et filii Israel erunt quasi vulgo esse solent qui spicas legunt post terga metentium, hoc est, tam miseri erunt et pauperes ».

Alii textus hebr. primum membrum vertunt : et erit ac si messor spicas colligit (cf. *Del. Rohl. Net.*); explicant קָצִיר *messor* vel supplentes אִישׁ (*Ges.*) vel vocem eadem significatione accipientes qua קֹצֵר. Sed vocem alia notione quam qua semper occurrat accipere minime consultum est. Unde vox in significatione *messis* retinenda est. Alii accipiunt קָמָה tamquam nomen appositum ad *messem* i. e. messem quae in segetibus consistat colligere (LXX, *Kn. Drechsl.*); verum simplicius est ac melius in קָצִיר agnoscere accusativum temporis, uti *S. Hier.* explicavit (ita *Naeg.* — vide *Ewald*, Lehrb. §. 204 b.).

Paucas remansuras esse reliquias iam explicite statuitur comparatione ex agro in vineam et hortum translata v. 6 « *et relinquetur in eo sicut racemus et sicut excussio oleae duarum vel trium olivarum in summitate rami sive quattuor aut quinque in cacuminibus eius fructus eius, dicit Dominus Deus Israel* » ; — hebr. *et relinquentur in eo racemationes, sicut in excussione olivae duae vel tres baccae in summitate cacuminis, quattuor, quinque in ramis eius, arboris frugiferae;* in vindemia unus alterve racemus fugit oculos et attentionem colligentium ; duae vel tres olivae in summo cacumine latitant vel in ramis absconsae fefellerunt sedulitatem decutientium — ita erunt reliquiae Israel paucae,

dispersae, pauperes. Ita concidet *gloria* Israel et ita quoque erunt reliquiae Syriae (cf. v. 3. 4). Notatu dignum est quam crebro prophetae reliquias salvas fore moneant ; hac enim doctrina clare ostendunt et inculcant, liberationem illam et salutem post peccatum concessam, assumptionem in regnum messianicum, non generationi et descensui ab Abraham, verum soli gratiae et benignitati Dei esse adscribendam. Hac monitione toties repetita (cf. Am. 3, 12; 5, 3; 9, 8. Mich. 5, 3. 7 ; 7, 1. Soph. 3, 13. Ier. 4, 27 ; 5, 10 et supra ad 1, 9; 4, 1 ; 6, 13 ; 10, 20. 21) in antecessum condemnant gloriationem illam et fiduciam carnalem: filii Abraham sumus.

Uti Ieremias postquam omnem pompam deiectum iri ac conculcatum ostendit, ruinis illis imponit quasi epitaphium magnificum de hominis vilitate et de maiestate Dei (Ier. 9, 23. 24), ita Isaias ad quem fructum efficiendum humiliatio illa tendat sui propositi tenax declarat v. 7 « *in die illa inclinabitur homo ad Factorem suum et oculi eius ad Sanctum Israel respicient* v. 8 *et non inclinabitur ad altaria quae fecerunt manus eius et quae operati sunt digiti eius non respiciet, lucos et delubra* » ; — cf. 2, 17 ; vexatio ergo dedit intellectum (28, 19) ; illis iudiciis quae Deus diu praedixit se Deum vivum et omnium rerum administratorem declaravit ; animos rebelles afflictionibus contrivit et « oculos fornicantes post idola » (Ez. 9, 6) ; in summa rerum angustia homines afflicti facilius recordantur Dei unici Salvatoris, et si omnia fulcra humana ablata sunt, atque simul potentia et pompa hominum deiecta solus Deus excelsa maiestate triumphator exsistit, felici quadam necessitate fieri concipitur, ut animi hominum rerum humanarum inanitate perspecta ad Dominum convertantur. Duo Dei tituli proponuntur, alter pro integro genere humano valens et quo ultima ratio ipsius nostrae exsistentiae ad eum refertur, specialis alter qui populi electionem atque elevationem, brevi ordinem supernaturalem ultimatim spectat (cf. 6, 3). Hac Dei cognitione *practica* imbuti iam avertuntur a creaturis, ab idolis quorum impotentiam *practice* didicerunt, quorum cultus stultitiam vates breviter sed nervose describit : *et quae operati sunt digiti eius* (non respiciet) *ascherim et simulacra* (solis); illa ad cultum Astartes pertinent, statuae eius, arbores ei sacrae, luci ; haec ad cultum Baal spectant deum solis. Vide quae de *Aschera* latius adnotavi ad Mich. 5, 13 (Comment. in Proph. min. I p 451); de *Baal chamman* vide *Scholz,* Goetzendienst p. 140. 142. 156; appellatio haec satis frequens est in incriptionibus punicis et ea Baal ut Deus solaris declaratur ; חַמָּנִים columnae vel stelae erant in eius honorem erectae arisque appositae *columnae solares* (cf. *Riehm,* Handwoerterb. I p. 127). Idololatria Phoenicum iam diu egerat apud Israelitas radices tam altas quam funestas (cf.

Iud. 2, 13 ; 3, 7 ; 6, 27 ; 10, 6. 1 Reg. 7, 4) neque mirum, quia cum effusis voluptatibus iungebatur. In regno israelitico eam praecipue quoque fovit Iezabel (3 Reg. 16, 31 etc.).

b) **Oblivione Dei inducta est ruina 17, 9-11.**

Iterato inculcat vates ruinam eiusque causam. Regno enim tum satis firmiter consistente (cf. 7, 1. 2) ruinam fore quis tam facile animo conceperit? Unde necesse erat iterum iterumque etiam invitis auribus et animis incredulis nexum illum necessarium ingerere qui adsit inter impietatem et ruinam et prosperitati fallaci qua sese fortasse iactabant et contra reprehensiones prophetae satis se munitos existimabant larvam detrahere. Utrumque hac in parte vates egregie praestat. Incipit a ruinae descriptione simili modo uti v. 4 ; v. 9 « *In die illa erunt civitates fortitudinis eius derelictae, sicut aratra et segetes quae derelictae sunt a facie filiorum Israel, et eris deserta* » ; — i. e. urbes quibus nunc tamquam munimentis firmissimis atque invictis gloriantur ac confidunt (cf. 9, 10 : lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus aedificabimus), erunt derelictae ; eadem ratione iis adimentur, ut olim priscis habitatoribus Chanaan ea quae possederunt adempta sunt, cum filii Israel, divini iudicii exsecutores ac vindices, terram occuparunt. Hac comparatione admonentur, terram sibi a Domino esse concessam eo pacto, ut foedus initum servarent ; quo violato se iam eodem ordine esse quo fuerint prisci incolae, qui propter scelera abominanda eiecti fuerint et deleti. Sicut ergo divina potentia sese manifestaverit in illorum exstirpatione, ita Deum, cum similibus sceleribus terram polluerint, denuo simile vastationis iudicium in illorum criminum socios ac participes iamiam parare. Qua comparatione qui olim fuerint peccatorum vindices et ultores Dei nomine, iam ad Chananaeorum quos exstirpaverint conditionem et censum delapsos esse acerba reprehensione effertur ; insuper Israelitarum cladem fore ignominiosiorem ; Chananaei enim devicti sunt a populo electo ; populus vero electus devincetur ab idololatris qui ultione peracta a Deo ut virga iam inutilis confringentur (cf. 10, 5). Uti Amorrhaei etc. fugerint pavore perterriti, ita Israelitas in omnem partem coram Assyriis esse fuga dilapsuros.

Sensum esse, terram israeliticam fore desertam sicut olim terra Chanaan a suis incolis deserta fuerit, non solum plerique interpretes lat. explicant (cf. *S. Hier. Thom. Pint. Osor. Sanct. Sasb. Mald. Mar. Lap. Men.*), sed etiam qui textum hebr. sequuntur v. g. *Drechsl. Kn. Del. Naeg. Net. Rohl.*; hunc plerique vertunt : *sicut loca deserta* (ruinae) *in silva et in cacumine* (montium) i. e. arces et urbes Israelitarum fore ruinas, sicut arces et castella Chananaeorum, quorum rudera et ruinae adhuc cernantur in silvis et in vertice montium ; חֹרֶשׁ accipiunt uti 1 Sam. 23, 15 חֹרְשָׁה

silva et 2 Chron. 27, 4 בְּחֳרָשִׁים *in saltibus*; אָמִיר quae vox hic et v. 6 occurrit, hic explicant de cacumine montium. Alii interpretantur verba *sicut relictum silvae et rami* de iis quae relinquere solent qui arbores in silvis caedunt vel fructus colligunt et quae reliquiae pauperibus ex filiis Israel cedunt, uti praescribitur de messe Lev. 19, 9. 10. Deut. 24, 19 seq. et uti fecit Ruth (2, 2 seq.); ita *Mald. Malv. Ges. Ros. Troch.*, vel etiam integram sententiam de fructibus immaturis in virgulto et ramis relictis intelligunt. Voces alii melius interpretantur ut nomina propria; ita LXX ὃν τρόπον ἐγκατέλειπον οἱ Ἀμοῤῥαῖοι καὶ οἱ Εὐαῖοι [1]; videntur אמיר de Amorrhaeis intellexisse (אֱמֹר mons? ergo montani?) et חרש de Evaeis (Hevaeis) explicasse (ob Iud. 1, 35? *Ros.*); nomina propria etiam *Syrus* deprehendit. De varia veterum acceptione refert *S. Hier.* esse interpretatum Aquilam *testam et Emir*, Symmachum *silvam et Amir*, Theodotionem verba posuisse hebr. *ars et emir* « quod apud eos emendatius legitur *hores et amir* id est *vomeres et acervi segetum* »; ob oculos ergo habuit *S. Hier.* verbum חָרַשׁ aravit; אָמִיר v. 6 transtulit *ramum;* hic vocem explicasse videtur ac si scriberetur עָמִיר manipulus. — Explicatio textus hebr. communior apud recentiores de ruinis in saltibus et montium verticibus relictis satis consentanea est; reiici vero debet illa de paucis reliquiis quae caesis arboribus etc. remaneant; nam praeter alia huic non potest aptari id quod additur *a facie filiorum Israel.*

Qua vero via ingredientes talem sibi ruinam ac poenam machinentur ipsi, vates intrepide docet v. 10 « *quia oblita es Dei salvatoris tui et fortis adiutoris tui non es recordata, propterea plantabis plantationem fidelem et germen alienum seminabis* »; — hebr. *ideo plantas plantationes amoenas et vitibus peregrinis conseris eas;* uti *S. Hier.* adnotat ad *plantationem fidelem* esse hoc pressius et per ironiam legendum, idem valet de *plantationibus amoenis* in textu hebr. saltem si quid demum mali istis populo sit inferendum consideraveris. Dicit ergo vates: Dei qui vere salutem praestat et forti adiutorio suos et vult et potest protegere obliti sunt; et ideo quia tamen animi hominum numine quodam indigent, deflexerunt ad cultus peregrinos; hos tamquam germen et semen peregrinum intulerunt in plantationem et vineam Domini; cultus peregrini genera, quae voluptatibus plena erant, censebant plantationes iucundas, deliciis plenas, vel (ex textu lat.) stabiles, permanentes [2], securitatem praebentes. Comparatione hac male feriata illa sedulitas mores gentilium imitandi et iniuria indicatur, quam Deo foederis, fonti omnium bonorum, pacto turpiter violato intulerunt.

---

1. Cui interpretationi calculum quoque adiicit *de Lagarde* (Semitica I p. 31), scribens החוי והאמרי; cum in prisca scribendi ratione magna adsit similitudo inter רש et וי.

2. LXX praebent φύτευμα ἄπιστον; inde etiam in codd. *vulg.* saepius invenitur lectio *infidelem;* utramque praebet et explicat *S. Thom.*; meliorem *infidelem* censet *Mald.* sed cum in comment. *S. Hier.* solum prior inveniatur, eam recte retinuerunt correctores romani quorum erat versionem non novam condere sed priscam pristinae suae puritati restituere, qualis e manu interpretis olim prodiisset; de qua re vide *Cornely,* Introd. I p. 463. — Ceterum *de Lagarde* (l. c. p. 32) in נעמן Adonidem deprehendi posse arbitratur.

Verum omnis plantatio quam non plantavit Deus eradicabitur. Brevi luxurie quadam fallaci et mendaci florebit, at nihil demum afferet nisi dolorem et ruinam; v. 11 « *in die plantationis tuae labrusca et mane semen tuum florebit; ablata est messis in die hereditatis, et dolebit graviter* »; — i. e. id quod plantabas non erat vitis vera et generosa, sed « revera amari plantam fructus et labruscam plantasti » (*Sanct.*); crevit quidem haec plantatio et specie tenus statim florebat; sed cum tempus adesset percipiendi fructus, non modo non aderat messis ulla, verum dolor et aegritudo gravis. Imitatio illa cultus peregrini morumque aliorum utique attulit, quibus sensus oblectarentur et pascerentur voluptates; insuper foedus antitheocraticum cum Syris non caruit commodis; at quam cito transiit prosperitas haec et illa voluptas! Quando plena exspectabatur perceptio commodorum, Deus subita ruina omnia abstulit et miserrima calamitate populum infidelem prostravit. Ita satis bene fluit textus lat. neque multum abest a textu hebr. *in die plantationis tuae sepiebas* (vineam) *et mane satum tuum fecisti efflorescere — acervus messis in die calamitatis et doloris acerbissimi* i. e. cum sedulitate et cura cultum moresque extraneos fovebant et revera per aliquod tempus prosperitas inde in populum redundare videbatur; verum egregie decepti sunt; tandem aliquando nihil aliud inde metebant nisi cumulum malorum et dolorum. Messis fit mentio qua et nexus inter culpam et poenam optime declaratur et deceptio illa dolore plena, quia eo momento quo optima quaeque abundantissime se percipere sperabant, pessima quaeque et acerbissima experti sunt. *Mane* explicabis: proximo tempore atque celeriter post sementem factam (*Sanct.*), vel statim regno israelitico exorto etiam idololatria radices egit et funeste floruit.

De cultu idololatrico recentiores versum hunc exponunt et quod ei coniunctum est de amicitia et foedere cum extraneis. Ita *Calm.* : « Israelitae qua tenebantur numinum superstitione et extraneorum amore letiferi fructus arborem sibi serebant »; sim. *Osor. Loch, Net. Rohl. Troch. Del. Naeg.* etc. Interpretes lat. autem communiter duce *S. Hier.* hunc versum et praecedentem de messe intelligunt, quae non ab Israelitis, sed ab hostibus colligatur, ita ut Israelitae frustra in agris colendis operam posuerint. At haec interpretatio iure merito est relicta. Nam « germen alienum seminare » non est ita serere, ut alieni demum fruges metant; dein quomodo ad hanc explicationem commode fluat primum membrum v. 11, non facile videtur; praeterea post accusationem v. 10 enuntiatam sola amissio messis non est poena adaequata neque aegritudo gravis et dolor v. 11 satis congruit cum tali iactura. Demum postquam v. 9 desolatio ac vastitas tanta praedicta est, amissio messis esset anticlimax h. l. intolerabilis.

De interpretatione *S. Hier.* hoc fert iudicium *For.* : « fateor me non intelligere, quare *labruscam* dixerit *vulg.* Forte ita eum docuerunt illius temporis

Iudaei, a quibus se doctum hoc loco Hieronymus ipse fatetur ». Versio alterius membri facile explicatur ; est enim נָדַד, נוּד *fugere*, נַחֲלָה *possessio, hereditas;* unde verti quoque potest : *fugit messis* (cf. *Drechsl. Kn.*) ; communius autem retinent נֵד ea notione qua reliquis quinque locis (Ex. 15, 8. Ios. 3, 13. 16. Ps. 33, 7 ; 78, 13) indubie pollet : *cumulus, acervus messis* (cf. *Net. Rohl.*) ; pariter *possessionem* retinent etiam aliqui (cf. *Drechsl.*), dum frequentiores legunt vel explicant נַחְלָה morbum, aegritudinem, perniciem (cf. *Net. Rohl. Del. Naeg.*). Interpretationem textus hebr. quam supra dedi iam proponunt *Vat. Malv. Mald. Mar.* Pro נֵד *Syrus* legit נִיד.

c) **Clades Assyriorum 17, 12-14.**

Damascus et Israel cadent et punientur per Assyrios, uti iam cp. 7 et 8 clare praedictum est. Assur est enim virga furoris Domini; verum uti vates 10, 5 ipsos exsecutores vindictae divinae allocutus est *vae Assur,* iisque postquam munere suo functi fuerint, interitum instare praedixit (10, 12. 18. 27. 33), ita hoc quoque loco castigatione Israelitis denuntiata statim transit ad perniciem annuntiandam ipsis castigatoribus triumphantis in modum. Hac ratione populum Dei non posse interire, verum calamitatibus et afflictionibus solum purgari clare illustratur. Ingreditur vates in medias res prius insigni adumbratione nobis exhibens quanta cum fortitudine et copia, quanto tumultu et strepitu hostes quasi invicti sint irrupturi; v. 12 « *Vae multitudini populorum multorum, ut multitudo maris sonantis, et tumultus turbarum sicut sonitus aquarum multarum* » ; — hebr. *vae, tumultus populorum multorum, sicut tumultus marium tumultuantur; strepitus nationum, sicut strepitus aquarum magnarum perstrepunt;* aeque nervose atque eleganter multitudinem et impetum hostium describit et potentiam talem, cui nemo obsistere possit; cf. 5, 30; apte comparatio adhibetur ad exercitum Assyriorum multis constantem nationibus describendum.

Iterato omnem eius terrorem, pompam, magnificentiam comparatione effert, quo magis potentia Dei nutu eos deiicientis ipsa oppositione illustretur v. 13 « *sonabunt populi sicut sonitus aquarum inundantium — et increpabit eum et fugiet procul et rapietur sicut pulvis montium a facie venti et sicut turbo coram tempestate* » ; — antea fremitus ingens sicut fremitus fluctuum maris turbulentissima tempestate iactati, antea incursus et impetus sicuti vehementissimae aquarum inundationis qua omnia abripiuntur, operiuntur — at una Dei increpatio — et tanta molis cum trepidatione subito procul fugit et rapitur, dispellitur *ut gluma montium a facie venti et sicut stipula a turbine* (hebr.) : quid imbecillius quam gluma et stipula? quanta facilitate pulvis vel gluma in montibus ventorum impetui quam maxime expositis rapitur, propel-

litur! En quae ingentia sunt hominibus iam nihil reputantur coram Deo! Optime vates comparationibus illustrat quam *inanes* sint et vacui et impotentes maximi hominum conatus, ingentes virium eorum ostentationes, horrendae eorum minae sine Dei ope ac voluntate — cf. Ex. 15, 9 : « dixit inimicus : persequar et comprehendam ; dividam spolia, implebitur anima mea ; evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea — flavit spiritus tuus et operuit eos mare; submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus ».

Quam subita rerum conversione potentia hostilis sit prosternenda et qua lege constanti id fiat, praeclare explicatur v. 14 « *in tempore vespere, et ecce turbatio; in matutino, et non subsistet; haec est pars eorum qui vastaverunt nos et sors diripientium nos* » ; — modus loquendi proverbialis (Ps. 29, 6; 89, 6. Soph. 3, 3. Is. 38, 12) ad celeritatem designandam (*For. Lap. Men. Tir. Sanct.*) ipsa impletione verbotenus expressus est; vide Is. 37, 36. Talis autem strages hostibus inferetur ex lege Dei constanti; unde beneficium illud particulare optime refertur et digne computatur ad universam illam Dei gratiam et benignitatem qua populum semel electum aeterno foedere conservat et erigit. Hac etiam strage innotescet *quia Emmanuel* 8, 9. 10; 9, 6 et 14, 32 *quia Dominus fundavit Sion*. Atque hac formula generali eo melius hoc oraculum concluditur, quia revera in eo complures hostes Sion (et Sionitae demum ut populi Dei pars praecipua loquuntur) potentia deiici describitur; nam, uti *S. Thom.* oraculum hoc complectitur, in eo habetur destructio Syrorum auxilium promittentium, Israelitarum auxilio confidentium, Assyriorum utrosque destruentium; sed uti olim arca ferebatur super aquas terrae superficiem operientes et omnia sepelientes, ita super casum et ruinam gentium inimicarum una elevatur et consistit theocratia; quare qui ad eam pertinent, inconcussa fiducia dicunt omnibus agressoribus eodem exemplo :*haec est sors diripientium nos*.

Cladem Assyriorum hisce versibus describi, ex verbis ipsis satis colligitur, praesertim si perpenditur, quomodo de impetu Assyriorum vates loquatur 5, 29; 8, 7 et de clade eorum 29, 5; 31, 8. 9; 33, 3 et si ad ipsam impletionem attendimus. Hanc quoque stragem h. l. in contextum optime convenire, supra iam ostensum est et facile nexus iam ex 10, 5 seq. perspicitur. Insuper, uti videbimus, oraculum subsequens de Aethiopia ex hac clade descripta omnino pendet. Ergo huic descriptioni optimus et maxime consentaneus locus hic assignatur. Quare frustra decerpere volunt aliqui critici (*Eichhorn, Umbreit, Lowth, Meier, Cheyne*) hanc partem a praecedente et tamquam carmen singulare pro se nulli alteri connexum explicare. Neque solum cohaeret cum cp. 18 non autem cum 17, 1-11, uti volunt *Vitringa, Ges. Ros. Maurer, Ewald, Kn.*; sed necessario absolvit oraculum de Damasco et Israel et praeparat subsequens.

Referri autem versus hos ad Assyrios plerique interpretum veterum et recentiorum agnoscunt; ita *S. Ephr. Hier. Cyr. Haim. Procop. Thom. Osor. Sasb. Pint. Mald. Sa, Mar. Malv. Vat. Loch, Rohl. Troch. Del. Naeg.* etc. Idque recte. Nam de Syris et Israelitis, uti volunt *For. Sanct. Lap. Tir. Calm. Hitz.* sermo esse non potest; ii enim tamquam populi multi etc. non designari possunt eo modo, ut fit v. 12. 13; neque clades eorum ullo pacto tam subito accidit, uti v. 14 exhibetur, neque ita dispersi sunt et fugerunt in regionem suam, ut v. 13 indicatur; quae omnia praeclare adsunt in clade Assyriorum.

Si autem quaesieris, quomodo ea quae ab initio oraculi de vastatione Damasci dicta sunt opere sint expleta, referre iuvat quae in inscriptione a Theglathphalasar narrantur, qui expeditione bellica per duos annos bellum intulisse se dicit regno damasceno eo quidem effectu, ut maximam populi multitudinem trucidaret, urbem damascenam et palatium regium expugnaret et quingentas (et 18?) urbes ditionis damascenae devastaret (cf. *Vigouroux,* la Bible et les découvertes mod. 3. éd. IV p. 111; *Schrader* l. c. ad 2 Reg. 16, 9).

Regionem autem israeliticam partim ab eodem Theglathphalasar esse vastatam, incolas abductos, partim a regibus Assyriorum eius succesoribus, s. literae clare tradunt; cf. 4 Reg. 15, 29; 17, 6. 1 Par. 5, 26.

5. *Oraculum in Aethiopiam* 18, 1-7.

Arg. — Tempore expeditionis Assyriorum Aethiopes quoque (cum Assyrii etiam regibus Aegypti et Aethiopiae bellum inferre molirentur) quaquaversus legatos mittunt, ut omnes ad arma convocent. Hos nuntios propheta alloquitur, monet, ut Aethiopibus, populo terribili et feroci, id nuntient, ad quod omnes habitatores orbis signo bellico dato attendant oportet (18, 1-3) scil. Deum ipsum qui per aliquod tempus quasi iners atque otiosus conatus ac progressum Assyriorum spectaverit, Assyrios *subito* esse prostraturum clade ingenti. Quo facto etiam gens aethiopica Dei maiestatem in Sion residentis agnoscet (18, 4-7).

Hoc oraculum ad antecedentia arcte adnectitur. Uti enim 17, 14 cladem Assyriorum fore ad Dei glorificationem ostenditur, ita iam eadem maiestatem ac sublimitatem Dei in terras longinquas annuntiari describitur; proinde fructus qui eousque pro populo Dei praedictus est etiam fore ut gentibus contingat vates manifestat. Sic nova ratione declaratur illud *vincimini quia Emmanuel* et ubi sit pro gentibus salus, praeclaro modo docetur, dum iterato proponitur id quod 14, 32 dictum est: «et quid respondebitur nuntiis gentis? quia Dominus fundavit Sion et in ipso sperabunt pauperes populi eius».

a) **Classicum Domini 18, 1-3.**

Vates nos rapit in medias res. Aethiopes bellico rumore de magna

Assyriorum expeditione terrefactos nuntiis quaquaversus emissis socios et auxilia belli contra eos subeundi sibi comparare non tam describit vates quam ipsa dicendi forma depingit. Cum enim Aethiopes talia agentes menti eius obversentur, exclamat v. 1 « *Vae terrae cymbalo alarum, quae est trans flumina Aethiopiae,* v. 2 *qui mittit in mare legatos et in vasis papyri super aquas* » ; — *vae* ei dicitur genti, quae terrore bellico hoste appropinquante est perturbata et quae ad avertendum belli periculum vel ad hostes devincendos auxilii petendi causa legatos emittit; sic enim per *vae* conditio eius afflicta designatur. Hebr. הוֹי uti est dolentis ac minitantis plerumque, ita quandoque etiam acclamantis et adhortantis vel attentionem provocantis (cf. Is. 55, 1. Zach. 2, 10 hebr.). Hoc loco ex iis ipsis declaratur quae menti vatis oblata sunt et quae nos ex subsequentibus colligere debemus. Vocatur terra *cymbalum alarum,* hebr. *terra stridoris* (tinnitus) *alarum,* eodem sensu quo 7, 18 terram et copias Aegyptiorum *muscam* vocaverat, nunc Aethiopiam vocat terram stridoris alarum ; terra enim ipsa insectis diversissimi generis abundat variique coloris et eorum sonitu ac stridoribus repletur; in iis autem animalculis eorumque tinnitu simul habetur symbolica quaedam delineatio Aethiopum, multitudinis innumerabilis, strepitus ac tumultus bellici. Apta ergo h. l. designatio gentis perturbatione bellica concitatae, tumultuantis, varias tribus turmatim ad arma convocantis habetur. Si terra dicitur *trans flumina Aethiopiae,* quam longe lateque perturbatio illa ac sedulitas pateat exprimitur, ita ut regiones illae ultra varias partes Nili et ultra fluvios qui in Nilum devolvuntur, meridiem versus usque in terrae tractus incognitos extensae intelligantur. Flumina Kusch (hebr.) nominantur Nilus qui dicitur albus, ille qui caeruleus appellatur, Atbara, Sobat, Bahr-el-Ghasal etc. (cf. *Naeg. Del.*). Alii speciatim explicant regiones prope Kusch, quae fluviis aethiopicis quoque alluantur i. e. Sabam vel Meroen ; ita iam *Malv.* singulariter Meroen intelligi ait, de qua Strabo (17, 821. 786) : austrum versus fluminum concursu Astaborae, Astapodis et Astasobae ambitur i. e. fluminum quae hodie Atbara (Tacazze), Asrak, Abiad appellantur (cf. *Kn.*).

Quam maxime diversae sunt sententiae, quomodo terra צִלְצַל כְּנָפָיִם accipi et explicari debeat. Eam interpretationem praetuli quae et verbis ipsis nullam inferat vim et ratione habita loci ac descriptionis similis 7, 18 prorsus ad rem consentanea videatur. Concipitur ergo צלצל a צלל *tinnire* tamquam nomen sonum ac tinnitum imitans ex qua notione primaria reliquae facile fluunt ; ita Deut. 28, 42 nomen est bestiolae alis stridentis, cicadae, grylli striduli, quam bestiolam [1] etiam hic aliqui vident (cf. *Drechsl.*), vel generatim scarabaei (*Schroering*) ;

---

1. Monet *Del.* in lingua Gallarum *tzaltzalja* nomen esse muscae illius quae apud Bet-

quae explicatio non multum differt ab ea quae supra proposita est. Alias צלצל etiam *instrumentum* dicit *tinniens*; cf. Iob 40, 31 de iaculo vel hasta piscatorum, 2 Sam. 6, 5. Ps. 150, 5 de *cymbalis,* unde versio *S. Hier.* intelligitur, qua ad volatum sonitumque avium alludere voluit; « velox quippe et concitus avium volatus reddit cymbali sonitum », ut ait *S. Hier.* De strepitu alarum verba accipiunt sensu explicato *Net. Rohl. Del. Naeg.*; alii *alas* explicant de exercitu, terram esse repletam copiis arma cum strepitu concutientibus (*Tir. Ges. Ros. Hitz. Maurer*); at כָּנָף nullibi de alis exercitus adhibetur; ergo audacius est vocem simpliciter sine ullo additamento positam ita accipere; etiam audacior est explicatio de strepitu fluviorum quasi alae dicerentur flumina (*Umbreit*). Simili modo iam *S. Thom.* explicat cymbalum alarum dici Aegyptum propter sonitum Nili vel cataractas Nili quae assiduum quasi strepitum longe sonantem efficiant (et apud *Est. Lap.*). Idque ex recentioribus *Schegg* adoptavit, alas explicans rivos Nili et cataractas, quarum undis Aethiopia quasi cymbalum percutiatur. Verum quod 8, 8 fluvii mentione facta de alis sermo fit, nondum efficitur alas simpliciter positas fluviorum alas vel cataractas intelligi. LXX interpretantur de navibus alatis i. e. velocibus, sicut *Chald.* quoque, quo sensu complures etiam versionem *vulg.* acceperunt: terra navibus abundans, navis enim, aiunt, passis velis similis prope est cymbalo (*Mald. Sa, Mar. Malv. For. Men. Gord.*). Alii strepitum alarum quem edant muscae etc. agnoscunt etiam in cymbalo alarum, sed explicant de inani ostentatione et gloriatione quae de armis copiisque fiat (cf. *Sanct. Lap. Est. Men.*). Alii in alis symbolum cernunt protectionis, quam Aethiopes aliis falso promiserint (*Sasb.*). Ad quam interpretationem alii devenerunt צלצל explicantes quasi צל umbram (*Syrus*) vel *bis umbram.* Ita vertit teste *S. Hier.* Aquila; duplicem umbram iam aliqui exponunt de terra ab utroque latere obumbrata, idque vel quia ab occidentali et orientali plaga montibus concludatur (*Grotius, Vitringa*) vel quia ea in regione secundum anni tempus rerum umbra modo septemtrionem versus, modo meridiem versus spectet, unde incolae ἀμφίσκιοι apud veteres (*Strabo,* 2, 133) audiebant (*Eichhorn, Kn.*). Quam umbram alii symbolice interpretantes idem ex umbra conficiunt quod alii ex alis elicuerunt; similiter iam apud *S. Hier.*: « vae terrae quae in umbra alarum suarum pollicetur auxilium ». — Demum afferre iuvat explicationem quam aliqui rerum aegyptiacarum periti non spernunt, dici terram disci solaris alati (terre du disque ailé), de qua expositione ab *Ungarelli* primum proposita et a *de Rougé* et *Lenormant* laudata vide quae dicuntur in Revue archéol. Oct. 1871 p. 218.

En quot explicationes propositae sunt. Plures si desideres, veterum interpretum volumina evolve. Has recensuisse sufficiat. Addam ex *S. Hier.* Symmachum interpretatum esse *sonitum,* Theodotionem *aves.*

---

schuanos *tsetse* vocatur et quae in Africa interiore iumentis adeo exsistit funesta, et hanc h. l. intelligi aliqui censent; cf. Ausland 1868 p. 192; *Del.;* censent quoque addi *alarum,* ut musca designetur quasi *iaculum bis alatum.*

Aethiopum regionem bellico terrore esse agitatam ex eo quoque patet quia *mittit per mare nuntios et per vasa* (navigia) *papyracea super faciem aquarum* (hebr.) i. e. fluminibus istis celeri cursu feruntur navigia nuntiorum qui omnes tribus ad arma capessenda invitant; *mare* quandoque appellatur flumen magnum (cf. 19, 5; vide quae notavi ad Nah. 3, 8). Naves in Nilo ex papyro et scirpo et arundine fieri veteres adnotarunt, uti Strabo, Plinius, Solinus, Lucanus, quorum testimonia iam referunt *Malv. Sanct. Calm.* et ex recentioribus *Ges. Winer* (s. v. Schiff) *Del.* Ad rem notat *Malv.* eiusmodi naves leviores fuisse et adversis fluctibus scopulisque quibus Nilus abundat cessisse, at non dissiluisse aut fractas esse tam facile quam lignum ; ob levitatem facile quoque terra portabantur, utpote quae erant plicatiles, ubi cataractae cursum impediebant. Cum Sennacherib adversus Lobnam proeliaretur, nuntius affertur : egressus est Tharaca rex Aethiopiae, ut pugnet contra te (Is. 37, 9. 4 Reg. 19, 9) ; unde patet, cur nuntios de quibus h. l. vates dicit, ad arma gentes convocare censendum sit ; a qua re non est alienum si putaveris etiam intelligi legatos qui ad Iudaeos mittantur aliasque nationes palaestinenses, ut magnam quandam belli societatem contra Assyrios efficerent.

Hisce autem legatis alium nuntium perferendum committit vates. Iubet enim eos ire et ad quos missi sunt et ad eos qui miserunt i. e. ad omnem nationem Aethiopum longe lateque extentam et potentia eximiam et celebrem antiquitate iisque annuntiare classicum Domini, non ut sese parent ad bellum, verum ut Dei magnalium sint testes. Cernit igitur vates legatos fluviis aethiopicis velociter vectos ; monet ut itinera sua peragant ; « *ite angeli veloces ad gentem convulsam et dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius, ad gentem exspectantem et conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius* » ; — textu lat. natio Aethiopum variaeque gentis tribus perturbatione et terrore describuntur correptae propter imminentem expeditionem Assyriorum ; ita intellige *convulsam* et *dilaceratam* i. e. calamitate vexatam ; hoc commode referes ad eas tribus quae invasioni proxime patent ; dein natio ostenditur armis potens et terrorem aliis inferens (id quod Aegyptii saepius experti sunt et quam maxime quoque tempore Tharacae) ; iste terror eo quoque augetur, quia natio Aethiopum innumerabiles turbas longissimos terrae tractus incolentes ita complectatur, ut *post* eum populum, pone regiones eius iam non aliae exsistere videantur gentes, sed ut illae omnem terram usque ad limites orbis occupare dici possint. Aliae tribus vel timida rerum futurarum exspectatione tenentur vel iam una alterave clade inflicta prostratae sunt. Atque revera in inscriptionibus cuneiformibus narratur pugna ad Al-

taqu (Elthece ; cf. Ios. 19, 44) prope Accaron facta Aegyptios et Aethiopes fuisse devictos a Sennacherib, qui gloriatur a se ibi captos fuisse aurigas filiosque regis Aegypti et aurigas regis terrae Miluchi (i. e. Meroe, Aethiopiae). De qua re vide *Vigouroux,* la Bible et les découvertes mod. 3 éd. IV p. 195. Demum vates indicat per totam terrae longitudinem et ubicumque rivi sint vel canales nuntium esse perferendum quem ipse committat; nam terram nominat fluminibus omnem in partem quasi sectam, qua re quae adeo differt ab indole terrae palaestinensis peregrinam illam regionem modo apto describit. Tali autem imagine et populi et regionis exhibita animi audientium et legentium optime praeparantur, quo maiore magnalium Dei reverentia et admiratione afficiantur.

In textu hebr. solum effertur quantae potentiae sint gentes Aethiopiae. Sensus tamen non adeo mutatur. Annuntiat enim vates non eorum armis sed Dei potentia esse Assyrios deiiciendos ; unde simul iis dicit eos fore impares superandis hostibus, id quod pugna ad Altáqu facta reipsa ostensum est ; quare Dei sublimitas eo magis quoque praedicatur, quo maior potentia et terror Aethiopibus adscribitur. Textum hebr. verte : *ite nuntii veloces ad gentem tractam* i. e. longam, proceram (*Ges.* Thes. *Hitz. Ewald, Umbreit, Kn. Del. Naeg.*) vel longe lateque diffusam vel fortem, robustam, ut alii explicant (cf. *Malv. Ros. Vitr. Lowth*); secundo loco gens vocatur *polita* vel *glabra* idque explicant vel depiles (pilibus vel abrasis vel optime comptis — cf. *Drechsl. Del. Net. Rohl.*) vel nitentes (*Hitz. Kn. Naeg.*) vel *acres, vehementes* (*Ewald, Meier*) vel lutosos i. e. fusci coloris (*Ros.*) ; dein appellatur *populus terribilis longe lateque* (cf. *Rohl. Del. Naeg.*) i. e. qui terrorem sui longe lateque spargit ; demum *gens imperii duri et conculcationis* i. e. quae arroganter et dure aliis imperat eosque superbe conterit et conculcat.

Ex variis hisce sententiis, quarum numerus facile augeri posset, iam apparet locum esse difficilem et obscurum. Primam vocem de corporis statura procera esse accipiendam etiam LXX versio suadet ἔθνος μετέωρον ; forma eadem verbi מְמֻשָּׁךְ legitur Prov. 13, 12, ubi S. Hier. vertit : spes quae *differtur,* ergo notionem *protrahi*, *prolongari* verbo inesse agnovit. Haec notio hic quoque retinenda videtur, quia 45, 14 quoque Sabaei *sublimes* commemorantur. Alii in voce *longaevitatem* deprehendunt. De populo *afflicto* interpretati sunt *Syr. S. Hier. Chald.* Alteram vocem מרט *laeve facere depilare, evellere* iidem (*Syrus, S. Hier. Chald.*) de populo vexato acceperunt vel quasi evulso ; LXX vertunt ξένον. Cum in membro priore probabilius de proceritate gentis sermo sit, facile etiam in hoc aliquid poni tibi persuadebis quod ad externum gentis habitum spectet; unde cum verbum significet *depile, calvum, glabrum facere,* aliqua notio inde derivata erit retinenda. Apud Herodotum Aethiopes vocantur μέγιστοι καὶ κάλλιστοι ἀνθρώπων πάντων (3, 2, 114 et alia veterum testimonia vide apud *Kn.)* ; quare aliqui hoc alterum membrum de splendore vel venustate explicant atque

incolas Nili superioris non paucos pulchritudine esse conspicuos recentiorum quoque testimoniis comprobat *Naeg.*

Non satis expedita est quae additur phrasis ad *terribilis* מִן־הוּא וָהָלְאָה; LXX vertunt τί αὐτοῦ ἐπέκεινα; id quod ad sensum expressit *S. Hier.* : *Chald.* ex hoc et ultra. Sed quid sibi vult *ex hoc?* num sensu temporali : ex quo populus exsistit ? sed tum potius scribendum erat מאשר הוא vel uti simili notione Nah. 2, 9 מימי הוא; ergo *ex hoc* sensu locali i. e. ex eo loco ubi propheta loquitur in regionem longe lateque diffusam (*Del.*) ? vel *ex hoc?* i. e. a finibus suis longe lateque terrori est (*Naeg.*), prout phrasis similis habetur 1 Sam. 20, 22; quamvis potius ממנו exspectares. Neque placet quod aliis placuit : *terribilior est quam hic* [1] scil. populus iudaicus, cum de tali comparatione non sermo sit neque populi iudaici mentio iniiciatur. Sequitur גּוֹי קַו־קָו *gens praecepti praecepti;* id vix aliter verti potest, si 28, 10. 13 respicitur. Hac iteratione indoles gentis aliis crebra et dura imponendi mandata describi videtur. LXX praebent ἔθνος ἀνέλπιστον; *vulg.* gentem exspectantem; ergo קְוָא exspectare ? *Syrus* gentem foedam ; ergo קוא? — Ultimo loco designatur gens מְבוּסָה *conculcationis,* id quod LXX, *Syrus, Hier. Chald.* sensu passivo accipiunt; sed cum reliqua gentis attributa ad robur eius describendum selecta appareant, etiam hic sensus activus qui optime ex קו sensu explicato consequitur quasi continens mandati sanctionem erit praeferendus. Terra describitur, quam flumina *secant,* בָּזָא *findere* eadem scil. significatione qua chald. בְּזַע; ita enim sensus colligitur commodus. Eodem modo intellige textum lat. Nam quod aliis placet, aquis Nili humum Aethiopiae auferri et in Aegyptum transferri, proinde בזא idem esse a בזז et pro conculcatione quam Aethiopes in alios exerceant, vindictam sumi a Nilo quo eorum humus alio transportetur (*Naeg.*), subtilius sane est excogitatum quam verius. *Chald.* habet : cuius terram populi diripuerunt.

Vates gentem potentia et terrore aliis incusso insignem descripsit; sed simul monet quam parum vel potius quam nihil illa omnia valeant; neque enim illis virtutibus salus erit acquirenda, sed solum interventu Dei; quare v. 3 « *omnes habitatores orbis qui moramini in terra, cum elevatum fuerit signum in montibus, videbitis, et clangorem tubae audietis* » ; — hebr. *et ad clangorem tubae* (i. e. si tuba insonuerit), *audite!* omnium attentio excitatur et iam universum orbem invitat vates, ut ad classicum Domini attendat. Vexillum in montibus elevatum et clangor tubae iam dicit militum copias congregari et bellum indici. Si ergo incolae orbis terrarum magnos populos Assyriorum et Aethiopum ad bellum gerendum paratos cernunt et iamiam aciem instruentes, tunc *videant, audiant* i. e. attenta mente considerent, quid Dominus sit facturus. Hac interpellatione rem fore plane insolitam et ab omni exspectatione remotam vates indicat. Iam quale sit Dei consilium, in subseq. exponitur.

---

1. Ita *S. Hier.* : ad cuius potentiam nullus alius comparandus est.

b) Gloria Domini in clade Assyriorum 18, 4-7.

Cum igitur bellum inter duas gentes exarserit vehementissimum, ad Deum oculos mentesque convertant; v. 4 « *Quia haec dicit Dominus ad me: quiescam et considerabo in loco meo, sicut meridiana lux clara est et sicut nubes roris in die messis* » ; — i. e. qua est Dominus maiestate ac tranquillitate, in sublimi throno suo sedet et tacite hominum conatus et bellicas expeditiones considerat eaque per aliquod tempus sua capere permittit incrementa. Comparatio adiecta est, qua maiestas Dei sublimis, imperturbata delineetur in se et exprimatur eius permissu et favore res omnes ad successum et prosperitatem adduci : sicuti enim solis splendor pulvere terreno non infuscatur, sed sol maxima et maiestate et claritate super tumultum et strepitum terrigenarum serenus et imperturbatus vehitur, ita Deus aeterna quiete et claritate humanas omnes considerat perturbationes; et sicut solis ardore et roris irrigatione opus est, ut semina crescant frugesque maturescant, ita quamdiu Deus rebus humanis suum praestat favorem, illae prospere cedunt atque augescunt. Hebr. *ut calor serenus in luce diei, ut nubes rorans in aestu messis;* comparationem etiam exprimunt LXX, *Syrus* et erit retinenda, utpote ad sensum intentum multo magis apta, quam mera temporis designatio : quiescam dum est calor serenus in luce diei etc. Comparatione enim et Dei maiestas adumbratur et eius favore res Assyriorum eousque provectas esse docetur ; prius apte inferri, per se patet ; alterum autem v. sequenti exigitur. Quare non cum *Del. Kn. Rohl. Net.* particula tempus designans exponi debet, sed כ comparationis.

Deo igitur permittente et favente res assyriacae florebant aliquamdiu et augescebant, verum subita ruina prosternentur v. 5 « *ante messem enim totus effloruit et immatura perfectio germinabit, et praecidentur ramusculi eius falcibus et quae derelicta fuerint abscindentur et excutientur* » ; — i. e. res quidem florere videbantur, at non erant nisi *immatura perfectio* ; specie tenus, non vere prospere agebant; ruina et destructio subito ingruet. Textum *mas.*[1] vertunt : *nam ante messem, cum perfectum fuerit germen et flos abierit in uvam maturescentem, exscindit palmites falcibus et propagines removet, confringit* scil. Deus (cf. *Mald. Vat. Malv. Mar.* et recentiores). Id iam explicatur sermone proprio v. 6 « *et relinquentur simul avibus montium et bestiis*

---

1. Versio *S. Hier.* ex vocibus hebr. facile explicatur, uti *For.* iam notat : כתם *vulg.* dixit *totus*, accepit תם pro nomine et כ *iuxta, secundum* i. e. secundum integritatem q. d. totus; פרח tamquam verbum accepit *floruit, germinavit ;* בסר est uva immatura, ὄμφαξ; גמל Num. 17, 23 *maturare, ad perfectum adducere;* unde *immatura perfectio* orta esse videtur.

terrae et aestate perpetua erunt super eum volucres et omnes bestiae terrae super illum hiemabunt » ; — i. e. innumera hostium cadavera iacent prostrata ictu divino ; volucres et bestiae terrae ad illa dilaceranda festinant et tanta est praeda, ut aestate et hieme, ergo per annum fere ibi degant. Clades igitur designatur ingens, maxima cum ignominia iuncta, ita ut cadavera hostium non in sepulcro condantur, sed volucribus ferisque discerpenda relinquantur. Dici *per aestatem et hiemem* ut maximus numerus occisorum exprimatur, non quasi reipsa tamdiu cadavera pabulo essent feris, per se liquet. Hoc igitur est Dei facinus, ad quod ut attendant omnes orbis terrarum incolae admonentur : maximum quoddam exorietur bellum v. 3 ; per aliquod tempus res satis bene cedet hostibus, Deus quiescere, immo iis favere videtur — at subito strage ingenti et maxime ignominiosa innumera multitudo hostium occiditur v. 4-6. Hoc totum unice ad cladem assyriacam referri posse, ex antecedentibus iam satis per se innotescit ; talis enim clades iam 10, 16-19. 33. 34 ; 14, 25 ; 17, 13. 14 adumbratur, quibus in locis ruina ingens ac subita clarissime describitur ; id quoque ex subsequentibus elucet cf. 29, 5 seq. 31, 8. 9 ; 33, 3 et ipsa impletione demonstratur 37, 36.

Adhortationem vatis non frustra factam esse v. 3, egregie ostenditur. Eadem enim gens longinqua et potentissima iam Dei maiestatem ex victoria illa et hostium prostratione agnoscit; quare in Dei gloriam et laudem carmen hoc triumphale praeclare concluditur v. 7 « *in tempore illo deferetur munus Domino exercituum a populo divulso et dilacerato, a populo terribili, post quem non fuit alius, a gente exspectante, exspectante et conculcata, cuius diripuerunt flumina terram eius, ad locum nominis Domini exercituum, montem Sion* » ; — haec repetitio eiusdem descriptionis populi hoc loco egregie est ad artem facta : gens illa adeo peregrina, adeo potens, antea in bello parando occupata, iam e regione maxime longinqua munus adorationis affertur et adducitur ; ex hebr. ipsa scil. natio tamquam munus Deo sistitur ; omnis illa potentia iam Deo dominatori sublimiori subditur, dominatori in monte Sion, ubi est *locus nominis eius* i. e. ubi maiestatem suam, fidelitatem, potentiam manifestat, ubi reipsa publice declarat se esse *Iahve,* qui foedus initum summa fidelitate opere exsequitur (cf. quae notavi ad Os. 12, 5. Ioel 2, 32). Si igitur natio illa a finibus terrae Deo adducitur, natio potentissima, iam ex parte impletur « plena est omnis terra gloria eius » (6, 3). Nominans autem non sine pondere ultimo loco *montem Sion* denuo docet, ubi sit salus quaerenda stabilis, denuo effert omnium populorum sortes dirigi a Deo ad theocratiam cuius sedes ac centrum cernitur in Sion gloria et honore ornandam, omnem conatum illi hostilem misere demum

esse ruiturum, ibi in Sion Deum gloriam suam et salutem omnibus manifestaturum; idem ergo habetur quod 14, 1. 2. 32; 16, 1-5; atque hoc loco *mons Sion* eo magis eminere et illustrior reddi censendus est, quia 17, 3 seq. regno israelitico ruina et vastitas est praedicta. Eo ergo monte commemorato Deus denuo profitetur, quomodo populum suum sit salvaturus, sed populum vere theocraticum, qui promissa Dei monti Sion, domui David annexa fideliter amplexus etiam cultui Dei et domui David fideliter adhaeserit. Iudicio Dei in hostes devoluto *mons Sion* nobis exhibetur ad quem gens procul a finibus terrae venerabunda accedat: cernitur ergo in uno exemplo, per iudicia Dei in gentes montem Sion fieri centrum illud ad quod omnes confluent; cf. 2, 2-4; et fastu humano prostrato unam Dei gloriam in theocratia omnibus iri manifestatum. Quantopere haec omnia nexa sint cum vaticiniis antecedentibus, non opus erit pluribus prosequi, praesertim cum in subsequentibus et maxime in altera Isaiae parte (40-66) de hac Sionis dignitate theocratica repetitis vicibus sermo instituatur.

Sicut autem solum theocratia *messianica* eo ordinis et dignitatis gradu constituitur, ita in ea solum plena impletio est quaerenda; sed quemadmodum theocratia vetus praeparatio quaedam est ac typus et umbra messianicae, ita reipsa pro indole veteris foederis clade Assyriis inflicta etiam Dei maiestas in Sion regnantis a gentibus agnoscebatur, cuius rei testimonium et exemplum habes 2 Par. 32, 23: « multi deferebant hostias et sacrificia Domino in Ierusalem et munera Ezechiae regi Iuda, qui exaltatus est post haec coram cunctis gentibus ».

Cum oraculum hoc aliter ab aliis explicetur, ea quae rem constituunt paucis sunt declaranda et probanda. Primo certum et exploratum esse debet, non de Aegyptis (uti volunt *S. Hier. Cyr. Haim. Thom. Sasb. Pint. Est. Mar. Mald.*), sed de Aethiopia v. 1 esse sermonem. Aethiopes v. 1 agnoscunt *Sanct. Osor. For. Malv. Gord. Calm.* et recentiores; idque iure merito; nam terra quae est trans flumina Cusch (i. e. Aethiopiae), vel ut *Kn.* מֵעֵבֶר vertit, quae iuxta flumina Cusch extenditur, non potest esse nisi Aethiopia, cur enim in alia acceptione fluminum Cusch mentio fieret? Neque dicas forte verti posse *citra flumina Cusch* et ita Aegyptum superiorem intelligi; nam esset sane mira Aegypti designatio, neque Aegyptus superior extenditur usque ad flumina Cusch. Adde quod cp. 19 et 20 de Aegypto fit vaticinium, ergo iam eo ipso valde improbabile est etiam cp. 18 oraculum de Aegypto proponi, praesertim cum 19, 1 titulus legatur onus Aegypti. Secundo aeque certum est in v. 5. 6 non de clade Aegyptiorum (uti explicant *S. Hier. Haim. Thom. Sasb. Pint. Mar. Mald. Sa, Gord.*), neque de strage Aethiopum (*Sanct. Lap. Men. Tir.*), sed de clade Assyriorum (*Theod. Osor. Malv. Calm.* et recentiores) sermonem fieri; id satis probatur ex iis quae 10, 16-19. 33. 34; 14, 25 et 17, 12-14 proposita sunt, cum in tota hac oraculorum serie invasio Assyriorum et clades eorum vati continuo obversetur; pro-

batur, ut supra iam monui, subsequentibus et ipsa impletione quae unice ad verba ea adaptata est. Tertio non poterit dubitari quin v. 2 et 7 gens describatur ex textu hebr. peregrina, potentissima, longe lateque patens, dura ; omnia haec autem bene conveniunt in ipsos Cuschitas et cum modo v. 1 mentio facta sit fluminum Cusch, ipsa illa designatione « cuius terram findunt flumina » ad eandem terram nos vates remittit.

Cum v. 2 legati mittantur naviculis velocissimis, et statim sequatur appellatio et allocutio : ite nuntii veloces, iidem nuntii utroque in loco erunt intelligendi, cum utroque in loco eadem ratione designentur. Mittuntur ergo ab Aethiopibus et per prophetam etiam ad Aethiopes dirigere iter iubentur. Sed obiiciunt aliqui : cur non dicitur quod eo in eventu exspectares *redite,* sed *ite?* Res ita concipienda videtur. Nuntii mittuntur, non ab omnibus Aethiopibus, sed uti patet, mittuntur a rege Aethiopum qui populum suum longe lateque patentem ad arma convocare vult. Hisce nuntiis ergo qui modo imperium regium acceperunt et iam in eo sunt, ut in omnem Aethiopiae partem iter instituant, propheta mandat : utique ite ad Aethiopum gentem, convocate eam, verum id nuntiate, quod Dominus ad me dixit ! Hac ratione si scenam conceperis, utique *ite* erat dicendum, nullo pacto *redite ;* qua autem re impediamur quominus ita concipiamus nullus video. Nonne scena ad visionem propheticam prorsus est exacta et sublimis, cum eo momento quo Tharaca rex suum mandatum dare concipitur, aliud mandatum a Deo promulgetur ? Convocabuntur Aethiopes, arma arripient, pugnabunt — verum exitu ab humana exspectatione alieno, miro Dei interventu hostis prosternetur, cuius testes erunt Aethiopes. Hanc rerum conditionem vates optime ita prophetice annuntiare ac delineare potuit, ut nuntiis a rege missis diceret : ite, sed meum perferte nuntium ! revera enim ad talem nuntium audiendum et Dei magnalia videnda convocabantur. Optime hac scena illustratur illud : homo proponit, Deus disponit. Usus est Deus consilio regis Aethiopum ad suum consilium omnibus manifestandum.

Restat, ut sicuti assolet pauca addantur quae huius loci interpretationem ab aliis propositam compleant. *S. Hier.* censet legatos mitti ab Aegyptiis ad Iudaeos opem promittentes ; proinde v. 2 et 7 describi Iudaeos ; fieri sermonem de Aegyptiorum clade, de qua Ez. cp. 29 ; praedici demum Israelis ad Deum reditum, qui sub Zorobabele, Esdra, Nehemia factus sit. Eadem fere ratione exponunt *Haimo, S. Thom.* (qui v. 3 expeditionem Nabuchodonosoris eiusque vexillum cernit), *Sasb. Pint. Mar.* ; sed fieri nequit, ut v. 2 et 7 Iudaei describantur. — Alii oraculum hoc modo exponunt : Aethiopes mittunt milites auxiliares ; Deus autem dicit : ite, Assyrii et Babylonii, legati mei ad Aethiopes dilacerandos et conculcandos ; stragem spectabo Aethiopum neque auxilium feram (cf. *Sanct. Lap. Men. Tir.*). Aliter *Osor.* : Aethiopes legatos mittunt Iudaeis opem promittentes, sed solus Deus proteget civitatem suam ; Assyrii et satan deiicientur ; ita autem *Calm.* : rex Aethiopiae legatos mittit ad Aegyptios qui v. 2 describantur, ut moveant contra Assyrios ; verum Deus Assyrios prosternet. Singularis est h. l. *S. Ephr.* qui interitum describi censet Damascenorum, sed rite v. 7 conversionem populi Cusch agnoscit. Satis acerbe *For.*

invehitur h. l. in interpretum turbam, quae parum sibi convenientia afferat; verum quod ipse affert, etiam minus conveniens est; postquam enim explicuit Aethiopes mittere legatos ad Israelitas, iam v. 3 verbum crucis ex Iudaea sonare interpretatur et in v. 4 Deum audit promittentem, se iam non ultra populo suo indignaturum esse, verum quieturum in Ecclesia; in v. 5. 6 autem describi putat primitivae Ecclesiae ubertatem gentesque doctrina fidei satiatas; v. 7 autem evangelium esse primo Iudaeis annuntiandum, vel etiam Deum missurum esse discipulos ad Aethiopes. Verum contra talem interpretationem iam optime monet h. l. *S. Hier.* reprehendens Eusebium: « Eusebius caesariensis historicam interpretationem titulo repromittens diversis sensibus evagatur, cuius cum libros legerem, aliud multo reperi quam indice promittebat. Ubicumque enim eum historia defecerit, transit ad allegoriam et ita separata consociat, ut mirer eum nova sermonis fabrica in unum corpus lapidem ferrumque coniungere ». Praeclare quidem urget *S. Hier.* historicam interpretationem esse sequendam; sed utinam ipse quoque eam semper secutus esset! — Interpretationem quam supra proposui aliqua ex parte iam habet *Malv.* et maximam partem exprimunt atque defendunt *Loch, Net. Rohl. Troch.* aliique recentiores.

6. *Oraculum in Aegyptum* 19, 1-20, 6.

Arg. — Deus in iudicium descendet contra idola et superbiam Aegyptiorum; ipsi odiis ac bellis intestinis inter se concertantes et omnis sani consilii expertes praedae erunt tyranno duro; duram sortem describit vates imagine Nili siccati, qua metaphora omnia defutura minatur, quae usui et voluptati olim fuerint (19, 1-10). In tale autem infortunium ruent poenas iustas luentes arrogantiae, fastus; stupiditate et terrore ingenti perculsi iam nihil remedii ad stragem avertendam excogitare poterunt, sed cum pavore duram Dei manum in se experientur (19, 11-17). Verum etiam Aegyptiis ruina haec erit in salutem: paulatim enim a parvis initiis cognitio Dei et cultus inter eos spargetur; in tribulatione cognoscent Dominum et colent et ita simul cum Assur et Israel populo Dei accensebuntur (19, 18-25). Hoc quidem pro tempore satis remoto. Quod vaticinium ut confirmetur et via ostendatur, qua impletio erit incipienda, aliud addit vates: iubetur scil. a Deo incedere publice habitu captivi, ut ipse palam omen sit et portentum exhibeat rei mox futurae i. e. Aegyptios et Aethiopes in captivitatem cum ignominia iri abductum; unde Iudaei pudore suffundantur, quia a talibus opem efflagitaverint (20, 1-6).

Quam clarissime ostenditur hoc quoque oraculo, superbiam ac potentiam humanam esse deiiciendam, ut ex illa ruina Dei sublimitas agnoscatur et salus efflorescat. Ergo hic quoque cernitur quod 2, 12 seq. dictum est et illud *vincimini quia Emmanuel.* Neque minus sedulo vates adnotat, quid emolumenti iam pro aequalibus suis ex vaticinio ca-

piendum sit; id explicite effertur 20, 5. 6; quare bene *S. Hier.* : « ordo pulcherrimus, ut quomodo in priore visione sermo propheticus Damasco minabatur quod decem tribus in illa habuerint auxilium, sic etiam nunc Aegypto vastitas praedicetur, ob cuius auxilium Dei neglecta sit invocatio ». — Aegyptum autem et Aethiopiam distincte et separatim recenseri, ad temporis conditionem prorsus consentaneum est; simili modo Sennacherib quoque refert se in pugna apud Altaqu (Elthece) aurigas et filios regum Aegypti et aurigas regum Meroe vivos cepisse.

a) **Punitio Aegyptiorum 19, 1-10.**

Sublimi modo describitur ipse Dominus iudex descendens et ingrediens Aegyptum, coram quo idola Aegypti corruunt et omnis Aegyptiorum virtus ac potentia evanescit : v. 1 « *Onus Aegypti. Ecce Dominus ascendet super nubem levem et ingredietur Aegyptum et commovebuntur simulacra Aegypti a facie eius et cor Aegypti tabescet in medio eius* » ; — etiam hoc loco Isaias statim ab initio paucis complectitur quae in subseq. latius est prosecuturus. Deus iudex nubibus vehi, in nubibus descendere perhibetur (cf. Ps. 17, 10; 96, 2. 2 Reg. 22, 11); ponit enim nubem ascensum suum et ambulat super pennas ventorum (Ps. 103, 3). Nubes *levis* symbolum est qua celeritate et facilitate subito ad poenas repetendas adsit (*Sanct. Mald. Malv. For. Men. Tir.*). Quam efficax sit Domini praesentia, pulcherrime demonstratur : Dominus ingreditur Aegyptum et idola contremiscunt, aufugiunt ; *cor* Aegypti i. e. ea quibus sapientia et potentia et vigor Aegypti quam maxime constituitur, quasi aquae diffluent et in nihilum redigentur, ita ut Aegyptus omni vi et vita destituta iaceat ; cor enim Hebraeis ponitur pro fonte vitae et vigoris et virtutis ac vires omnes et intellectus et voluntatis complectitur. Cum Deus iam olim in deos Aegyptiorum et in Aegyptum iudicia exercuerit (cf. Ex. 12, 12. Num. 33, 4), iure optimo et non sine arte proponuntur idola terrore concuti et virtus Aegypti collabi ac deficere, quam primum advenientem Dominum suspicantur, cuius potentiam olim adeo experta sunt. Et cum deorum popularium gloria et ipsius populi prosperitas intime inter se ex gentium opinione connecterentur (cf. quae notavi ad Am. 1, 15. Nah. 1, 14. Hab. 1, 16. Zach. 2, 8), in strage populi clades quoque deorum agnosci debet. Quare in subseq. vates prostrationem populi describens idolorum quoque impotentiam egregie proponit.

Primus quasi gressus quo populus interitui obviam fertur est magna inter cives dissensio, sunt inimicitiae et bella civilia quibus inter se discerpunt. Unde sententia iudicis fertur v. 2 « *et concurrere faciam Aegyptios adversus Aegyptios et pugnabit vir contra fratrem suum*

et vir contra amicum suum, civitas adversus civitatem, regnum adversus regnum » ; — Aegyptum internis dissidiis saepius esse discissam, iam ex pluribus dynastiis quae saepe variis in partibus imperium exercebant, facile colligitur ; eius rei aperta quoque exstant testimonia et monumenta historica ; ita iam pro tempore Ramses III id narratur in papyro cui nomen Harris, terram sine rege a principibus regionum vel nomorum esse vexatam, qui inter sese caede grassarentur (cf. *Naeg.*). Tempore quoque posteriore Aegyptus media et inferior et praesertim princeps saiticus Tafnecht expugnabatur a Pianchi rege Aethiopum (cf. *Stade*, De Is. vaticiniis aethiop. *Wiedemann*, Ægypt. Geschichte p. 565 seq.). Etiam maior rerum perturbatio exstitit, cum dynastia aethiopica expulsa Aegyptus in duodecim regna discinderetur, donec Psammetichus dodecarcha pugna ad Momemphim facta ope militum ionicorum, caricorum, graecorum unum regnum constitueret, quod ipse eiusque filius Nechao duro imperio continebant. Has et similes rerum subversiones propheta describit et quantopere Aegyptii consilii expertes impotes futuri sint calamitatibus avertendis pronuntiat v. 3 « *et dirumpetur spiritus Aegypti in visceribus eius et consilium eius praecipitabo et interrogabunt simulacra sua et divinos suos et pythones et ariolos* » ; — hebr. *evacuabitur spiritus* [1] i. e. affine est perire, absorberi vel deglutiri consilium, ut neque consilium capere possint neque si ceperint quidquam proficiant aut iuxta consilium efficiant (*For.* sim. *Mar.*) vel Aegyptus velut exanimata erit, hyperbole ex comparatione corporis humani desumpta (*Malv.*). Frustra recurrent ad locupletem idololatriae et divinationum apparatum, quem ipsa enumeratione longiore vates ridet. Hebr. idola vocantur *vana,* nihil ; אִטִּים explicant *mussitatores,* hebr. nomen a secreto dicitur quod arcanis vel secretis verbis artem suam exercent, vel secreta verba susurrant (*For. Malv.*) et incantationum formulas mussitant ; de אוֹב cf. 8,19. Ad id ergo sapientia et prudentia recidet Aegyptiorum, ut ad res inanes et ad praestigiatores et circulatores consilii capiendi causa confugiant — praeclaram ironiam et irrisionem falsae ac fucatae sapientiae !

In tanta vero consiliorum inopia — et si quid excogitaverint, illud se destructurum esse Dominus profitetur — facile iugo tyrannorum externorum subiicientur v. 4 « *et tradam Aegyptum in manu dominorum crudelium et rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum* » ; — Aegyptios multoties ab Assyriis esse devictos, monumenta testantur ; Samaria capta socios quoque Osee regis, inter quos erat Scha-

1. LXX ταραχθήσεται· *Aq.* πλαδαρωθήσεται· *S. Hier.* secutus est, uti saepius, explicationem a *Sym.* et *Theod.* propositam : ῥαγήσεται ille, hic σχισθήσεται ; cf. *Field* ad h. .

baka rex Aegypti, a Sargone esse punitos eius annalibus proditur; Sennacherib quoque bellum Aegyptiis intulit eosque ad Elthecen devicit; filius eius et eius nepos, Asarhaddon et Asurbanipal, Aegyptiis clades intulerunt (cf. Stimmen aus Maria-Laach 1873 p. 144. 153; ad Nah. 3, 8. *Vigouroux*, la Bible et les découvertes mod. IV. p. 128. 162. 226). Hebr. *rex durus;* post Assyrios Aegyptus vexabatur a Chaldaeis et ipse quoque Psammetichus rex durus appellari meruit, qui postpositis indigenis extraneos fovebat, ita ut testibus Diodoro (1, 67) et Herodoto (2, 30) ducenta millia militum aegyptiorum in Aethiopiam immigrarent Aegypto relicta (cf. *Naeg.*). Sane licet in his quoque et similibus saltem aliquam cernere verborum prophetae impletionem, quamvis vates non tam facta particularia praedicere quam normam statuere generalem censendus sit; verum non erit inutile paucis indicasse, qua ratione norma illa eventibus mox subsecutis iam in opus deduci coepta sit.

Bellis illis atque dissidiis internis etiam damnum non minimum ipsi regioni esse illatum facile liquet. Tempore enim bellorum agriculturam iacere patet, destrui canales, aquaeductus et reliqua quoque instrumenta prosperitatis ac fertilitatis regioni aegyptiacae consentanea in aperto est; unde novarum calamitatum frequens origo cernitur. Hisce si Nili inundationis defectus accesserit atque penuria, multiplici clade terram aegyptiacam iri afflictum manifestum est. Has miserias vates proponit, quibus priores illas civiles augeat nexumque denuo ostendat qui adsit inter homines et ipsius regionis conditionem: Deus enim ipsis utitur creaturis ad ultionem de inimicis capiendam: v. 5 «*et arescet aqua de mari et fluvius desolabitur atque siccabitur*»; — maris nomine (cf. 18, 2) Nilus designatur qui eo nomine praesertim tempore inundationis vel eius ratione habita dignus reputatur, quippe qui maris instar totam late regionem occupat a medio mense Augusto usque ad Octobrem, ita ut fere sola oppida et vici insularum instar ex undis emineant. Si vero largi deficiunt imbres quibus Nili fontes alantur augeanturque, tum et ipse fluvius arescere videtur; eius autem inundatione salutifera sublata nulla iam pro Aegypto remanet spes sementis et messis; unde cum fluvio arescente arescunt omnes Aegyptiorum opes ac divitiae misere dispereunt. Simul cum eo canales aquis destituti potius perniciei sunt regioni: v. 6 «*et deficient flumina; attenuabuntur et siccabuntur rivi aggerum*»; — versionem lat. intelligere poteris de rivis qui aggeribus ad irrigandos agros deducebantur (cf. *Mald. Sanct.*); hebr. verte: *et foetebunt rivi, attenuabuntur et siccabuntur fluvii Matzor* i. e. Aegypti i. e. מָצוֹר cf. Mich. 7, 12. 2 Reg. 19, 24; *S. Hier.* vocabulum etymologice vertit; alvei aquis carentes foetorem et putredinem exhalant et sicut antea regioni decori erant et amoenitati, ita nunc horrori et exitio.

Inde fit, ut viror omnis pereat : « *calamus et iuncus marcescet;* v. 7 *nudabitur alveus rivi a fonte suo et omnis sementis irrigua siccabitur, arescet et non erit* » ; — i. e. « neque fons aut caput Nili aquis ut antea fluminis alveum implebit et sementis varia quae a fluminis inundatione vitam et incrementum exspectabat arente Nilo ipsa quoque arescet et peribit » (*Sanct.*); vel explica *a fonte :* alveus destituetur aquis quia fons, unde fluunt, arescet (cf. *Mald. Sa, Mar. Men.*). Hebr. verte : v. 7 *gramineta* [1] *iuxta fluvium et ad os fluvii et omne satum fluvii* (iuxta fluvium) *exarescet, corrumpetur* (LXX ἀνεμόφθορον quasi vento) *et nullum erit;* cf. *Vat. For. Mar. Malv.* et recentiores. Segetes ergo et prata misere interibunt; etiam varii hominum ordines praeter agrorum cultores illa calamitate afflicti necessariis ad vitae sustentationem carebunt. Ita primo et praecipue piscatores v. 8 « *et moerebunt piscatores et lugebunt omnes mittentes in flumen hamum et expandentes rete super faciem aquarum emarcescent* » ; — duos piscandi modos vocabulo generali subiungit vates hamo alterum, alterum retibus exercitum vel nassis; Nilum piscibus abundasse referunt (cf. *Herodotus* 2, 92); eos fuisse sapidos ex populi in deserto commorantis votis et desideriis elucet (Num. 11, 5).

Ariditate et quae inde consequitur sterilitate magnum quoque detrimentum capiunt opifices linorum pexorum v. 9 « *confundentur qui operabantur linum pectentes et texentes subtilia* » ; — hebr. *qui operantur lina pectinata et texentes candidum* i. e. qui pannos conficiunt ex lino sedula cura pectinibus purgato vel pectinato et qui texunt byssum vel linum album, candidum, pannos byssinos eosque subtiles. Eiusmodi opificiis insignes erant Aegyptii iisque pannis commercia exercebant (cf. Ez. 27, 7). Artem eam texendi apud Aegyptios antiquissimam etiam Israelitas ab iisdem didicisse testimonio sunt aulaea et vela quae v. g. pro tabernaculo foederis in deserto fiebant. Verum non solum opifices, sed optimates quoque rebus adversis affligentur; in omnes enim serpere calamitatem vates singula complexus hanc partem absolvit in hebr. *et erunt columnae eius* (i. e. potentes quibus respublica fulcitur et quasi consistit) *contritae et omnes qui mercedem faciunt erunt afflicti animis.* Apta est sane conclusio qua summatim comprehenditur quod in antecedentibus de ruina potentiae et culturae opificiorumque Ae-

---

1. Proprie *loca nuda* עָרוֹת ; unde versionis *S. Hier.* intelligi potest origo et causa. LXX τὸ ἄχι τὸ χλωρόν· vocem ἄχι dicit *S. Hier.* se ab eruditis exquisivisse et audisse ab Aegyptiis hoc nomine lingua eorum omne quod in palude virens nascitur appellari , cf. Gen. 41, 2 אָחוּ et de voce aegyptiaca vide *Brugsch,* Hieroglyphisch-demot. Woerterb. I p. 111 ; *Ebers,* Aegypten und. d. B. Mos. p. 338.

gyptiorum dictum est. Versio *vulg.* unam partem ex antecedentibus retractat : v. 10 « *et erunt irrigua eius flaccentia; omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces* » ; — ad prius membrum vide v. 5. 6 ; alterum explicatur de piscinis vel vivariis (cf. *Mald. Mar. Malv. For. Osor. Sasb.*) aut de septis vel caveis ad piscaturam factis vel de stagnis excavatis quae inundatione Nili aquis piscibusque implentur, ex quibus autem aqua recedente pisces iam non exire possunt (cf. *Sanct.*).

Versio *S. Hier.* inde explicari poterit, quod שָׁתָה *bibere* significat et alterum membrum ait se iuxta sensum interpretatum esse ; profitetur enim in hebr. et in cunctis interpretibus in loco piscium poni *animas* ; ob oculos ergo habuit אֲגַם *paludem, lacum ;* interpretationem *lacunas* fere etiam *Chald.* exhibet, et similiter hebr. quoque intellexerunt de obicibus quibus aquae concluduntur (cf. סכר Gen. 8, 2. Ps. 63, 12) et aggeribus Iarchius, Saadias, quos vide apud *Ros.* — Hebr. שֵׁכָר de potu intellexerunt LXX et *Syrus ;* de illis notat *S. Hier. :* « notandum quod pro lacunis LXX ζύθον transtulerunt quod genus est potionis ex frugibus aquaque confectum et vulgo in Dalmatiae Pannoniaeque provinciis gentili barbaroque sermone appellatur *sabaium* ». — Ceterum magna cernitur varietas in expositione textus hebr. ; LXX καὶ ἔσονται οἱ ἐργαζόμενοι ἐν ὀδύνῃ ; videntur intellexisse *textores* cf. שָׁתָה, שְׁתִי ; *Aq.* αἱ ἀποθῆκαι αὐτῆς τεταπεινωμέναι ; fortasse a שׁוּת *ponere ;* ad idem respexisse videtur *Theod.* ταπεινά ; alii interpretati sunt de machinis textoriis contritis ; ita iam *Chald.* ; alias explicationes vide apud *Malv. Ros. Ges.* Hodie eam sequuntur omnes quam supra dedi, quae est apta et simplex et facile verbis accommodatur ; שָׁתוֹת esse fundamenta, columnas ; idque dici de proceribus (cf. 3, 1) ; de אֲגַם cf. Is. 58, 5 et עָגַם afflictum esse.

b) **Poenas dabunt superbiae 19, 11-17.**

Quod vates in v. 10 hebr. indicaverat de primoribus, iam latius prosequitur ; ita enim v. 10 et antecedentia suo modo comprehenduntur et subsequentia praeparantur. Uti Deus Aegyptiorum potentiam et culturam conteret, ita sapientiam et prudentiam de qua superbierunt confundet. Est igitur eadem iudicii denuntiatio alio modo facta ; v. 11 « *Stulti principes Taneos, sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens ; quomodo dicetis Pharaoni : filius sapientium ego, filius regum antiquorum* » ? — hebr. *solummodo stolidi principes Zoan, sapientes consiliariorum Pharaonis ; consilium infatuatum est* (obbrutuit ; cf. *Malv. Vat.*). Sapientia Aegyptiorum in proverbium abierat ; unde Salomon laudatur, quod praecedebat eius sapientia sapientiam omnium orientalium et Aegyptiorum (3 Reg. 4, 30) ; eorum sapientiae laudem quoque commemorat Herodotus (2, 6. 77. 160). Tanis vel Zoan, urbs antiquissima (Num. 13, 23), in Delta inter septemtrionem et occidentem spectante sita, inter Nili partem sebennyticam et pelusiacam, eo maiore iure hic nominatur, quia saepius sedes erat regiae dynastiae (21. et 23. secundum Manethonem). Etiam in inscriptionibus assyriacis ex tempore Sargonis mentio fit re-

gis ex Zoan (cf. Revue arch. Oct. 1871 p. 214). Principes ac consiliarii regis suam iactant sapientiam ex eo quod illam iure quasi hereditario longa generationum serie in suis familiis habeant propriam, immo ex suo ordine, sacerdotali scil., olim reges exstiterint, quibus ipsa antiquitate splendor quidam ac gloria uti fieri solet, facile conciliatur. Quantopere vero aestimata sit sapientia antiquorum, quae in una sapientium stirpe aliena ab extraneorum commixtione ad posteros longa aetate propagetur, lege Iob 8, 8 ; 15, 10. 19. Adnotat *Malv.* : « nam sacerdotes aegyptii iactabant a primo rege ad Sethonem progenies hominum fuisse trecentas quadraginta unam et totidem in terra pontifices et reges ; vide Herodotum 2, 142, et alioqui Aegyptii omnium hominum se primos exstitisse arbitrabantur, ut idem 2, 2 tradit ». Plerique magistratus civiles ex ordine sacerdotali eligebantur ; ex eodem ordine consiliarii regis (qui in monumentis rerum gnari designantur) et iudices assumebantur, a quorum agendi ratione ipse rex [1] quam plurimum dependebat (cf. *Riehm,* Handwoerterb. I p. 326). Ad prima regni aegyptiaci tempora *S. Hier.* refert *filium regum antiquorum ;* « significat quod Aegyptii heroas et deos auctores suae gentis simulent Oron et Isin et Osirin et Typhonem » ; ceterum in dynastia vigesima post Ramses XII Her Hor summus sacerdos thebanus, rerum potitus nomen et insignia regis usurpavit et post ipsum a Pinetsem I et deinceps per septem generationes familia sacerdotalis thronum aegyptiacum (dynastia 21. tanitica) occupabat, contra quam tamen postmodum alia dynastia tanitica bellum gerere incipiebat et demum familiam sacerdotalem throno deiecit. Quare sacerdotes consiliarii merito se dicunt filios regum antiquorum, neque opus est cum *Sanct.* ea verba ab ipso rege dicta esse affirmare. Verum sapientia eorum egregie confunditur ipsa regni aegyptiaci ruina, cui mederi vel quam cohibere nulla ratione valent.

Unde vates mente cernens rerum perturbationem et difficultates, quas modo exposuit, cum ironia regem exagitat v. 12 « *ubi nunc sunt sapientes tui ? annuntient tibi et indicent quid cogitaverit Dominus exercituum super Aegyptum* » ! — si vere sapientes sunt, saltem nunc cum eventus iamiam compleri coepti sint, doceant regem, quo consilio et quo rerum exitu haec fieri incipiant. At cum rerum omnium sortes apud unum Dominum exercituum conditae sint, qui universa pro sua mode-

1. Nomen Pharao פַּרְעֹה aegyptologi idem esse dicunt quod aegyptiacum Pera, Peraa, quo titulo rex appellatur in monumentis quique dicit *magnam domum.* Bene monuit *Lauth* iam ab Horapollone (ed. Leemans I, 61) referri regem aegyptiacum etiam vocari οἶκος μέγας ; cf. simili modo nos loquimur de porta sublimi Turcarum ; cf. *Ebers,* Aegypten und d. B. Mos. p. 264.

ratur sapientia et eos prosequitur fines iisque adiumentis quae longissime ab humana prudentia et sapientia absint, fieri nequit, ut sacerdotes idololatrae aptum dent regi consilium. Id enim Deus agit, ut confundat sapientes; quare illi suis consiliis miseriam non modo non minuunt, verum augent v. 13 « *stulti facti sunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos, deceperunt Aegyptum, angulum populorum eius* »; — Memphis celebris urbs regia Aegypti inferioris est; unde qui in sedibus regiis sapientia conspicui erant stulte egisse et decepti esse dicuntur, et qui ipsis confidebant, pariter decepti sunt; *angulum populorum* explicat *S. Hier.*: « idioma Scripturarum est, ut angulum pro regno ponant, eo quod populos contineat et quasi in tota domo fortissimus sit »; alii: deceperunt Aegyptum et praesidia populorum eius, eos qui populis sunt fulcro et adiutorio (*Sa, Mar. Calm.*); alii arcte id ad Aegyptum referentes exponunt: quae (Aegyptus) omnium populorum quos sibi subiugaverat aut foedere adiunxerat firmamentum erat et decus (*Sanct. Men. Tir.* sim. *Schegg*). Hebr. verte: *Aegyptum errare fecerunt anguli tribuum eius* i. e. qui putabantur esse angulus et firmamentum, illi sapientes quibus ut angulis firmissimis Aegyptus nitebatur, qui quasi erant lapides angulares in republica, illi ipsi misere omnem fefellerunt spem (cf. *Malv. For. Vat.* et recentiores).

In hebr. pro *Memphis* habetur נֹף quam vocem multi volunt eandem esse ac מֹף et utramque esse contractam ex מְנֹף. Memphin h. l. explicant LXX, *Syrus, Chald.* et sequuntur *Troch. Del. Kn. Drechsl. Naeg.* — Sed iam *Brugsch* monuit formam נֹף haud posse conciliari cum hieroglyphico Men-nefr, Mennef, nomine urbis Mempheos, sed formam requiri Nepu vel Nep (Die Geographie des alten Aeg. I p. 290) et revera satis crebro mentio fit in hieroglyphicis urbis Nap, Napi, Napit, Napata (cf. *Brugsch* l. c. p. 65. 71. 100. 152. 161. 163); erat *Nap, Napat* metropolis decimae regionis Nubiae aegyptiacae (cf. *Brugsch*, Dictionnaire géogr. de l'ancienne Égypte p. 336); unde per totam late regionem aegyptiacam usque in Aethiopiam omnia perturbari et consilia sapientium infatuari asseritur. Vide Revue arch. l. c. p. 215.

Cur vero ipsi sapientes in tales miserias populum protruserint, ratio affertur v. 14 « *Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis et errare fecerunt Aegyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius et vomens* »; — hebr. *sicut errat ebrius in vomitu suo;* Deus scil. immittit in animos eorum spiritum vertiginis; uti alias porrigere dicitur calicem furoris sui, ut bibant et inebrientur et prae terrore et angustiis stupefacti tamquam ebrii omnisque consilii expertes corruant (cf. Ier. 25, 15; 49, 12; 51, 7. Ez. 23, 32. Ps. 74, 9), ita hoc loco etiam potum iis miscere perhibetur, quo vertigine correpti ipsi omnia susque deque ver-

tant ; in rebus arctis ea capient consilia quibus magis magisque ruinam sibi attrahant, et si ipsi duces ita mente capti sunt, reliquum vulgus nihil quod saluti sit vel emolumento posse perficere per se patet. Sunt duces caeci et duces caecorum ; quare utrique in foveam cadent. In ebrio eiusque vomitu cernitur et ablatio omnis considerationis, stupor, hebetudo, omnium sensuum perturbatio et foedissimae ruinae indignitas. In tali autem conditione non adfore remedium, declaratur v. 15 « *et non erit Aegypto opus, quod faciat caput et caudam, incurvantem et refrenantem* » ; — ad verba vide quae notavi ad 9, 14. Hebr. verte *et non erit Aegypto opus, quod facit* (expedire potest et perficere) *caput et cauda, ramus et iuncus* i. e. neque principes et nobiles neque plebeii et infimi aliquid quod emolumento sit consilium vel opus excogitare vel efficere possunt (cf. *Vat. Pagninus, Malv. Mald. Sanct. Lap. For. Mar. Calm.* et recentiores). Secundum quem sensum etiam explica textum lat. : non erit opus, quod vel primoribus et plebeiis, vel subiectis et imperantibus subsidium afferat ; paulo aliter verba interpretatur sua *S. Hier.* : « nullum habebit Aegyptus opus sive consilium quod aut caput habeat aut finem aut senibus conveniat aut pueris » ; quae tamen explicatio longius recedit a textu originali. Alii verba latina hoc modo sano donare sensu conantur : et non erit in Aegypto opus quod faciat seu ostendat fuisse inter eos caput, hoc est virum cordatum, aut subditos obedientes, aut esse aliquem dominum et servum obsequentem (cf. *Lap. Sanct. Men. Tir. Gord.*).

Etiam LXX habent ὃ ποιήσει κεφαλὴν καὶ οὐρὰν, ἀρχὴν καὶ τέλος· ultima verba etiam ex *Sym.* afferuntur, dum *Theod.* verba retinuit hebr. κεπφὰ καὶ ἀγμόν. *S. Cyr.* ita sententiam graecam concipit : « nec iuvenilia facinora aggredientur, hoc enim est principium et caput, nec in optatissimum finem occurrent quae geruntur, hoc enim est cauda et finis ; omnis enim humana consultatio infructuosa et omne praesidium imbecillum nec ulla ex parte iuvare potest, si Deus poena afficit ». Alii textum lat. ita enodant, ut *caput et caudam, incurvantem et refrenantem* velint dependere a v. 14 *errare fecerunt;* ita *Sasb. Pint. Schegg,* qui ea de causa reliqua quae interponuntur parenthesi includi vult vel textum lat. ita corrigere ut scribatur *cauda* etc.

Quanta futura sit deiectio et humiliatio Aegyptiorum qui olim adeo erant superbi, audaces, immites (*S. Cyr.*), et per quem sit inferenda, denuo inculcatur v. 16 « *in die illa erit Aegyptus quasi mulieres et stupebunt et timebunt a facie commotionis manus Domini exercituum quam ipse movebit super eam* » ; — cf. 10, 32. Pulcherrime iam insinuat vates, quomodo etiam illis summa deiectio et imbecillitas via futura sit salutis : incipient enim ac discent timere manum Domini ; iam in

tali causa metus et terroris quam sentire et agnoscere docentur germen latet salutis; initium enim sapientiae timor Domini, et vates eo modo docet, uti hominem miseriis afflictum, ita populum quoque gravi calamitate pressum facilius ad Dei cognitionem et cultum adduci, proinde non solum pro Iudaeis valere, verum normam constitui generalem : sola vexatio dabit intellectum (Is. 28, 19). Iis enim nihil valere idola perspicient et calamitates suapte natura hominem inducunt, ut inopiae suae conscius a potentiore numine se percuti sentiat et ad illud supplex confugiat. Hanc autem viam qua ad salutem praeparandi sunt, accuratius delineat v. 17 « *et erit terra Iuda Aegypto in pavorem ; omnis qui illius fuerit recordatus pavebit a facie consilii Domini exercituum, quod ipse cogitavit super eam* » ; — uti olim Aegyptii exclamarunt : fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos (Ex. 14, 25), ita tunc timor Domini regionem aegyptiacam pervadet, timor scil. Domini irati, adeo ut ipsum Iudaeae nomen, ubi scil. Deus colitur et habitare et unde ad ceteras orbis partes proficisci concipitur (*For.*), iis fiat terrori eisque ultionem Domini quem foeda sua idololatria provocaverant (cf. Ier. 46, 10. 25. Ez. 29, 3-10 ; 30, 13 ; 31, 10 etc.) in memoriam cum pavore reducat.

Vaticinium hoc modo generali illam describit viam et rationem qua Aegyptii sint humiliandi, ut iis quoque aditus ad salutem pateat. Id iam eo ostenditur quia statim fructus ille salutaris subiungitur (praesertim a v. 18), quia vaticinio huic aliud subditur particulare ac determinatum cp. 20 et quia oraculum hoc prophetae subsequentes Ieremias et Ezechiel denuo recolunt et quomodo paulatim et per partes saeculorum decursu implendum sit docent. Porro indolem esse generalem etiam tota hac oraculorum serie suadetur (vide quae dicta sunt ad cp. 13). Unde in invasione Assyriorum aliquid sane cernitur impletionis, neque tamen illa vaticinium exhauritur. Significationem generalem iam rite cernimus intellectam in glossa : multis dominis Aegyptus tradita est : Assyriis, Nabuchodonosori, Alexandro, Romanis. Nihilominus ita conformatum est oraculum, ut in denuntiatione iudicii ea proponatur rerum conditio qua imago quaedam eventuum qui mox in Aegyptum erant devolvendi repraesentetur. Cum enim Schabaca (Sua), a Sargone apud Raphiam devictus fugam cepisset (cf. *Vigouroux* l. c. p. 164), in ipso regno aegyptiaco magna rerum perturbatio est subsecuta (cf. *Schrader,* Keilinschriften u. A. T. ad Is. 19, 1 ; *Net.* p. 128; *Wiedemann,* Aegypt. Geschichte p. 584 seq.) ; ex fastis Asarhaddonis et Asurbanipali pari modo colligitur iis temporibus Aegyptum internis quoque dissidiis fuisse vexatam. Terrae autem proventum et varia quae instituta erant ad regionis fertilitatem promovendam, canales ad aquas Nili inundantis

apte distribuendas et longinquis quoque agris advehendas, opificia et similia multum cepisse detrimenti ex bellis continuis et invasione hostium, nemo negabit. Et si ad haec — id quod cum saepius in Aegypto accidat probabilitate non caret — alia accesserint infortunia v. g. imbrium in regionibus superioribus defectus, ita ut Nili inundationes vel penitus omitterentur vel debitam non attingerent mensuram, iam habes terrae aegyptiacae conditionem talem qualem vaticinatus est Isaias. Verum donec fructus ille salutaris exsisteret, de quo in subseq., eadem norma iudicii et calamitatis et eruditionis iterato erat applicanda, uti oraculis quoque Ieremiae et Ezechielis demonstratur.

c) **Demum populo Dei accensebuntur 19, 18-25.**

Denuo fit quod vates iam 2, 17 statuerat, incurvata hominum sublimitate et altitudine virorum humiliata elevabitur Dominus solus; sed haec gloria Dei est salus hominum vera ablatis humanae superbiae impedimentis; valet enim illud: vincimini quia Emmanuel (8, 9. 10). Quare propheta postquam v. 16. 17 parva salutis initia ex timore Dei vindicis orta innuit, ea iam per gradus quosdam explicat et quomodo paulatim maiora sint captura incrementa ostendit formula *in die illa* saepius repetita (cf. v. 16. 18. 19. 23. 24). Et primo quidem aliquos sensus et mentem cultorum Dei esse in se expressuros vates dicit v. 18 « *In die illa erunt quinque civitates in terra Aegypti loquentes lingua Chanaan et iurantes per Dominum exercituum; civitas solis vocabitur una* »; — lingua Chanaan loqui est loqui lingua populi electi, veri Dei cultoris, et significatur sensus induere atque animos illius. Loquela enim animi sententiae et affectus panduntur et praeterea unaquaeque lingua peculiaribus vocibus exprimit et declarat gentis indolem et fidem. Unde abiicere notiones idolorum, proscribere superstitiones, novis de Deo rebusque divinis conceptibus animum imbuere et totam loquendi sentiendique de rebus altioribus rationem mutare, verbo *fidem* terrae Chanaan amplecti apte exprimitur per metaphoram loqui lingua Chanaan. Gentiles enim etsi sonos verborum eosdem retinent ad unius Dei fidem adducti, tamen iisdem verbis iam alias addunt notiones puriores, sublimiores, haustas ex institutione per veri Dei cultores accepta; unde uti ex modo fidelium iam cogitant, sentiunt, iudicant, ita eorum quoque lingua loqui iure dici possunt. Et cum in vetere foedere veri Dei cultores ex instituto stabili solum invenirentur in gente iudaica quae primarie incolebat Chanaan ut sedem propriam, cum ergo solum in Chanaan theocratia exsisteret, iure adoptatur lingua Chanaan tamquam symbolum et testimonium, quo quis religionem ac fidem Dei amplecti perhibeatur. Vere quoque dicitur lingua populi electi lingua

Chanaan ; maiores enim populi israelitici eam usu adoptarunt linguam posterisque legabant, quam in terra Chanaan usu tritam repererunt patrio suo sermone relicto (cf. Gen. 31, 47 ; uti iam ex rabbi Elia *Mar.* adnotat et vide *Cornely,* Introd. I p. 235). Proinde sensus idem est qui habetur apud Soph. 3, 9 : reddam populis *labium electum.* Quam fideliter vero sensus religiosos retenturi et opere ostensuri sint, declaratur, dum vocantur *iuramento adstricti Domino exercituum* (hebr.) ei obstricti, ei fidem dantes (cf. *For. Malv. Troch. Drechsl. Kn. Del. Naeg.*) eamque fidem sollemni asseveratione et sacro iuramento obsignantes ; textus lat. unum cultus divini genus pro toto effert.

Verum etiam in Aegypto salus a parvis initiis orietur ; quod pro Israel iam toties vates inculcaverat : reliquiae convertentur, etiam pro Aegypto in *quinque* civitatibus proponitur. Cum enim plurimae essent urbes Aegyptiorum (cf. *Brugsch,* Die Geographie des alten Aegypten I), *quinque* sane pro paucis habendae sunt, ita ut numerus quinarius per modum locutionis fere proverbialis pro aliquibus iisque paucis usurpetur, uti usuvenire videmus Lev. 26, 8. 1 Reg. 21, 3. Is. 30, 17. 1 Cor. 14, 19. Sed in parvo etiam numero non deerit eximius religionis ac pietatis splendor. Una enim ex istis paucis vocabitur i. e. erit *civitas solis ;* talem in se exprimet et exhibebit indolem, ut merito appellari possit eo nomine — ea est enim vis phrasis hebr. *vocari* cf. ad 7, 14 et praeterea 1, 26 ; 4, 3 ; 9, 6 ; 32, 5 ; 35, 8 ; 47, 1 ; 54, 6 etc. — Erit igitur una prae ceteris fide ac religione insignis, lucens uti sol et splendorem suum longe lateque diffundens ; aliis verbis : in coetu illo aegyptiaco aderunt qui sanctitate fulgebunt. Atque re quidem vera, si in mentem revocaveris quam eximie in primis rei christianae saeculis sanctitas emicuerit anachoretarum in Thebaide, non erit difficile civitatem solis in Aegypto invenire.

Cur numerus ponatur quinarius, alii aliter explicant ; ibi enim cernunt expressas aut multas urbes vel omnes (cf. *Sanct. Mald. Lap. Men. Tir.*) aut quinque urbes determinatas ; ita apud *S. Hier.* aliqui intelligi volebant civitates iuxta Rhinocoruram et Casium, « quas usque hodie in Aegypto lingua chananitide, hoc est, syra loqui manifestum est, et putant e vicino Syros atque Arabas a Nabuchodonosor in illam terram fuisse translatos » ; sim. *S. Cyr.* ; alii recensent sex illas urbes in quibus ex Herodoto (2, 69) praecipue celebrantur sollemnitates et coetus festivi (*Malv.*) ; alii alias (cf. *Hitz.*). Alii in numero quinario qui sit dimidia pars denarii, numeri perfectionis, notionem cernunt expressam rei imperfectae, per partes et fragmenta solum exsistentis (*Del. Rohl.*) vel rei iam dimidiatim acquisitae (*Naeg.*). Verum expositio simplicissima et aliis locis commendata ea est quam supra dedi.

Textus mas. nomen civitatis effert עִיר הַהֶרֶס, quae lectio num sit genuina

merito dubitari potest. *Primo* enim *Sym. S. Hier. Saadias* et tractatus talm. Menachoth (f. 110 a) nobis exhibent interpretationem *solis*, unde חֶרֶס legerunt, quae vox solem significat Iud. 14, 18 et Iob 9, 7; hanc etiam praebent codices hebr. complures (cf. *de Rossi*-sedecim asserit *Fürst L.*); neque a *Chald.* haec lectio ignorabatur, cum et hanc et textus alterius lectionem in unum coniungeret scribens : civitas domus solis (בֵּית שֶׁמֶשׁ) quae evertetur dicetur una ex eis. *Secundo* lectio mas. apto sensu caret. Nam הֶרֶס si ex hebr. explicatur, non potest significare nisi *destructionem, urbs* autem *destructionis* in ea parte oraculi qua fausta annuntiantur poni nequit, quia cultus Dei prosperitatem, non ruinam affert. Neque sufficit dicere (cum *Del.*), urbem ita appellari, quia idololatria destruetur, esse urbem idolorum eversorum (sim. *Caspari, Drechsl.*); nam id *omnibus* civitatibus quae vero Deo nomen dabunt commune erit, ergo vix apte uni tamquam nomen peculiare attribuitur; dein nomen istud parum dicit; nam idola non colere, sed destruere certe non aptum est quod tamquam res insignis et praeclara ita celebretur, ut inde nomen formetur urbis ex quinque illis praestantissimae. Tentarunt quidem eam voci notionem subiicere, qua melior urbis exsurgeret designatio, laus excellentior. At frustra. Nam usum hebraicum relinquentes et ad Arabes confugientes, leonem arabice eo quoque vocabulo utpote qui sit dirumpens ac destruens appellari videntes hanc significationem statim ad vocem hebr. transtulerunt (cf. *Reinke*, Beitraege VII p. 326), id quod sane audacius est. Alii ex sermone syriaco notionem hauriri posse liberationis, salutis pro voce הרס contendebant (ita *Ros. Hezel*); sed rem esse plane incertam ostendit *Ges.* in commentario. Quare civitas illa neque civitas leonis (Leontopolis, ubi Iudaei aegyptiaci alterum exstruxerant templum) neque civitas salutis explicari potest.

Tertio facile explicatur, unde lectio הרס orta sit. Censent enim aliqui, Oniam IV cum templum in Aegypto exstruere vellet etiam respexisse vaticinium de civitate solis et propterea locum selegisse in nomo Heliopoleos (cf. *Naeg.*). Id quidem certum non est, cum explicite solum v. 19 afferat in libello Philometori et Kleopatrae porrecto a quibus veniam aedificandi efflagitabat; attamen addit καὶ πολλὰ δὲ προεφήτευσεν ἄλλα τοιαῦτα διὰ τὸν τόπον; unde sententia illa probabilitate non caret. Sed quidquid de hac re statuitur, id extra controversiam est, Iudaeis palaestinensibus templum illud Leontopoli conditum abominationi fuisse; unde facile fieri potuit, ut nomum heliopolitanum ubi templum erat parva vocis inflexione civitatem destructionis vocitarent. Ad id iam *Chald.* duplici sua versione viam sternit. Idque eo magis evenisse censendum est, si templo exstructo Iudaei aegyptiaci etiam hoc nomen civitatis solis in sui defensionem proferebant. Hisce adde, Ieremiam prophetam 43, 13 explicite vaticinari contra Heliopolin : « et conteret statuas domus solis quae sunt in terra Aegypti » quam Beth schemesch domum solis vocat; appellatur *An* ab Aegyptiis et cultui dei solaris erat dedicata (cf. *Brugsch*, Diction. géogr. de l'ancienne Égypte p. 41), in cuius honorem multi ibi erecti cernebantur obelisci quos destructum iri Ieremias vaticinatur. In Scriptura alias nominatur אוֹן (cf. Gen. 41, 45. 50; 46, 20) apud LXX Ἡλιούπολις. Cum igitur, uti ex Ieremia patet,

nomen istud civitatis solis Iudaeis esset cognitum, et insuper Ieremias eius destructionem praediceret, facile intelligitur, quomodo Iudaei odio illius templi instigati urbem solis in urbem destructionis, cheres in heres, mutare potuerint. Immo in 6 codd. legitur החרם urbs maledictionis. — Hisce igitur rationibus censeo cum veteribus illis testimoniis contra textum mas. חרס esse legendum; hanc autem vocem cum iisdem ex hebr. esse explicandam, non ex radice arabica urbs custodiae vel protectionis (id quod *Ges. Ewald, Maurer, Kn.* volunt).

LXX habent πόλις ἀσεδέκ, i. e. הצדק iustitiae civitas. Censet *A. Scholz* (Die alexandrin. Uebersetzung d. Is. p. 10) hanc lectionem esse genuinam. Verum haec sententia id incommodi habet, quod nomen pro salute messianica usitatum et ideo omnibus commune *uni* tribuitur civitati. Aliud est, si Ierusalem simili appellatione decoratur, quia Ierusalem non unam aliquam civitatem in regno messianico exhibet, verum ut theocratiae centrum ipsius regni messianici typum ac figuram in se exprimit. Quod *Scholz* praeterea addit הרס ex norma canonis *athbasch* (de quo vide *Cornely,* Introd. I p. 600) esse ortum, est valde mancum; nam pro tertia litera id nullo pacto valet, pro secunda solum, si schin et sin ut duae literae numerantur; quod si pro prima litera quoque feceris, non habebis quod haberi oportet. — *Sym.* legit πόλις ἡλίου; *Aq.* et *Theod.* praebent ἄρες, quod ex cod. syr. hex. הרס scribitur (cf. *Middeldorpf* p. 93. *Field* ad h. l.). *Syrus* quoque pro הרס testimonium fert. Vocem eam *S. Ephr.* explicat urbem iustitiae. Hoc sane mirum; videtur ergo illud ἀσεδέκ LXX ob oculos habuisse. *Barh.* vocem explicat *Arisch,* quam urbem *Severus Ant.* primam occurrere dicit e Palaestina Aegyptum ingredienti; sequiore aetate ab incolis dictam fuisse Rhinocoruram, postea Phacus vel Phacussam; in Scripturis vero vocari Bethschemes et positam esse in ea Aegypti parte quae subiaceat Heliopoli (cf. *S. Ephr.* opp. II p. 51). — Longiorem de hoc loco dissertationem scripsit *Reinke,* Tüb. Quartalschrift 1870 p. 1-31; vide quoque *Geiger,* Urschrift und Ubersetz. p. 78. 79.

Postquam v. 18 generali quadam ratione cognitionem Dei et religionem in Aegypto fore dictum est, iam peculiaria quaedam cultus documenta et pietatis testimonia proponuntur v. 19 « *in die illa erit altare Domini in medio terrae Aegypti et titulus Domini iuxta terminum eius* »; — cum terra media et terminus, finis terrae, nominetur, cultum Dei per totam late Aegyptum passim esse propagatum innuitur. Mentione facta *altaris* Domini, θυσιαστήριου מִזְבֵּחַ, arctos veteris foederis limites auferri et tempus declarari messianicum constat, cum id terrae alienigenarum attribuatur, quod ex legis mosaicae norma uni solum loco cultui sacro peculiare esse poterat. *Titulus* i. e. monumentum, columna, memoriale cultus Domini in eius honorem et gloriam erectum ac consecratum exprimit, Dei cognitionem et cultum magni aestimari, laudes Dei publice celebrari, ipsam regionem iam professione publica Deo consecrari. In his duobus igitur religio designatur quae sacrificiis et orationibus laudis ac

gratiarum actionis continetur et exercetur. Cum Aegyptus habeat altare Domini et monumentum eius, quod in laudem ipsius ad victorias celebrandas vel ad gratam beneficiorum recordationem erigi solet, Dominum victoriam reportasse dicitur de idolis, adesse significatur illud tempus quo etiam gentes in suo quaeque loco (cf. ad Soph. 2, 11) Dominum colent cultu sacrificali (cf. ad Mal. 1, 11) et supplicationibus et publicis monumentis magnalia Dei profitebuntur. Unde locus hic insignis quoque est ad indolem religionis cultusque tempore messianico describendam. — Hunc locum Onias IV explicite allegat ad templum leopolitanum aedificandum.

Quia igitur *altari* et *titulo* Domini erectis Dominum occupasse Aegyptum et de idolis triumphum egisse manifestum sit, v. 20 « *erit in signum et in testimonium Domino exercituum in terra Aegypti* » ; — i. e. ipse ille cultus eiusque professio sollemnis et publica et terra Aegypti, olim solum idolorum templis et monumentis obsita, sed iam divina in se ostentans documenta aperte profitetur miram Dei potentiam et operationem, *signum,* miraculum a Deo patratum et ita *testimonium* redditur praeclarum coram gentibus potentiae ac maiestatis divinae. Tunc autem cultu Dei assumpto iam non frustra, uti antea labore inutili idola supplices adibant, supplices deprecabuntur : « *clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis et mittet eis salvatorem et pro pugnatorem qui liberet eos* » ; —hebr. verte *si clamabunt... mittet eis salvatorem et vindicem et liberabit eos ;* commercium indicatur familiare inter Deum et populum fidelem ; supplicantibus opem laturus occurrit, uti olim populo iudaico miserat *salvatores* i. e. iudices, qui eos eriperent ab hostili oppressione; mittet *vindices* i. e. qui oppressorum causam agant et valide tueantur (cf. Mich. 5, 5. Abd. 21). Ea ratione se Aegyptiis ut Deum potentem opere exhibebit, Aegyptii autem hisce muneribus divinis ditati fervore pietatis eum religiosissime colent ; v. 21 « *et cognoscetur Dominus ab Aegypto et cognoscent Aegyptii Dominum in die illa et colent eum in hostiis et in muneribus et vota vovebunt Domino et solvent* » ; — hebr. explica *Deus sese manifestabit Aegyptiis,* iis dabit, ut *sciant* eum i. e. eum tamquam talem experiantur qualis vi nominis sui est (cf. quae notavi ad Os. 2, 20); familiaris ac mutua quasi bonorum communicatio indicatur, qualis inter amicos exsistere solet : Deus *se,* potentiam, benignitatem, gloriam iis suam exhibebit, illi intimis eum animis cognoscendo et amando complectentur eumque hostiis et oblationibus colent et ultra ea quae debent sponte sua vota vovebunt et voluntaria illa pietatis officia fideliter persolvent. Tempora cogita Isaiae et Aegyptum ea aetate foeda idololatria foedissime opertam et intelliges, cur vates tanta cum voluptate immoretur descriptioni pietatis aegyptiacae olim futurae, quae insigni

est documento omnibus, quid Deus efficere possit [1]. In ipsa autem enumeratione considera cultum exhibitum per *sacrificia* denuo commemoratum (cf. v. 19) et pietatem *votis* susceptam et declaratam; habes in utroque quasi imagine depictum illud adorationis genus quod revera Deo offert Ecclesia catholica, quodque cum iam in vetere foedere i. e. in umbra exsisteret, perfectiore ac sublimiore modo in novo exhiberi debet, uti ipsa ratione typi ad impletionem, umbrae ad veritatem suo iure exigitur. Consequuntur autem vi verborum sacrificia et vota Dei cognitionem, idque merito, nam quo perfectius cognoscitur Deus, eo sublimior desideratur cultus quo homo quam maximum Deo rependat honorem et quam plenissime suam testetur devotionem; utrumque autem perfectissime fieri per sacrificia et vota, ex ipsa horum notione facile colligitur. Unde simul perspicitur verbis prophetae non designari pro tempore messianico cultum solum oratione vel verbi Dei annuntiatione constantem, sed describi adorationem actibus sacrificii [2] et votorum praeclaris exhibitam.

Cernit vates Aegyptum nunc idolis quam maxime maculatam tempore futuro insignem pietate. Revera haec mutatio dexterae excelsi! Quam quo pacto Deus sit effecturus paucis complectitur, denuo declarans normam Dei v. 22 «*et percutiet Dominus Aegyptum plaga et sanabit eam et revertentur ad Dominum et placabitur eis et sanabit eos*»; — ex iudicio scil. salus orietur; «plagam dicit regni privationem, sanationem vero cognitionem Dei; postquam enim illorum regnum evertit, pietatem docuit»; punit enim Deus, ut misereatur (*Pint.*), qui tandem est omnium iudiciorum Dei finis: vincimini quia Emmanuel (8, 9. 10).

Sententia hac ea denuo comprehendi quae toto hoc vaticinio proposita sunt, ipsis verbis iam suadetur: nam *percutere plaga* נָגַף vehementem illam ac multiplicem percussionem significat, de qua in priore parte vaticinii sermo fiebat; *sanare* vero morbum illum letalem auferri et veram coram Deo donari sanitatem explicat; *converti* autem *ad Dominum* opponitur conditioni aversionis et ignorantiae rerum divinarum, in qua antea obstringebantur. Neque si *revertere* dicis, aliam indicas notionem. Nam idola colere semper etiam pro gentibus est idem ac *desciscere* a Deo; quare eadem ratione qua Israel idololatra meretrix vocatur, etiam Ninive meretrix appellatur apud Michaeam (1, 7) et Ezechiel Deum a gentibus esse abiectum et spretum dicens foedus illud etiam cum iis olim initum significat (16, 45). Alii versum intelligunt de Aegyptiis iam Deum

1. Bene id sensit *S. Cyr.*: « emphasim magnam et vim habet haec oratio quippe non sine admiratione dictum. Annon enim est ab opinione ac fide alienum et plane paradoxum in ipsa regione Aegyptiorum altare Domini videri »?

2. Bene *Theod.*: « sacrificium et donum vocat τὴν μυστικὴν λειτουργίαν ».

colentibus, uti a v. 18 describuntur, sed qui si aliquid in Deum peccaverint denuo, ab eo erudientur ac paterne castigabuntur et castigati in gratiam recipientur; ita *Drechsl. Del. Naeg. Net. Rohl.* Sed *percutere plaga* multo plus dicit quam paternam ac benignam castigationem; qui necesse habent, ut *convertant* se ad Dominum, *aversi* sunt ab ipso; quare prior explicatio cum *S. Cyr. Theod. Sanct. For. Calm. Troch.* est praeferenda; alii utramque ex aequo proponunt (*Lap. Men. Tir.*); *S. Hier.* verba non ad punitionem, sed ad probationem piorum refert; « quem enim diligit Dominus corripit, castigat autem omnem filium quem recipit; persecutio non ad negationem credentium sed ad probationem pertinet et coronam ».

Qualis futura sit sanatio, ulterius declaratur ita ut tres illi populi, de quibus in antecedentibus vel implicite vel explicite sermo erat, in summa inter se pace et bonorum communicatione vivere et unum populum Dei constituere dicantur (v. 23-25). In priore oraculi parte implicite Assyrii qui Aegyptios oppressuri sint designantur, terra Iuda Aegyptiis erit in pavorem (v. 17), sed Deus auctor pacis in suo regno omnes verae amicitiae vinculo inter se adunabit. Si tempora spectantur vel quae fluxerunt vel quae Isaiae aetate fluunt, duo populi Aegyptiorum et Assyriorum quam maxime consistere conspiciuntur inimici theocratiae et etiam inter se bellis mutuis grassantes; unde quo maior est illorum a regno Dei abalienatio et inter se infensissimi odii bellorumque discordia, eo sublimius et magnificentius evadere cernitur vaticinium, quo mira illa mutatio et sanatio per dexteram excelsi efficienda praedicitur v. 23 « *in die illa erit via de Aegypto in Assyrios et intrabit Assyrius Aegyptum et Aegyptius in Assyrios et servient Aegyptii Assur* »; — ultimum membrum in hebr. potest intelligi *et servient Aegyptii cum Assyriis* (scil. Domino), et eo modo commodius explicatur cum *Vat. Mald. Osor. Malv. Sanct. Sa, Lap. Men. Tir. Loch, Troch. Net. Rohl. Kn. Drechsl. Naeg. Del.* (contra LXX, *vulg. Syr. Chald.* et aliquos etiam recentiores, uti *For. Grotius, Hitz.*); respicitur enim ad v. 21 *servient* (hebr.) in hostiis etc. idemque ex v. 25 eruitur. Per viam et mutuum commercium pax et amicitia et familiare inter eos commercium declaratur, neque servitus, sed aequalitas designatur; unde id autem efficiatur, aptissime subiungitur, eo scil. quia in unius Dei cultu ac servitio animi eorum coniuncti sunt; una iam mente et fide eadem Domino servient; inde ergo omnis pendet ibique vertitur pacis atque amicitiae populorum cardo (cf. Is. 2, 4). Haec sane est pax illa Christi, ut dicit *S. Cyr.*, « non enim modo superioribus administris et sanctis spiritibus terrae incolas coniunxit, sed gentes cum gentibus congredi et celebrare coetus inter se instituit; antequam enim hoc commercium aliorum cum aliis veniret, separatae erant provinciae et urbes, crebrae seditiones ac turba-

tiones ... et quosvis quibuscumque modis opprimere nobile quiddam et sane quam admirabile ducebatur». Hac pacis imagine post maximam perturbationem (v. 4 seq.) proposita animi alliciantur oportet et edoceantur, ubi tandem vera sit exquirenda beatitas.

Via ex Aegypto in Assur sterni debet per terram Iuda et Israel; quare illa iam imagine familiam Dei quasi in centro constitui ac contineri et iungi per populum electum satis innuitur. Haec autem magna Dei familia iure aequali iam gentes complectens et sollemni Dei declaratione agnita et proclamata nobis exhibetur v. 24 « *in die illa erit Israel tertius Aegyptio et Assyrio, benedictio in medio terrae,* v. 25 *cui benedixit Dominus exercituum dicens : benedictus populus meus Aegypti et opus manuum mearum Assyrio, hereditas autem mea Israel* »; — en Dei foedus aequo iure gentes comprehendens; iam non solum Israel est populus Dei, gens electa, sed Israel est *tertia pars* cum Aegyptio et Assyrio i. e. populus Dei iam pari ratione coalescere cernitur ex iis qui eousque idolorum cultores et inimici theocratiae fuerant et ex populo Israel. Id ergo quo eousque solus Israel erat insignitus iam aequa ratione commune esse intelligitur gentibus; ita Israel in medio populorum collocatus (in umbilico terrae, Ez. 38, 12) revera attulit benedictionem omnibus promissione quae Abraham facta erat iam opere impleta : in te benedicentur omnes gentes. Etiam nostro loco praeclare innuitur, quomodo benedictio haec primitus patriarchis data et in Israel quasi reposita per Israel cum aliis communicetur; habes enim v. 17 cognitionem Dei per Iuda aliis indi, habes in via ex Aegypto in Assur terram Iuda tamquam mediam et familiare illud commercium promoventem. Unde quia Dei cognitio in Israel reposita simul cum reliquis bonis in ea una inclusis ad gentes promanavit, iure Israel *benedictio* dicitur *in medio terrae* i. e. foedere Dei universali concluso vates populum in eo cernit fastigio ac culmine positum, quod vaticiniis olim patribus benigne concessis erat assignatum. Hac vero benedictionis cum aliis communicatione reliquae gentes ad *eandem* cum populo Dei dignitatem evehuntur ; id quod hoc loco ita exprimitur, ut Israel dicatur esse *tertia pars* cum Aegypto et Assur; ergo separatio illa est amota, « incircumcisi » iam non sunt immundi atque impuri, et simul admonemur ea appellatione et aequiparatione, ne alios locos de servitute vel subiectione perperam intelligamus (cf. ad 14, 2).

Huic populo ex tribus illis conflato Dominus iam triplici benedictione bene precatur in modum benedictionis triplicis quam pontifex in populum pronuntiare iussus erat (Num. 6, 24) : *benedictus populus meus Aegyptus et opus manus meae Assur et hereditas mea Israel* (hebr.); tituli honorifici eousque Israeli proprii iam etiam in gentes transferun-

tur : adoptionis gratia tribuitur Aegypto, Assur nova quadam creatione et transformatione a Deo ita constituitur, ut opus Dei, opus manu divina restitutum dici possit et tamquam tale a Deo agnoscatur; Israeli perpetuo titulus ille servatur qui ei in patribus iam est inditus. Integram hanc familiam una benedictione i. e. aequo favore eademque gratia et benignitate Dominus prosequitur ac complectitur. Ecce ad quem tandem terminum ex Dei voluntate omnium populorum sortes tendunt! Post maximam illam cladem, miseriam, perturbationem summa hic nobis proponitur benedictio quam Dominus in eos pronuntiat quos duris castigationibus prosecutus erat. Uti 14, 32 Philisthaei et 16, 5 Moabitae ad salutem in Sion repositam amandantur, ita hoc loco postquam in antecedentibus et Israeli foedifrago et Assyriis (cp. 17. 18) et Aegyptiis (19, 1 seq.) clades est annuntiata, iisdem vera salus praedicitur. Et quemadmodum in cap. 18 epinicion Domini hostibus prostratis et maiestate Dei in terris longinquis agnita celebratur, eadem ratione nostro loco in descriptione pacis, in cultus Dei unitate, in beata gentium inter se communicatione, in Dei amore ac benedictione praeclare ostenditur, Dei gloriam ac victoriam quam maxime redundaturam esse in omnium felicitatem et salutem. Nam *vincimini, quia Emmanuel* (8, 9, 10); ad salutem messianicam omnes gentium sortes divina providentia dirigi et in ea salute omnium reponi bonorum copiam ac summam beatitatem, etiam hoc oraculo vates praeclare exhibuit ipsa miseriae priscae et salutis futurae inter se oppositione ac descriptione. Qua in re pro aequalibus Isaiae iam magnum continetur documentum. Aderant enim in aula et Achaz regis et Ezechiae sat multi, qui foedus cum extraneis, cum Assur, cum Aegypto, sibi saluti fore sperabant et summis appetebant votis ; iis eo oraculo panditur, qua demum ratione Deus conciliaturus sit foedus Israel cum gentibus in cognitione et cultu Dei firmiter stabilitum ; unde simul elucet ante talem gentium conversionem nihil ab eis exspectari posse nisi miseriam et ruinam ; hac enim cum ipsae involvantur ac ruant, etiam eos prosternent qui societatem fatalem inierint. Quare in onere Aegypti opportunum pro Iuda proponitur documentum.

Sensus non mutatur vel si *benedictio* refertur ad Israel, uti communiter faciunt interpretes et ipsa verborum conformatione et collocatione suadetur, vel si refertur ad numerum ternarium (*Naeg.*). Eo ipso enim quod Israel sit tertia pars, benedictio adesse dicitur terrae illi, cui antea maledictio erat inflicta ; unde benedictionem in Israel adesse et per Israelem gentium societate effecta in alios redundaturam esse asseritur. Alii quoque verba absolute posita esse concipiunt : exsistet benedictio in medio terrae i. e. in tribus illis regionibus (cf. *Kn.*). Quod additur *cui benedixit,* in textu lat. commode refertur ad terram, cui

a Deo benedictio illa in gentium adoptione conclusa iam promittitur; alii referunt ad Israel vel vertunt : quoniam Dominus ei (Israeli) benedicit (cf. *For. Rohl. Del.*); « expectaret fortasse quispiam ut diceret propheta; *dicendo : benedictus populus meus Israel ;* verum cum exponere vellet, quo pacto foret *media benedictio* et ceteri eius benedictionis futuri essent participes, dixit : *benedictus populus meus Aegyptius...* insinuans ex benedictione Israelis profectum ut Aegyptii essent benedicti et Assyrii opus manuum Dei dicerentur » (*For.*).

d) **Additur confirmatio ex clade mox futura 20, 1-6.**

Vaticinio modo in tempus longinquum prolato additur ex tempore mox futuro confirmatio quaedam ac veluti pignus. Id minime abhorrere a more prophetae, iam advertimus, cum oraculo de ruina Babel subiungeretur vaticinium ad Assur pertinens (14, 25) vel onus Moab eventu mox futuro concluderetur (16, 14); « de bonis in Aegyptios conferendis vaticinatus ea quae mox finem nactura erant subdidit, ut a praesentium eventu ea quae diuturno post tempore futura erant credibilia essent iis qui tunc propheticorum sermonum auditores erant » (*Euseb.* sim. *Procop.*). Eo quoque vaticinio simul clare ac distincte via designatur, qua Dominus Aegyptum sit humiliaturus et minas praedictas opere complere incipiat, et cum adeo determinatum subdatur oraculum tempore et conditionibus circumscriptum atque definitum, iure inde quoque inferre licet, oraculum antecedens in ratione potius generali describenda et in universum delineanda versari. — Cladem et captivitatem Aegyptiorum et Aethiopum vates habitu suo iubetur publice declarare : v. 1 « *In anno quo ingressus est Tharthan in Azotum, cum misisset eum Sargon rex Assyriorum et pugnasset contra Azotum et cepisset eam,* v. 2 *in tempore illo locutus est Dominus in manu Isaiae filii Amos dicens : vade et solve saccum de lumbis tuis et calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic vadens nudus et discalceatus* » ; — eo anno quo dux supremus militaris — id enim significat Tharthan, assyriace tur-ta-nu, quem miserat Sargon, qui post Salmanasar rerum assyriacarum potitus est (an. 722-705 a. Chr.)[1], ad expu-

---

1. De Sargone eiusque rebus gestis assyriologi optime meriti sunt. Excepto enim hoc Isaiae loco, in quo nomen regis huius commemoratur, nullus scriptor neque sacer neque profanus ullam eius regis memoriam vel mentionem fecit, ita ut olim non pauci eum eundem esse dicerent vel cum Salmanasar (*Vitringa, Eichhorn*) vel cum Sennacherib (*Grotius, Lowth, Doederlein*) vel cum *Asarhaddon* (*Kalinsky, Marsham, I. D. Michaelis*). Sed excavationibus a Botta in Korsabad (inter septemtrionem atque orientem a Mosul) factis tot eius regis monumenta reperta sunt, ut iam eius regni tempus inter optime notas aetates referri debeat. Rerum potitus est ab an. 722-705, per quod tempus fere continuis bellis adversus Elam, Phoenicen, Philisthaeam, Iudam, Aegyptum, Armeniam, Babyloniam occupabatur. Praeterea aedificiis erectis nomen celebre nactus est; inter imagines sculptas ipsa huius regis, antea

gnandam urbem Asdod accessit, Isaias habitu captivi incedere iubetur. Inscriptionibus cuneiformibus de bello cum Philisthaeis eo tempore gesto et de obsidione ac expugnatione urbis Asdod (Azoti) satis edocemur; iis enim refertur, Azuri, regem Asdod animo obdurato vectigalia imposita non solvisse, immo nuntiis missis alios quoque principes ad defectionem ab Assyriis incitasse, unde eum a Sargone esse regno privatum et fratrem eius Achimit regem institutum; sed contra eum insurrexisse ipsos Azotidas eoque pulso sibi constituisse regem alium Iaman (Yavan) nomine et simul ab Aegyptiis opem efflagitasse contra Assyrios. Quare Sargon dicit se expeditionem in Asdod suscepisse; quo nuntio audito Iaman aufugisse in Aegyptum; porro narrat urbem Asod esse obsessam et captam [1], idola, uxorem regiam et filios et filias et opes et thesauros esse ablata in Assyriam (cf. *Vigouroux*, l. c. p. 165 seq. *Schrader*, Keilinschriften u. A. T. ad h. l.).

Expeditio haec undecimo anno regis Sargon est suscepta. Aegyptii rebellionem contra Assur semper fovebant et principes civitatum regesque foedere contra illos unire ac continere conabantur. Verum quantopere vires eorum iam fuerint fractae, inde ostenditur quod Iaman regem qui confugerat in Aegyptum statim cum Sargon id postularet traderent. Etiam maiorem humiliationem mox iis fore vates iubetur habitu suo declarare. Solvere iubetur saccum i. e. vestem extimam duram et asperam ex rudi panno vel cilicino confectam, quo habitu ipso austero tempora agi aspera satis iam indicabat. Sed eum quoque deponere iubetur, ita ut *nudus* i. e. tunica solum interiore ac breviore contectus, proinde habitu indecoro et ad ignominiam conformato incederet. Nudus enim apud orientales ille iam appellatur qui toga vel pallio deposito sola tunica interiore vestitur (cf. 1 Reg. 19, 24. 2 Reg. 6, 20; ita communiter et merito). Id factum est, ut insolito spectaculo animi popularium excitarentur et ad vaticinium et salutare documentum percipiendum attentiores redderentur (vide quae notavi ad Os. 1, 2). Atque merito praedicat *S. Hier.* promptum prophetae ad obediendum animum et ad mandatum adeo ignominia plenum fortiter subeundum; « quod iubeatur nudus incedere et nihil cunctari idque confestim agere in oculis adstantium, maximae sane obsequentiae erga Deum et alacritatis, parati item sublimisque animi argumentum fuerit, qui humanam glo-

---

plane incogniti, figura nobis est servata. Vide plura apud *Schenkel*, Bibellex. IV p. 182 seq.; *Riehm*, Handwoerterb. II p. 1370; *Vigouroux*, l. c. I p. 144. IV p. 122 seq. 128-170; *Brunengo*, Civiltà catholica XI. 4, 144 seq.

1. Neque ullo pacto cum nostro textu pugnat quod Sargon dicit: ego obsedi et cepi; nam in usu erat positum, ut reges facinora praeclare per duces gesta sibi ipsis adscriberent.

riam ne flocci quidem faciat » (*Euseb.*). Et *Sanct.* advertit : « quis ex vulgo ignobili non horreret omnique studio atque arte contenderet, ne insignem illam ignominiam subiret; sed nihil arduum humilibus est, nihil foedum ac turpe his, qui in explenda divina voluntate summum sibi honorem et commendationem constituerunt ». Ceterum Deum saepius difficilia et ardua a prophetis suis postulare, exemplo sunt Ieremias et Ezechiel.

Iam quid eo habitu sit portendendum, declaratur v. 3 « *et dixit Dominus : sicut ambulavit servus meus Isaias nudus et discalceatus, trium annorum signum et portentum erit super Aegyptum et super Aethiopiam*, v. 4 *sic minabit rex Assyriorum captivitatem Aegypti et transmigrationem Aethiopiae iuvenum et senum nudam et discalceatam discoopertis natibus ad ignominiam Aegypti* »; — hebr. *sicut ambulavit servus meus . . . per tres annos signum et portentum super . . . . , sic minabit* etc. quibus verbis exprimi videtur, Isaiam per tres annos eo habitu incessisse et tum demum signi huius ac portenti declarationem a Deo esse datam ; dicitur enim *sicut ambulavit,* LXX ὃν τρόπον πεπόρευται; dein *per tres annos* (hebr.) uti LXX quoque τρία ἔτη ; neque hebr. intelligi potest eum fuisse trium annorum signum i. e. expletis tribus annis fore impletionem. Impletio enim non accidit nisi, ut videtur, quando Asarhaddon et Asurbanipal Aegyptum invaserant. Illum enim devicto Tharaca innumerabiles captivos abduxisse in cuneiformis inscriptionibus legitur, hunc autem devicto Urdamani Thebas usque processisse et cum spoliis ingentibus plurimos quoque captivos abduxisse Niniven, iam ad Nah. 3, 8 dictum est. Captivos habitu ignominioso ad ludibrium et turpitudinem fuisse indutos vel etiam nudatos, vide Is. 47, 2. Ut autem actio haec symbolica Isaiae effectu suo in animos Iudaeorum non careret, plane necessarium erat, ut revera externe perageretur; quare merito iam monet *Mald.* interpretes lat. audiendos minime esse qui ob rei foeditatem putent sola visione id esse a propheta peractum. Ceterum non opus erit rem ita concipere quasi *continuo* per tres annos ita incesserit Isaias; sufficiet si iteratis vicibus per tres annos illo se habitu oculis civium intulerit; nam etiam is iure dicitur per tres annos veste extima spoliatus incessisse, qui id quod neque antea neque postea exhibuit, per tres annos frequenter et in publico quasi muneris sui partem in se suscepit, sicut dicitur v. g. per duos menses ad valetudinem roborandam equitasse, vel balnea adhibuisse, vel montes ascendisse is, qui istud *saepius* eo temporis spatio ex medicorum consilio fecit, minime vero continuo.

Alii *signum per tres annos* referri censent ad calamitatem quae per tres an-

nos duratura sit; ita *S. Hier. Mald. Sanct. Pint. Sasb. Lap. Men. Tir. Troch.*; sed in verbis ipsis id non indicatur, sed solum effertur eum per tres annos habitu suo esse signum et portentum, eum ergo per tres annos incessu suo animos popularium ad rem futuram attentos reddidisse vel per tres annos edidisse prophetiam ipsa agendi ratione symbolica. Sed ex sola duratione symboli duratio rei per symbolum repraesentatae certo colligi non potest. Duratio enim symboli praecipi potest propter alium finem, ut nostro loco esse videtur, scil. ut diu et efficaciter admoneantur et a foedere aegyptiaco deterreantur, et ideo res quae brevi spatio temporis erit peragenda, nihilominus symbolo diu durante exhiberi et adumbrari potest. — A textu alienum est quod alii censent Isaiam solum per tres dies ita incessisse (ita *Haim. S. Thom. Lap.*); sed quod alias Deus diem legitur pro anno computasse (Ez. 4, 5. 6), eo certe non efficitur etiam hoc loco Isaiam dici esse portentum per tres annos eo quod nudus incesserit per tres dies, cum de diebus ne verbulum quidem legatur. Neque aliunde regula generali constat actionem symbolicam per diem exercitam eventum praesignificare per annum duraturum. — Sunt qui contendant Isaiam incedere iussum esse plane nudum (cf. *Sasb. Lap. Calm.*); verum id uti ab omni honestatis sensu abhorret, ita verbis non necessario exigitur, cum nudus iam ille dicatur qui veste superiore careat sola breviore vestimento tectus; ita rem iam expendunt *Sanct. For. Men. Tir. Est.* et communiter recentiores (cf. *Ges. Kn. Winer* s. v. Kleidung, *Schenkel,* Bibellex. III p. 541; *Del. Naeg. Troch. Rohl.* etc.). — *Saccus* proprie est vestis quae luctus tempore geritur; propheta igitur ut muneris rationem declararet et pro populi peccatis lugeret eo vestimento continuo usus esse videtur. Ceterum eo vestimenti genere indutos fuisse prophetas colligi potest ex iis quae 4 Reg. 1, 8. Zach. 13, 4. Matth. 3, 4. Hebr. 11, 37. Apoc. 11, 3 dicuntur. Talem autem saccum esse gestum pro veste superiore, inde ostendi potest quod frequenter saccum induere חָגַר *cingere,* exuere פִּתַּח *solvere, aperire* dicitur, qui loquendi modus solum usurpatur de veste superiore, de cingulo, gladio, armis, nunquam autem de tunica interiore (de כְּתֹנֶת), de qua *induere* לָבַשׁ, exuere פָּשַׁט adhibetur (cf. *Kn.*). Quod 4 Reg. 5, 30 narratur saccum super carnem esse gestum a rege, ipso narrandi modo tamquam res insolita proponitur.

Haec vero summa Aegyptiorum et Aethiopum ignominia atque humiliatio adeo diu Iudaeis est ob oculos posita, ut ne fiduciam in illorum ope collocent ullam. Nam tempore quoque Ezechiae regis adfuisse inter Iudaeos qui ab oppressione assyriaca sese ope Aegyptiorum et foedere aegyptiaco defendere posse existimarent, res est certissima (cf. Is. 30, 2). Quare propheta non sine acrimonia dicit, tum demum, si Aegyptii in captivitatem foede abripiuntur, illos esse suam ipsorum stultitiam intellecturos v. 5 « *et timebunt et confundentur ab Aethiopia spe sua et ab Aegypto gloria sua* »; — quanta ironia spectaculo illo abductionis turpis exhibito! in eiusmodi reposuisse spem, quaesivisse gloriandi et sese iactandi materiam, ab eiusmodi ornatum et rerum omnium incre-

mentum exspectasse, et confusioni pudorique erit et simul timori iustissimo, ne simile quid ipsis quoque eveniat. Ut antequam ista confusione obruantur, melius sapiant fiduciamque humanam abiiciant, propheta iis exponit, quomodo clade illa omnes habitatores Palaestinae erudiantur v. 6 «*et dicet habitator insulae huius in die illa : ecce haec erat spes nostra ad quos confugimus in auxilium, ut liberarent nos a facie regis Assyriorum ! et quomodo effugere poterimus nos*»? — אִי est ora maritima; ita vocatur Soph. 2, 5 regio Philisthaeorum et Is. 23, 6 Phoenice. Hoc nostro loco tota terra palaestinensis ita appellari videtur; sane praecipue institutionem atque eruditionem Iudaeorum spectat propheta et simul cum aliis populis Iudaeos quoque opem contra Assyrios exspectasse ab Aegyptiis certum est. Unde *habitator* de variis Palaestinae gentibus intelligatur oportet, sed praecipue de Iudaeis. Forte indicare voluit propheta appellatione illa quae alias de terra palaestinensi non usurpatur, Iudaeos spe illa seipsos in censum quasi et ordinem redegisse gentium terramque sanctam effecisse regionem communem. De duobus autem eventu illo edocendi sunt : quam stultum sit spem ponere in hominibus (cf. 30, 3; 31, 3) et eandem miseriae sortem sibi ipsis imminere, nisi interventu Domini protegantur. Unde bene adnotat *S. Hier.* : « est igitur hic ordo providentiae Dei omne hominum genus ineffabili iudicio dispensantis; contra Dei iram Israel speravit in Damasco; diruatur civitas quae adversus illius voluntatem impiis praestat auxilium; Iudas speravit in Aegyptiis, et Aegyptus destruatur; Assyrii superbierunt non Dei sed suarum virium arbitrantes esse victoriam et ipsi vincantur a Babyloniis, Babylon elevavit contra Deum caput et ipsa a Medis Persisque superetur .... demum excidatur lapis de monte sine manibus et potentissimum primum regnum ac ferreum, deinde fragile et infirmum in testarum modum conterat ».

7. *Oraculum in Babylonem* 21, 1-10.

Arg. — Vehementissimae tempestatis instar exercitus hostilis omnia devastans congregatur ad obsidionem Babylonis, ut tyrannidem eius ulciscantur. Talis autem est belli apparatus, ut qui eum cernit totus horrore et commiseratione urbis infelicis concutiatur. Ipsi vero Babylonii comessationibus se dedunt, donec subito clamore bellico perterrentur (21, 1-5). Iam prophetae urbis expugnatio ita ostenditur, ut speculatorem ex edito loco prospectantem ponere iubeatur, qui exercitum hostilem in urbem properantem videt et cui tandem collapsam esse Babylonem nuntius affertur. Haec quae vates visione accepit cum popularibus consolationis causa communicat (21, 6-10). — Oraculum hoc singulari ar-

tificio est efformatum et ratio visionis propheticae in eo quam maxime cernitur; «nunc enim velut futurorum oculatus testis et spectator a Deo sibi ostensa enarrat, nunc et quid temporum decursu et delapsu contingeret spiritu prophetico ante denuntiat, nunc introducit insuper personam Babyloniorum sese ob tam acerbas et inopinatas calamitates deplorantium; proinde quasi contemplatus Persarum et Medorum et Elamitarum contra Babylonem expeditionem ita ait : obequitabunt et peragrabunt eremum» (*S. Cyr.*). Fere ad genus quod dramaticum vocant accedit oraculi forma et propheta in visione res coram agi cernens simul suis se affectibus intime cum perpetratione rerum quasi commiscet et coniungit.

a) Babylon dure oppugnatur 21, 1-5.

Titulus obscurior est « *Onus deserti maris* »; — intelligi Babylonem, indubie ex v. 2(cf. 13, 17) et v. 9 colligitur. Sed unde Babylon *desertum maris* appellatur? Mare intelligi Euphratem facile concesseris, si adverteris maiora flumina eo nomine appellari; vide ad 19, 5; idque eo magis pro Euphrate quoque valere debet quippe qui canalibus, lacubus, paludibus regionem longe lateque opplere videbatur. Unde Ieremias babylonem vocat habitantem super aquas multas (Ier. 51, 13) et similiter minatur : desertum faciam mare eius (51, 36). Cum qua designatione maris optime congruit nomen in inscriptionibus cuneiformibus regioni Babylonicae inditum : mare, regio maris (tihamtu, mat tihamtiv) et eius regi : rex maris (sar tihamtiv), congruit quoque quod Herodotus (1, 148) narrat, antequam aquae fluminis aggeribus continerentur, flumen omnem planitiem maris instar operuisse (ἐώθεε ὁ ποταμὸς ἀνὰ τὸ πέδιον πᾶν πελαγίζειν) et etiam melius quod ex Abydeno Eusebius affert (praeparat. ev. 9, 41), nomen maris ei regioni esse impositum. Unde ratio nominis satis declaratur neque opus erit cum *S.Hier. Cyr. Sanct. For. Men. Tir.* aliisque mare interpretari de incolarum multitudine nationumque confluxu et immensa opum ac divitiarum copia. Obscurius autem est, cur *desertum* maris vocetur. Cum oraculum in urbem adhuc pompa et opibus florentem denuntietur, planum esse videtur et consequens, ipsam urbem eo designari nomine, quo appareat quid coram Deo eiusque propheta valeant et in quo censu reponantur fastus ille ac pulchritudo, thesauri et ornamenta, palatia et arces, quibus Babylon mundi miraculum habebatur; sunt et appellantur igitur haec omnia *desertum,* amplissima urbs et splendidissima censetur vasta solitudo, horridum desertum. Continetur ergo ipso titulo urbis abiectio ac condemnatio.

Aliis placet desertum explicare non de statu praesenti, sed quasi nomen a conditione futura et punitione deprpromptum ; cf. *Euseb. S. Hier. Cyr. Thom. Sanct. Lap. Men. Tir. Calm. Kn.* ; sed cum *onus* annuntietur urbi florenti, non ruinis, et cum emphasi non careat ipsum illum splendorem adhuc exstantem eo nomine contemptibili vocari, haec interpretatio non placet. Cum Isaias nomina symbolica indere saepius soleat (cf. 7, 3. 14 ; 8, 1 ; 22, 1 ; 29, 1 ; 30, 7), certe etiam in eo nomine symbolum erit admittendum. Quare interpretatio ex ipsa regionis locique indole petita probari nequit. Volunt enim aliqui Babylonem vocari desertum propterea, quia regio illa, in qua Babylon condita est, revera sit מִדְבָּר i. e. magna quaedam planities quae demum meridiem versus in Arabiam desertam protendatur (*Del.*) vel quia inter Babylonem et mare iaceat desertum (*For.*), vel quia olim regio fuerit desertum (*Drechsl.*). Sed hae rationes ad dignitatem sermonis prophetici parum aptae videntur. Etiam minus aptum, quod praefert *Naeg.* titulum esse deprompum ex v. 1 in quo *desertum* occurrit.

Vates primo statim versu comparatione inducta totum rei argumentum breviter et nervose proponit : hostem terribilem vehementissimi turbinis instar impetum facturum in Babylonem et omnia obvoluturum : v. 1 « *Sicut turbines ab africo veniunt, de deserto venit, de terra horribili* » ; — « hic autem abruptus inchoandi vaticinii modus maximam indicat celeritatem, qua tanti imperii moles collapsa est » (*Sanct.*) ; uti enim ab australi plaga concitati ac violenti turbines feruntur qui obvium quodque turbant et involvunt et quibus obsistere nihil potest, ita hostilis impetus et vastitas in onere significata ingruet in Babylonem de solitudine, « de terra horribili, cuius ne nomen quidem audire possum absque formidine » (*S. Hier.*). Cum vates in visione prophetica (cf. v. 5. 6) sibi consistere videtur in regione babylonica, turbines illi ex plaga australi saevientes concitantur et afferuntur ex deserto Arabiae quod inter meridiem et occidentem a Babylone in immensum protenditur. Venti ex deserto irruentes vehementissimi reputantur (cf. Iob 1, 19. Ier. 4, 11 ; 13, 24. Os. 13, 15), itemque tempestates ab austro ingruentes (Zach. 9, 14). Indeterminatum illud ac vagum *venit* ad augendum horrorem aptum est, uti etiam quod additur *de deserto, de terra horribili;* facile enim in terrae indole dura et aspera feri quoque ac feroces militum animi et crudelia pectora intelliguntur et saevi mores describuntur, cum in regione dura et horrida etiam homines indurescere ac quasi silvescere et feritatem induere videantur. Impetum exercitus Persarum Medorumque vates ob oculos habet. Et cum Persae olim fuerint nomades regionem incolentes asperam, montanam, inopem, quae ratione habita camporum babylonicorum amoenitate ac fertilitate maxima insignium facile terra terribilis Babyloniis videri poterat, comparatio illa ap-

tissime inducitur et ad terrorem describendum et vastitatem exhibendam omnino est consentanea.

Quomodo *de deserto* iungendum sit, disceptatur. Coniunxi in interpretatione textus lat., uti ferunt accentus *mas.* et multi explicant (cf. *S. Hier. Mar. Men. For. Net. Ges. Ros. Drechsl. Del.*). Alii vero textum hebr. exponunt : *sicut turbines in austro irruunt e deserto, ita venit ex terra terribili;* ita iam *Sanct. Malv. Mald. Calm. Rohl. Kn. Naeg.* ; pro qua tamen iunctione afferri nequit quod *Sanct.* et *Naeg.* ponunt, comparationem institui et depromi de terra palaestinensi, נגב esse regionem Palaestinae australem, in quam irruant tempestates ex noto illo deserto quod toties מִדְבָּר in s. literis vocetur; nam nulla re indicatur a Palaestina comparationem procedere; e contra vatem in oraculo isto versari in Babylonia, ex v. 2 seq. v. 6 seq. indubie constat et pro regione quoque babylonica verum est tempestates a regione australi et deserto Arabiae ingruere. Cum igitur turbines *in austro* eo ipso e regione deserti irrumpant, non multum interesse videtur, utro modo iungas; desertum enim in priore membro e rei natura subintelligitur, si illud ad alterum trahas; latet vero in terra horribili et ipsa applicatione innuitur, si ad prius referre malueris. Praefero illud, quia tria membra concisa, brevia, cursu citato incedentia magis ad impetum adumbrandum et celeritatem irruptionis describendam apta mihi videntur, quam duo longiora et ipsa longitudine sua illam velocitatem et cursum quasi impedientia et intercipientia.

Neque contra hanc iunctionem excipi potest quod *Kn.* obiicit : Cyrum in sua expeditione transiisse Gyndem fluvium (*Herod.* 1, 189), venisse igitur ab oriente; sed regiones a Babylonia orientales haud apte nominari desertum; regionem enim elymaiticam esse montanam et ab agricolis et militibus incoli, Susianam autem et Sittacenen regiones esse valde fertiles (*Strabo,* 15 p. 731. 16 p. 839. 744). Hisce *Del.* quidem respondet, fieri potuisse, ut pars exercitus secundum Choaspem fluvium itinere capto descenderet in regionem campestrem Chuzistan et inde Babylonem aggrederetur; regionem autem eam campestrem apte vocari מדבר et eam partem revera tunc venisse Babylonem e regione inter meridiem et orientem spectante. Verum id, utut est, operosius responderi videtur. Ad comparationem enim solum requiritur et sufficit, ut hostes veniant *ex terra horribili,* quae eo ipso deserti nomine designari potest, et ut ingruant impetu facto, sicut turbines in regione australi furere et cuncta obvolvere solent. Neque enim ea est vel prophetiae vel visionis natura, ut quo itinere vel qua via Cyrus ad ipsam urbis expugnationem accedat, adeo accurate exhiberi debeat; sufficit, ut qua indole sit eius exercitus, quo terrore irruat, quam vastationem efficiat, comparatione adhibita ad modum visionis cuiusdam symbolicae et imaginariae proponatur, praesertim cum statim explicite efferatur *visionis* indoles. — *Syrus* ipsam quam habet visionem vates, ea comparatione designare videtur: sicut turbo ex austro volat ex deserto et venit ex terra longinqua, visio dura apparuit mihi. Sim. LXX.

Ita rei argumento breviter praemisso ad particularia vates descendit

v. 2 « *visio dura nuntiata est mihi; qui incredulus est, infideliter agit et qui depopulator est, vastat; ascende Aelam, obside Mede; omnem gemitum eius cessare feci* »; — durum et calamitosum spectaculum mihi ostensum est; tale videri non sine dolore potest ac commiseratione; unde ipsa visio est *dura*. Quid ei ostensum sit, subdit : *raptor rapit et vastator vastat* (hebr. cf. *For*. et recentiores). Obversatur ergo menti prophetae invasionis hostilis ac direptionis species, cui alia succedit imago determinata; cernit scil. exercitum aelamiticum contra Babylonem ascendentem et simul cum Medis obsidionem urbis instruentem, cui exercitui, ut ministro vindictae Dei (cf. 13, 3), acclamatione sua stimulos addit, nisi haec acclamatio ab ipso vate potius audiri censenda sit; id quod forte praeferendum erit, quia quae sequuntur *cessare feci*... verba Dei reputari debent quibus edicit omnem oppressionem qua Babylon reliquas gentes vexaverit se ablaturum (cf. *Mald. Men. Tir.*); « significat se videre velocissimos Medos et Persas qui excursionibus et depopulationibus faciendis praestantissimi habebantur, in Babylonem properare... videbat autem Deum tamquam summum imperatorem Medos et Persas adversus Babylonem incitantem » (*For.*). *Ascende* idem est quod aggredere expeditionem, suscipe; vel dicitur *ascendere* quia Babylon in fastigio imperii collocata consideratur (cf. *Rohl.*); si enim regionem spectas, in Babyloniam ab Aelam potius descenditur, uti a regione montana in planitiem.

Notat *S. Hier.* : « potest in hebr. ita legi : *qui caedis caede, et qui vastas vasta,* ut ad ipsum Elamitem et Medum prophetae vaticinium dirigatur hortantis eum implere quod coepit, intrepidum ascendere, obsidere potentissimam civitatem ». Alii verba illa :*perfidus perfide agit et vastator vastat* referunt ad Babylonios, ita ut causa reddatur a vate, cur Babylon sit devastanda. Ita *Mald. Osor. Schegg, Drechsl. Naeg.*; sed cum v. 1 iam calamitas ingruens sit proposita et v. 2 ipsa visio annuntiata, certo magis est consequens, ut quid visione ei sit exhibitum declaretur, vel ut verbis istis id ipsum quod visione perceperit, vates exponere censeatur. Visione autem non Babylonios cernit iniuriam inferentes, sed exercitum hostilem clades ac strages edentem. Praeterea a ratione visionis alienum est, ut in modum narrantis ea quae non cernatur causa afferatur. Unde verba haec ipsum exercitum hostilem describere quem vastantem videat vates omnino censeo. Neque ullo modo obstat בגד quod verbum de actione hostili praedatoris ac vastatoris dici, etiam 24, 16; 33, 1 ostenditur. — Alii utramque acceptionem in unam coniungunt vertentes hebr. *praevaricatoris praevaricator* (scil. exsistit) *et vastatoris* (vel vastatori erit) *vastator* (cf. *Mald. Vat. Malv. Mar.)*; sed haec versio admitti nequit propter collocationem articuli hebr.; *Sanct.* autem sententiam ita dividit, ut priorem partem ad Babylonios, ad Persas Medosque posteriorem referat : ut Babylonius infideliter agit, sic Persa vastator est. Sed ad modum visionis talis divisio parum congrua est ne-

que in visione tam iudicia de rebus hominibusque pronuntiantur quam facinora cernuntur.

Visionem esse duram non solum quia rebus duris continetur, sed etiam quia ipsum videntem dolore complet, declaratur v. 3 « *propterea repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me sicut angustia parturientis; corrui, cum audirem; conturbatus sum, cum viderem;* v. 4 *emarcuit cor meum, tenebrae stupefecerunt me; Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum* » ; — ultimum membrum in hebr. *noctem desiderii mei* (i. e. noctem cuius quietem desidero et exopto) *vertit mihi in horrorem* (cf. *For. Mald. Vat. Mar.* et recentiores); ita scil. se dicit visione dura cruciatum, ut tempus noctis et quietis omnibus desideratissimum sibi ponatur horrori. Sed unde affectus adeo vehemens? Num adeo deflere ac lamentari censendus est populi inimici stragem? Nonnulli id affirmant (cf. *S. Hier Thom. Sanct. Men. Calm. Rohl.*). Alii in his vocibus Babyloniorum audiri lamenta et eiulatus existimant; ita iam monet *S. Cyr.* : « prosopopoeiae vim habet oratio »; sim. *Euseb. Osor. Vat. Mar. Sasb.*; idque propius ad rem accedere videtur. In visione enim dum ingentem cernit afflictorum miseriam, haec apte ei ita exhibetur, ut simul eam in se experiri videatur, non quidem quasi tam vehementi commiseratione urbis impiae commoveretur, sed ut doloris magnitudine in se depicta repraesentet, quanta afflictione prosternenda sit Babylon urbs superba. Ad quod accedit maximae miseriae aspectu omnes etiam inimicos si non omnem humanitatem exuerint commoveri et dolore affici. Unde ex dolore visione percepto ingens clades depingitur. Dolores parturientis saepius exemplo sunt dolorum quam maxime acerborum vel subito irruentium (cf. Deut. 2, 25. Ps. 47, 6. Eccli. 48, 21. Is. 13, 8. Ier. 4, 31; 6, 24; 13, 21; 22, 23; 30, 6. Ez. 30, 16. Os. 13, 13. Mich. 4, 9 etc.). Hisce doloribus corpus distorquetur (hebr., ubi *vulg.* corrui), sensus perturbantur, cor *errat* (hebr.) vel vehementer titubat; unde visio *dura* satis superque constat, qua insuper quies noctis quae adeo grata hominibus illabitur ei in terrorem commutatur.

Ad versionem suam adnotat *S. Hier.* : « pro eo quod nos vertimus *Babylon dilecta mea* in hebr. legitur *neseph esci* (נֶשֶׁף חִשְׁקִי), et est ipsum verbum quod in principio babylonii oneris posuimus *super montem caliginosum; pro caliginoso* enim seu tenebroso scriptum est *neseph* ». Unde patet cur vocem Babylonis textui inseruerit; ibi enim *montem caliginosum* interpretatus est Babylonem. — Plerique hebr. vertunt : distorqueor ita ut non audiam; conturbor ita ut non videam (cf. *Ros. Drechsl. Kn. Del. Rohl. Troch.*); sed praeferendum videtur : distorqueor ex auditu, ex visu (cf. *Net. Naeg.*) i. e. ex iis

quae visione percipiuntur; id enim ad rationem visionis accommodatum est; in altera acceptione mirum illud habetur, quod vates dum in visione audiat et videat horrenda illa, simul profitetur se ita conturbari ut usum sensuum iam non habeat. Unde quaeri potest : sed si sensus actione sua destituuntur, quomodo iisdem sensibus cladem illam percipere potest, ex qua tamen perceptione terror ille oritur? Idque eo magis valet, quia statim subsequitur scena, ad quam percipiendam usus sensuum requiritur. Unde non satis concinnum videtur vatem in visione fingere sensibus destitutum prae terrore, cui tamen iisdem sensibus visus et auditus etsi vi imaginaria varii eventus exhibendi sint. Neque obstat מִן, quae particula sua nativa significatione omnino usurpatur, si verteris *ex auditu.*

Eius terroris ratio redditur. Cernit enim propheta Babylonios obsidione hostili cinctos nihilominus consuetis comessationibus (cf. 14, 11. *Curtius* 5, 6) operam dantes, at mediis in deliciis, luxuriis, ebrietate irruptione hostium exturbari : v. 5 « *pone mensam, contemplare in specula, comedentes et bibentes ; surgite principes, arripite clypeum* » ! — in hebr. ponitur in quattuor primis verbis infinitivus, qui ad rem describendam aptissimus est ; intellige igitur Babylonios mensam instruere et convivia parare et suae securitati satis superque esse consultum existimare, si *speculator speculatur* i. e. si excubiae dispositae sunt ; quare libere se dant comessationibus ac compotationibus. At subito irruentibus hostibus ex temulentia excitantur clamoribus : surgite principes, clypeum ungite (hebr.) i. e. tergite et expolite arma (*Chald.*). Adeo ergo secure degebant adeoque timoris expertes, ut ne arma quidem haberent ad pugnandum satis parata ; clypei non sunt uncti, non sunt tersi, vel si corio erant inducti, eo magis inungendi erant ne siccitate rigidiores facti fatiscerent et ictu gladii dissilirent (cf. *Ros. Malv. Troch.*). Quam praeclare hisce describatur expugnatio Babylonis, vide apud Danielem 5, 30 et apud profanos auctores (*Herod.* 1, 191. *Xenoph.* Cyrop. 7, 23) et ad idem refer Ier. 57, 39. 57.

Hanc scenam peragi apud Babylonios plerique recte statuunt. Ad illorum incuriam describendam bene congruit ipsa phrasis *instruere mensam,* qua maior quaedam ac longior praeparatio et convivium large instructum declaratur. Idemque ipsa impletione demonstratur. Si autem ea scena in castris hostium perageretur, fere inanis esset ac vacuus verborum sonus ; nam hostes etiam cibos capere et tum quando eis libuerit arma parare, certe non erat res eo verborum apparatu describenda ; neque apparet, quomodo ea acceptione terrores illi v. 3. 4 explicentur. — Aliis offensioni erat, quod Babylonii excubias ponerent ; putant enim ad summam illorum negligentiam pertinere, ut convivia celebrent nullo milite excubante. Sed gratis hoc dicitur et de se iam est improbabile, principes in urbe ab hoste obsessa ne milites quidem gregarios in excubiis ponere,

dum ipsi velint conviviis et luxuriis indulgere. Insuper Xenophon l. c. explicite refert excubias positas fuisse ad arcem regiam, verum illas ebrietati fuisse immersas. Adde alias verborum צָפֹה הַצָּפִית [1] explicationes satis esse vel ridiculas vel a verborum usu alienas. Ita sane quod vult *Ewald* : stellas speculari (de iis qui mensis accumbunt et largissime Baccho libant !) ; alii stragulas ponere (*Hitz. Cheyne, Kn.)*, sed צִיפָּא, צִפְּתָא *storea* in usu talmudico, non vero biblico invenitur, neque ad eam significationem adstruendam sufficit צָפָה quod in piel et pual in notione *obducere* adhibetur. Alii alias adhuc expositiones commenti sunt : affluimus rerum abundantia ; depuratur vinum defaecatum (utraque ex arabico ?), cf. *Schulzii* scholia in V. T. continuata a Bauer ; vel : accenditur candelabrum (*Kimchi, Iarchi* apud *Ges.*) ; pulsantur fides (*Abenesra*), instruuntur ordines (*Saadias* et *Abulwalid* apud *Ges.* — aliqua iam apud *Malv.*). — Conceptis verbis *Herodotus* l. c. refert exercendis choreis atque oblectationibus Babylonios operam dedisse, ita ut urbem captam esse eos latuisset aliquamdiu qui in extremis essent, donec maxime id rescirent. Similiter narrat *Xenophon* Cyrum cum intellexisset eiusmodi festum apud Babylonios celebrari quo per totam noctem potare et comessationibus se dedere solerent, cum advesperasset, recludi iussisse paludem Nitocris in quam abducendus esset Euphrates ; Cyrum ipsum ita facit alloquentem milites : nunc adversus illos imus, quo tempore multi illorum dormiunt, multi eorum ebrii sunt, omnes vero incompositi etc. de quibus vide *Ros. Sanct. Malv. Vigouroux* l. c. p. 480. *Rohling*, Buch des Proph. Daniel p. 154. *Brunengo* in Civiltà cattolica *XII*. 4, 291. 668 seq.

b) Babylon expugnatur 21, 6-10.

Hic novam vati communicari visionem, quae sit maior quaedam declaratio prioris (unde a כִּי *quia* incipit), ex mentione locutionis divinae interposita sequi videtur ; v. 6 « *Haec enim dixit mihi Dominus : vade et pone speculatorem et quodcumque viderit, annuntiet* » ! — hebr. accuratius *annuntiabit* ; ipsum prophetam esse speculatorem quem hoc loco ponere iubetur a Domino fere omnes iure statuunt (cf. *S. Hier. Cyr. Thom. Mald. Sanct. Men.* et recentiores). Est igitur huic visioni proprium, ut sicut vates v. 3. 4 quasi personam Babyloniorum induit, ita nunc non tam ipse per se agat quam per alium agere et res annuntiare videatur. Propheta est speculator in specula positus ; cf. Ez. 3, 17 ; 33, 2 seq. Hab. 2, 1 ; est expressio symbolica, qua sublimiorem cognitionem qua longinqua quoque comprehendantur ei a rebus terrenis avulso et ad Deum appropinquanti infundi declaratur. Unde *Mald.* notat : « vocat autem speculam visionem ipsam aut spiritum propheticum, quo qui arreptus est non solum praesentia sed etiam quae longissime absunt in-

---

1. De excubiis intelligunt *Syrus, Chald.* et plerique recentiorum cum *vulg.*

tuetur, sicut qui in specula constitutus est. » Tale schema autem hoc loco eo aptius adhibetur, quia de expeditione bellica et de itinere exercitus hostilis nuntius est perferendus, pro qua re custodes in speculis constituebantur ; cf. 2 Reg. 18, 24. 4 Reg. 9, 17. — Censet *Osor.* speculatorem illum esse angelum qui res communicet Isaiae eodem modo quo angelus interlocutor apud Zachariam (cf. ad Zach. 1, 13. 14 ; 2, 3 etc.) ; sed minime placet vati praecipi, ut ponat angelum et mittat eum speculatorem.

Quid in specula positus videat, annuntiat v. 7 « *et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini et ascensorem cameli, et contemplatus est diligenter multo intuitu* » ; — i. e. ut *S. Hier.* textum lat. exponit : « vidit venientem bigam et aurigam desuper asinumque et camelum currum trahere ». Hebr. verte *et vidit agmen, paria equorum* (equitum), *agmen asinorum, agmen camelorum* i. e. agmen cernit proficisci Babylonem versus, quod agmen iam clarius describitur : paria equitum, agmina asinorum et agmina camelorum. Tali agmine exercitum designari medo-persicum fere omnes consentiunt. Equis utebantur ad equitandum, asinis et camelis ad onera portanda et quandoque etiam in pugna, quibus scil. equi hostium terrerentur. Memoriae insuper proditum est Cyrum equitatui curam impendisse peculiarem (cf. Xenophon, Cyrop. 1, 6. 10 ; 4, 3. 3 ; 6, 1. 26 etc.) et Persas asinorum et camelorum magnam habuisse multitudinem vel ad onera portanda vel etiam ad hostium agmina perturbanda ; ita ope camelorum Cyrum victoriam reportasse dicunt de Lydiis (*Herod.* 1, 80), ope asinorum Darium Scythis intulisse cladem (*Herod.* 4, 129) ; gentes aliquas iisdem animalibus vehi esse solitas referunt, ita Arabes qui fuerint in exercitu Xerxis camelis, Caramanios asinis vectos esse (cf. *Malv. Ges. Del. Naeg.*). Unde eiusmodi symbolo agmen Medorum et Persarum apte exhiberi indubie constat, neque plus pro ratione visionis erit postulandum. — Alii explicant רֶכֶב *currus* et currus asinis et camelis vectos intelligi volunt ; ita iam *Sym.* ἅρμα, ζεῦγος ἵππων vertit ; ita *vulg.* et *For. Mald. Malv. Mar. Lap.* et e recentioribus *Drechsl.* ; pro qua explicatione usus vocis adduci potest alias conspicuus et etiam quod *Herod.* 1, 188 et 7, 86 narrat, fuisse in exercitu Cyri currus mulis vectos quibus aqua Choaspis fluminis ad usum regis vehebatur et in exercitu Xerxis Indos adfuisse, quorum currus ab onagris traherentur ; sed quidquid est etiam camelos ad currus trahendos esse adhibitos incredibile videtur ; quare priori explanationi planiori acquiescendum erit [1].

---

1. LXX ubique vertunt רכב ἀναβάτας; h. l. *Syrus* prius *equitatum,* dein *vectum asino* et *vectum camelo* exprimit ; itemque *Chald.* quoque ; etiam *Aq.* habet ad 22, 5 ἐν ἅρματι ἀνθρώπων ἱππέων.

Diligenti consideratione istud agmen vates prosecutus est, ut quid tandem portenderet et quid rei esset addisceret. Verum agmen illud praeteriit neque speculator de eius significatione edocetur statim. Quare ardens manifestat desiderium discendi quid illo symboli involucro contineatur v. 8 « *et clamavit leo : super speculam Domini ego sum stans iugiter per diem et super custodiam meam ego sum stans totis noctibus* » ; — i. e. voce forti tamquam si leo rugit desiderium suum, immo ius quod habet, ut speculator constitutus de obiecto spectaculo edoceatur, intrepide ac confidenter Domino proponit et in mentem revocat, quanta fidelitate et constantia, quanto desiderio revelationem Dei praestoletur eamque in specula constitutus i. e. munere suo prophetali fungens expetat. Is vero qui ita in specula consistere ab ipso Domino iussus adeo fideliter imperio Domini est obsecutus, etiam summa fiducia postulare potest, ut visio symbolica ei explicetur ; nam « non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas » (Am. 3, 7).

Mox ei panditur quid agminibus illis sit effectum. Cernit agmen equitum, e cuius numero unus ipsi optatum affert nuntium v. 9 « *ecce iste venit ascensor vir bigae equitum et respondit et dixit : cecidit, cecidit Babylon, et omnia sculptilia eius contrita sunt in terram* » ! — hebr. verte *ecce venit agmen virorum, paria equitum*.. nuntio allato de casu Babylonis etiam patet, ad quid agmina illa v. 7 sint profecta. Magna emphasi repetitione expressa ruina urbis talis tantaeque annuntiatur; simul cum ea destructio idolorum promulgatur facta (cf. 47, 1), qua destructione casus urbis theocratiae inservire dicitur. Unde eo quoque vaticinio vates ostendit omnia in hac parte ad Dei gloriam manifestandam dirigi; potentiae enim mundanae deiectio praevia est et esse debet regno messianico atque ut unius Dei gloria ubique fulgeat et agnoscatur, idola corruant et deleantur necesse est. Dei victoria in hebr. clarius effertur : *omnia simulacra deorum eius confregit* (Dominus scil.) *in terram* i. e. confregit et deiecit in terram. Ruinam Babylonis esse simul cladem deorum vide Ier. 50, 2. 38; 51, 44. 47. 52; cf. Ex. 12, 12. — Potest quaeri, *quis* responderit, utrum ipse speculator Isaias, an equitum advenientium unus. Prius plures affirmant; cf. *S. Hier. Euseb. Sanct. Malv. Mald. Sa, Lap. Men. Tir. Kn. Drechsl. Naeg.* ; alterum tenent *For. Mar. Calm. Troch. Rohl. Del.* iisque accedendum esse puto; nam postquam speculator v. 8 *prima* persona quid sentiat locutus est, pergit in v. 9 narrare quid mentis acie perspexerit, unde satis durum esset atque inconcinnum, si in hac narratione de aliis aliaque re instituta subito iterum de se in *tertia* persona loqueretur *et respondit et dixit;* dein ipsa voce *ecce hoc* v. 9 indicatur, vatem referre id quod sensibus

eius oblatum fuerit; neque ullum adest indicium, vatem ex agmine illo adventante collegisse Babylonem esse captam, immo ne apparet quidem, unde hoc coniicere potuisset. Ergo multo simplicius fluit altera haec acceptio.

Ruinam Babylonis deorumque eius peculiari ratione ad populum Dei spectare de qua re Isaias in altera libri parte adeo explicite agit, iam hoc loco indicat ibique solatium contineri pro afflicto Israel clare enuntiat (ita semina spargens quae in altera parte ad plenam frugem maturescent) v. 10 « *tritura mea et filii areae meae, quae audivi a Domino exercituum annuntiavi vobis* » ; — populum alloquitur afflictum, miseriis attritum et quasi trituratum, *filios areae meae*, quos simul calamitatibus purgari innuit (hebraismum explica : mei filii areae) et ideo a Deo ventilari ac percuti, ut remotis sordibus ac quisquiliis purum exsistat frumentum, in qua concussione « non cadet lapillus super terram » (cf. ad Am. 9, 9). Quos ita nomine appellat longa afflictione multisque miseriis esse ad meliorem frugem reducendos indicat, sed ruina Babylonis facta iis fore respirationem ac liberationem vaticinatur. Unde verba ea non cum *Mald. Calm. Schegg* ad Babylonem referri possunt sed cum plerisque (cf. *S. Hier. Theod. Cyr. Thom. For. Sanct. Lap.* etc.) ad Iudaeos dicta esse statuendum erit; alii ad utros referant ancipites haerent (cf. *Sasb.*).

8. *Oraculum in Edom* 21, 11-12.

Arg. — Edomitae nocte et tenebris calamitatum oppressi ex vate quaerunt de conditione et fine malorum. Respondet vates salutem quidem venturam, at pro malis permansuram noctem ; unde mente mutati et conversi redeant ad Dominum interrogandum. — Postquam Assyrios, Aegyptios, Babylonios a Domino esse et sede et potestate deiiciendos propheta demonstravit, iam ad minores quoque gentes Dei iudicium, utpote universale, pertinere docet oraculo prolato primum in Edomitas, dein in Arabes. Hisce Dominum omnium curam gerere et cuncta, magna et parva administrare edocet et praesertim iudicium Dei universale fore ad oculum demonstrat.

Etiam huius vaticinii titulus, uti 21, 1, symboli rationem prae se ferre videtur : v. 11 « *Onus Duma* » ; — intelligi Edom, Idumaeam, communi fere omnium interpretum et antiquorum et recentiorum sententia asseritur. Atque revera iam LXX ferunt τὸ ὅραμα τῆς Ἰδουμαίας et Edom intelligi eo ipso constat quia quaestio cui respondetur fit ex Seir i. e. ex montibus Edom. Sed unde nomen Duma? *S. Hier.* asserit : « est Duma non tota Idumaea provincia, sed quaedam eius regio quae ad austrum vergit et ab urbe Palaestinae quae hodie dicitur Eleutheropolis

viginti distat millibus, iuxta quam sunt montes Seir »; quod cum adeo determinate et accurate dicatur ipso regionis situ sedulo indicato, certo dici nequit cum *Del.* sine ullo fundamento solum ex hoc Isaiae loco esse coniectura ortum. Unde saltem probabile est eam regionis appellationem vatem prae communi et magis generali selegisse, ut ipso vocis sono *silentium, locus silentii* (de orco Ps. 94, 17; 115, 17) ad quam sortem gens et regio Edom apud Deum iam redacta esset, audientibus ingereret. Ad quam appellationem symbolicam etiam praeter 21, 1 refer 22, 1.

Ceterum Duma etiam invenitur Gen. 25, 14. 1 Par. 1, 30 inter filios Ismael; nomen igitur etiam significare videtur tribum et regionem in Arabia spectante inter septemtrionem et occidentem, quae regio hodie Duma saxea (Dumat eldschandal) vel Duma syriaca nominatur; ea in confiniis deserti syriaci et Arabiae propriae sita est (cf. *Ges.* in com. et Thes. p. 327; *Riehm*, Handwoerterb. I p. 290). Hanc tribum ismaeliticam hoc loco designari *Ges.* et *Net.* existimant. Et ille quidem *de Seir clamat* ita exponit, ut verbis istis vox non e regione in montibus Seir sita dicatur afferri, verum solum e regione quae sit ultra Seir perferatur; hic vero tribum censet e sede sua pulsam in Seir domicilium fixisse.

Contra Edom iam vaticinatus est Amos (1, 11. 12). Edomitas quoque ab Assyriis esse subiectos certum est. Iam ex inscriptione aliqua Theglathphalasar regis discimus Kausmalaka Udumuai regi Assyriorum fuisse subiectum et ex alia inscriptione Aburammu rex Edom regi Sennacherib sese subiecit. Quare Edomitas varie ab Assyriis afflictos esse iure merito supponere licet. In tali ergo afflictione iam quaerunt a propheta Domini, cum Dominus miserias illas esset minatus, sitne spes emergendi et quando tempora oboritura sint faustiora: « *Ad me clamat ex Seir : custos quid de nocte? custos quid de nocte* »? — i. e. « videor mihi spiritu prophetico audire Idumaeos clamantes ex Seir » (*Mald. Men.*) et aegrotorum more quibus ob morbi molestiam tardior nox trahitur et qui ab aurora aliquid levaminis sibi promittunt, sedulo quaerunt: quantum nox processerit, quota sit quasi hora noctis (cf. *Sasb. Tir.*). Iterata autem interrogatio maxime declarat solliciti pectoris angorem et metum (*Sanct. Malv.*) et quam acerba quoque calamitate premantur. In hebr. alterum membrum brevius est priore; qua re anxietatem et festinationem qua interrogant et aviditatem qua responsum extorquere velint fere depingi et adumbrari haud inepte quis cum *Del.* affirmaverit. Propheta est custos, utpote in specula positus; cf. v. 6. 8.

Ad quod respondet vates v. 12 « *dixit custos : venit mane et nox; si quaeritis, quaerite, convertimini, venite* »! — i. e. post noctem miseriae veniet utique mane, tempus felicitatis et salutis (cf. 9, 2; 8, 20); ita tamen ut etiam nox perduret; ergo felicitas illa post miseriam non

omnibus obtinget neque necessitate quadam ex oppressione et miseria salus orietur; proinde ne sibi nimium promittant : venit mane, sed illud mane simul pro aliis est nox! Qua ratione autem se salutis lucisque socios reddere possint, subiuncta adhortatione declarat; scil. ut serio ac sedulo quaerant, instanter scil. a Domino petant et quaerentes ac pulsantes perseverent, ut redeant vel convertantur, mentes animosque mutent et dein denuo ad Dominum accedant opem expostulaturi et de futura sorte inquisituri. Unde eo responso vates illis simul aperit, quid adhuc desit in eorum agendi et quaerendi modo et spem aperit iis, dummodo velint resipiscere (cf. *Sasb. Men. Gord. Troch. Rohl.*). Qua conditione non impleta illis nihil relinquitur nisi nox, nisi interitus. Sim. *S. Hier.* : « venit mane populo meo et nox genti Idumaeorum ; illis praebebo lucem, vos in tenebris derelinquam ; vel certe ita : venit lux nocte transacta; si meum invocatis auxilium, nolite me tantum in necessitatibus quaerere, sed toto ad me animo convertimini; venite et suscipiam poenitentes ». Certe loquendi modo : *si quaeritis, quaerite,* nil aliud poterit intelligi, quam ut *serio* ac *vere* quaerere iubeantur, sicuti dici solet : age quod agis.

Alii responsum ita concipiunt, ut omnis spes statim funditus Edomitis negetur : « interrogate quantum volueritis, ite et redite ut iterum atque iterum interrogetis : nihil aliud vobis respondebo, nisi vastandam esse Idumaeam; aut quaerite undique euntes ac redeuntes, nullum auxilium reperietis » (*Mald.* sim. *Osor. Sa*). At id durius videtur dictum neque satis verbis accommodatum. Nam eo quod Edomitae vatem agnoscunt *custodem*, a Domino scil. positum in specula qui futura prospiciat, et quod eum adeunt, talem ostendunt animi dispositionem, cui sane non statim a limine omnis spes neganda est. Deinde nonne videtur esse alienum a mente prophetae, qui salutem messianicam omnibus offerri saepius asserit, qui ipsis Philisthaeis, Moabitis, Aegyptiis, Assyriis iam salutis viam aperiri ac monstrari docuit, nunc Edomitis adeo plane edicere: quidquid egeritis, nihil proficiet, nulla vobis praesto est spes auxilii? Neque id est verbis consentaneum. Eos enim adhortatur, ut si quaerant, serio quaerant : ergo quid iis praestandum sit, indicat. Qui autem id agit, is praestanti revera opem promittit, cum ei viam designet, qua se dignum reddere possit auxilio. Porro cum dicat, redite vel convertimini, ut ad Deum redeant, sese convertant admonet. Tunc ut veniant, denuo inculcat. Verum si ad Deum revertantur, certissimum est iis quoque opem Dei praesto fore. Quare spem iis ostendi, eam autem certis alligari conditionibus et reliquis huius partis vaticiniis suadetur et diligenti verborum consideratione commendatur.

Alii *venit mane et nox* explicant : ut dies et nox continua vicissitudine inter se subsequuntur, ita quoque res prosperae et adversae se excipiunt; qua sententia generali vates declaret se nolle responsum dare particulare iis accommodatum ; vel illos non esse dignos qui aliud audiant quam quod unusquisque sciat :

succedere nocti diem, diei autem noctem; proinde illos cum irrisione remitti atque abiici (cf. *For.* sim. *Kn.*). At hoc quoque nimis durum est nedum propheta plane indignum. Accedit quod ipso textu hebr. haec explicatio verborum excludi videtur; legimus enim וְגַם quae particula sua collocatione significationem induit *et tamen, etiam tum* (cf. Ez. 16, 28. Eccl. 8, 12. Ps. 129, 2 hebr.) et generatim aliquid addi, augeri connotat. Unde accurate explicaveris: venit mane et tamen nox, vel etiam tum nox i. e. mane venit pro aliquibus, idem autem tempus aliis etiam est nox. Hanc noctem ingruere Edomitis, ipso titulo *onus* et nomine symbolico *Duma* indicatur; utrum autem nox illa futura sit perennis (i. e. utrum Edom populus interiturus sit) an eam lux et felicitas subsecutura, vates non praedicit; sufficit ut viam ostendat qua ipsi quoque ad meliora emergere possint, dummodo serio voluerint.

9. *Oraculum in Arabiam* 21, 13-17.

Arg. — Tribuum arabicarum cladem uno exemplo vates describit. Exhibet enim nobis Dedanitas, bello e suis sedibus pulsos, in locis inviis pernoctantes, quibus meridiem versus fugientibus incolae Thema panes et aquam in refocillationem afferunt. Dominus enim statuit, ut gloria Cedar et apparatus bellicus intereat. —

Cum tribus quoque per Arabiam longe lateque vagantes affligantur et sua prosperitate deiiciantur, quam *universale* futurum sit Dei iudicium bene depingitur. Eo enim gentes omnes comprehendi, sive sint imperio regio subditae, sive nomades et libere vagantes, ad oculum demonstratur hac cladis arabicae inter reliqua regna enumeratione.

Etiam hoc oraculo, uti 21, 1 seq., vates scena depicta nos rapit in medias res: v. 13 « *Onus in Arabia. In saltu ad vesperam dormietis, in semitis Dedanim* »; — hebr. verte *in saltu ad vesperam pernoctatis catervae Dedanim;* erant Dedanim vicini Edomitarum (cf. Ier. 25, 23; 49, 8. Ez. 25, 13), qui commercio cum Phoenicibus operam dabant (vide Ez. 27, 15. 20; 38, 13); ex Gen. 25, 3 et 1 Par. 1, 32 apparet eos adnumerandos esse Arabibus qui dicuntur ceturaei quique partem Arabiae spectantem inter septemtrionem et occidentem incolebant. Exhibentur nobis catervae viatorum vel peregrinantium Dedanim pernoctantes non in via qua mercatorum turmae per desertum incedere solent, sed *in saltu,* in solitudine, in latibulis, ubi arbusculis et vepretis obtecti persequentium hostium insidias effugiant. Ibi misere latitantes inedia conficiuntur; quare habitatores Thema admonentur, ut iis cibos et aquam afferant v. 14 « *occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis terram austri, cum panibus occurrite fugienti* »! — terra austri i. e. Thema apte inducitur, quia hostibus a septemtrione ingruentibus meridiem versus fuga arripitur. Regionem eam esse censent quae Taima vocatur, itinere trium

dierum a Syria distans (cf. *Kn. Del.*) in via quae a Damasco Meccam ducit. Hebr. *obviam eunt in pane eius fugienti* i. e. cibo illo qui fugienti est necessarius.

Titulus בַּעְרַב et alterum oraculi verbum בַּעְרַב consulto selecta videntur, ut *vespera* tribulationis statim ipsa inscriptione innuatur. Accedit quod מַשָּׂא *onus* alias vix cum ב (Zach. 9, 1 ?) iungatur, sed cum עַל vel אֶל. In inscriptione igitur ille mos observari videtur, qui quandoque occurrit, ut scil. ex ipso carmine nomen vel inscriptio carminis petatur, quod aliqui etiam 21, 1 factum esse existimant idemque 2 Reg. 1, 18 forte invenitur. — Ex titulo aliqui inducti sunt, ut verba priora oraculi verterent : *in saltu in Arabia* (*Ges. Ros. Maurer, Umbreit, Drechsl. Del. Rohl. Net.* et iam apud *Malv. Mald. Sanct.*) ; sed cum de viatoribus Dedanim mentio fiat et cum titulus praecesserit *onus in Arabiam*, valde superfluum est ut denuo Arabia textui ingeratur ; hanc enim regionem et non aliam intelligi iam clarissimum est. Unde versio LXX, *Syri, S. Hier. Chald.* omnino retineri debet. Fuga scil. dilapsi et fatigati ad vesperam non ibi audent pernoctare, ubi mercatorum et viatorum catervae in viis solitis diversoria quaedam invenire solent, sed in solitudinem et in saltum sese abdunt ; יַעַר complures non de silva, sed de condensis vepretis vel vepreculis, de latibulis etc. intelligunt (cf. *Kn.*), cum negent *silvas* in deserto illo Arabiae inveniri (cf. *Ges.*) ; unde alii vocem accipiunt generatim de regione dura et aspera, invia et inculta (cf. *Del.*). — Textus *mas.* in ultimo membro fert קִדְּמוּ *antevertunt, obviam eunt,* ita ut enallage personae assumenda sit ; prius enim membrum per imperativum etiam in textu *mas.* accipi potest ; sed pro descriptionis ratione et vigore maiore omnino praeferri debet imperativus in membro utroque quem LXX, *Syrus, S. Hier. Chald.* praebent ; lege ergo in hebr. קַדְּמוּ.

Cur praecipiti fuga dispergantur, exponitur v. 15 « *a facie enim gladiorum fugerunt, a facie gladii imminentis, a facie arcus extenti, a facie gravis proelii* » ; — quadruplici modo hostem ingruentem et persequentem exhibet, cui resistere nihil possit, et qui omni armorum genere quibus et cominus et eminus prosternentur victi optime est instructus. Periculi magnitudinem describens simul rationem affert vates efficacem, qua habitatores Thema ad misericordiam flectat ; « neque enim mediocre malum eos perculit ; fugiunt enim micantes gladios, fugiunt arcus intentos, fugiunt bellum pestiferum » (*Osor.* sim. *Sanct.*) ; nam « quos non inanis metus fugat, sed ingentia pericula extra suos lares exsulare compellunt digni sunt, quorum alii misereantur » (*For.*).

Uti supra in oraculo contra Moab (16, 14) et in vaticinio contra Aegyptum (cp. 20), ita hic quoque vates addit tempus determinatum, quando iudicium illud incipiendum sit. Cum emphasi effert Dominum id statuere ; Assyrii quidem illis tribubus bellum intulerunt, ut viam in Aegyptum sibi tutam redderent et securam, vel ut imperium suum unde-

quaque firmarent, vel ut divitias tribuum illarum commerciis sane locupletum sibi compararent vel eas ob auxilium rebellibus praestitum castigarent, vates vero in Dei specula positus Deum cernit rerum omnium moderatorem qui ad suos fines cuncta sapienter et efficaciter dirigit; unde v. 16 « *quoniam haec dicit Dominus ad me : adhuc in uno anno quasi in anno mercenarii et auferetur omnis gloria Cedar*; v. 17 *et reliquiae numeri sagittariorum fortium de filiis Cedar imminuentur; Dominus enim Deus Israel locutus est* »; — de anno mercenarii vide 16, 14. Post annum primum fieri initium iudicii descripti, quod deinde per varios gradus casusque variis temporum intervallis erit devolvendum, ex eo quoque colliges, quia postmodum simile vaticinium a Ieremia fit contra Cedar (Ier. 49, 30). Cedar, filius Ismael (Gen. 25, 13), nomen dedit tribui in Arabia septemtrionali, quae tribus simul cum Nabataeis praecipua fuisse videtur in ea Arabiae parte (cf. Is. 42, 11; 60, 7. Cant. 1, 5) et ex Ez. 27, 21 principes Cedar negotiatores erant Tyri, ad quam urbem venerunt cum agnis, arietibus et hoedis. In una tribu etiam hoc loco vates declarat, quid cognatis omnibus instet. Cum filii Cedar laudentur utpote sagittarii periti et gregibus fuerint divites, gloria eorum quae auferenda sit, in libertate, in felici usu armorum, in gregibus censenda erit consistere et in terrore illo, quem suae fortitudinis fama aliis tribubus iniecerint.

In inscriptionibus cuneiformibus haud raro reges quoque Arabiae recensentur qui devicti vectigalia solverint Assyriis. Ita Sargon varias tribus Arabiae recenset quas subiecerit et caede magna facta transtulerit in regionem Samariae; ab aliis se tributa accepisse, aurum, lapides pretiosos, ebur, ligna, aromata etc. gloriatur (cf. *Vigouroux* l. c. IV p. 149). Sennacherib quoque Arabibus bellum intulit; quare iam *Herodotus* (2, 141) eum vocat regem Arabum et Assyriorum, Asarhaddon Arabiam imperio continere studuit, Asurbanipal bella gessit inter alia contra Arabes, quos frater eius ad rebellionem excitaverat; inter alia narrat de ingenti clade qua Arabes sint prostrati, de incendio quo tentoria eorum et domicilia sint absumpta; meminit regis Cedar, quem rebellem simul cum militibus occiderit, cuius tabernacula et domicilia igne combusserit, greges abduxerit (cf. *Vigouroux* l. c. p. 273-277). Unde de oraculi impletione satis constat. Alia vide quae recensuit de *Hummelauer*, Stimmen aus Maria Laach 1873 IV p. 153; *Busch*, Geschichte des Orients I p. 326. III p. 72 etc.

10. *Oraculum in Ierusalem* 22, 1-25.

Arg. — Urbem Ierusalem nobis describit vates perturbatione et anxie-

tate plenam ; nam magna militum pars morte ignobili est interfecta ; ipsi primores vel fuga dilapsi sunt vel vinculis iacent constricti. De tali miseria vates maximo dolore corripitur cernens diem ultionis Domini in urbem devolutum (22, 1-5). Postquam talem ruinae descriptionem proposuit, iam per quos et quomodo ruina ista effecta sit, accuratius enarrat. Et primo quidem ostendit Aelamitas urbem obsidentes eamque summa ignominia tractantes ; deinde cives hierosolymitanos nobis exhibet humana subsidia conquirentes et procurantes — arma scil. et munimenta urbis et copiam aquae — at Domini monita et praecepta contemnentes et sua lascivia Dominum ad iram provocantes ; quare ruinae traditum eos iri affirmat (22, 6-14). Contumaciae eius et contemptus rerum divinarum et minarum vatis exemplum proponitur in Sobna, qui ut minas de exsilio se spernere demonstraret sepulcrum sibi in rupe exscindendum curabat ; huic denuntiatur captivitas et mors in aliena regione futura, postquam iam in patria dignitate sua sit spoliatus (22, 15-19). In locum et dignitatem eius succedet Eliacim, qui fidelis administrationem domus davidicae geret et civibus suis subsidio et gloriae erit priore illo remoto (22, 20-25).

Urbs sancta in hac oraculorum serie media inter alienigenas collocatur, qua re illam in alienigenarum censu et ordine reponi (*Euseb.*) satis innuitur. Et merito quidem. Nam ut *S. Cyr.* advertit, quia urbs sancta moribus ac vitiis sese reddidit similem gentibus, a Deo quasi aliena urbs et peregrina ducitur, quae nulla secum necessitudine iuncta sit ; unde inter gentes enumerari ei magnae censetur esse reprehensioni et ignominiae. Quae igitur gentium mores aemulata est foedere Dei neglecto, etiam punitionem eandem quam gentes in se experiatur « et reputatur una de pluribus ; aliis verbis hoc ipsum Ieremias loquitur, quando accepit calicem plenum vini et dat universis gentibus ac novissime porrigit Ierusalem, ut bibat et vomat et ruat et insaniat... ex quo intelligimus omnium creatorem aequaliter esse Deum et eodem cuncta dispensare iudicio iuxta illud quod ipse loquitur per Amos (9, 7) » (*S. Hier.*). Duabus igitur ex causis oraculum hoc loco apte insertum est : reprehenditur indoles gentilis quam Ierusalem induit et iudicium Dei *universale* quo omnia Deo inimica ubicumque demum reperiantur esse deiicienda demonstrari oportet, hoc oraculo addito praeclare illustratur.

a) Dies ultionis in Ierusalem 22, 1-5.

Uti 21, 1. 11. (13?), ita hoc quoque loco titulus effertur symbolicus : « *Onus vallis visionis* » ; — eo nomine designari Ierusalem, ex subiuncto vaticinio et praecipue ex v. 4. 8. 9. 10 seq. 15 seq. certum est et manifestum. Urbem a visione propterea nominari quia sit metropolis et quasi

nutrix prophetarum vel ut *S. Hier.* loquitur, seminarium prophetarum, in qua visiones Domini multiplicatae sunt, pariter in aperto est positum et ab omnibus agnitum. Cum igitur ipso nomine mentio ingeratur, ibi esse visiones et revelationes Dei repositas et quasi in centro collocatas et ad eam urbem vaticinia pleraque referri, ad eius emolumentum et eruditionem dari, eo maior est reprehensio et ignominia, si urbs *visionis* iam quasi caeca inter gentes caecas recensetur, si ut caeca agit et manifestissima documenta divina se non intelligere ipsis operibus ostendit. Quod autem *vallis* visionis appellatur, id inde commode explicari videtur, quod vates tamquam custos et speculator in alta Dei specula constitutus (cf. 21, 6. Ez. 33, 2 seq.) terrena omnia et ipsam quoque urbem de qua visiones percipit quasi infra se collocata et in imum depressa cernit. Est igitur appellatio haec ab ipsa ratione visionis propheticae deprompta. Atque id eo facilius explicaveris, si quantopere descriptio subsequens ex modo visionis propheticae pendeat visionemque referat, tecum perpenderis.

Rationem nominis *vallis* varie explicare tentarunt. Multis placet ratio ab ipsa regione situque petita. Advertunt scil. urbem undique montibus cinctam esse instar vallis, uti dicitur Ps. 124, 2 : « montes in circuitu eius et Dominus in circuitu populi sui », indeque apud Ieremiam quoque vocari habitatricem vallis (Ier. 21, 13) ; vel ita appellari ex parte ratione habita montis Sion, cui fuerit subiecta, et ratione civitatis inferioris, quae etiam Soph. 1, 11 nomen mortarii sit sortita, quia ea pars urbis montibus Moriae, Sionis, olivarum fuerit circumdata (cf. *Mald. Est. Men. Tir. Net. Rohl. Troch. Del.*), immo quia in ea urbis parte domus vatis fuerit (*Del.*). Verum haec ratio mihi hoc loco minime probatur. Nam cum antea 21, 1. 11 nomina seligantur symbolica, et cum ratione visionis propheticae aliquid altius et sublimius expostulari videatur, aegre mihi persuadeo prophetam nihil aliud quam situm et conditionem loci spectasse ; id respici in historia narrandà intelligo ; id autem tanti esse momenti, ut in ipsam visionem ingrediatur et nomen efformetur propheticum, nullus existimo.

Alii nominis rationem inde petunt, quia urbs ab antiqua religione et sanctitate corruptis moribus, sive ab antiquo splendore et celsitudine hostilibus armis exciderit et iam humilis facta sit et abiecta et redacta ad contemptum, ac si esset humilis et abiectus locus (cf. *Osor. Sanct. Men. Gord.*). Alii nomen exponentes propheticum in eo futuram sortem urbis delineari volunt, urbem scil. esse conculcandam et in vallem quodammodo redigendam (*Mald. Pint.*). Ad oracula divina appellationem refert *For.*, quod in eam urbem veluti in vallem visiones prophetarum confluerent. Sed hae explicationes subtiliores sunt neque unde denominatio sit transsumpta facile cernitur. Neque enim *vallis* metaphora esse solet pro conditione abiecta et humili, neque oracula prophetarum aquarum instar in locum humiliorem confluere ullibi dicuntur ; quare eiusmodi tropus ut est plane inusitatus, ita nequit intelligi. Denique *Naeg.* appellationem

vallis visionis connectendam esse censet cum valle Iosaphat et valle concisionis, de qua Ioel 3, 12. 14, indeque Isaiam designationem hausisse, potissimum ex 22, 5 concludit. Sed cum apud Ioel sermo fiat de iudicio in gentes devolvendo neque vallis illa sit vel ipsa urbs vel urbi vicina, quomodo inde *vallis* visionis explicetur, haud intelligitur. — Pluribus quoque visum est *visionem* e re olim gesta, ex historia Abraham et monte visionis i. e. Moria esse petendam (cf. Gen. 22, 14). At id longius esse quaesitum neque satis obvium ad appellationem illam statim declarandam, nemo non videt.

Statim a limine propheta nobis ostendit furorem Domini in urbem effusum. Unde maximam perturbationem et miseriam ob oculos ponit. In medias res nos rapit, urbem describens multis calamitatibus transactis ultimum iam exitium praestolantem. Atque cum inter medias gentes ei tale spectaculum offeratur urbis sanctae, merito admirabundus exclamat v. 1 « *Quidnam quoque tibi est, quia ascendisti et tu omnis in tecta* » ? — gentes perturbari non adeo est admirationi ; at subito eandem cerni perturbationem et anxietatem ea in urbe quae sit sedes Domini et tot ac tantis firmata promissis, certe habet admirationem. Quare rem accidere quam a populo Dei perpetuo alienam fore iure quis exspectaverit, ipsa interrogatione vates declarat. In tecta autem ascendunt metu exanimati (*Osor.*) hostium adventum prospicientes et extrema mala timentes et si qua ratione mala possint propulsari timide inquirentes. Atque omnino adesse, cur expavescant et hostium adventu in summas coniiciantur angustias, praeclare ex calamitatibus quibus iam obruti sint exponitur v. 2 « *clamoris plena, urbs frequens, civitas exsultans! interfecti tui non interfecti gladio nec mortui in bello ;* v. 3 *cuncti principes tui fugerunt simul dureque ligati sunt ; omnes qui inventi sunt, vincti sunt pariter, procul fugerunt* » ; — hebr. *urbs strepitu plena, tumultuosa, lasciviens civitas* scil. quae antea lascivae exsultationi et tripudiis indulgebat, vel etiam ratione habita v. 13 quae mediis in calamitatibus desperantis in modum se lasciviae dedat et de Dei auxilio quaerendo parum sollicita vel potius nihil curans ineptam laetitiam affectare studeat. In rebus enim extremis facile fit ut summae aliorum desperationi fera quaedam et effrenata lascivia apud alios coniungatur. Sed cum appellatio haec in universum fiat, forte melius aptiusque ad conditionem pristinam ex qua nunc quoque urbi iuremerito reprehensio fit et macula inhaeret, effrena illa exsultatio refertur ; id quod plerique explicant.

Iam qualis adest oppositio inter pristinum tripudium et conditionem praesentem ? Iam urbs est cadaveribus plena neque isti mortem obierunt gloriosam, non gladio hostium, non bello interempti sunt, sed fame, peste et si quod est aliud turpe mortis genus. Ita quidem vulgus occu-

buit. Neque minore opprobrio primores obstricti iacent. Vel enim turpiter fugiebant vel vinculis ligati servi tenentur et captivi ; hostis eos persequebatur; partim capti in vincula coniiciebantur, partim fuga dilapsi in omnem late regionem dispersi latitant. Ad talem igitur ignominiam sunt redacti! Unde adest, cur contremiscant, cur strepitu et tumultu omnia impleantur et hoste ad ipsam urbem appropinquante, ut ultimum exitium et excidium inferat, quotquot adhuc superstites sunt, extremo terrore concutiantur.

LXX et *S. Hier.* praebent σκληρῶς *dure ligati sunt;* reliqui testes (*Syrus, Chald.*) exprimunt textum hebr. מִקֶּשֶׁת *ab arcu;* ad LXX et *S. Hier.* versionem compara קָשֶׁה *durus*. Textum hebr. explica cum recentioribus plerisque *sine arcu* i. e. capti et ligati sunt ita ut armis ad eos devincendos uti non oportuerit, tanta scil. ignominia et ignavia hostibus subiiciebantur, tanta facilitate superabantur, id quod ad augendam divinam ultionem confert; cf. Deut. 28, 25. — Alii explicant : ab arcu i. e. a sagittariis capiuntur, iam primae hostium irruentium turmae, velites, illos capiunt et vinciunt (cf. *Vat. Mald. Mar. Malv. Ges. Kn. Field*). At *ab arcu vinciri* durius videtur dici et valde dubito, num *arcus* adeo simpliciter induat notionem sagittariorum, uti in ea explicatione supponitur; neque enim quae adducuntur exempla alia eam notionem voci inesse certo efficiunt. Afferunt praeter locum nostrum 21, 17 et Ps. 78, 57; ultimum exemplum sane non est ad rem; eius loci sensum satis exprimit *vulg.* : conversi sunt in arcum pravum i. e. idem quod Os. 7, 16 dicit : facti sunt ut arcus dolosus, arcus fallax qui vitio quodam sagittas alio deflectit atque a sagittario intenditur (cf. ad Os. 7, 16). Et Is. 21, 17 commode vertitur : et reliquiae numeri arcuum heroum filiorum Cedar erunt paucae; unde si pauci arcus heroum inveniuntur, utique colligitur paucos fore heroas, neque tamen statim sequitur *arcum* idem significare quod sagittarium.

Propheta autem cum talem stragem et ignominiam mentis acie cernat, intimis visceribus commovetur v. 4 « *propterea dixi : recedite a me, amare flebo; nolite incumbere ut consolemini me super vastitate filiae populi mei* »! — omnes recedere iubet, ne quis erumpentem doloris vehementissimi significationem prohibeat; vehementer enim dolentium levamen quoddam est libere indulgere dolori. Magnitudinem doloris vates declarat, quae tanta sit, ut ab aliis non rite possit aestimari; quare testes adesse doloris vetat. Insuper prohibet ne aliquod doloris levamentum sibi admovere frustra tentent, « quia cur dolor mitigari debeat nihil videtur » (*Sanct.*). Verus hoc loco et intimus amor considerandus est, quo propheta patriam suam et populum suum prosequitur; haec enim sunt, ut *For.* notat, sanctorum viscera etiam in punitionibus peccatorum. Et certe qui miserias Moabitis infligendas lamentatus est (15, 5; 16, 9. 11) et qui in vastitate Babylonis lacrimatur, quanto magis nunc in urbis suae ruina dolore corripi censendus est (cf. *S. Hier.*)? Semel hic apud Isaiam, frequentius apud Ieremiam (v. g. 4, 11; 6, 14;

8, 11. 19. 21. 22. 23; 9, 6; 14, 17. Lament. 2, 11 ; 3, 48 etc.) legitur *filia populi mei*; figura enim personificationis vel populus vel etiam urbs Ierusalem tamquam filia vel virgo exhibetur; proinde explica genitivum appositionis : filia quae est populus meus ; filiae appellatio amorem spirat, virginis nomen urbem nondum ab hostibus captam et subiectam indicat. Quod populus tamquam *filia* consideratur, inde quoque enatum videtur quia populus foedere cum Deo inito ut uxor Domini exhiberi solet (cf. Os. 2, 2. Ez. 16, 8 etc. 23, 1 seq.).

In ea miseriae contemplatione animum fixum habet vates, quare denuo eam describit rationem reddens doloris et Dominum iudicem et ultorem demonstrans v. 5 « *dies enim interfectionis et conculcationis et fletuum Domino Deo exercituum in valle visionis, scrutans murum et magnificus super montem* » ; — de valle visionis cf. supra ; a Domino cui omnes exercitus in coelo et in terra ad ultionem capiendam parati adstant, dies cladis, iudicium severum in Ierusalem devolvitur, ita ut qui superstites sint et testes stragis, multis lacrimis calamitates inflictas defleant; dies iste (ex textu lat.) moenia urbis scrutatur, pertentat, eorum firmitatem in periculum vocat et quam nihil valeant manifestat et tamquam ultor terribilis imminet monti arcis regiae Sion. Alii supplent *scrutans Dominus* (cf. *Sanct. Mald. Men. Lap. Tir. Schegg*), sed id longius a verbis recedit neque ullo modo necessarium est, cum bene et poetice ipse dies Domini dicatur perscrutari et subruere moenia et terrifica quadam maiestate monti Sion illucescere. — Hebr. verte in ultimo membro : *demoliens murum et clamor ad montes* (cf. *Vat. Mald. Mar. Malv. Calm.* et recentiores) ; clamores et lamentationes ex urbe ad montes vicinos feruntur.

b) Quaenam sint excidii causae 22, 6-14.

Imaginem perturbationis et ruinae urbis nobis vates exhibuit talem qualem in visione percepisse censendus est. Iam ad huius ruinae auctores et causas sermonem deflectit nobis exhibens quomodo illam quam viderat ruinam effectam esse oporteat nos considerare. Et primo quidem hostes nobis ob oculos ponit v. 6 « *Et Aelam sumpsit pharetram, currum hominis equitis, et parietem nudavit clypeus* » ; — i. e. « ascendent Aelamitae arcu insignes et pharetra ; assument quadrigas quibus viri bellatores inequitent et nudato pariete clypeos arripient, qui ex paxillis inde fixis ante pendebant ; tempore enim pacis arma bellica e paxillis in pariete defixis suspenduntur ; unde parietes nudari signum est parati et iamiam impendentis belli » (*Sanct.*). Aelamitae in inscriptionibus cuneiformibus socii Babyloniorum, nunquam vero Assyriorum, recensentur saepe ; vide quae adnotat *Delitzsch*, Wo lag das Paradies?

p. 237. Hebr. explica *et Aelam sumpsit pharetram* (et venit) *cum agmine virorum, equitum* (cf. 21, 7. 9) *et Kir nudavit clypeum*; de Kir (Qir) nihil certi constat; vide quae notata sunt ad Am. 1, 5. Cum Kir h. l. simul cum Aelam efferatur, forte regio quaedam Mediae vel Babyloniae intelligenda erit.

Vocem קִיר ut nomen proprium explicant *Vat. Mald. Malv. For.* et communiter recentiores idque ex parallelismo et collocatione vocis commendatur. At veteres versiones, uti *Syrus, S. Hier. Chald.*, nomen explicarunt appellativum *murum*; LXX praebent καὶ συναγωγὴ παρατάξεως. Aliis in locis, uti Am. 1, 5; 9, 7. 4 Reg. 16, 9 etiam veteres versiones nomen proprium exhibent. Clypeos nudare illi dicuntur qui, ut se ad certamen parent, scutis tegumenta detrahunt vel generatim scuta depromunt, expediunt (cf. *Caesar*, de bell. gall. 2, 21. *Malv.*) Forte inde h. l. nata est explicatio de muro, quia v. 5 immediate procedit מְקַרְקַר קִר *diruens murum*. — Difficultate non caret media pars v. 6 ברכב אדם פרשים; 10 codd. et aliquae editiones inserunt ו *et* equitum; textum hebr. iam exprimit *Aq.* ἐν ἅρματι ἀνθρώπων ἱππέων; LXX vertunt ac si legerunt ורכב καὶ ἀναβάται ἄνθρωποι ἐφ' ἵπποις; *Theod.* σὺν ἀναβάταις ἀνθρώπων ἱππέων. Sed quid sibi vult *in curru hominum equitum* (vel equorum)? et quomodo hoc ad antecedentia apte adnectitur? Explicant: sumpsit Aelam pharetram cum curribus plenis hominibus; vel supplent: cum curribus veniunt plenis hominibus, vel cum curribus adsunt homines et sim.; verum ea omnia non satis expedita sunt, quamvis eundem textum hebr. iam *Syrus, Aq. S. Hier. Chald.* legerint. Sed valde dubito, num *currus hominum* apte dici possit, ut designetur currus bellicus cui milites insident; quare illam dedi notionem quae etiam 21, 7 exigi omnino videtur, nisi quis camelos ad currus trahendos adhibitos esse sibi persuaserit. — Alii textum mutandum esse censent; ita *Houbig.* legit ארם pro אדם et vertit *et Aramaeus conscendit equos*, pro qua mutatione etiam provocat ad Am. 9, 7 *Aramaeum de Kir*, censetque *homo* nomen commune vix habere posse locum inter duo nomina propria Aelam et Kir. — Alii aliter quos vide v. g. apud *Ros. Ges.*

Agmina haec hostium iam valles pulcherrimas prope Ierusalem occupant et ad ipsas urbis portas consistunt v. 7 « *et erunt electae valles tuae plenae quadrigarum et equites ponent sedes suas in porta* »; — in allocutione urbis vide affectum prophetae expressum; nominat *delectum vallium* (hebr.) i. e. valles amoenas, olim hominum cultura fertiles, speciosas, quae iam quadrigis et equis conculcantur; ita v. g. urbi aderat orientem versus vallis Kidron, occidentem versus vallis Gihon, inter meridiem et occidentem vallis Raphaim (cf. 17, 5). etc. Equites *ponendo ponunt portam versus* (hebr.) i. e. habent stationem suam ibi, cingunt urbem ad expugnationem portarum accincti et parati ad fugitivos persequendos. Cum *equites* ad urbis expugnationem sane non sint valde apti, neque in regione circa Ierusalem equitibus sit locus adeo consentaneus, per se intelligitur in visione id praesertim efferri ac repraesentari quo impetus hostilis, fuga interclusa, conculcatio ac vastatio regionis quam maxime designetur; ea autem per equites etc. optime exhiberi et quasi

depingi certum est. Postquam igitur tale pondus bellicum incubuit urbi, ultimum exitium iam necessario ingruit v. 8 « *et revelabitur operimentum Iudae* »; — hebr. *et aufert velamen Iudae* i. e. Iudae summum opprobrium, ignominia summa infertur; filia populi irrisioni et illusioni hostium exponitur; de qua locutione vide Is. 47, 2. Ier. 13, 22; 49, 10. Ez. 23, 29. Nah. 3, 5 etc. Expugnatio urbis et excidium saepe comparari solet cum violatione et ignominia virgini illata. Ita vates ostendit ad quem tandem terminum apparatus ille bellicus a v. 6 seq. assumatur et alio modo, metaphora frequenter obvia, diem vastitatis, interfectionis, conculcationis, fletuum depingit.

Interpretatio proposita ad sermonis progressum quam maxime congrua est; postquam enim urbs cincta est, valles repletae sunt quadrigis, equites praesidia collocaverunt ad portas, ultimus demum exitus iuremerito exspectatur i. e. urbis expugnatio et humiliatio. Neque minus ad verba apta est explicatio; velamen auferri virgini summa est ignominia et eiusmodi comparationibus urbis alicuius vel populi cladem exprimi frequenter obvium est (cf. ad Os. 2, 10. Nah. 3, 5) neque desunt locutiones similes apud gentes cognatas, quas v. g. afferunt h. l. *Bauer, Ros. Ges.* et quibus *velum removere* idem est quod miseria et ignominia extrema. Aliorum explicationes vel contortae sunt vel non satis ad rem. Ita v. g. sancta in templo esse aperta et gentibus pervia (*S. Hier. Sanct. Men.*), vel thesauros prodi inimicis (*For. Mald.*) vel munitiones ac propugnacula destrui (*Sasb. Tir.*). Recentioribus compluribus haec arrisit explanatio: velamen illud quod Iudaeos caecos reddiderit ne periculum adverterent esse nunc amotum (*Kn. Del. Naeg. Rohl.*); sed Iudaeos hostibus undique urbem cingentibus periculum advertere certe res est adeo obvia, adeo necessaria, ut quomodo in visione prophetica peculiari modo efferri vel debeat vel possit, non perspiciatur. Neque ullo pacto dici potest verba declarare caecitatem animorum esse ablatam; nam hanc non esse ablatam ea quae subsequuntur quam apertissime docent. Proinde illa quam supra dedi interpretatio cum *Bauer, Ros. Ges. Drechsl. Net.* est retinenda. Quod *Troch.* habet, velo retecto miseriam quae antea latuerit iam omnibus apparere, non adeo in sensu ipso quam in modo explicationis ab exemplis allatis et reliquorum locorum analogia recedit.

Excidio extremo commemorato et causa allata, quae in exercitu hostili reposita est vates exponit ruinae causas quas in ipso populo Dei reperit. Quem in finem manifestat, qua mente et quo modo periculo ingruenti obviam ierint. Humana quidem subsidia adhibent et anxie conquirunt v. 8-11, at Domini admonitiones quibus servatis unice salus iis esse potuerit spernunt atque contemnunt. Inter humana subsidia primum solliciti sunt de armis et de moenium firmitate: « *et videbis in die illa armentarium domus saltus* v. 9 *et scissuras civitatis David videbitis quia multiplicatae sunt* »; — domus saltus Libani vocabatur

quia ligna cedrina ad aedificium adhibebantur (cf. 3 Reg. 7, 2-7); ibi arma servabantur (3 Reg. 10, 17. 21). Quare obsidione imminente non omittunt dispicere qua in conditione armorum apparatus sit, in eoque fiduciam suam et spem collocant (cf. *Sanct. Osor. Lap. Men. Tir. Troch. Rohl.*). Simili studio vident et reparare festinant quae in moenibus manca sunt. Civitas David appellatur arx Sion quae per Davidem Iebusaeis est bello erepta (cf. 2 Reg. 5, 7. 9) et quae in alto colle posita facile arte et natura ita muniri poterat, ut expugnari non posset nisi summa difficultate. Haec *vident,* repetito monet vates, forte ut innuat veras malorum impendentium causas illos nec vidisse nec videre et advertere voluisse.

Praeterea quod pro obsidione maximi momenti est de aquae copia solerter prospiciunt et arce davidica firmata etiam reliqua urbis munimenta firmiora reddere et augere satagunt : « *et congregastis aquas piscinae inferioris*, v. 10 *et domos Ierusalem numerastis et destruxistis domos ad muniendum murum;* v. 11 *et lacum fecistis inter duos muros ad aquam piscinae veteris* »; — congregantur aquae in piscina, si omnes meatus et ductus quibus aquae effluunt obturantur. Si autem piscina haec inferior erat extra urbem, aquae in urbem erant ducendae, quia alias hostes non latuissent (cf. 2 Par. 23, 4). Piscinam inferiorem esse lacum illum qui hodie appellatur *Birket es-Sultân* multi censent (cf. *Winer* s. v. Teich; *Riehm,* Handwoerterb. I p. 691. *Del. Naeg. Troch.*), qui lacus est in valle Hinnom inter meridiem et occidentem spectans (cf. *Socin*, Palaestina und Syrien p. 241). Domus vero *numerantur;* quare? vix ut videant si quae sint supervacaneae, ut eas ad muros reficiendos destruant (*For. Mald. Kn. Del. Naeg. Troch.*), id enim altero membro satis clare dicitur; sed potius, ut scirent quot essent domus, quot civium capita, ut inde cognoscerent quantum aquae foret obsessis necessarium, quantum annonae, qua ratione excubiae per vices essent curandae et sim. (cf. *S. Hier. Sanct. Sasb. Lap. Tir. Men. Drechsl.*). Aliae domus destruuntur, ut earum materia scissuras murorum et ruinas implerent (*S. Hier. Sanct. Osor. Calm.*) vel quod aliis praeplacet, « demolimini domos quasdam ineptas videlicet et incommodas ad defensionem muri, quae stantes fuissent impediturae, quibus deiectis facilior redditur muri propugnatio ac munitio » (*Malv. Mar. Drechsl.*). Quae solerter ac prudenter faciunt, longiore enumeratione recensentur, ut negligentia auxilii superni magis innotescat. Immo domicilia cara destruunt; igitur norunt se etiam rebus caris privare — sed ad Deum oculos mentesque dirigere plane omittunt.

Praeterea novis quoque adminiculis et aedificiis student : lacum faciunt inter duos muros ad aquas colligendas piscinae veteris. Piscinam

veterem multi eundem censent lacum quem alias Isaias vocet lacum superiorem (7, 3; 36, 2), et qui sit superior Gihon (2 Par. 32, 30) hodieque vocetur *Birket el-Mamilla* in parte occidentali ab urbe eo fere loco, ubi vallis Hinnom finitur. Lacus inter duos muros ab iisdem censetur esse is qui vocatur Birket el-Batrak, lacus patriarcharum vel etiam lacus Ezechiae et apud *Iosephum* Amygdalon; lacus situs est inter duos muros i. e. a septemtrione murum habet Sionis, inter septemtrionem vero et orientem muro cingitur qui Acram circumit (cf. *Kn. Del. Naeg. Winer* l. c.).

Verum minime taceri potest pleraque ex his esse tamen valde incerta. Statim enim dubium movetur, utrum iuremerito piscina vetus censeri possit eadem ac piscina superior necne. Nam piscinam superiorem bis Isaias commemorat, semel eius mentio fit 4 Reg. 18, 17; quo iure iam statuitur *eandem* piscinam nunc vocari veterem? Nonne nomen aliud alium potius lacum indicare putandum erit? Ratio quam affert *Naeg.* nullius sane ponderis est; ita enim arguit: lacus ille quem fecerunt v. 11 erat lacus novus; unde lacus ille ex quo aqua affluit illi novo, vocatur oppositionis gratia *vetus*; antea vocabatur superior. Sed haec gratuito dicuntur et vix credibile est vel lacum subito alio appellari nomine vel vatem lacum quem antea dixerat et quem postea iterum vocat superiorem subito nominare veterem. Deinde minime certum est lacum superiorem esse lacum Gihon et eundem qui vocatur hodie Mamilla; lacum superiorem potius quaerendum esse in parte urbis septemtrionali *Socin* censet (l. c. p. 245. 235); de Gihon varias vide sententias apud *Furrer* in Bibellexicon ed. Schenkel II p. 463; *Riehm,* Handwoerterb. I p. 514. 689; *Vigouroux* l. c. III p. 432; *Riess,* bibl. Geographie p. 76 seq. hic piscinam inferiorem lacum esse putat Siloa qui etiam lacus regis vocetur; praeterea existimat piscinam inferiorem et lacum inter duos muros de uno eodemque lacu dici; verum id verbis Isaiae parum congruere videtur.

Quaeri etiam potest num quae h. l. dicuntur ea designent opera quibus Ezechias rex magnam sibi laudem comparaverit et de quibus 4 Reg. 20, 20. 2 Par. 32, 30. Eccli. 48, 19 agatur; obturavit scil. exitum aquarum Gihon superioris et avertit eas subter ad occidentem urbis David, fecit piscinam et aquaeductum et introduxit aquas in civitatem, in quo opere rupes quoque ferro erat fodienda (Eccli. 48, 19). Sane aliqua similitudo intercedit inter utramque descriptionem; at de una eademque re utramque agere, certo affirmari nequit. Hoc solummodo certum videtur prophetam iis ob oculos ponere, quid olim in simili periculo fecerint, ut ex eo reprehensionem inferat, quia humana quidem subsidia comparaverint, de divinis vero minime sint solliciti. Vaticinium h. l. de re quam facturi sint contineri vix puto. Raro enim et solum in rebus gravioribus ad praedictionem adeo determinatam prophetas impelli advertimus; insuper cum hoc loco reprehendantur incolae Ierusalem, reprehensio efficax certe non peteretur a re quam postea facturi sint, sed e re simili quam in simili quadam occasione iam peregerint. Neque improbabile videri potest, cum aliquando periculum immineret obsidionis, similia opera ad urbem tutandam esse facta.

Huic sedulitati et prudentiae humanae negligentia opponitur et animorum caecitas qua verum adiutorem seponunt, negligunt, ignorant : « *et non suspexistis ad eum qui fecerat eam et operatorem eius de longe non vidistis* » ; — non respicitis ad eum qui facit illud (hebr.) [1] ; i. e. non consideratis Deum esse effectorem illius vexationis (apud *Malv.*), Dei decreto iusto haec omnia fieri. Lege enim fundamentali ita res israeliticae ab initio administrabantur, ut incursus hostiles et ceterae calamitates consequerentur vitia et peccata populi, dum fidelis mandatorum Dei observatio etiam prosperitatis praemio afficeretur. Verum alieni a spiritu theocratico hanc legem theocraticam iam non intelligunt et quia hostes solos malorum auctores et effectores putant, humanis remediis se omnibus obviam ire posse confidunt. Vocatur Deus *formans e longinquo* (hebr.), quia non subito calamitatem adducit et inexspectato, sed postquam diu per prophetas monuit et ruinam variis modis praedicendam curavit. Quae omnia cum a Iudaeis negligantur quasi penitus ignorarentur, iure merito *vallis visionis* non sine sarcasmo mediis in gentibus collocatur: mentes enim et animos gentilium induisse videntur, quia in rerum cursu illam non vident providentiam quae tamen tantis ac tot luminibus in rebus anteactis Israelitarum fulget.

Accedit quod ita impietate obcaecati sunt, ut etiamsi Dominus eos vocaturus sit per prophetas ad poenitentiam eosque de vera ruinae causa edocturus, tamen surdis auribus obedientiam detrectent, immo licentius se gerant et divina monita impudentissime irrideant v. 12 « *et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum et ad planctum, ad calvitium et ad cingulum sacci;* v. 13 *et ecce gaudium et laetitia, occidere vitulos et iugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum : comedamus et bibamus, cras enim moriemur* » ! — vocat Dominus ad poenitentiam qua animi ita scindantur dolore scelerum et offensionum contra maiestatem divinam admissarum, ut externis quoque signis mentis habitus prodatur; tanta doloris magnitudine quam postulat et scelerum enormitatem declarat et admonitionis propheticae quam praecipit severitatem. Verum monita prophetica eum afferunt fructum quem vates iam in visione inaugurali fore viderat (cf. 6, 10; 5, 19). « Verum est, sicut scriptum est, impium cum in profundum malorum venerit contemnere» (*S. Cyr.*). Immo usque ad blasphemiam et irrisionem Dei procedunt; « cras moriemur» ita verbis ac minis Dei se fidem adhibere fingunt; at acerrima irrisione aliam prorsus inde inferunt conclusionem :

---

1. Latinum *eam* explica ex hebraismo noto, quem etiam in *vulg.* expressum habes Ps. 26, 4 : *unam* petii a Domini, *hanc* requiram i. e. unum, hoc. — *Eam* explicare cum multis vel de urbe vel de piscina a vero sensu alienum est.

comedamus et bibamus! Istis verbis impii prophetas qui mortem denuntiabant irridentes optime depinguntur. Propter admonitionem in v. 12 expressam hisce in verbis non tam desperatio (*S. Hier.*) quam irrisio et sannae impudentissimae agnoscendae erunt. Longiore enumeratione lascivia eorum perstringitur; quattuor modis invitantur ad poenitentiam; at octo modis contemptum suum et insolentiam explicant.

Quare protervis illis ac contumacibus nuntius perfertur durus v. 14 « *et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum : si dimittetur iniquitas haec vobis donec moriamini! dicit Dominus Deus exercituum* »; — hebr. *et revelavit se in auribus meis Iahve exercituum : profecto* (iuro) *non expiabitur* ... אם *si* adhiberi solet in imprecationibus et iurisiurandi formulis cf. Is. 5, 9. Ob tantam scelerum impudentiam indignatione commotus Dominus loquitur minisque ex minitantis omnipotentia et maiestate pondus additur. Irriserunt minas mortis (v. 13), morte punientur; nihil enim, inquit *S. Hier.*, sic offendit Deum quam post peccata erecta cervix et ex desperatione contemptus. Hac autem interminatione mortis vates rationem aperit, cur ab initio visionis tanta scena mortis et calamitatis fuerit ostensa; nunc animis incolarum sensibusque eorum patefactis (v. 8-13), quare tanta strage et clade urbs sit visitanda, explicatur. Ita ergo haec oraculi pars optime in se concluditur et quae a limine sunt proposita, in ipso oraculo per suas causas declarantur.

Consideratis oraculi verbis ut inquiramus restat, de qua clade propheta loqui censendus sit. Statim ab initio v. 2. 3. 5 exitium proponitur maximum : plurimos esse vel interemptos vel captos vel fuga dispersos; diem vates deflet interfectionis et conculcationis, diem quo moenia urbis deiiciuntur et destruuntur, tantoque dolore vates corripitur, ut nullam admittat consolationem v. 4; demum Iudae summa infertur ignominia v. 8. Iam ea omnia ita sunt conformata, ut ad cladem a Chaldaeis illatam unice pertineant : cogita obsidionem eiusque miserias, famem, mortes multiplices (cf. v. 2), cogita inter alia fugam Sedeciae regis et principum (cf. v. 3); lamentationes quas urbe capta Ieremias fudit iam habes praeformatas v. 4. 5; Aelamitae, ut *Delitzsch* asserit (Wo lag das Paradies? p. 237) nunquam socii recensentur Assyriorum, sed solum Babyloniorum; animorum obcaecatio et obduratio satis describitur apud Ieremiam et cernitur iis ipsis quibus Ieremias ea rerum conditione a principibus et civibus est afflictatus et ad mortem quaesitus (cf. Ier. 11, 19; 32, 2; 37, 14; 38, 4 etc.). Quare excidium per Babylonios futurum hoc oraculo delineari, cum *S. Hier. Sanct. Sasb. Pint. Mald. Lap. Men. Tir. Gord. Loch, Net.* omnino assumendum est et illud quidem excidium quod Nabuchodonosor urbe expugnata intulit;

quae facta sunt sub Iechonia (*S. Cyr.*) minora sunt neque verbis accommodata. Simul eum clade a Chaldaeis illata coniungit *Euseb.* stragem ultimam Iudaeorum tempore Vespasiani et Titi; excidium a Romanis illatum cernit h. l. *Theod.* descriptum. Sed ex 6, 10 et verbis ipsis oraculi et ex serie oraculorum, in quibus omnibus de clade ab Assyriis et Babyloniis (cf. cp. 23) sermo texitur, in aetate Babyloniorum erit sistendum.

Alii vaticinium hoc de clade ab Assyriis sub Sennacherib infligenda concipiunt (*Ges. Del. Kn. Troch.*). Sed perperam. Nam talis destructio et extrema miseria eo tempore non est illata; Aelamitae non erant socii Assyriorum; animorum obcaecatio et insolentia tanta eo tempore non aderat, sed e contra rex et populus monitis Isaiae aures praebebant dociles. Praeterea omittendum non est, prophetam quotiescumque de invasione assyriaca mentionem faciat ruinam quoque Assyriorum subitam et praeclaram Dei victoriam magnifice celebrare; cf. 8, 6-10; 10, 5-34; 14, 24-27; 17, 12-14; 18, 5. 6. Verum hoc loco scenam proponi ab illa quam maxime alienam quis non viderit? — Alii eam cladem describi existimant, qua Iudaea sub Manasse est afflicta ab Assyriis (*Calm. Schegg, Rohl.*). In quantum eo tempore Iudaea belli pondere fuerit devastata quamvis nesciamus, id tamen certo affirmari potest, talem cladem et *destructionem* (v. 5 hebr.) eo tempore non fuisse illatam. Ex mentione Aelamitarum *Rohl.* de Assyriis esse sermonem infert; illationem non consistere, iam dictum est.

c) Contumaciae exemplum 22, 15-19.

Sensus illos truces et insolentes quos modo descripserat vates iam tempore Isaiae multorum animis inhaesisse ac proinde urbem Ierusalem iuremerito in serie oraculorum contra gentes collocari, tum ex iis patet quae in visione inaugurali cap. 6, dein cap. 5 et 7 aliisque in locis describuntur ac reprehenduntur, tum ex exemplo quod vates h. l. subiungit. Illustratur ergo ex una parte mentis habitudo quam modo depinxerat propheta, ex altera autem parte *praesenti* poenae denuntiatione malevolis falsa quaedam confidentia et securitas eripitur, ne dum videant excidium illud v. 2-14 propositum non statim devolvi se impunitos abire existiment. Uti ergo eventus post multum temporis futuros aliis iamiam imminentibus confirmare solet propheta (cf. 14, 24; 16, 14; 20, 1), ita quae modo minatus est castigatione praesenti corroborat, ut ex eventu quem accidere ipsi mox videbunt discant ea quoque certissime fore quae pro tempore futuro ab eodem vate praenuntiata sunt. Quare ea pars pluribus nominibus apte hoc loco inseritur: v. 15 « *Haec dicit Dominus Deus exercituum : vade, ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam praepositum templi et dices ad eum :* v. 16 *quid tu hic, aut quasi quis hic? quia excidisti tibi hic sepulcrum, excidisti*

in excelso memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi »; — ex textu hebr. Sobna non erat praepositus templi, sed praepositus domus regiae; verte hebr. *ingredere ad ministrum istum* (regis, ad procuratorem hunc), *ad Sobnam, praefectum palatio*; quale sit munus eius *qui est super domum*, ex 2 Par. 26, 21 fere discitur; cum enim Ozias leprosus habitaret in domo separata, filius eius Ioatham dicitur fuisse super domum regis; eius igitur erat domum regiam administrare et regni quoque negotia gerere, uti v. 21. 22 quoque satis declaratur. Qui ergo in tali officio erat constitutus (cf. 3 Reg. 4, 6; 18, 3), regi quam maxime erat familiaris et apud eum consilio et auctoritate valebat. Unde eius contumacia et contemptus rerum divinarum maiori erat perniciei et exemplo peiori simulque argumento sensus vere theocraticos defuisse apud primores. Ad eius superbiam et arrogantiam deprimendam vates iubetur eum alloqui verbis indignatione plenis, quibus quanto cum contemptu fastus humanus apud Deum infimo loco reputetur statim innotescat. Invehitur itaque in eum : quid tibi negotii est hic, aut quem te esse hic putas, quia hic tibi sepulcrum excidendum curas? Cum emphasi ter repetitur *hic;* unde concluseris Sobnam ut ostenderet quam nihili duceret minas prophetae de clade et captivitate, sibi magnificum sepulcrum excidisse quo palam profiteretur nihil perturbationis sibi vel civitati esse obventurum; atque quo magis arrogantiam suam publice ostentaret, in loco excelso, conspicuo sepulcrum sibi parandum curat et efformandum in rupe, quod opus est magni laboris multique sumptus. Quo contemptu vates in eum invehatur, etiam personae enallage in hebr. ostenditur : *excidens sepulcrum suum, incidens in rupe domicilium sibi.*

Immo aliqui censent Sobnam inter ipsa sepulcra regia sibi monumentum parasse (cf. *Del. Naeg. Troch. Rohl.*). Sepeliebantur reges in civitate David i. e. in monte Sion (cf. 3 Reg. 2, 10; 11, 43. 2 Par. 16, 14) et quo altius sepulcrum ponebatur, eo maior videtur fuisse significatio honoris (cf. 2 Par. 32, 33 hebr.). Unde quia h. l. dicatur *in excelso* et ter cum tanto pondere *hic* efferatur et cum contemptu dicatur *minister iste,* concludunt in loco regibus destinato Sobnam sibi sepulcrum constituisse. At haec indicia ad id non sufficere videntur. Si enim de loco excelso est sermo, non unice de monte Sion erit cogitandum; sepulcra rupibus incisa etiam inveniebantur in parte meridionali vallis Hinnom, in parte occidentali montis olivarum et in parte urbis occidentali. — *S. Hier.* Sobnam pontificem fuisse censet. Sed *super domum* h. l. non esse cum eo explicandum *super domum Dei* i. e. templum, iam ex v. 22 elucet. Aliis in locis *S. Hier.* officium illud in domo *regia* gerendum rite designavit; ita 3 Reg. 4, 6; 18, 3 praepositus, dispensator domus. In interpretatione סֹכֵן *S. Hier.* videtur secutus esse *Aquilam,* qui vertit σκηνοῦντα teste *Euseb.* id quod *S. Hier* vertit *in tabernaculo* et explicat de domo Dei; *Sym.* habet σκηνοποιοῦντα; LXX εἰς τὸ παστοφόριον,

Theod. vocem hebr. retinuit σοκήν, *Chald.* recte explicat פַּרְנָס gubernatorem, dispensatorem, ductorem. De voce סכן vide quae notavi ad Iob 15, 2 p. 200. Sunt qui thesaurarium intelligant (cf. *Osor. Sasb. Mar.*). Sobnam non templi praepositum fuisse, sed regiae domus, iam *Sasb. Osor. Malv. Mald. Mar. Vat.* rite perspexerunt.

Laude et admiratione digna est animi fortitudo atque libertas, qua propheta virum dignitate et auctoritate adeo valentem increpat eique intrepide sententiam a Deo latam denuntiat v. 17 « *ecce Dominus asportari te faciet sicut asportatur gallus gallinaceus et quasi amictum sic sublevabit te* » ; — comparatio in textu lat. proposita ita declarari potest : « ferox galli ingenium superbam Sobnae naturam affabre pingit et probrum galli victi et ligati vivam exhibet imaginem superbi hominis deiecti » (*Calm.*) ; ea facilitate qua gallus asportatur neque aliter quam ille solet venum proponi, ligatis scil. alis et vinctis pedibus et pendulus in caput vel cratibus vimineis inclusus, te exturbabit et deiiciet cum ignominia (cf. *Sanct. Malv.*) et « quomodo singuli hominum levant in scapula pallium suum, sic tua facilis erit in captivitatem translatio » (*S. Hier.*). — Paulo aliter in hebr. *ecce Iahve proiiciet te proiectione viri* i. e. forti ac vehementi, uti vir validus solet proiicere et exturbare (cf. apud *Malv. Sanct.* et sim. recentiores) vel quod aliis praeplacet : *proiiciet te, o vir* (vel virum, LXX et reliqui) qui modo fidis viribus tuis et putas te magnum esse (apud *Malv. Calm. Hitz. Ewald, Rohl.* et iam apud *Syrum*) ; quae viri appellatio si cum sarcasmo et ironia legitur certe non est, ut *Kn.* vult, inepta et otiosa, verum ad irrisionem viri et reprehensionem facta (*Cheyne, Diestel*). Alterum membrum explica *prehendendo te prehendet* (ita ex arabico *Kn. Del. Net. Rohl.*) vel forte melius ex usu verbi hebr. *operiet te operiendo* i. e. obruet te ignominia, uti *Chald.* explicat (cf. *For. Malv. Drechsl.*) vel « sicut sarcinula operitur et obvolvitur, ut ab uno loco in alium transportetur » (*Mald.*).

S. Hier. notat ad versionem suam : « *geber* (גבר) omnes *virum* interpretati sunt. Hebraeus autem qui nos in veteris instrumenti lectione erudivit *gallum gallinaceum* transtulit ». Sed in hebr. haec significatio non adest, adest vero in lingua rabbinica (vide *Geiger*, Lesestücke aus der Mischnah p. 24. 106 ; *Levy*, Chald. Woerterb. I. p. 124). LXX ita vertunt : ἐκβαλεῖ καὶ ἐκτρίψει ἄνδρα καὶ ἀφελεῖ τὴν στολήν σου. *Syrus* in ultimo membro : obliviscendo obliviscetur tui.

Quomodo sit proiiciendus et operiendus clarius determinatur v. 18 « *coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam et spatiosam ; ibi morieris et ibi erit currus gloriae tuae, ignominia domus domini tui* » ! — i. e. « habebis coronam tribulationis et angustiae ; sicut enim pila si mittatur in proclive stare non potest, sed

veloci cursu volvitur, ita et tu ad terram latissimam deduceris » (*S. Hier.*). Hebr. verte *convolvendo convolvet te convolutione tamquam pilam* (cf. apud *Malv. Mald. Vat. Sanct. Lap.* et recentiores) : en quam facile est Deo virum potentissimum exturbare e statione, sicut globus vel pila a puero proiicitur! Simul perpende quanto contemptu habeatur apud Deum eiusque prophetam fastus ille atque insolentia Sobnae. Terra spatiosa intelligitur Mesopotamia. Cum Sennacherib invasione in Iudaeam facta se expugnasse glorietur quadraginta sex urbes munitas et oppida innumerabilia et captivos abduxisse hominum ducenta millia centum et quinquaginta (cf. *Vigouroux* l. c. IV p. 196), si non iam antea, eo saltem tempore etiam Sobna dignam superbia poenam luisse et in Assyriam migrasse censendus erit. Additur magna cum ironia; ibi, in captivitate, in morte ignominiosa, erunt currus tui superbi, ibi ostentet pompam suam et magnificentiam. Ignominia est domus regiae, quia regnum institutione ac destinatione est theocraticum; unde praepositus domus adeo a sensu theocratico alienus non potest non esse illi domui dedecori, idque eo magis, quia Ezechias rex indole pia regnum administrabat.

Ultimam sortem ei declaraverat. Iam quid proxime futurum sit aperit v. 19 « *et expellam te de statione tua et de ministerio tuo deponam te* »; — hebr. in ultimo membro *et de loco tuo deturbabit te*; verba adhibentur quibus violentia, ignominia, indignatio vehemens declaratur. Facile patet Ezechiam regem postquam vates ita Sobnam a Domino esse abiectum ostenderat dedecus illud domus regiae e gradu et dignitate deiecisse.

Cum nomen patris eius non recitetur, eum fuisse vel hominem novum vel etiam alienigenam aliqui existimarunt; at non est adeo constans consuetudo, ut patris nomen addatur, et hoc loco id omitti facile refertur ad contemptum; quare ex ea omissione nihil concludi poterit; alii ex quaestione v. 16 posita externum hominem designari probabile censent (cf. *Mar. Malv.*); sed reprehensio illa cadit in animi insolentiam qua sepulcrum sumptuosum sibi in loco conspicuo exscindendum curat, quo publice declaret se minas prophetae de captivitate futura flocci habere. — Eiusdem nominis scriba Sobna comitatur Eliacim praepositum domus regiae, cum ille legatos adiret a Sennacherib missos et Isaiam prophetam (cf. 4 Reg. 18, 18. 26. 37; 19, 2. Is. 36, 3. 11. 22; 37, 2). Prorsus incertum est, utrum Sobna scriba idem sit de quo hoc loco agitur necne. Si est idem, eum admonitione et reprehensione vatis commotum meliores induisse sensus supponendum erit; alias certo ab Ezechia in munere scribae non esset constitutus neque fuisset missus ad Isaiam quem pro salute regis populique ut Deum precaretur nomine regis rogaret. Sed mihi probabilius est scribam illum alium omnino esse virum, neque enim probabile censeo post ta-

lem reprehensionem et abiectionem Sobnam munere alio honorifico ab Ezechia fuisse insignitum et tamquam nuntium ad Isaiam missum.

d) **Eligitur pius domus regiae minister 22, 20-25.**

In locum superbi et impii eligitur Eliacim *servus Domini*, quo titulo iam mens eius theocratica et vera pietas declaratur et simul cur eligatur clare edicitur. Et reiectione prioris et electione huius teneram quam gerit Deus de regia domo et populo curam manifesto argumento comprobat hocque documentum eo est insignius, quia ponitur post oraculum, quo ruina urbis et populi praedicitur et quod terrore et minis plenum remedium salutis excludere videbatur : si dimittetur iniquitas haec vobis, donec moriamini (v. 14). Cernitur itaque in hac quoque re Deus fidelis ac misericors, qui nunquam suo populo deest, sed qui continuo et punitione malorum et adhortationibus prophetarum et etiam per ministros mente theocratica imbutos populum suum regit, ducit, edocet. Quare post cladem v. 1-14 depictam promissio haec magnae est consolationis v. 20 « *Et erit in die illa, vocabo servum meum Eliacim, filium Helciae,* v. 21 *et induam illum tunica tua et cingulo tuo confortabo eum et potestatem tuam dabo in manu eius et erit quasi pater habitantibus Ierusalem et domui Iuda* » ; — *servus Domini* appellatio est honorifica, prophetis indita, Davidi regi frequenter addita ; talis utique aptus est et dignus qui sit in domo David primus rerum administrator. Vocatione facta ad eum quoque insignia muneris et ornamenta transferuntur, quae in eo magistratu tunica et balteo continebantur. Huius magistratus potestatem amplissimam fuisse et regiae fere proximam, elucet ex nomine ipso מֶמְשַׁלְתְּךָ *dominationem tuam* qua voce regia potestas et principatus haud raro designatur, et elucet ex cura illa quam habiturus praedicitur de civibus Ierusalem, de omni populo Iuda. Qua mente munus illud obeundum sit, appellatione *patris* et amplissime et brevissime statuitur. Indicatur vera potestas et amplum dominium, sed principatus clementia, providentia, cura, amore exercendus, « qui habeat populum non subiectum sibi quasi servum, sed amatorem sui quasi filium » (*S. Hier.*). De Eliacim vide 4 Reg. 18, 18 seq. Is. 36, 3 seq. 37, 2. Eum fuisse ex genere sacerdotali, ex eo concludunt, quia fere omnes qui Helciae nomine in s. literis recensentur, ex stirpe sacerdotali vel levitica originem ducunt (cf. 4 Reg. 22, 4. 1 Par. 6, 13. 45 ; 9, 11 ; 26, 11. 2 Par. 34, 9. Ier. 1, 1. Esdr. 7, 1. Neh. 8, 4; 11, 11 ; 12, 7 — at nihil constat de genere aliorum qui Helciae nomine vocantur Ier. 29, 3. Baruch 1, 1. Dan. 13, 2).

Praepositum super domum plenam habuisse administrationem regni secundo loco a rege sibi commissam, symbolo clavis declaratur ; vel si eam

potestatis amplitudinem non ad omnes pertinere censueris sed peculiarem dignitatem in Eliacim hoc symbolo conferri existimaveris, haud improbabiliter dicere poteris, oraculo hoc illud prospici tempus quo Manasse rege in Babyloniam abducto rerum summa potestas atque administratio fuerit penes Eliacim (cf. *Calm.*) ; v. 22 « *et dabo clavem domus David super humerum eius, et aperiet et non erit qui claudat, et claudet et non erit qui aperiat* » ; — clavis symbolum est potestatis traditae quae quia tamquam onus et officium humeris incumbere concipitur, clavis super humerum dari dicitur ; vide similem locutionem ad 9, 6. Clavis autem traditione potestas declaratur et aperiendi domum et admittendi ad familiam vel excludendi domo clausa, designatur potestas et aditus ad ea quae in domo sunt administranda et dispensanda et ita quidem ut is tamquam supremus oeconomus et domini vicem gerens statuat atque definiat neque quisquam contra eius administrationem et imperium quidquam valeat, sed quae ille vel dederit vel negaverit firma habeantur ac rata apud dominum. Haec est vis metaphorae : si ille aperit, nemo claudet etc. Hanc autem administrationem domus David esse et esse debere in bonum et utilitatem populi, ex nexu cum v. 21 elucet. Unde institutione Eliacim servi Dei facta aperte designatur fieri posse, ut quae bona pro populo Dei reposita sunt ex promissione divina in domo David, ea et conserventur et populo distribuantur per eum qui non ad ipsam stirpem David pertineat. Quare reges e stirpe David admonentur et edocentur, Deum quidem promissa maxima in domo David quasi in thesauro reposuisse, verum ea ita ad emolumentum reipublicae theocraticae derivari posse, ut reges ipsi davidici abiiciantur neque partem habeant in benedictione illa cum aliis communicanda. Ne igitur praerogativae generationis carnalis nimium fidant ! Caveant sibi, ne impietate sua ipsi a theocratia excidant ; memores sint minarum quas olim Deus dederit : qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum (2 Reg. 7, 14), et in tanta potestatis amplitudine in Eliacim delata id cernant praeformari, posse Deum salvis promissis regnum et regiae potestatis administrationem ab iis qui sunt ex stirpe davidica auferre atque per alios populum regere theocraticum. Unde hoc quoque oraculo et dignitate in Eliacim collata ratio providentiae divinae illustratur, qua res disponi cernimus, ut quemadmodum divina promissa opere certissime complentur, ita tamen singuli sibi summopere cavere debeant, ne ipsi sua culpa ab illis excidant et abiiciantur. Ergo norma statuitur divina, qua gloriatio illa : filii Abraham sumus, funditus destruitur et illud potius exemplo praeformatur posse Deum ex lapidibus suscitare filios Abraham (cf. Matth. 3, 9).

Sobna deiectus est propter insolentiam et superbiam, ruina urbis et caedes plurimorum propter contemptum admonitionis divinae praedicta

est (v. 14) ; quae ut ex opposito illustrentur, in sola pietate esse conditionem firmam ac stabilem et divinae benedictionis abundantiam Deus praeclare effert ad *servum* suum Eliacim loquens v. 23 « *et figam illum paxillum in loco fideli et erit in solium gloriae domui patris eius* » ; — loco firmo ac tuto infigitur paxillus, ut et ipse firmus consistat inconcussusque et ut quae inde pendeant vel suspendantur vel sustineantur (sive de paxillo intellexeris tabernaculum fulciente, sive de clavo parieti infixo [1]), aequali firmitate ac securitate donentur. Ad hanc stabilitatem imperturbatam quae iam est maxima pars felicitatis accedit eximia quaedam gloria, qua ipse Eliacim insignis erit et quae in eius domum ac familiam pariter redundabit. Uti thronus arte praeclara factus et ornatus in domo regia inter supellectilem praecipuum locum occupat et admirationem habet, ita Eliacim in familia regia honore eximio fulgebit et per ipsum et propter ipsum tota eius familia. En quid Deus pietati promittat! Conciliatur splendor ipsi pio eiusque domui. Comparatio quidem « humilis pro nostris moribus est, familiari veterum Hebraeorum stilo nobilis, qua non raro sacri scriptores utuntur, ubi phrases nobiles res ipsa postulat : Esdr. 9, 8. Ez. 15. Zach. 10, 4 » (*Calm.*).

Eum suis fulcro esse futurum imagine paxilli firmi latius exposita declaratur v. 24 « *et suspendent super eum omnem gloriam domus patris eius, vasorum diversa genera, omne vas parvulum, a vasis craterarum usque ad omne vas musicorum* » ; — hebr. *et suspendent ab eo omnem gloriam* (omne pondus ?) *domus patris eius, propagines ac posteritatem, omne vas parvum a vasis craterum usque ad vasa urceorum* i. e. nobiliores atque ignobiliores eius familiae propagines, reliqui quoque ex populo sive sint plebeii sive primores, sed praesertim pauperes et infimo loco constituti apud ipsum invenient quo iuventur et firma felicitate constituantur. Omnium ordinum homines apud eum protectionem quaerent eique innitentur et ab eo habebunt gloriae ac pacis subsidia (cf. *Sanct.*). Notat ad hebr. *Sanct.* : « in voce hebr. aliquid est quod maiorem in modum commendat in subiectum populum sedulitatem, curam, amorem. Significat enim progeniem a parente propagatam aut propaginem e vite pullulantem aut quod alteri adhaeret tamquam ipsi cognatum, accommodate ad patris nomen quod a propheta datur Eliacim ; nam ut vitis propaginem et pater liberos, sic Eliacim sustentabit amplecteturque quos habebit subditos ». Ita ergo pro sua pietate omni populo Eliacim erit subsidio, fortitudini, gloriae ; non igitur in nobilitate stirpis, sed in mente

1. De clavo parieti infixo v. g. explicant *S. Hier. Thom. For. Sanct. Sasb. Pint. Mar. Men. Tir. Calm. Drechsl. Naeg.* ; de palo quo figitur tabernaculum *Kn. Del. Net. Rohl.* ; alii utrumque proponunt rem in medio relinquentes, uti *Ges. Troch.*

vere pia et theocratica salutem esse repositam pro republica propheta docet; qui perituri sint, v. 2. 13. 14 declaratur; hic exhibetur, unde conditio firma sit petenda.

Pietati esse sua praemia, arrogantiam autem e loco et dignitate excidere quo magis et illustrius utriusque viri sorte et exemplo doceatur, vates concludit v. 25 « *in die illa, dicit Dominus exercituum, auferetur paxillus qui fixus fuerat in loco fideli et frangetur et cadet et peribit quod pependerat in eo, quia Dominus locutus est* »; — ruinam Sobnae denuo commemorat; nam ille demum, non Eliacim, auferetur *quia Dominus locutus est* i. e. ex decreto et iudicio Dei iam antea edito et promulgato. Vatem autem eandem imaginem quo modo usus erat ad Sobnae conditionem accommodare eo facilius explicatur, quia Sobna in *eadem* dignitate est constitutus; magistratum gerebat *in loco firmo* (hebr.) scil. in domo David, cui thronus perpetuus est promissus, cui igitur servire non solum honorem affert, verum etiam firmam ac stabilem felicitatem. Unde Sobna potuit esse paxillus eadem ratione eodemque pro se aliisque emolumento, quo Eliacim fore dicitur. Sed illius paxilli prorsus alia sors eveniet; quae diversitas cum in eiusdem rei metaphora depingatur quam maxime apta est qua mentes sensusque percellantur. Et haec ratio esse videtur, cur vates in eadem imagine sistens casum et ruinam Sobnae denuo explicite proferat.

Cum vates paxilli imaginem quam de Eliacim adhibuerat retineat, aliqui etiam v. 25 ita interpretantur, ut eiusdem Eliacim ruinam futuram praedici affirment. Ita iam *Euseb. Chald.* et ex recentioribus *Drechsl. Hitz. Del. Naeg. Loch, Schegg, Rohl. Troch.* Immo aliqui iam in v. 24 contineri volunt vituperium Eliacim, qui suis cognatis modo indebito faverit eosque quamvis indignos ad honores et dignitates promoverit (cf. *Del.*). Verum hoc difficillime cum laude Eliacim tributa conciliari potest. Cum enim in v. 20 pietas eius commendetur et in v. 21 eius in omnes benignitas ac cura sedula et paterna, non intelligitur, quomodo subito ea in illo reprehendi censenda sint quae sine laesione pietatis et iustitiae a nullo fieri possunt. Pietas eius ratio est, cur vocetur a Deo; eum ab ea deficere non indicatur, ergo non licet supponere. Deus dicitur eum figere, eum stabili modo collocare; ergo prorsus improbabile est eodem loco a propheta dici eum iri fractum. Sobna reiicitur propter arrogantiam, propter pietatem eligitur Eliacim; cur idem Eliacim etiam statim reiiciendus sit, nulla affertur ratio; nam quod munere paxilli fungatur, non potest ei vituperio verti, quia a Deo fixus est tamquam paxillus; ergo id praestat, propter quod assumptus est; quomodo autem id exhibiturus sit, in v. 21 dictum est nec licet supponere, eum contrarium esse facturum. Neque scio an unquam unus idemque interitus et impio praedicatur et ei qui eodem loco ut pius commendatus sit. Id certe a more prophetarum longissime abest.

Unde alii rem ita temperant, ut solum minas proferri velint in Eliacim, ne

suis nimium favens ruinam sibi attrahat (cf. *Naeg.*). Sed haec explicatio cum a verbis nimis recedat arbitraria est; planum est enim in v. 19. 20. 25 eodem prorsus modo praedictionem enuntiari; immo cum in v. 25 duplici assertione praedictio referatur ad verbum Domini quod nunc fiat et quod iam factum sit, oraculum non potest concipi eo modo quo vult *Naeg.* Adde quod supra iam monui, aperte dici Dominum iam antea illam ruinam annuntiasse, id quod ad Eliacim nullo modo referri potest, optime autem et unice ad Sobnam accommodatur, cuius ruina revera iam praedicta est. Is enim v. 25 dicitur cadere, cuius ruina iam annuntiata est et *quia* iam annuntiata est; igitur quaero : quis est ille ? et ex oraculi verbis aliter respondere non poteris nisi unius Sobnae ruinam esse in antecedentibus declaratam. *S. Hier. Thom. Osor. Net.* incommoda huius interpretationis partim evitant, cum non de ruina Eliacim ipsius, verum de muneris cessatione quae tempore captivitatis futura sit ultimum versum explicent. Sed ne haec quidem expositio verbis oraculi commendatur. Nam non munus, sed is qui munus gerit, paxillo comparatur v. 23; quare arbitrarium est, in v. 25 paxillum de munere solo explicare; neque intelligitur, ubi hoc loco apud Isaiam illa cessatio iam sit praedicta, ita ut vates subito ad illam possit provocare.

Quare cum plerisque interpretibus versus 25 de Sobna explicari debet. Ita v. acceperunt *S. Ephr. Cyr. Theod. Lyranus, Vat. Sanct. For. Sasb. Mald. Sa, Malv. Lap. Men. Tir. Gord. Calm. Chardin, Martini;* ita *Iarchi, Kimchi* quos refert et sequitur *Ros., Bauer, Ges. Lowth, Umbreit, Doederlein.*

Isaiam autem in fine oraculi rei summam iterato paucis complexam referre saepius adverti potest; vide 19, 22; 21, 16. Nostro autem loco id fieri eo probabilius est, quia eadem formula *in illa die* et electio Eliacim indicatur et v. 25 reiectio illius de quo in v. 25 sermo fit; sed cum eadem formula unius Eliacim et electio et reiectio enuntiari censenda non sit, de illius reiectione sermo erit de quo in antecedentibus iam dictum est; insuper adverte ipsi Sobnae annuntiari electionem Eliacim v. 21; unde ad minarum pondus prorsus aptum est, ut eidem postquam ei ostensum est Eliacim mente theocratica officio suo esse functurum, oraculi summa et minae denuo in modum quasi sigilli appositi repetantur et inculcentur. Ita scil. oraculum ad id revertitur, unde initium est captum, et uti prior pars in v. 14 redit ad argumentum in v. 1 propositum, ita altera haec pars ad suum quoque initium reflectitur.

11. *Oraculum in Tyrum* 23, 1-18.

Arg. — Calamitatem Tyri ita ad vivum describit vates, ut et iis qui procul absunt et iis qui ipsa in urbe incolunt lamentationem praecipiat commemorata antiqua gloria et divitiarum copia; verum cum hisce omnibus urbs iam ignominiose sit spoliata, et extranei et indigenae iuremerito in lamenta prorumpunt et Tyrii sedibus pulsi in peregrinas regiones abire coguntur (23, 1-7). Tantam autem rerum secundarum eversionem et ruinam adeo pro pristina gloria et pompa inex-

spectatam effecit rerum omnium moderator Dominus ; ille suis mandavit exercitibus, ut potentiam et pompam Tyri deiicerent et longe eos abigerent, ille mittit Chaldaeos qui ruinam et castigationem Tyriis afferant (23, 8-14). Verum post annos septuaginta Tyrus ad conditionem commercio florentem redibit in eaque prospere aget, si tamen negotiationes opesque Domino sacraverit (23, 15-18).

Ut iudicium Dei universale ad vivum proponatur, postquam vates iis qui sunt procul positi ad septemtrionem et meridiem versus, iis quoque qui in vicinitate incolunt punitionem Dei denuntiavit, iam nihil aliud restat, nisi ut Tyriis qui ad occidentem late in mare et insulas dominantur eadem qua reliquis norma divinum in omnem superbiam et fastum decretum innotescat. Phoenices autem eo potiore iure inter eos connumerandi sunt qui ut Dei regnum consistat deiiciantur oporteat, quia luxuria, idololatria impudentissima, immensa divitiarum et voluptatum cupiditate et studiis suis atque negotiis in una opum acquisitione haerentibus non minus exstiterunt inimici regni Dei quam armis bellicis Assyrii, Aegyptii, Babylonii ; immo eo magis perniciosos sese praestiterunt, quo maiore vi et fallacia voluptates blandae et rerum terrenarum illecebrae sese animis insinuant captosque servitute turpi simul ac dulci constringunt atque a rebus divinis omnino ac perpetuo avertunt. Unde ne quid desit in hac prostratione omnium inimicorum Dei, Phoenices necessario erant commemorandi, qui artium ac voluptatum et divitiarum illecebris genus humanum eximio modo corrumpere satagebant. Id sacer vates iam innuit et praeformavit 2, 16, cum postquam apparatui bellico interitum denuntiavit, etiam diem Domini futurum esse praediceret « super omnes naves Tharsis et super omne quod visu pulchrum est ».

a) **Lamenta de gloriae Tyri ruina 23, 1-7.**

Titulo praemisso « *Onus Tyri* » — etiam hic vates nos statim rapit in medias res. Iam enim Tyrus cecidit et devastata est et rei huius pene incredibilis nuntius iam per maris insulas spargitur, ita ut mercatores qui Tyrum versus navigant terrore percutiantur. Quare ab invitatione ad miserum casum deplorandum scenam aperit propheta v. 1 « *Ululate naves maris, quia vastata est domus, unde venire consueverant! de terra Cethim revelatum est eis* » ; — cladis magnitudo statim ad vivum oculis subiicitur, cum iam vasta maria peragraverit et ii ipsi qui longe absint ululatibus omnia compleant et se domo ac portu privatos lamententur. Habetur enim magis nervose et concise oratione membris brevibus distincta et concitata in hebr. *eiulate naves Tharsis, quia vastata est, domus non est, non est introitus!* iam vobis non est patria, non est

domus, non est portus. Finguntur ergo naves redeuntes ex Tartesso et laeta spe domum versus volantes — de Tharsis vide 2, 16 et ad Ion. 1, 3 — cum medio in itinere laetitia illa et spes intercipitur nuntio vastationis allato. Cethim (Kittim) sensu latiore dicuntur incolae insularum in mediterraneo mari (cf. Gen. 10, 4. Num. 24, 24. Ier 2, 10. Ez. 27, 6. Dan. 11, 30) vel etiam regiones illae adiacentes, uti v. g. 1 Mach. 1, 1 Alexander magnus dicitur egressus ex terra Cethim (cf. 1 Mach. 8, 5); sensu strictiore nomen videtur designare Cyprum [1] insulam, cuius urbs Kitium cum multis aliis coloniis Phoenicum accensetur (cf. *S. Hier.* quaest. in Gen. 10. *Riehm,* Handwoerterb. I p. 234). Hoc loco latiore significatu vox erit capienda.

Iam si calamitas tanta est, ut illius nuntius et eiulatus latissima maris spatia pervaserit, quid ipsi iam Tyrii sentient? v. 2 « *tacete qui habitatis in insula* »! — i. e. ita terrore sunt obstupefacti et perculsi, ut usus sensuum [2] et loquendi facultas intercludatur. Ex effectibus qui et procul et prope cernuntur descriptis quanta ipsa sit ruinae et casus magnitudo concludere vates nos iubet; « silentium signum est stuporis quem afferre solet gravis et insperata calamitas » (*Sanct.*), uti summus doloris gradus etiam lacrimis carere solet. Insula hebr. אִי i. e. ora maritima intelligi potest de universa regione Phoenicum; Tyrus urbs ipsa in insula sita erat tribus stadiis a litore remota et stadiis triginta septemtrionem versus a Palaetyro, urbe in litore, distans. — Uti fieri solet in lamentatione, ex pristina gloria casus acerbitas defletur; « *negotiatores Sidonis transfretantes mare repleverunt te;* v. 3 *in aquis multis semen Nili, messis fluminis, fruges eius et facta est negotiatio gentium* »; — tribus prisca gloria describitur per gradationem : mercatores Sidonis, urbis Phoenicum antiquioris, ex qua Tyrus fundata est, Tyri in maximo emporio frequentissime versabantur; erat igitur Tyrus quasi centrum et metropolis commercii Phoenicum; dein ad Tyrum transmittebantur frumenta Aegypti et quidquid fecunditatis et divitiarum in Aegypto condebatur; Tyrus demum erat frequens gentium omnium concursu nobilitatum emporium. — In aquis multis i. e. per aequora Tyriis advehitur *semen Nili* [3] i. e. id quod in Nili regione seritur et Nili

1. Vide *Iosephum* in Antiq. 1, 6, 1 et *Epiphanium* Cypri episcopum, advers. haeres. 30, 25; cf. *Ges.* Thes. p. 726. *Winer* s. v. —

2. Censet *Delitzsch*, Prolegg. z. hebr. aram. Woerterb. p. 64, voci דָּמַם ex assyriaco adscribi posse notionem *ululandi.*

3. Hebr. שִׁיחוֹר i. e. si vox ex hebr. est explicanda, fluvius niger; Nilum dicit cf. Ier. 2, 18. 1 Par. 13, 5. Ios. 13, 3; et eo censent designari Nilum superiorem; cf. *Ebers,* Aegypten und d. Bücher M. p. 33. יְאֹר est fluvius; ita Nilus vocatur etiam apud Aegyptios; vide *Ebers* l. c. p. 337.

inundatione rigatur et ita per fluvium ad maturitatem et frugem adducitur, quare apte *messis fluminis* vocatur, cui scil. omnis messis in Aegypto debetur ; haec vero messis est *proventus* (hebr.) Tyri, quatenus Tyrii copiam et abundantiam Aegypti commercio sibi acquirunt et ex frumento ab Aegypto in varias terras divendito lucrum non exiguum faciunt. Ad Tyrum demum concurrebant gentes et nationes omnes, ut suas ibi merces deponerent et vicissim quae sibi opus essent vel ad vitae necessitatem vel ad luxum et commoda sibi acquirerent. Quare Tyrus quasi metropolis quaedam gentium iure merito habebatur (cf. Ez. 27, 4 seq. *Movers,* Phoenizier II. 3 p. 200-336).

Verum miserum in modum gloria haec concidit ; quare Sidon, mater Tyri, de filiae orbitate summo pudore afficitur v. 4 « *erubesce Sidon! ait enim mare, fortitudo maris dicens : non parturivi et non peperi et non enutrivi iuvenes nec ad incrementum perduxi virgines* » ; — Sidon antiquior est Tyro et Tyrus colonia Sidonis, unde Sidon mater Tyri ; iam Sidon mater filiam non cernit, sed ubi Tyrus filia habitabat, non est nisi mare et saxum quoddam vastum ac desertum, et ex tali aspectu Sidoni nuntius perfertur ruinae filiae ; quare locus ille, ubi Tyrus olim erat, mare scil. et rupes, loquens inducitur ad Sidonem : *non parturivi* i. e. quaecumque aderant, perierunt ; quasi nunquam populus ibi habitasset, omnia funditus excisa sunt ; « erubesce, Sidon, periit ornamentorum tuorum pulcherrimum, siquidem munimentum fuit pervetustum, validum et fortissimum et divitiis multis celeberrimum. Itaque mare haec dicit, ipsa etiam maris fortitudo, nimirum quae insularum domina est, Tyrus, suas deplorans calamitates, quando se incolis nudam et filiis desertam conspexerit, tum plane dicet : non parturivi ; eram enim pari in loco cum his quae prorsus non pepererunt nec iuvenes educarunt nec virgines eo ipso quod funditus ad interitum pervenerunt » (*S. Cyr.*). Sed eo ipso quod *mare* et *munimentum maris* (quod commode intelliges rupem illam in qua condita fuit Tyrus) respondet, non iam ipsa Tyrus stare perhibetur, sed ruinae Tyri et locus ubi olim fuit responsa dare censentur et suam annuntiare vastitatem ac solitudinem.

Uti in insulis maris mediterranei et in ipsa Phoenice, ita in Aegypto quoque lamentatio auditur v. 5 « *cum auditum fuerit in Aegypto, dolebunt cum audierint de Tyro* » ; — iure dolent Aegyptii quia magnus illis quaestus perit (*Men.*), qui ex commercio enascitur, dum pro frumentis ea a Phoenicibus accipiunt quae ad luxum et voluptatem pertinent ; acceperunt scil. a Phoenicibus quae ad cadavera aromatis condienda necessaria erant, praeterea vinum, oleum, ligna pretiosa (cf. *Movers* l. c. p. 326 seq.). Maior etiam doloris causa eo habetur quia Phoenicibus superatis iam via patebat expeditior ac tutior pro Assyriis

vel Chaldaeis ad Aegyptum expugnandam, id quod bene iam *Sanct.* monet. Quamdiu enim Phoenices invicti erant, magnum invadentibus in Aegyptum a tergo instabat periculum et Phoenice quasi propugnaculi instar erat pro Aegypto. Unde bene dicuntur Aegyptii de ruina Tyri dolere.

Et quid ipsis urbis reliquiis restat? Nihil nisi ut in longinquas regiones fugiant et miseriam patriae defleant v. 6 « *transite maria, ululate qui habitatis in insula;* v. 7 *numquid non vestra haec est quae gloriabatur a diebus pristinis in antiquitate sua? ducent eam pedes sui longe ad peregrinandum* » ; — hebr. *fugite in Tharsis* (cf. v. 1) ; superbi cives metropoleos iam coguntur subsidium et refugium petere a coloniis; aufugere iubentur in regiones quam maxime longinquas, quo magis terror ac perturbatio ad vivum exprimatur. Atque haec fuga eo turpior censetur, quia Tyrus sua antiqua gloria et felicitate elata talem rerum commutationem ne suspicabatur quidem ; unde prior gloriatio et iactatio casum iam reddit multo acerbiorem. Obsidione facta Tyrios fugisse veterum quoque annalibus traditur. Ita notat *S. Hier.* : « legimus in historiis Assyriorum obsessos Tyrios postquam nullam spem evadendi videbant conscensis navibus fugisse Carthaginem seu ad alias ionii aegaeique maris insulas » ; quibus addit *Malv.* : in Alexandri obsidione Tyrios coniuges liberosque et senio confectos Carthaginem devehendos curasse Diodorus Siculus (17, 583) et Curtius(4, 3) produnt. Tyrus antiquitate sua gloriabatur, nam *Herodoto* teste sacerdotes Tyrii urbem tempore Herodoti iam per duo millia et trecentos annos floruisse contendebant [1]; *Iosephus* eam conditam fuisse dicit ducentis quadraginta annis antequam templum hierosolymitanum aedificaretur (Antiq. 8, 2); laudem antiquitatis ei libenter ac copiose tribuunt *Strabo, Curtius* (cf. *Malv.*), *Iustinus* (cf. *Sanct.*). Hebr. *haeccine vobis exsultabunda?* estne haec ruina illa olim civitas gloriosa et laetabunda ; vel ut alii vertunt : *hoccine vobis contigit, urbs exsultabunda? ex diebus antiquis origo eius;* ultimum membrum aliqui non de abductione in exsilium neque de fuga explicant, sed arcte ad antecedentia adnectentes ad laudem Tyri et gloriam referunt explicantes de coloniis quas in longinquas regiones frequenter ducebant : *portabant eam pedes procul ad peregrinandum ;* id quod iam adnotat *Malv.* : « volunt hoc versu esse sarcasmum ex comparatione praesentis abiectionis cum antecedente fastu et gloria » ; olim cum pompa et gaudio (cf. יבל) colonias deducebant

---

1. *Herodot.* 2, 43. 44 ; cum Herodotus circa an. 450 a. Ch. in Phoenicia versaretur, Tyrus circa an. 2750 a. Ch. condita dicitur ; id quod *Movers* omnino probabile censet ; cf. l. c. II. 1 p. 135 et seq.

procul in terras alienas gentis multitudinem et opes ostentantes, verum iam turpi fuga se in regiones peregrinas proripere coguntur (cf. *Rohl. Del. Naeg.*); sed plerique interpretes explicant de abductione in exsilium, uti etiam LXX vel potius *Theod.* ἀπάξουσιν et *S. Hier.* et *Syrus* intellexerunt.

b) Dominus superbiam Tyri deiecit 23, 8-14.

Proposita tali ruina post tantam gloriam propheta sacro suo munere fungens mentem et oculos attollere iubet ad eum qui hanc cladem effecerit. Quare prius animos ut rem secum perpendant attentos reddit v. 8 « *Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam, cuius negotiatores principes, institores eius inclyti terrae* » ? — denuo pristinam gloriam commemorat : erat Tyrus *coronas distribuens* (hebr. cf. *Vat. Mar.* et apud *Malv.* et recentiores) i. e. reges instituens et creans (*Chald.*) ; mercatores eius omnes principum loco et ordine habebantur, negotiatores viris nobilissimis aliarum gentium nulla re cedebant. Quis igitur talem ruinam decrevit et exsecutus est super urbem adeo florentem ? cuius cives omnes principes et nobiles erant opibus, honore, splendore? Cum emphasi vates effert Iahve esse rerum omnium moderatorem qui superbos de sede deiiciat v. 9 « *Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriae et ad ignominiam deduceret universos inclytos terrae* » ; — norma illa divina universalis 2, 12 iam ad Tyrum applicatur ; nam qui gloriatur, in Domino glorietur (cf. Ier. 9, 23. 24). Tamquam supremus omnium exercituum imperator nominatur quia exercitibus Assyriorum et Babyloniorum usurus est *ad foedandum* (vel profanandum) *fastum omnis superbiae* (hebr.) ; homines et quae ab hominibus erecta sunt fortissima, pulcherrima, pariter conteret ; imprimis quoque idolorum delubra (cf. חלל profanare), quae Tyri aderant antiquitate celeberrima ; simul enim cum urbe templum fundabatur Herculis (Baal Melkarth) summa pompa ornatum (cf. *Herodot.* l. c. Schenkel, Bibellex. III p. 17).

Hanc autem humiliationem ita Tyro annuntiat, ut Tartessum coloniam a dominio Tyriorum liberam et suo se arbitratu regentem describat, in unius coloniae exemplo omnes exhibens iugum Tyriorum excutientes : v. 10 « *transi terram tuam quasi flumen, filia maris, non est cingulum ultra tibi* » ;— hebr. *filia Tharsis* i. e. iubetur Tartessus possidere et administrare regionem pro lubitu ; libere enim per regionem transire, possessoris est ac domini (cf. Gen. 13, 17) ; iubetur ditionem suam extendere, quasi flumen quod inundatione alveum excedat ; iam non est *cingulum* i. e. iam non coercetur et imperio constringitur legibus a metropoli impositis. Facile crediderís Tyrum imperium satis durum in co-

lonias exercuisse, iis liberam rerum administrationem non permisisse et cum invidia cavisse, ne potentia et divitiis ita augerentur, ut obedientiam ac submissionem detrectarent. Id igitur *cingulum* erat quo Tartessus arctis continebatur finibus.

Ita recentiores verba communiter accipiunt, et cum allocutio fiat ad Tharsis, vix aliter concipi possunt, quamvis *cinguli* metaphora eo sensu accepta aliquid habeat singulare et inusitatum. Unde alii מֵזַח explicant *frenum;* sed Ps. 109, 19 et Iob 12, 21 (מְזִיחַ) significationem *cinguli* adesse certum est. Difficultatem removere studet *Naeg.* coniectans adesse in voce allusionem ad *terminum technicum* quo apud Phoenices ius coloniarum et earum subiectio legibus metropolis debita designata sit. At res est plane incerta. — Interpretes veteres vocem Tharsis notione generali *maris* accipientes verba explanant de Tyro, filia maris, quae iubeatur vel patriam relinquere et incertis sedibus vagari vel per sarcasmum patriam suam i. e. mare perambulare et mercaturas exercere, cui iam non sit *cingulum,* scil. moenia vel vallum, vel fortitudo, vel ne cingulum quidem ad mercaturam exercendam etc. *Tharsis* LXX in hoc capite intelligunt Carthaginem (cf. v. 1) ; hoc loco praebent : operare terram tuam ; etenim naves nequaquam veniunt de Carthagine; ad quod notat *S. Hier.* : « multum a ceteris interpretibus et ab ipso hebr. in hoc loco LXX discordat editio ». *Chald.* exponit : migra de terra tua quasi aquae fluminis, fuge in provinciam maris; non est ultra fortitudo. *Syrus* : non est denuo qui te vexet (affligat) ; videtur ergo *cingulum* etiam de duro imperio quo quis constringitur et a libera rerum administratione coercetur accepisse. Teste *S. Hier.* vertit *Symmachus* : non poteris ultra resistere.

Hanc autem mutationem rerum summus regnorum moderator effecit v. 11 « *manum suam extendit super mare, conturbavit regna ; Dominus mandavit adversus Chanaan, ut contereret fortes eius* » ; — hebr. *ut devastaret munimenta eius* [1] ; uti olim Deus ad perdendos Aegyptios manum extendit (Ex. 15, 12), ita nunc manum suam ultricem extendit super mare, in quo Phoenices soli longe lateque dominantes conspiciebantur, et potentiam illam maritimam deiicit ; ad hanc vero rem perficiendam *regna commovet,* ditiones eousque Phoenicibus subiectas ab eorum imperio scindit, aliarum gentium regna excitat, ut Phoenicibus bellum inferant, et munitiones eorum deiiciant. Phoenicia h. l. vocatur *Chanaan*, quo nomine ipsi Phoenices suam appellabant regionem, uti ex nummis apparet (cf. *Ges.* Thes. p. 696) et teste S. Augustino « rustici nostri interrogati quid sint, punice respondent *Canani* » (Expos. in

1. Hebr. מָעֻזְנֶיהָ quam formam alii a scribis corruptam volunt (*Kn. Naeg.*) explicat *Boettcher,* Neue Aehrenlese II p. 131 tamquam deminutivum מָעֻזָן *oppidula.*

ep. ad Rom. §. 13; *M.* 35, 2096); praeterea vide Num. 13, 30. Ios. 5, 1; 13, 4. Iud. 3, 3. 2 Reg. 24, 7.

Iam quid Deus regnis mandet, ut pro sua quodque parte ad Phoenices humiliandos conferat, proponitur v. 12 « *et dixit : non adiicies ultra ut glorieris, calumniam sustinens virgo filia Sidonis; in Cethim consurgens transfreta ; ibi quoque non erit requies tibi* »! — *calumnia* in usu *vulg.* saepe idem dicit quod oppressio; urbs quae nondum ab hoste est subacta, *virgo* vocatur; subactio et clades ab hoste inflicta violationi et oppressioni virgini illatae comparatur (cf. Is. 47, 3. Ier. 2, 16. Ez. 16, 37; 23, 10. Am. 5, 2. Nah. 3, 5 etc.). Sidon, urbs Phoenicum antiquissima, unde « primogenitus » Chanaan (Gen. 10, 15. 1 Par. 1, 13) vocabatur et in nummis appellatur « mater Tyri, Aradi » (cf. *Riehm,* Handwoerterb. II p. 1472), hoc loco universam gentem designat. Eius superbiae et iactationi Deus finem imponet ; e suis sedibus pulsi in colonias fugient subsidium et opem ac domum quaesituri ; verum coloni eos qui se duros dominos atque imperiosos praestiterant, minime consistere patientur; unde qui olim maria et insulas imperio suo tenuerant et pompa et ambitione impleverant, iam ipsi ignominiam suam et cladem omnibus palam facere cogentur. Ita utique eveniet, ut immensa eorum iactatio et gloriatio ad silentium redigatur. Cethim h. l. sensu latiore accipere consultum erit, ut sicut dominatio late patebat in insulas, ita quoque eorum fuga et humiliatio ubique innotescat.

Denuntiatione hac in universum facta iam ii designantur per quos haec ruina proxime sit efficienda tamquam per Dei ministros v. 13 « *ecce terra Chaldaeorum; talis populus non fuit, Assur fundavit eam ; in captivitatem traduxerunt robustos eius, suffoderunt domus eius, posuerunt eam in ruinam* » ; — i. e. « ecce, inquit, accolae terrae Chaldaeorum, cuius potentiam nulli populi ante habuerunt et quae ab Assyrio fundata est, transduxerunt robustos Tyri, suffoderunt non solum muros, sed et cuncta habitacula civitatis posueruntque eam in ruinam » (*S. Hier.*). Chaldaeorum gentem esse antiquissimam et priscis temporibus florentissimam ac potentissimam, inquisitionibus recenter factis constat. Et cum Babylonii tum demum sub Nabuchodonosore Asiae imperium obtinerent et varia iudicia divina in populos exercerent, postquam regnum assyriacum deiecerunt eiusque regni ditionem et opes suo adiunxerunt, Babylonii considerari poterunt tamquam fundati et constituti super Assur. Ceterum in textu hebr. alio modo habetur : *ecce terra Chaldaeorum – iste populus non fuit, Assyriam tradidit feris deserti — erigunt turres suas, eius palatia evertunt, ponunt eam ruinam* ; designantur igitur Chaldaei exsecutores iudicii divini et ita quidem, ut ad obsidionem faciendam turres vel munimenta erigant,

expugnatione factâ urbem destruant. Ipsi vero Chaldaei dicuntur« populus non fuit » i. e. antea dum Assyrii late in Asiam dominarentur, Chaldaei Iudaeis et Phoenicibus fere ignoti erant; sed quamvis in censu populorum iste populus reponi non videretur, tamen iam Assyriam deiecit, vastavit et regnum olim potentissimum destruxit. Unde sententia illa interiecta describuntur Chaldaei ut populus eousque ignotus sed qui a prima sua quasi origine per humiliationem regni assyriaci ostenderit quis futurus sit.

Ita verba hebr. intelligenda esse videntur (cf. *Rohl. Del. Naeg.*). Similiter Sophonias de ruina Assur loquitur : « et extendet manum suam super aquilonem et perdet Assur et ponet speciosam (i. e. Niniven) in solitudinem et in invium (צִיָּה cf. nostro loco צִיִּים) et quasi desertum » (Soph. 2, 13). Hac explicatione sensus verus et facilis funditur. Ceterum alii aliter exponunt : Assyrii eam deserti incolis pararunt i. e. Chaldaeis qui antea sedibus incertis per deserta oberrarunt ab Assyriis sedes fixae assignatae sunt (cf. *Bauer, Drechsl. Hitz. Kn.*) ; sed id factum esse nullo modo affirmari potest. Alii : Assyrii terram Chaldaeorum vastaverant et potentiam Chaldaeorum reprimere studebant (cf. *Schegg*). Alii demum ut multa omittam perperam in textu legi censent terram *Chaldaeorum*, substituunt Chananaeorum (*Ewald, Himpel*, Tübinger Quartalschrift 1875 p. 532); sed contra testes antiquos emendatio haec est audacior. Insuper cum destructio Tyriorum efferatur, sane per quos haec efficienda sit etiam suo iure quisque exspectaverit addi. Cum ergo revera in textu hebr. addatur, cur demum textum corriges ? Et postquam propheta dixit Dominum mandasse adversus Chanaan, etiam quibus mandaverit ut adiungatur, a more prophetae tantum abest ut sit alienum, ut prorsus ad eum sit consentaneum; cf. 5, 25. 26; 13, 3. 17. Neque explicatio supra proposita reiici potest ex eo, quia Isaias ruinam regni assyriaci per Chaldaeos futuram praedicere non potuerit. Nam post regnum assyriacum exoriturum esse regnum babylonicum vel Babylonios, qui tempore Isaiae iam satis potentes erant, viribus et potentia auctum iri ita, ut qui saepe iam rebelles exstitissent contra Assyrios, ab eorum demum imperio sese subtraherent idque subverterent, id dico praevidere non adeo difficile fuit Isaiae tempore, etiamsi doni prophetici non habeatur ratio. Demum cum Isaias ipsius quoque regni babylonici ruinam vaticinetur, nemo nisi rationalista mirabitur ab eodem vate fata quoque Assyriorum et Tyriorum praedici.

Ruina Tyriorum exposita eiusque causis declaratis ad initium i. e. ad lamentationem revertitur oratio v. 14 « *ulutate, naves maris, quia devastata est fortitudo vestra* » !— hebr. *naves Tharsis, quia vastatum est munimentum vestrum;* ita vocatur Tyrus, « quia vos omnigenis mercibus atque opibus implebat, quae vires sunt et nervi civitatum » (*Sanct.*) et tamquam firmissimum ac tutissimum commercii centrum consistere videbatur, ex quo omnibus protectio et auxilium praesto esse credebatur.

Iam si rerum gestarum historiam cum oraculo comparamus, idem hoc loco observari licet quod iam cap. 13 in oraculo de Babel deprehendimus. Uti ibi expugnatio Babylonis per Medos simul cum ultima urbis ruina a propheta videtur et proponitur, ita in nostro vaticinio castigatio Tyriorum et imminutio potestatis per Chaldaeos facta, in qua initium quoddam et via continetur ad ruinam, una cum ultimo excidio et totius potestatis Phoenicum collapsu repraesentatur. Unde in visione prophetica ea quae per longa temporis intervalla separata sunt, una in imagine quasi continua exhibentur ab omni ratione temporis absoluta; normas enim Dei propheta nos docet secundum quas res humanae administrantur, neque pro *visione* prophetica in qua normae istae menti prophetae sistuntur interest, quonam temporis spatio vel quot quasi gradibus opus sit ad normas illas opere exsequendas et rebus humanis imprimendas. Talem autem indolem visionis etiam hoc loco esse postulandam, ipsis rebus gestis docemur. Auctores ruinae nominantur Chaldaei. Atque revera Nabuchodonosor, uti *Iosephus* (c. Ap. 1, 20) ex ipsorum Phoenicum annalibus refert Syriam et integram Phoenicen sibi subiecit; urbem Tyrum per tredecim annos obsedit et Tyrios demum ad subiectionem adactos esse, inde elucet quod mox post obsidionem Tyriis reges duo ex urbe Babylone missi a Chaldaeis constituuntur, Merbaal et Hirom, uti *Iosephus* l. c. ex annalibus Phoenicum refert (cf. *Movers*, Phoenizier II, 1 p. 433). Tyrios esse subactos a Nabuchodonosore etiam ex Ez. 26, 11 seq. aperte colligitur, colligitur quoque ex Ez. 29, 18, ubi dicitur regem eiusque exercitum Domino servivisse servitute magna adversus Tyrum; proinde Tyrios castigarunt; sed cum Tyrii, uti refert *S. Hier.* res pretiosas navibus asportandas curassent, ita ut capta urbe nihil dignum labore suo inveniret Nabuchodonosor, ei pro mercede dantur manubiae et spolia Aegypti (Ez. 29, 19. 20). Eversa vero et destructa Tyrus non est eo tempore; quod Ezechiel quoque ad illam per Chaldaeos castigationem adnectit: « dabo te in limpidissimam petram, siccatio sagenarum eris » opere non coeptum est impleri nisi circa 1300 p. Ch.

Perperam aliqui oraculum hoc Isaiae ad oppugnationes Tyriorum per Assyrios factas referunt (ita v. g. *Ges. Umbreit, Kn.* et *Smend* in *Riehm* Handwoerterb. II p. 1694). Verum obstat quod v. 14 Chaldaei explicite nominantur; etiam quod oraculum ponitur post cladem illam quae urbi Ierusalem a Chaldaeis demum erit infligenda, de Chaldaeis esse sermonem suadetur. Praeterea Salmanasar et Sargon parum videntur contra Tyrios effecisse. Nam uti *Iosephus* (Antiq. 9, 14, 2) ex Menandro refert qui annales Tyriorum in graecum vertit, Tyrii classem sexaginta navium quam Salmanasar rex Assyriorum ab ipsis Phoenicibus contra eos instruendam curaverat, vicerunt ac disperserunt; rex

vero domum reversus est relictis excubiis qui Tyrios ne haurirent aquam impedirent (cf. *Movers* l. c. p. 385), ita ut Tyrii per quinque annos aquam ex puteis fossis haurire cogerentur. Neque Sargon urbem expugnavit; eam quidem expugnavit Sennacherib, sed damna ab Assyriis illata celeriter reparata sunt (cf. *Busch,* Geschichte des Orients II p. 250; I p. 331; II p. 247; *Vigouroux* l. c. IV p. 135).

c) **Salus Tyriis offertur 23, 15-18.**

Vires ac potestas Tyriorum a Chaldaeis frangentur, ita ut ruinae eorum initium a Chaldaeis repeti oporteat. Sed post tempus Chaldaeorum Tyriis florens commercii conditio denuo oborietur quam ut Domino consecrent admonentur. Uti in oraculis antecedentibus clade denuntiata via ostenditur qua salus et vera felicitas populis obtingere possit — ita Philisthaei ad Sionem remittuntur 14, 32; ita Moabitae 16, 5; Aethiopes 18, 7; Aegyptii et Assyrii 19, 18. 23 — eodem modo iam Tyriis quoque divinum panditur consilium quo humiliatio et deiectio potentiae et superbiae humanae propterea efficitur, ut remotis impedimentis omnibus regnum Dei et vera hominum salus consistat. Proinde divinam illam normam: *vincimini quia Emmanuel,* iam in omnem terrae plagam extendi eique omnes substare gentes propheta in praecipuis populis adumbrat.

Tyrum funditus iri eversum vates praedixerat; at simul melioris conditionis spem aperit v. 15 « *Et erit in die illa, in oblivione eris, o Tyre, septuaginta annis, sicut dies regis unius; post septuaginta autem annos erit Tyro quasi canticum meretricis* »; — idem tempus Tyriis praefinitur quod postmodum a Ieremia designatur; « et servient omnes gentes istae regi Babylonis septuaginta annis » (Ier. 25, 11; cf. 2 Par. 36, 21. Dan. 9, 2); sunt *dies regis unius* i. e. tempus unius imperii, unius dynastiae, dum scil. steterit regnum babylonicum (cf. *Osor. Malv. Sanct.*); vix « per aetatem unius hominis quae ut plurimum septuaginta annorum spatio finiri solet, ut Ps. 79, 10 » (*Mald.* sim. *S. Cyr. Sa, Men.*) neque comparatione sumpta ab aetate David qui per septuagenta annos vixerit (*Sanct.*) sed dies *regis* tempus designant *regni,* non vitae. Istud temporis spatium eodem modo fluet pro Tyriis in oblivione et statu humili constitutis; eo autem exacto ad Tyrum applicari poterit id quod in cantico quodam vulgari dicitur: v. 16 « *sume citharam, circui civitatem, meretrix oblivioni tradita; bene cane, frequenta canticum ut memoria tui sit* »! — Tyrus opportunitatem nanciscetur commercii amplissimi; ipso commercio, ostentatione et proclamatione mercium, qua undique alliciuntur mercatores, studio illo variis lenociniis et invitamentis undique ad se mercesque suas revocandi gentes comparatio meretricis facile inducitur eaque ars quaestuaria bene exprimitur.

Dominum, uti ruinam Tyriis attulerit, ita meliorem iis conditionem praebiturum esse vates monet simul quo canticum illud tendat explicans v. 17 « *et erit post septuaginta annos, visitabit Dominus Tyrum et reducet eam ad mercedes suas; et rursum fornicabitur cum universis regnis terrae super faciem terrae* » ; — hebr. *redibit ad quaestum suum* ; nobilitatem emporii et multitudinem negotiatorum indicat (*For.*) ; comparatione v. 16 instituta iam ipsum commercium omissa particula comparationis *fornicari* appellatur, idque eo facilius fieri potest in hebr. quia uti iam *Sanct.* monet « זונה communis vox est, qua etiam hospita designatur ; est igitur *fornicari* nihil aliud quam cum aliis gentibus societatem inire mercium et lucri, aut ne ab altera metaphora cauponatricis abeamus : excipere peregrinos homines in illud quasi diversorium » ; unde LXX quoque h. l. καὶ ἔσται ἐμπόριον et eodem modo *Chald.* et *S. Hier.* notat : « haec omnia iuxta historiam expleta esse consonis Graecorum et Phoenicum literis indicatur, quod post septuaginta annos instaurata ad potentiam pristinam sit reversa et negotiatio universarum gentium fuerit, quas ego puto fornicationes appellari ». Notandum est solius commercii fieri mentionem, non promitti regni Tyriorum instaurationem ; unde haud immerito ea praedictione verba Plinii in memoriam revocantur : « Tyrus olim clara... nunc omnis eius nobilitas conchylio atque purpura constat » (hist. nat. 5, 17. *Del. Naeg.*).

Quale autem sit pro Tyro Dei consilium, exponitur v. 18 « *et erunt negotiationes eius et mercedes eius sanctificatae Domino, non condentur neque reponentur, quia his qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio eius, ut manducent in saturitatem et vestiantur usque ad vetustatem* » ; — hebr. *et ad vestitum elegantem* [1] ; quomodo omnis industria hominum, mercaturae, artes, studia omnia ex Dei consilio ad Dei laudem et gloriam et possint et debeant demum referri, hic in admonitione Tyriis proposita quasi in exemplo luculentissimo proponitur. Tyrii enim inter gentes antiquas iis omnibus maxime erant insignes ; unde si Tyriorum studia et lucra Domino iubentur devoveri et ad sacerdotes Dei et fideles Dei cultores iuvandos adhiberi, nihil esse in humanis docetur, quod non ad Dei cultum et honorem et regnum Dei promovendum inservire possit ac debeat. Ut quo sensu haec de Tyriis dicantur rite apprehendamus, advertere oportet haec dici postquam vaticinium de ruina Tyri est propositum, quod vaticinium etiam ab Ezechiele denuo repetitur. Ab eodem autem Ezechiele edocemur de norma Dei in eiusmodi minis observata : « si autem dixero impio : morte morieris, et egerit poenitentiam a peccato

---

1. Vertit *Aq.* εἰς ἔσθησιν μετάρσεως· *Sym.* περιβαλέσθαι εἰσ τὸ παλαιῶσαι, *Theod.* περιβαλέσθαι εἰς παλαίωσιν.

suo... vita vivet et non morietur » (Ez. 33, 14) et a Ieremia eandem normam ad quamcumque gentem applicari audimus : « repente loquar adversus gentem et adversus regnum, ut eradicem et destruam et disperdam illud ; si poenitentiam egerit gens illa a malo suo quod locutus sum adversus eam, agam et ego poenitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei » (Ier. 18, 7. 8). Ex quibus verbis vaticinia exsistere et a Deo dari patet, quae quamvis ruinam certam verbis conceptis annuntient, tamen ita intelligenda sunt, ut poenitentia acta illud exitium possit averti. Talem autem interpretandi regulam si alicubi, certe ibi applicandam esse nostro iure existimabimus, ubi duo de uno populo vaticinia eduntur, de excidio alterum, alterum de promissione salutis. Si ergo Tyrus post calamitatem a Chaldaeis inflictam, quae erit, uti vidimus, quasi primus ad minas complendas gressus, ubi primum ad pristinum commercium redierit, studia sua et lucra ad Domini servitium consecraverit, iam ruina ulterior prohibebitur ; fieri enim nequit, ut qui Domino sint addicti intereant. Postquam igitur in priore oraculi parte minae propositae sunt et excidium illud est ostensum, in quod Tyrus incurret, si in via instituta permanserit, in altera manifestatur, qua ratione ruinam illam possit avertere ; unde altera hac parte efficax continetur admonitio, ut dummodo salva esse velit, tempore illo respirationis post calamitatem chaldaicam bene utatur eo quo v. 18 dicitur modo. — Eiusmodi vaticinia quae conditione subintellecta exponi debeant saepius proponi, vide quae notavi ad Ioel 2, 1. 19. Ion. 3, 10. Hab. 2, 3. Zach. 6, 15 ; 8, 17 (Comment. in Proph. min. I p. 212. 225. 385 ; II p. 72. 307).

Si normam illam a Ieremia et Ezechiele traditam ob oculos habemus, non erit necesse multum inquirere quomodo haec altera pars vaticinii sit impleta. Iam *S. Hier.* de ea scribit : « haec secundum historiam necdum facta comperimus, nisi forte putandum est quod post aedificationem Ierusalem et instaurationem Tyri amicae inter se fuerint civitates et ad templum Dei crebro Tyrii dona transmiserint » ; alii partem impletionis in iis cernunt quae Esdr. 3, 7. Neh. 13, 16 referuntur, partem in iis quae primo tempore rei christianae facta sunt, cum Tyri coetus Christianorum exortus esset (Act. 21, 3), atque *Euseb.* non dubitat asserere : « quod certe nostro tempore completum cernimus ; nam cum ecclesia Dei in urbe Tyriorum perinde atque in reliquis gentibus fundata sit, multae ex eius mercedibus negotiatione partis Domino consecrantur ecclesiae eius oblatae ». Atque huic interpretationi plerique acquiescunt ; ita v. g. *Estius* postquam dixit de nostro oraculo : « hoc ad literam nusquam factum legitur », concludit : « sensus est : Tyrus iam instaurata verum Deum colere incipiet Christique religionem amplectetur eoque modo fiet, ut negotiatione sua et mercedibus iam non amplius utatur ad serviendum diabolo, ut ante facere consueverat, sed uni vero Deo » ; sim. *Pint. Sasb. Mar. Lap. Men. Tir.*

Rohl. Troch.; alii potius ea respici volunt quae Zach. 14, 16 vel 1 Mach. 11, 59 et apud *Iosephum* Antiq. 12, 12 narrantur (cf. *Gord.* et apud *Sanct.*), dum alii de modo impletionis nihil tradant (cf. *S. Cyr. Mald.*), *Sanct.* autem ipsam explicationem tam difficilem putaverit, ut novam excogitarit, scil. mercedes Tyri fore pollutas et exsecrabiles Domino, ita ut non acceptentur hae oblationes ut condantur in templo.— In tanta varietate ille interpretandi modus quem supra proposui, uti ad normam oraculorum est consentaneus, ita facillimus et quam maxime expeditus et obvius esse videtur neque ex rerum gestarum historia ulli implicatur difficultati; ostenditur ergo Tyriis via salutis eo modo quo v. g. Assyriis 19, 24. 25; et simul portenditur neminem excludi a benevola Dei ad salutem capessendam invitatione; id quod ad totius huius partis indolem et argumentum apprime accommodatum esse nemo non perspexerit.

12. *Iudicium Dei universale et regnum gloriae eius* 24, 1-27, 13.

Arg. — Propter peccata quibus terra inundata est ingens vastitas terrae et omnibus hominum ordinibus castigatio annuntiatur, ex qua pauci relinquentur (24, 1-6). Huius vastitatis et punitionis terrores quibus et terra et homines percutientur varie proponuntur; hisce Deus maiestatem suam manifestat, quam electi ex omnibus mundi partibus celebrant laudantes (24, 7-16); verum peccatoribus ingruet ruina multiplex quam evadere nullo modo poterunt : orbis enim terrarum et tota mundi machina dissolvetur, omnium vero peccata, praecipue potenter dominantium, punientur, Deus autem in gloria regnans suis manifestabitur (24, 16-23). Quare electi de tanta gloria exsultantes hymnum concinunt laudis et gratiarum actionis de tanta maiestatis divinae gloria et de salute praestita (25, 1-5). Haec autem salus et bonorum divinorum communicatio symbolo exhibetur convivii quo Deus suos recreat, quos immortalitate et exsultatione donat, dum inimici Dei misere cruciantur et pereunt (25, 6-12). Hanc vero piorum exsultationem eorumque sensus laudis et actionis gratiarum praeclaro carmine vates prosequitur et explicat : celebrant divinam protectionem, cuius ablata erroris vetustate iam participes sunt iusti felicitate et fiducia immota; hostes enim humiliati sunt, exaltati autem humiles et iusti, qui calamitatibus olim oppressi toto animorum desiderio iustitiam divinam et gloriam Dei expetierunt, ut haec prostratis inimicorum conatibus innotescat omnibus (26, 1-11). Gratis animis agnoscunt se a solo Domino salvatos et in aeternum potestati et insidiis hostium ereptos Deique regnum mortuorum resurrectione facta illustre fore praedicant (26, 12-19). — Ita vates ultimam regni Dei perfectionem ac consummationem delineavit. Ab isto quasi fastigio propheta summum rei tractatae argumentum complexus regreditur ad viam quae percurrenda sit, do-

nec ad illud culmen perveniatur : dum Dei iudicia devolvuntur, populus Dei patientia et spe exspectet; Deus potestatem inimicam conteret, populus autem Dei vinea erit Domini electa quam ipse omni studio et amore fovebit atque defendet ita ut fructus exoriantur praeclari (26, 20-27, 6). Hoc modo cum populo agens Deus immensam suam misericordiam manifestat : castigat populum et terram urbemque vastitate percutit, ut demum ad meliorem frugem redeant; sed calamitate expiatos denuo colliget, ut Deum suum adorent in monte sancto in Ierusalem (27, 7-13).

Hoc argumento summatim proposito iam elucet in hac parte ea quae in antecedentibus pertractata sunt partim uno conspectu colligi, partim autem etiam magis explicari et augeri. Iudicia quae in gentes singulas devolvuntur iam per modum iudicii universalis, quo universus orbis et tota mundi machina concutiatur, repraesentantur, ita scil. in unum iudicium illud collecta exhibentur, quo demum evangelio docente tota rerum divinarum et humanarum administratio erit absolvenda. Uti iudicia illa particularia ad Dei regnum fundandum vel quod idem est ad salutem hominibus communicandam dirigi ac disponi vidimus, ita praeclarus iste finis ac beatitate plenus praecipua cura in hac parte describitur. Ad eum enim iam gradus fit in ipsa iudicii universalis delineatione 24, 14. 15. 23; is insigni modo effertur in canticis, quibus iusti et salvati Deo laudes concinunt et divinam rerum gubernationem extollunt, is proponitur in symbolo convivii coelestis, is depingitur in resurrectione mortuorum et generatim in populo sancto Dei, qui hostibus prostratis de magna tribulatione demum in adoratione Dei et gloria beatus colligitur.

Prophetam a iudiciis particularibus quae descripserat iam ascendere ad iudicium quoddam generale depingendum quo totus orbis sit devastandus, verbis ipsis declaratur et a plerisque quoque interpretibus agnoscitur. In quam rem bene notat *Sasb.* : « solet Isaias post commemorata particularia aliquorum mala libenter transire ad generalia », et *Osor.* : « haec ubi de iudiciis quibus Deus singulares orbis terrarum partes perdidit et afflixit ampliter et copiose praemonuit, nunc in universum de totius humani generis interitu sermonem instituit » (sim. *S. Hier. Euseb. Sanct. Lap. Men. Gord.*). Sed accuratius determinari oportet, quo sensu de iudicio generali instituatur sermo, utrum scil. propheta solum iudicia particularia quae eousque consideravit in unum colligat et *sic* iudicium generale efformet, an iudicium ultimum universale relictis particularibus vaticinetur illud de quo in evangeliis docemur, an utrumque coniungens iudicium Dei exhibeat per se tale

quale exsistit et mente et cogitatione fingi et comprehendi potest, ut ex iudiciis particularibus et ultimo universali unum exoriatur iudicium Dei simpliciter, quo et particularia illa quasi quidam gradus et initia et ultimum universale tamquam omnium illorum absolutio et ultimum culmen repraesententur et describantur. Hic tertius modus omnino assumendus esse videtur; eo enim solo omnia quae in sequentibus proponuntur ad unitatem quandam et aptam inter se connexionem rediguntur. Nam si iudicium Dei ita acceptum supposueris, per se explicatur, cur ea quae iudiciis particularibus propria sunt media cernantur in descriptione tali quae limites iudiciorum particularium longe excedat, vel vice versa, cur singula illa iudicia iis exhibeantur et proponantur coloribus, iis effectibus, eo ambitu, quae neque singulis per se neque omnibus particularibus simul conveniant, verum in solo ultimo generali exspectanda sunt. Non ergo hic consideratur iudicium Dei tale vel tale, sed iudicium Dei in universum, quatenus per temporis decursum et in fine saeculorum devolvitur.

Talem autem considerationem visioni propheticae esse consentaneam certum est. Nam, uti saepius iam monuimus, ad visionem propheticam pertinere advertimus ipsa oraculorum forma, ut normae Dei generales proponantur, ut ipsae rerum notiones quales in mente exsistunt abstractae a temporum serie et spatio locorum in se depingantur et exprimantur. Adde quod hac sola consideratione ea habetur unitas, ea conformitas et dicendi constantia, quae necessario requiritur. Nemo enim quibusdam interpretibus consentiet dicentibus, vatem modo loqui de iudicio quodam singulari, modo ad ultimum ascendere universale, ut mox iterum particulare quoddam tangat ex quo denuo se elevet ad ultimum generale, et ita vatem fere continuo ab altero ad alterum transire vel « avolare ». Profecto non ita sermones prophetici discerpendi sunt, verum una illa et fecundissima notio vel idea vel intuitio mentis est exquirenda ex qua oraculum amplissimum efflorescat et maxima rerum varietas et abundantia quasi sua sponte nascatur et contineatur. Tale autem est in re nostra iudicium Dei quod per se et in se consideratur. In rerum cursu adsunt iudicia Dei particularia in singulis gentibus variis temporibus et aderit iudicium ultimum universale, sed ex his coalescit unum iudicium per se et pro mentis consideratione unum potest coalescere, quia et iudicia illa particularia non sunt nisi praeformationes quaedam et quasi praeludia ad ultimum et in ultimo demum plane et perfecte id absolvitur quod in singulis fiebat i. e. prostratio hostium Dei et cultorum Dei beatitas, vel quod ad idem recidit, manifestatio gloriae Dei. Haec igitur Dei victoria vel manifestatio gloriae

in se concipitur tamquam una, omnia complectens tempora, coelum et terram implens et tamquam talis describitur; inde vero fit, ut in mentis intuitione et descriptione iudicia particularia luminibus et coloribus illustrentur iudicii ultimi universalis, ultimum vero iudicium eum quoque induat rerum statum et eos ostendat effectus qui proprie ad singularia pertinent. Cuius rei exempla in subsequentibus habentur.

Ex veteribus oraculi huius vim et ambitum optime declaravit *Theod.* : « duplicem oratio continet prophetiam ; ostendit enim tum ea quae diversis temporibus apud hostes gerenda sunt, tum ea quae in saeculi huius consummatione futura sunt ». Id unum apud *Theod.* desideratur, ut ostendat quomodo haec duo ex una mentis intuitione quasi sua sponte enascantur vel ad unitatem idealem reducantur. *S. Cyr.* modo totius orbis excidium id vocari dicit quod multis gentibus accidit, modo ea praedici innuit quae tempore consummationis mundo sint eventura (sim. *Procop.*). Etiam *S. Thom.* in medio rem relinquit dicens : « comminatur destructionem totius orbis vel quae facta est in singulis regnis et diversis partibus vel quae futura est in die iudicii ». Rectius dixeris utrumque simul una quadam imagine generali adumbrari. Ex hoc nexu interno qui inter iudicia particularia et ultimum generale exsistit, facile etiam declaratur, cur apud alios quoque prophetas quandoque iudicia particularia schemate universalis proponantur ; de qua re vide quae notavi ad Ioel 2, 10. Abd. 15. Mich. 1, 2. Hab. 3, 8 (Comment. in Proph. min. I p. 217. 352. 396 ; II p. 103). Neque ab ea dicendi forma abest, si v. g. praeparatio regni messianici eiusque perfectio uno complexu describuntur, quemadmodum advertere licet ad Os. 11, 11. Soph. 3, 20. Zach. 2, 4. 10, 10 seq. (l. c. I p. 150 ; II p. 168. 241. 341). — Fuerunt etiam qui in hisce vaticiniis non agnoscere volebant nisi iudicium in terram Iuda devolvendum (cf. *For. Calm. Kn. Drechsl. Schegg, Troch.*), quae sententia ipso verborum ambitu iam refutatur ; cf. 24, 1 seq.

a) Excidium orbis 24, 1-16.

Quemadmodum supra 13, 1 ; 17, 1 ; 21, 1 ; 22, 1 ; 23, 1, etiam hic medias in res rapimur et quae vates visione percepit, brevi ac conciso dicendi genere nobis ob oculos ponit v. 1 « *Ecce Dominus dissipabit terram et nudabit eam et affliget faciem eius et disperget habitatores eius* » ; — hebr. *ecce Iahve evacuans terram et vastans eam et evertit superficiem eius ;* simul cum terra habitatores disperguntur ; statim per modum compendii, uti Isaias solet, integrum complectitur argumentum. Uti in regno messianico, ita in poenae quoque annuntiatione ubique arctus cernitur nexus inter terram vel *creaturam* et hominem ; cogita de paradiso, de maledicto propter hominis peccatum terrae imposito, de diluvio, de pentapoli, de oraculis in Babylonem, in Moab etc. latis et altera ex parte de regni messianici descriptione Is. 11, 6. Ioel 3, 18.

Am. 9, 13; eundem nexum praeclare proponit S. Paulus (Rom. 8, 20. 21) et S. Petrus (2 Petr. 3, 13). Ambitu quodam dicendi iudicium eiusque vis describitur et in hebr. etiam paronomasiis quasi ad vivum oculis et auribus subiicitur : terra dicitur evacuari ab omni ornatu, tum in se quasi exinaniri et in superficie, in figura et forma sua everti, destrui; ergo mutatio talis innuitur, qualis verbis Christi : coelum et terra transibunt (Matth. 24, 35) vel : terra et quae in ipsa sunt opera exurentur (2 Petr. 3, 10). Omnes hominum ordines iudicio perstringi ampla enumeratione declaratur v. 2 « *et erit sicut populus sic sacerdos, et sicut servus sic dominus eius, sicut ancilla sic domina eius, sicut emens sic ille qui vendit, sicut foenerator sic is qui mutuum accipit, sicut qui repetit sic qui debet* » ; — omnes conditiones quae in theocratia, in familia, in vitae commercio ac consuetudine inveniuntur, aequali ratione iudicio subiiciuntur et districte examinantur; sex membris bipartitis omnes comprehendi ostenditur : sacerdotes et laicos, heros et famulos, divites et egenos, qui omnes in hebr. una eademque particula duodecies repetita efferuntur, ut eodem sono toties recurrente idem iudicium omnibus instare aequali modo ad vivum exprimatur. Neque eiusmodi enumerationes a more Isaiae absunt; cf. 2, 12-16; 3, 2. 3. 18-23; 5, 20-23; 9, 14-16; 10, 28-32; 16, 8. 9 etc.

Et quanto cum pondere iudicium ingruat, ex effectibus concludendum erit qui in orbe terrarum ut eius indicia et comites cernuntur; unde vates versum 1 magis explicans pergit v. 3 « *dissipatione dissipabitur terra et direptione praedabitur; Dominus enim locutus est verbum hoc;* v. 4 *luxit et defluxit terra et infirmata est, defluxit orbis, infirmata est altitudo populi terrae* »; — paronomasiis et repetitionibus rei gravitas sensibus subiicitur et quod in verbo exprimitur plenissime ac penitus fieri designatur ; ipsa vox תבל de orbe universo fieri sermonem docet (cf. 13, 11; 18, 3). Hebr. *luget, marcescit terra, languet, marcescit orbis, languent — sublimitas* (sublimes) *populi terrae;* ultimum membrum plerumque de primoribus populi explicant (cf. *Mald. Mar. For. Men. Calm. Net. Rohl. Troch. Kn. Drechsl. Del. Naeg.*), sed cur hoc loco unus ordo prae ceteris nominetur, ratio non apparet; quare satius erit vel explicare cum *Sanct.* : omnis populorum terrae sublimitas infirmatur et deprimitur i. e. omnis fastus et superbia deiicitur, vel cum *Schegg* מרום intelligere de altitudine coeli quae sit super populum terrae; hoc enim sensu vox hebr. v. 21 adhibetur (cf. Ps. 18, 17. Hab. 2, 9), ad hanc acceptionem verbum *languere,* uti antea usurpatum cernitur, optime convenit et cum postea ipsum coelum iudicio dicatur visitari et obscurari (v. 21. 23), ad indolem horum versuum generalem prorsus consentaneum est, ut statim quoque coeli mentio ingeratur. Verbis tot

accumulatis quibus *evacuari, diripi, lugere, languere, marcere* depingitur adeo vehementer, certe non communes casus solum describuntur, sed illa orbis in iudicio ultimo exustio et mutatio; si solum particularia iudicia agnoveris, sermo est quam maxime turgidus, exaggeratus; aptus vero et quam maxime accommodatus, si ultima mundi conflagratio menti prophetae obversatur. Solet Isaias confirmationis gratia inserere *Dominus locutus est* (cf. 1, 20; 16, 13; 21, 17; 22, 25 etc.) verba sua demum esse verba Dei declarans, cum propheta sit quasi os Dei.

Iam « irae ac concitationis adiungit causas » (*S. Cyr.*) v. 5 « *et terra infecta est ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutaverunt ius, dissipaverunt foedus sempiternum;* v. 6 *propter hoc maledictio vorabit terram et peccabunt habitatores eius; ideoque insanient cultores eius et relinquentur homines pauci* » ; — hebr. *et poenas dant habitantes in ea; propterea exuruntur* (extorrentur) *habitantes terram;* terram pollui vel profanari (hebr.) peccatis hominum frequenter in sacris literis dicitur (cf. Num. 35, 33. Ps. 105, 38. Ier. 3, 2); unde terra a sordibus istis quas ab improbitate hominum contraxit et quibus servitus quoque corruptionis (Rom. 8, 21) continetur, flammis purgatricibus est excoquenda (cf. *Sanct.*). Hebr. *sub incolis suis terra polluta est* quasi gravi pondere pressa et ab incolis oppressa; pondus autem peccatorum exprimitur conglobatione vocum idem fere significantium (*Sasb. Sanct.*) : violarunt leges, statuta, foedus sempiternum, quibus cura Dei de populo eiusque benignitas et amicitia declaratur, quam cum spreverint impudentia audaciore peccarunt. Verbis hisce proxime ea designantur quae apud Iudaeos divinitus facta sunt; attamen ex vera quadam similitudine facile gressus fit ad omnes gentes, « omnes quippe homines qui a saeculo orbem incoluerunt, Graeci simul et barbari, naturali accepta lege et praecepta Dei in animis insculpta habentes atque testamentum a saeculo in communi cogitandi modo complectentes, postea ubi se peccatis contra naturam dediderunt, naturalis legis transgressores effecti sunt » (*Euseb.* sim. *Sanct.*); etiam gentes a foedere Dei defecerunt; quare Michaeas Niniven vocat meretricem (1, 7; cf. Ez. 16, 45). Scelera attrahunt maledictum quo quasi igne terra exuritur (cf. Is. 1, 31; 5, 24; 9, 18; 10, 16 etc.), homines vero poenas dant cruciati et igne depasti (cf. hebr.); vel *peccabunt* (vulg.) poenis exacerbati novis se culpis blasphemiae illigabunt (cf. 8, 21), *insanient,* gravitate poenarum quasi amentes bacchantur, quemadmodum alias calamitas enormis ebrietate et stupefactione designatur. Ex ista conflagratione evadent *pauci;* etiam hic valet illud : reliquiae salvabuntur, et quae est norma pro omni epocha Israelitarum, iam norma declaratur in universum pro toto orbe : pauci electi (cf. *S. Cyr.*). Quos autem sensus pauci isti induant, vates explicat v. 14. 15.

Hisce *paucis* fructus et effectus iudicii est declaratus; ab eo redit vates ad iteratam iudicii descriptionem, uti solet in ampla materia, quam pluribus carminibus illustrat. Inceperat supra a descriptione quam maxime generali; iam ad specialia magis et particularia descendit, qualia in iudiciis quoque singularibus obvenire contingit v. 7 « *luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes qui laetabantur corde* » ; — hebr. *luget mustum, languet vitis ;* ex interitu praeclarissimorum facile omnium concluditur vastitas et desolatio. Strepitus impiorum conticuit; qui voluptatibus sese dederant, iam gemitibus dissolvuntur. En quomodo tumultui ac tripudio et lasciviae peccatorum finis imponitur v. 8 « *cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus laetantium, conticuit dulcedo citharae ;* v. 9 *cum cantico non bibent vinum, amara erit potio bibentibus illam* » ; — ecce mediis in luxuriis terrores iudicii incautos occupabunt; « cum enim dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus » (1 Thess. 5, 3) ; « sicut erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem quo intravit Noe in arcam, et non cognoverunt donec venit diluvium et tulit omnes : ita erit et adventus filii hominis » (Matth. 24, 38-39). Voluptas omnis angoribus maximis et cruciatibus mutatur; id uno declaratur exemplo, ex quo reliqua discas : vinum alias laetificat cor (cf. Ps. 103, 15. Iud. 9, 13. Prov. 31, 6. Eccl. 9, 7); nunc vero *sicera amara est* (hebr.); de sicera vide ad Ioel 1, 5 et *S. Hier.* (ep. ad Nepot. *M.* 22, 536). — Quantopere versus isti ad morem Isaiae exacti sint, comparatione instituta cum 5, 12. 14; 22, 2; 28, 7; 30, 22; 32, 13 rebus et verbis declaratur [1].

Agri et campi lugent (v. 7), homines affliguntur (v. 8. 9); simul cum eis corruit pompa omnis in aedificiis, urbibus, arcibus olim conspicua v. 10 « *attrita est civitas vanitatis, clausa est omnis domus nullo introeunte* » ; — hebr. *confracta est urbs vacuitatis* (tohu), *clausa est omnis domus* (ne quis introeat) *ab ingrediendo; urbs tohu* i. e. deso-

---

1. Alia accipe quae h. l. adnotat *Naeg.* quibus genus dicendi esse Isaiae declaratur : מָשׂוֹשׂ in s. literis occurrit **17** vicibus inter quas decies apud Is. 8, 6; 24, 8 (bis). **11**; 32, 13. 14; 60, 15; 62, 5; 65, 18; 66, 10. שָׁאוֹן octies apud Is. 5, 14; 13, 4; 17, 12 (bis). 13; 24, 8; 25, 5; 66, 6; ceterum in s. literis **17** vicibus. עַלִּיז praeter duos locos quos Sophonias ab Isaia mutuatus est (2, 15; 3, 11) apud solum Isaiam invenitur (13, 3; 22, 2; 23, 7; 32, 13 cf. 5, 14). כִּנּוֹר uno Ez. loco excepto (26, 13) inter prophetas ab uno Isaia adhibetur quinquies 5, 12; 16, 11; 23, 16; 24, 8; 30, 32. שִׁיר reliquis prophetis saepius adhibet Isaias scil. quinquies 23, 16; 26, 1; 30, 29; 42, 10; dum Amos voce ter (5, 23; 6, 5; 8, 10), Ezechiel semel (26, 13) utitur. מָרַר variis formis invenitur apud Is. ter (22, 4; 24, 9; 38, 17), bis apud Zach. bis apud Dan. — שֵׁכָר semel apud Mich. 2, 11; alias nemo prophetarum ea voce est usus nisi Isaias : 5, 11. 22; 24, 9; 28, 7 (ter); 56, 12.

lationis, exinanitionis, qua voce indoles potestatis Deo inimicae describitur, quae uti vastitatem et conturbationem et vacuitatem ubique spargit, ita ipsa demum desolatione et exinanitione erit abolenda. Quare haud immerito cernunt in hac *urbe tohu* mundum vel orbem totum quatenus Deo est inimicus (cf. *Sanct. Sa, Lap. Men. Tir. Rohl. Del. Naeg.*), cuius quasi centrum et castra in urbe tohu consistere eoque nomine declarari concipiuntur. Quemadmodum enim regna singula capta urbe principali aliorum dominationi subiacere censentur, ita iudicium in orbem devolvendum ad normam interitus regni alicuius exhibetur. Simul cum confractione et ruina urbis pompa concidit omnis, omnia luctu ingenti complentur v. 11 « *clamor erit super vino in plateis*; *deserta est omnis laetitia ; translatum est gaudium terrae ;* v. 12 *relicta est in urbe solitudo et calamitas opprimet portas* » ; — hebr. *vastitate percutitur porta* (cf. *Mald. Malv. Mar.*) i. e. in ruinas concidunt portae ; quae firmissima censebantur, corruunt. Opera hominum iudicio prosternentur. Uti in priore parte (v. 1-6) magis descripsit orbem terrarum *in se* esse iudicio dissolvendum, ita in hac potius delineat terram ab hominibus cultam, vel ornatam plantis, vel urbibus et aedificiis instructam.

Iudicio declarato *paucos* esse remansuros dixerat in parte priore v. 6 ; eodem modo altera haec pars absolvitur v. 13 « *quia haec erunt in medio terrae, in medio populorum : quomodo si paucae olivae quae remanserunt excutiantur ex olea, et racemi cum fuerit finita vindemia* » ; — brevius in hebr. sed eodem sensu *sicut excussio oleae, sicut racemationes, cum finita est vindemia* (cf. *Vat. Mar.*) ; cf. 17, 6 ; ergo reliquiae eaeque paucae salvabuntur ; cf. 1, 9 ; 4, 3 ; 6, 13 ; 10, 21 ; 11, 12. Ex eo quod dicitur *in medio terrae* perperam aliqui arguunt de Iudaea agi, quae terra ex veterum opinione fuerit in medio orbis terrarum vel fuerit umbilicus terrae (cf. Ez. 5, 5 ; 38, 12. *Ros. Troch.*). Contra quam explicationem iam bene excipit *Sanct.* mediocriter in Scriptura versatis compertum esse, *in medio* saepe dici id quod in eodem loco cum aliis sit; proinde sensum esse simpliciter *in terra, in populis.* Idque prorsus verum esse patet ex Gen. 45, 6 : coepit fames esse in medio terrae (hebr.) i. e. in terra Aegypti, vel ex Deut. 4, 5: sic facietis in medio terrae (hebr.) quam possessuri estis i. e. in terra, et quam clarissime ea notio exprimitur Ex. 8, 22 : ego Dominus in medio terrae — praeterea vide Gen. 24, 3. Deut. 18, 2 hebr. — quare optimo iure hanc phrasin quae non occurrit nisi in libris Moysis et Ps. 74, 12 et apud Isaiam (cf. 5, 8 ; 6, 12 ; 7, 22 ; 10, 23 ; 19, 24), explicant *in terra, in populis* (cf. *Mald. Mar. Lap. Men. Tir.*) ; immo audiatur *S. Hier.* : « ut sciremus perspicue de totius orbis interitu nuntiari, intulit : haec erunt in medio terrae, in medio gentium ».

Iudicium Dei exerceri, ut gloria Dei manifestetur omnibusque innotescat, sacer vates iam repetitis vicibus nos monuit : exaltabitur Dominus solus in die illa (2, 11), haec tessera lex est fundamentalis et fructus effectusque iudiciorum Dei atque haec gloria ut exoriatur, iterum iterumque iudicia particularia fieri dicuntur (cf. 14, 13. 32 ; 17, 7 : 18, 7 ; 19, 19 ; 20, 6 ; 23, 18). Quare ad institutum Isaiae plane accommodatum est et ipsa re necessario exigitur, ut electi hanc gloriam maiestatis divinae summis laudibus celebrent declarantes iudicio Dei id revera effectum esse quod ex Dei consilio exoriri debuit. Unde apte adnectitur v. 14 « *hi levabunt vocem suam atque laudabunt; cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari* » ; — triplici modo praeconii magnitudinem, maximam laetitiae exsultationem, summi gaudii effusionem vates designat, qua electi *in gloria Domini* (hebr.) in praeclara maiestatis eius manifestatione et sublimitate iubilationes edunt ; laetis vociferationibus exsultant *a mari* i. e. ab extremis finibus, a remotissimis quibusque locis (*Mald.*) vel ab occidente (cf. *Vat. For. Malv. Mar.*), cui in v. sequenti בָּאֻרִים (in luminibus, in regionibus lucis?) forte opponitur in notione regionis orientalis, ita ut de extremis terrae partibus laudes Deo concinantur et ea universalitate iudicium de toto orbe declaretur (cf. *Rohl. Troch. Del. Naeg.*). Ut praeconia illa in immensum augeantur et undique Domino offerantur, propheta monet vel ipsos iam laudantes quomodo inter se ad iubila provocent inducit v. 15 « *propter hoc in doctrinis glorificate Dominum, in insulis maris nomen Domini Dei Israel* » ! — hebr. *in luminibus; doctrinas* poteris intelligere divinas revelationes quae totidem quasi lumina sunt quibus Deus se nobis suaque consilia et opera manifestat nobisque illucescit ; proinde in his praeclaris manifestationibus praeclare est etiam exaltandus. Atque hae laudes iam regiones remotissimas, insulas maris, occupant.

Lectio בָּאֻרִים *in luminibus* difficultate laborat. Eam utique *S. Hier.* legit, uti ex versione patet, quia etiam urim et tummim doctrinam et veritatem explicat ; eam quoque *Chald.* legit ; de *Syro* vero vix idem asseri poterit ; praebet enim : laude celebrate Dominum. LXX sane legerunt באיים, cum habeant ἐν ταῖς νήσοις, quam lectionem adoptarunt *Lowth, Bauer, Hitz. Cheyne ;* at haec lectio satis languidum praebet sensum, cum de regionibus maritimis iam v. 14 sermo fuerit et in ipso v. 15 de iisdem mentio fiat. Ex oppositione ad mare i. e. ad occidentem utique exspectatur poni *orientem ;* sed dubium tamen est, num vox אֻרִים talem habeat notionem. — Quare alii alia tentarunt : ביארים in Nili canalibus (*Doederlein*), באִבִּים in populis (*Houbig.*), בהרים in montibus (*Calm.*) ; alii lectionem *mas.* retinentes aliter explicant varias radices in auxilium vocantes : in exsilio, propalam etc. ; vide *Bauer, de Rossi* ad h. l. *Ros.*

Undique et multiplici ratione admonitio opere completur ; uti iudicium est universale, ita quoque praeconium maiestatis divinae, quia ubique omnibus in regionibus electi invenientur v. 16 « *a finibus terrae laudes audivimus, gloriam iusti* » ; — completum est quod seraphim cantabant : plena est omnis terra gloria eius (6, 3), quare in hac Dei laude et gloria fructus consistit excellentissimus iudicii divini et omnium operum Dei finis ultimus. Hebr. *decus iusto* q. d. summum gloriae decus ac praeconium iusto Deo esse attribuendum eique iam fieri ex orbe universo qui iusta iudicia exercuit et hac sua iustitia gloriam sibi comparavit. Unde in toto carmine et in iudicii descriptione ratio continetur, cur *iustus* vocetur, et etiam cur *iustus* Deus, non homines salvati, intelligendus sit (cf. *Sanct. Osor. Mald. For. Sa, Mar. Lap. Men. Tir. Schegg, Rohl.*). Post terrores iudicii imaginem nobis depingit vates amoenitate et suavitate plenam : exhibet nobis electos ex omni mundi plaga summa laetitia Deo laudes concinentes et gloriam Dei effusam super terram. En talis est finis operum Dei ! Et quia supremus iste finis hic descriptus est nobisque offertur ut fastigium et culmen ad quod per iudicia demum perventum sit, idcirco hoc loco haec pars est finienda ; id quod ex eo quoque patet, quia in subsequentibus vates denuo ad terrores et horrores iudicii et ad impiorum poenas revertitur.

Sunt qui *decus iusto* explicent de electis quibus iudicio Dei decus ac gloria a Deo attribuitur ; ita iam LXX intellexerunt vertentes ἐλπὶς τῷ εὐσεβεῖ ; ita quoque *S. Hier.* : « laudes eius audivimus praedicari et quod gloria vel spes iusti non sit irrita, sed rebus omnia compleantur » ; ita quoque *Drechsl. Del. Naeg.* Sed cum de laudibus Dei a v. 14 tam continuo sermo instituatur, propius sane adiacet *decus* vel gloriam etiam h. l. eadem ratione explicare. Cur Deus dicatur *iustus*, ratio satis adest et per se intelligitur ipso carmine ; neque bene obiicit *Del.* Deum donare צְבִי, ipsi autem reddi gloriam כָּבוֹד ; nam Is. 4, 2 germen Iahve erit לִצְבִי eodem modo sicut לְכָבוֹד. Sensus ille iustis fore decus, etiam in nostra explicatione eo ipso adest, quia iusti tanta exsultatione de gloria Dei laetantur ; sed praeterea explicatio data videtur esse magis ad carminis tenorem consentanea et sublimem continet partis huius conclusionem, dum id effertur quod omnium operum divinorum est finis ultimus.

b) Poenae peccatorum 24, 16-23.

A visione adeo laeta electorum Dei gloriam laudantium et ab exitu iudicii sacer vates mox redit ad terrores iudicii, quos visio alte animo impresserat et quorum iam ex eo admonetur, quod *pauci* ea iubilatione exsultant (cf. v. 6. 13). Transitum ad sequentia *S. Hier.* bene describit : « dicentibus itaque haec sanctis et hinnientibus de mari et levan-

tibus vocem suam atque laudantibus propheta sibimetipsi loquitur : cum inquit haec audissem et in subversionem orbis vaticinium prophetarum explendum esse perspicerem, locutus sum mihi interno cordis affectu : non possum cuncta narrare quae cerno ; haeret lingua faucibus meis, vox dolore concluditur ! vae mihi quantus ordo poenarum ante oculos versatur meos ; cerno praesentia quae futura sunt ». Unde v. 16 « *Et dixi : secretum meum mihi, secretum meum mihi, vae mihi ; praevaricantes praevaricati sunt et praevaricatione transgressorum praevaricati sunt* » ; — *secretum* intellige de ipsa re tristi, de ruina plurimorum, in visione vati ostensa, quam ruinam statim ex multitudine scelerum et ex poenis describit. Hebr. proprie *macies mihi, macies mihi* [1] i. e. emarcui prae horrore, defecit me animus prae dolore vel ingenti dolore contabesco (cf. *Vat. Sanct. Malv. Mald.* et recentiores) ; cernit enim cumulum peccatorum in immensum quasi accrescere et augeri et tali cumulo iudicium Dei provocari ; quare magna quoque commiseratione populi tactus (cf. 6, 11 ; 15, 5 etc.) *vae mihi* exclamat ; *praevaricantes* בֹּגְדִים ii dicuntur qui a Deo defecerunt ; in hebr. quinquies eadem voce adhibita apostasiam longe lateque serpentem magna cum emphasi depingit, quam *Osor.* ita imitatur : « nefarie desciverunt, fidem perfregerunt, fidem, inquam, impudentissime perfregerunt ».

Crescentem cernit vates cumulum scelerum, donec mensura impleta iudicium ingruit, quod describens exclamat v. 17 « *formido et fovea et laqueus super te qui habitator es terrae* » ! — omnes comprehenduntur ac constringuntur animis terrore et horrore — cf. « arescentibus hominibus prae timore » Luc. 21, 26 — et dum ita angoribus crucientur iam adsunt exitia et mortes ; fugere nil iuvat, varii generis insidiis et periculis capiuntur, ita ut qui unum evaserit, altero certo pereat v. 18 « *et erit, qui fugerit a voce formidinis, cadet in foveam, et qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo, quia cataractae de excelsis apertae sunt et concutientur fundamenta terrae* » ; — bene *S. Cyr.* : « omnia genera malorum super vos et a calamitate suffugium nullum erit nec declinatio ; sed si forte unum quid malorum effugerit, capietur altero et ubique ac semper aliquo malorum illatorum comprehendetur ». Idque propterea, quia « communis erit coeli et terrae conspiratio ad efficienda iudicia Dei » (*Malv.*) secundum illud : « et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos » (Sap. 5, 21). Uti olim in diluvio, cataractae

---

1. Hebr. רָזִי cf. רָזֶה Ez. 34, 20 ; רָזוֹן Is. 10, 16. Mich. 6, 10 et רָזָה Is. 17, 4. Versio *secretum* intelligitur ex aramaico ; cf. Dan. 12, 18. 19. 29. 47 רָז ; ita quoque *Syrus, Sym. Theod. Chald.* verterunt.

coeli apertae sunt (cf. Gen. 7, 11 ; 8, 2) et perniciem pluunt, terrae ipsa fundamenta, alias rei inconcussae et immotae conditionis certissima symbola (cf. Eccl. 1, 4. Ps. 92, 1) concutiuntur, imae montium radices, quibus quasi fulcris terra inniti concipitur, iam confractae contremiscunt — « rupti sunt omnes fontes abyssi magnae » Gen. 7, 11 — quis in tanta coeli terraeque ruina communi evadet incolumis ? Iam vero cum summa et ima, coelum et terra, ad peccatorum punitionem concurrant coeli cataractis apertis et fundamentis terrae concussis, quid aliud indicari censebimus nisi universale et ultimum iudicium ? de quo Luc. 21, 25 : « et erunt signa in sole et luna et stellis et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum ».

Iam qualis sit fundamentorum terrae concussio, vel quid eam subsecuturum sit describitur v. 19 « *confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra* ; v. 20 *agitatione agitabitur terra sicut ebrius et auferetur quasi tabernaculum unius noctis et gravabit eam iniquitas sua et corruet et non adiiciet ut resurgat* » ; — cum tali dissolutione terrae confer quae 2 Petr. 3, 11. Matth., 24, 29. Marc. 13, 24. Luc. 21, 25 dicuntur. Gradatione quadam illa dissolutio describitur : terra contremiscit, sese findit, scinditur et disrupta dissolvitur ; partes scissae iam ut rudis moles agitantur et titubant, donec tota terra ex loco suo quasi remota disparet ; *quasi tabernaculum* i. e. tanta facilitate et celeritate terrae moles e spatio aufertur. Pondus autem illud immensum quo terra scinditur et in profundam abyssum e statione sua confracta deiicitur est *iniquitas* quae terrae incumbit. Ecce quam praeclare adumbravit vates in hac terrae disruptione et ruina *pondus* peccati, quo tanta orbis terrarum moles obruitur, scinditur, e statione in abyssum protruditur et ibi confracta opprimitur, ut iam nequeat surgere. Interitus iste est, uti aliis locis s. literarum docemur, liberatio creaturae a servitute corruptionis : quare non destructionem affert, verum mutationem : nam « novos coelos et novam terram secundum promissa eius exspectamus » (2 Petr. 3, 13. *S. Hier. Lap. Men. Tir.*). Ad dicendi colorem notat *Sanct.* : « ex hac synonymia et vocum coniugatione mire significari observo quanta impendeat calamitas universo ; nam quodlibet horum seorsum magnam habet epitasim ».

Iam per quos tale iniquitatis pondus terrae imposita est eiusque ruina effecta ? et quid poenarum auctoribus illis divino iudicio erit infligendum ? Ad id respondet vates v. 21 « *et erit. in die illa visitabit Dominus super militiam coeli in excelso et super reges terrae qui sunt super terram* v. 22 *et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum et claudentur ibi in carcere ; et post multos dies visita-*

buntur » ; — eo ipso quod in iudicio peculiari modo dicuntur *visitari* i. e. plecti, poenis addici, tamquam auctores iniquitatis (cf. v. 16) propter quam fit visitatio iudicis declarantur. Isti auctores sunt angeli mali et reges, potentes super terram : auctores scil. principales quibus reliqui peccatores tamquam subditi et instrumenta subiacent. Militia coeli principes sunt et potestates, spiritualia nequitiae in coelestibus, de quibus S. Paulus loquitur (Eph. 6, 12), daemones scil. qui quantopere peccata et iniquitatem promoveant, non opus est pluribus prosequi. Illis in regionibus superioribus, in aere (cf. Eph. 2, 2) constitutis, opponuntur et sociantur *reges in terra* super terram ; illorum arma sunt spiritualia, potestas eorum et natura spiritualis ; horum vero arma, potestas rebus continetur terrenis ; utrique tamen ad peccata promovenda potentissimi. Unde iure prae ceteris soli nominantur, regis enim ad exemplum, ut fert adagium, totus componitur orbis ; praeterea in s. literis reges pastores populorum dicuntur ; unde illis culpa populi rite imputatur, sicut pastori errores et perditio gregis. Poena eo prorsus modo describitur, quo in libris sacris novi foederis : alligate ea (zizania) in fasciculos ad comburendum (Matth. 13, 30. 40-42) ; de lacu et carcere vide Apoc. 14, 19 ; 19, 20 ; 20, 7. 9. 14 ; 21, 8 etc. Atque daemonibus quoque in consummatione saeculi iudicium instare et poenae augmentum, elucet ex 1 Cor. 6, 3. Iud. 6. 2 Petr. 2, 4 ; elucet quoque ex eo quia tum in inferno includentur neque iam per terras vagari poterunt ; in terris autem versari illis est alicui levamini (cf. Matth. 8, 31. Marc. 5, 12. Luc. 8, 31 : « et rogabant illum ne imperaret illis, ut in abyssum irent,... rogabant eum, ut permitteret eis in porcos ingredi »).

Haec autem poena illis tum demum infligetur, postqam per multos dies, per longa tempora malitiae et iniquitati promovendae operam dare illis fuerit permissum. Eo enim sensu dicitur : *post multos dies visitabuntur* i. e. visitatio ista, de qua propheta loquitur v. 21 et quae fit propter iniquitatem v. 16. 20, non statim erit simul atque iniquitatis pondus in terram incumbere coeperit, sed post dies multos. Hac igitur sententia vates non aliquid addit quod *post* inclusionem in carcerem futurum sit, sed, uti voce *visitari* indicatur ex v. 21, hac voce antecedentia repetens et absolvens dicit illam visitationem de qua sermonem modo fecerit fore post multos dies. Nam *visitari* hoc loco de poena inflicta dici certum est ; non solum enim נִפְקַד hac significatione adhibetur (cf. Num. 16, 29. Prov. 19, 23. Is. 29, 6 etc.), verum hoc loco, in quo omnia iudicium et castigationem spirant et ipsis creaturis inanimatis propter scelera hominum destructio et interitus annuntiatur, necessario poenae denuntiantur iis qui auctores fuerint et promotores scelerum. Commendant igitur *multi dies,* ut *Theod.* notat, magnam ac diuturnam Dei longanimitatem et patientiam.

Quae sit h. l. *militia altitudinis in altitudine* (hebr.), varie explicant. Principes potentes, Assyrios intelligunt *S. Ephr. Barh.*, sacerdotes *For.;* at cum in altero membro tanta emphasi dicatur *super reges terrae super terram*, patet in priore membro *altitudinem in altitudine* necessario intelligendam esse de regione aliqua et de potentia non terrena. Verbis iis vel plane similibus : exercitus, militia coeli, quandoque stellarum agmina designantur (cf. Deut. 17, 3. 2 Par. 33, 3. Is. 34, 4 ; 40, 26. Ier. 8, 2 ; 19, 13. Soph. 1, 5) et ea notione etiam h. l. explicant *Euseb. S. Hier. Theod. Osor. Pint. Sanct. Est. Tir.* ; at duo obstant : 1° poena in v. 22 aequali ratione denuntiatur in eos quos v. 21 Dominus *visitare* dicitur ; sed minime intelligitur quomodo illa poena in stellas coeli possit cadere ; poenam autem referre ad solos reges terrae, ex forma sententiae et ex verbo *visitare* v. 21 et v. 22 non licet ; 2° sidera demum v. 23 commemorantur et quid illis in iudicio futuro obventurum sit, enuntiatur. *S. Cyr.* eos qui adorant militiam coeli designari vult ; at isti cultores militiae coeli tamen non simpliciter militia coeli vocari possunt. Alii idola gentium ita vocari opinantur et provocant ad Is. 19, 1. Ier. 46, 25 ; 51, 47. 52. quibus in locis idola dicuntur *visitari* (cf. *Kn.*) ; at *sculptilia* vel *idola* dicuntur visitari ; sed aliud est *stellas* visitari, neque poena in v. 22 ad idola accommodari potest. Alii eos intelligunt angelos qui singulis regnis tutelares assignati sunt ex Dan. 10, 13. 20 (*Ros. Hitz. Del. Cheyne*) ; sed angeli tutelares iam nullo iudicio sunt subiecti, sunt *in termino* semper videntes faciem Patris qui est in coelis ; unde in tali contextu de iis non potest esse sermo. Ex eadem ratione non placet explicatio a *Mald.* proposita : « ego hunc locum per hypothesim intelligendum esse arbitror, quasi dicat : omnes puniet Deus et qui in terra sunt et qui in coelo ; non quod in coelo puniturus sit aliquem, sed quod tam generalis futura sit punitio, ut si in ipso coelo angeli peccavissent, ipsi quoque puniendi essent » ; sed hypothesin impossibilem a vate h. l. assumi quis credet ? Unde nihil aliud cui acquiescas relinquitur, nisi illa expositio quam inter alia etiam *S. Hier.* et *S. Cyr.* commemorant et quam supra adoptatam cernis, intelligi scil. daemones, qui secundum S. Paulum sunt in aere, in coelestibus ; ita explicant ex protestantibus *Ges. Maurer, Umbreit, Ewald, Drechsl. Naeg.*, ex catholicis *Haimo, Herv. S. Thom. Sasb. Sa, Lap. Est. Men. Calm. Loch, Rohl.* — Unde eo loco confirmatur expositio quam supra Is. 14, 13 seq. proposui.

Etiam in v. 22 *post multos dies visitabuntur* in varias abeunt sententias. Non defuerunt qui visitationem gratiae ac liberationis intelligerent. Ita hoc loco quoque Origenes doctrinam de restitutione omnium proposuisse dicitur, de qua re *S. Hier.* ita : « quod dicitur, videtur applaudere amicis meis qui diabolo et daemonibus dant poenitentiam, quod multa post tempora a Domino visitentur » ; sed statim monet ex ambiguitate verbi et remedium posse intelligi et correptionem. Similiter aliqui recentiores intelligunt de liberatione quae daemonibus sit concedenda per aliquod tempus, ut denuo regnum Dei oppugnent, eo fere modo quo in Apocalypsi satanas in carcerem detrusus post mille annos « solvetur de carcere suo et exibit et seducet gentes » (Apoc. 20, 7 ; cf. *Hitz. Ew. Kn. Del. Naeg. Schegg, Net.*). Sed, ut iam supra monui, *visitari* in hoc con-

textu non potest intelligi nisi de punitione; in v. 20. 23 ultima catastrophe proponitur: *non adiiciet terra, ut resurgat* i. e. terra pristina quae iniquitate possit pollui iam non restituitur; ergo de alia epocha post iudicium futura, in qua denuo daemones potestatem ad augenda peccata exerceant, nullo modo sermo esse potest; in v. 23 regnum Dei eiusque gloria describitur tamquam fructus iudicii; hoc autem regnum et hanc gloriam victoria parta denuo obfuscari, interturbari, proinde victoriam non exhiberi perfectam, nullum adest indicium. Praeterea nemo sibi facile persuaserit, rem tanti momenti—de liberatione captivorum et devictorum—tam obiter dici. Quare recte plerique vocem intelligunt de poenis et castigationibus. Attamen quomodo *post multos dies* dicatur, non consentiunt. Multi supplent: post quantumque multos dies adhuc visitabuntur i. e. semper et in aeternum (cf. *S. Thom. Sanct. Sasb. Est. Lap. Tir. Men. Gord.*); at tale quid supplere audacius est. Ergo nihil aliud relinquitur, nisi ut dicamus enuntiari iudicium illud ac visitationem tum fore, postquam diu malitiam exercuerint; « etenim, inquit *S. Cyr.* de daemonibus, a constitutione mundi tyrannidem occuparunt nec destiterunt cum divina et secreta maiestate bellum gerere ». —

Non solum terra (v. 19. 20) et qui auctores malitiae fuerunt, daemones et homines (v. 21. 22) iudicio divino percellentur, verum mundus universus adspectabilis commovebitur, dum regnum Dei in gloria constituitur v. 23 « *et erubescet luna et confundetur sol, cum regnaverit Dominus Deus exercituum in monte Sion et in Ierusalem et in conspectu senum suorum fuerit glorificatus* »; — ad ultimum iudicium signa illa in luna et sole referri, explicite docemur: « sol obscurabitur et luna non dabit lumen suum et stellae cadent de coelo et virtutes coelorum commovebuntur » (Matth. 24, 29. Marc. 13, 24. Luc. 21, 25. Act. 2, 20; vide quae notavi ad Ioel 2, 31). Sicut v. 6 et v. 14 iudicio descripto fructus et effectus eiusdem declaratus est, ita hoc quoque loco ad quid iudicium ultimatim tendat additur, scil. ad regnum Dei perfecte constituendum; hoc vero in eo consistit ut *Dominus sit rex* et tamquam talis ab omnibus agnoscatur et ut omnia eius imperio plene sint subiecta et ut *coram senibus eius sit gloria* (hebr.) i. e. coram electis gloria Dei est manifestata, illi in eius gloriae participationem ingressi sunt; labor omnis et molestia praeteriit; nihil aliud coram iis est, nihil aliud eos manet nisi *gloria.* Dicuntur salvati illi (v. 6. 14) nomine honore pleno seniores, זְקֵנִים, πρεσβύτεροι i. e. qui in regno Dei tamquam praecipui tribuum et familiarum principes honorantur, ergo in Dei consilio principem locum obtinent. Supra v. 15 Dei laudes concinere dicuntur salvati, hoc loco Dei gloria illustrari ac beari perhibentur. Deum autem regnare *in Sion et in Ierusalem,* inde explica quod theocratiae centrum est in Sion et Ierusalem (cf. 2, 2; 4, 3. Ps. 2, 6; 86,

3 — vide quae notavi ad Ioel 2, 32. Zach. 12, 2. 4) et hoc regnum per iudicia particularia in Sion et exinde in orbe universo conditur; quare idem Dei regnum eodem modo per iudicium universale fundari perhibetur secundum eam rationem visionis propheticae qua omnia illa iudicia in uno conspectu ac complexu proponuntur. Dein eo ipso quod Sionis mentio fit, postquam terrae dissolutio ac destructio tanta cum epitasi est descripta (v. 19. 20), monemur Sionem intelligi illam in nova terra et in novis coelis (cf. Is. 65, 17. 2 Petr. 3, 13); unde nostro loco praeclare praeformatur notio *coelestis* Ierusalem (de qua Hebr. 13, 22. Apoc. 21, 2). — Attende quam egregie haec pars absolvatur : post iudicii terrores, post terrae destructionem, postquam daemones et peccatores in lacu profundo inclusi et poenis addicti sunt, post mundum universum (in luna et sole) perturbatum visio aperitur regnantis Dei et gloriae electorum. Hic erit rerum finis : Sion in iudicio redimetur ; haec norma iam in universum valere perhibetur. Quare hoc capite particularia iudicia universali proposito et absolvuntur optime et apte in unam quasi notionem ad eundem terminum ac finem concluduntur.

c) Hymnus salvatorum 25, 1-5.

Quod vates iam 24, 14. 15 indicaverat, nunc latius prosequitur nobis ob oculos ponens quibus animorum sensibus pii gloriam Dei iudicio manifestatam et vindicatam celebrent. Canticum fundunt laudis et gratiarum actionis (*S. Cyr. Thom. Sanct.*), et, ut adnotat *Sasb.* : « tractatus iste (de oneribus gentium et totius mundi) carmine eucharistico tamquam epiphonemate clauditur, quod quidem commune habet cum tractatu qui est a capite septimo usque ad decimum tertium ». Primum quod animos salvatorum ingenti laetitia perfundit est ipsa gloria Dei adeo praeclare et eximie manifestata ; « coram senibus eius gloria » (24, 23) ; unde v. 1 « *Domine Deus meus es tu, exaltabo te et confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas, fideles, amen* » ! — id statim efferunt, quod vates iam 2, 11. 17 tamquam effectum iudiciis progignendum declaraverat : exaltabitur autem Dominus solus in die illa; haec exaltatio autem convenientissime tum fit, quando homo nomen Dei i. e. id quod Deus de se manifestat Deumque ipsum laudibus et encomiis celebrat et Dei magnalia admirabundus agnoscit. Iudicia Dei et totum ordinem operum Dei et administrationis rerum praedicant et extollunt tamquam *miraculum* פֶּלֶא (cf. 9, 4), rem stupendam, vires hominum longe excedentem, sola potentia divina effectam. Ita iure deiectio dicitur regnorum et prostratio hostium theocratiae, quae quandoque veris effecta est miraculis ; potiore iure id dicitur

de fundatione regni messianici eiusque victoriis et de ultima rerum consummatione et instauratione coelesti. Haec opera Dei, quae brevi conspectu in cap. 24 oculis prophetae obversabantur, laudantur tamquam *consilia Dei a longinquo* (hebr.), quae Deus ab aeterno mente concepit et iam diu antequam ea opere compleret, cum suis prophetis communicavit; et quia suos ab aeterno dilexit et ab aeterno gloriam adeo eximiam praeparavit, affectus amoris eiusque teneritudo in talem Deum apud sanctos augeatur oportet. Porro laudantur tamquam *fides, veritas* (hebr.); in iis Deus fidem suam, fidelitatem, veracitatem et veritatem praeclare manifestavit; fide summa stetit promissis; quamvis iniuriis peccatorum lacessitus, tamen inconcussa fidelitate et veritate cuncta praestitit et maxima constantia perfecit (cf. *Osor. Sanct.*).

Dei consiliis in universum delineatis, uti in se sunt atque in Deo ab aeterno exsistunt, ad eorum in opus deductionem et completionem transeunt laudantes ac primo quidem prostrationem hostium proferunt (v. 2), dein bona salvatis collata laudibus extollunt (v. 4; sim. *Malv.*); v. 2 « *quia posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum ut non sit civitas et in sempiternum non aedificetur* »; — i. e. ea quibus inimici confidebant et superbiebant: urbes, urbes munitas, palatia (hebr.) Deus convertit in acervum lapidum (hebr.), in rudera et ruinam, neque unquam iam instaurabuntur; unde sensus facilis et obvius est non unam aliquam civitatem (v. g. Babylonem, ita *Ges. Kn. Calm. Troch.*, Ierusalem *S. Hier.*), sed quod ipsa iam enumeratione suadetur, omnem urbem inimicam, omnem arcem munitam hostium, omne palatium inimicorum a Deo esse destructum. Unde LXX bene sensum exprimunt vertentes πόλεις, πόλεις ὀχυράς, item *Chald.* et *Mald.*: intelligit omnes nobiles civitates quarum excidium ante narravit, vel potius cum *Sanct.*: « gratiarum materiam indicat, quod potentes et ad quidlibet audendum proiectos abiecerit eorumque monumenta magno studio atque impensis excitata disturbarit »; alii urbem dici volunt fere eodem sensu quo 24, 10 in eaque designari orbem terrarum vel generatim urbem illam mundi Deo inimici quae sit symbolum totius potestatis Deo adversariae et eius quasi centrum (cf. *Sasb. Lap. Men. Tir. Gord.*: illa sane est quam Augustinus toties in libris de duabus civitatibus opponit civitati Dei, civitas impiorum — sim. *Drechsl. Del.*); id quod non re et sensu, sed solum modo explicationis grammaticalis a priore acceptione quam praeferendam duco recedit.

Talibus autem victoriis gloria Dei innotescit et cum cognitio Dei sit salus et vita, iudicia illa non solum ad poenam infligendam diriguntur, verum ad salutem hominum efficiendam. Quod quantopere et quoties a

vate explicite moneatur, iam saepius notatum est (cf. 14, 1; 16, 5; 17, 7; 18, 7; 19, 18; 23, 17). Quare in hac Dei laude id quoque speciatim effertur, quo salutaris iudiciorum effectus designatur et Deus triumphator praedicatur talis qui devictis salutem praestat v. 3 « *super hoc laudabit te populus fortis, civitas gentium robustarum timebit te* »; — gentes antea truces, viribus ac potentia elatae gloriam Dei iudicis edoctae adorant; *civitas,* quae modo v. 2 in acervum lapidum convertenda dicebatur, Deum timebit; unde manifesto apparet vatem loqui de tali destructione qua non ipsum hostium urbiumque excidium, sed solum et per se animi hostilis interitus atque abolitio pugnae adversus Deum intelligitur. Aliis verbis : ad regnum Dei fundandum non opus est, ut gentium regna destruantur qua regna; id unum requiritur, ut Deo esse inimica desinant. Deum *timere* generatim est Deum cum omni reverentia et observantia colere, proin eius observare mandata etc. unde timor Dei omnem gignit ac dicit virtutem. Hic vero a timore initium capitur, quia in iudicio quam maxime manifestatur Deus timendus ac terribilis, timor autem Dei initium est sapientiae.

Atque electi et salvati id inter maxima Dei magnalia recensent quod afflictos et persecutione hostili oppressos erexerit, consolatus sit, quod regnum suum a parvis initiis et ex infestatione potentium ad tantum splendorem evexerit v. 4 « *quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes a turbine, umbraculum ab aestu; spiritus enim robustorum quasi turbo impellens parietem* »; — potentes enim deiicit de sede et erigit humiles; cf. 14, 32; indoles est regni messianici, ut pauperes evangelizentur, ut beati praedicentur mites, pauperes, lugentes, ii qui persecutionem sustinent; quare consonum quoque est, ut in hoc encomio peculiari ratione id Deo laudi vertatur. Praeterea prorsus est ad rem, ut electi qui revera veniunt ex magnis tribulationibus hanc Dei opem benigne praestitam carmine et recordatione grata celebrent. In exaltatione enim debilium praeclare cernitur divinae potentiae sublimitas et lex quaedam generalis gubernationis divinae. Et quam potenter Deus oppressis opem tulerit, ultimo membro declaratur : *impetus ferocium sicut imber parietis* (hebr.) i. e. conatus ferocium tam parum valuerunt sicut imber parieti illisus parietem valet evertere; « quomodo enim si ventus impingatur parieti atque pertranseat, sic turbo blasphemantium illi nocere non potuit » (*S. Hier.* sim. *Rohl.*). Ita impotentiam hostium furentium describentes Dei maiestatem laudant et animorum laetitiam de parta salute produnt.

Alii comparationem eo sensu accipiunt, ut solum impetus ac furor hostium et periculum gravissimum adumbretur : impetum hostium esse ut tempestatem

n parietem invectam eumque labefactantem et diruentem ; ita *Osor. Malv. For. Lap. Calm. Troch. Ges. Ros. Kn.;* sed *turbo* vel *imber parietis* solum est imber qui in parietem decidit, non autem qui evertit parietem ; dein parietem imbre (זֶרֶם) dirui certe non satis est probabile ; paulatim utique imbre quoque appulso paries capere potest detrimentum ; at comparatione h. l. certe non dicitur impetum hostium lente ac sensim sine sensu damnum inferre ; quare impotentiam hostium potius delineari censeo. Atque id quidem etiam magis consonum videtur ad ipsum carmen, quo auxilium Dei efficax adeo laudibus ornatur. Alio comparationem inflectit *Sanct.* : « quia spiritus superborum et potentium humiliabis, sicut turbo vehemens qui impellit prosternitque parietem » ; id quod a verbis longius abest. Aliis *imber parietis* tam singularis et a sensu alienus visus est, ut relicto pariete vocem retulerint ad קַר *frigidus* vel קֹר *frigus* et imbrem vel turbinem brumalem vel autumnalem explicaverint (cf. *Lowth, Bauer, Bred.*) ; verum *parietem* iam tuentur *Syrus* et *Chald.* cum *S. Hier.* Sed negari nequit *imbrem parietis* satis singulariter dici et rationem comparationis non esse valde obviam ; comparant quidem similem ut aiunt locutionem 9, 3 *virgam humeri;* at virgam impingi humeris servi eo loco satis clarum est, sed cur imber parieti allidatur, non ita in aperto est positum. — Multum a textu hebr. recedunt h. l. LXX [1].

Opem divinam ulterius praedicant v. 5 « *sicut aestus in siti tumultum alienorum humiliabis et quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marcescere facies* » ; — victoriam Dei et prostrationem hostium celebrant ; sicut nimio aestu homines conficiuntur et omnia exuruntur, ita Deus tumultum et impetum hostium reddit inefficacem, flaccum, impotentem eumque enecat ; « sicut propago gravissimo torretur aestu atque flaccescit, ita tumultum et clamorem alienorum marcescere facies et perire » *(S. Hier.* sim. *Malv. Mar. Lap. Men. Schegg)*. Alterum membrum verte ex hebr. *(sicut) aestus per umbram nubis (ita) cantus triumphalis ferocium deprimitur* (cf. *Vat.* apud *Malv. Rohl. Net. Troch.*) ; unde aliqui in priore quoque membro explicant : sicut Deus aestum in loco arido minuere vel reprimere potest, ita quoque impetum hostilem (cf. *Mald. Kn. Drechsl. Del. Naeg.*) ; at non opus est utroque membro comparationem ad unam notionem redigere ; qui hymnum concinunt, laetitia exsultant ; unde potius varietas quaedam comparationum exspectanda est et velox transitus, uti in versione *S. Hier.* bene exprimitur.

d) Bonorum divinorum communicatio 25, 6-12.

Carmine laudis persoluto sacer vates distinctius prosequitur quod

1. Iam *S. Hier.* notat : « iuxta LXX interpretes non dico sensum sed verborum ordinem et consequentiam in hoc loco reperire non potui ».

24, 23 de regno Dei in Sion et Ierusalem indicaverat; ostendit namque quomodo Deus suis regnum beatitatis praeparaverit eosque suis bonis ditet; unde sicut carmen ad 24, 14. 15, ita haec pars arcte ad 24, 23 adnectitur : 6 « *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiae, pinguium medullatorum, vindemiae defaecatae* » ; — cur mons Sion commemoretur, vide ad 24, 23 et 2, 2. Ibi bonorum divinorum participes redduntur populi omnes. Exhibetur ista participatio per convivium ad quod Deus amicos suos et familiares adhibet et quo lautissima quaeque apponuntur : *convivium pinguium, convivium vini meri, pinguium medullatorum, vini percolati* (hebr.) i. e. cibus potusque quam maxime exquisitus et abundans; « inter pinguia maxime laudantur medullata et inter vina purum ac defaecatum praestantissimum est » (*Est.* sim. ex hebr. *Vat. Mald. Malv. Mar. Sanct.*); vinum in hebr. intelligitur quod diu faecibus incubuit et proin vetustissimum est ac nobilissimum. Idem convivii symbolum habes Prov. 9, 2. Ps. 21, 27. 30 ; 22, 5. Is. 55, 1 ; 65, 13 et praesertim Matth. 22, 4. Luc. 14, 16. Cum Deus ad mensam suam invitet, maximum edit amicitiae ac familiaritatis documentum. Id iam aliqua parte exprimitur in epulis sacrificalibus quae celebrabantur ad bonorum divinorum communicationem repraesentandam et familiare illud commercium adumbrandum quo Deus culpa dimissa iam cum suis utebatur. Sed notatu dignum est, hoc loco epulas exhiberi multo insigniores ; nam eae partes amicis Dei proponuntur accumbentibus quae in sacrificiis soli Deo reservandae, consecrandae, offerendae erant (cf. Num. 6, 17 ; 15, 5 etc.) ; unde Deus quam maxime perhibetur ex suis bonis amicos suos alere summoque honore convivas suos exornare.

Aptam et amplissimam huius symboli significationem ipsa docemur impletione. Nam utut verum est bona adumbrari messianica eaque uberrima et abundantissima (cf. *Mald. Sa, Mar. Osor. Pint.*), ita tamen in peculiari hac ratione quod partes in sacrificio oblatae in cibum proponuntur aliquid mysterii latere nemo facile negaverit, praecipue cum attenderit in novo foedere ipsam sacratissimam Victimam in epulis sacrificalibus comedendam tradi fidelibus. Unde *S. Cyr.* explicat : « per vinum mysticam eulogiam et incruenti sacrificii modum significat, quod in sacris ecclesiis consuevimus adimplere », sim. *Euseb.* ad h. l. et etiam clarius in demonstratione evang. 1, 10 (*M.* 22, 92)[1] ; sim. *S. Thom. Malv. For. Salmeron* (opp. t. 9 tract. 2) *Net.* — Quod alii

---

1. Complures aliorum locos recenset *Tailhan* in Analysi bibl. Kilber I p. 366.

de coelesti convivio et aeterna beatitate explicant (*Sanct. Sasb. Est. Lap. Men. Tir.*), primo aspectu magis consentaneum et contextui aptum videri potest, cum propheta a 24, 19 seq. de ultimo iudicio egerit. At utut hoc verum est, tamen non est oblivioni dandum, vatem non ita ultimum iudicium ob oculos habere, ut ad id unum omnia redigi possint, verum potius iudicium Dei depingere in universum, uti supra iam ad cap. 24 monui. Idque etiam hoc loco considerari oportere satis elucet ex v. 3, in quo talis iudicii fructus et effectus describitur, qui proxime et per se *ultimo* iudicio non conveniat. Idem advertere debebis etiam pro subsequentibus. Quae cum ita sint, ex contextu non prohibemur assumere describi convivium quod in regno messianico populis paratur iudiciis illis in gentes devolutis quibus regnum messianicum ex visione prophetica est praeparandum et introducendum (cf. 10, 34; 14, 1; 17, 7; 18, 7; 66, 15. Agg. 2, 7. Dan. 2, 44). Sed cum propheta id potissimum agat, ut iudicium Dei in se ab omni tempore absolutum delineet, prout mente et cogitatione notio iudicii ex singulis colligi potest universalis quaedam et omnia complectens, fortasse ii rem bene declarant, qui convivium hoc eodem sensu generali accipiunt quo communicatio bonorum divinorum in se intelligitur expressa, prout et hisce in terris et demum in coelesti patria futura sit (cf. *S. Hier. Gord. Pint. Calm.*). Notio et symbolum convivii ad utrumque modum perfecte adaptatur et pro diversitate conditionis utraque communicatio apte ad tale symbolum revocatur, uti etiam in s. literis novi foederis fieri manifestum est.

Ad tale autem convivium, ad bonorum divinorum communicationem efficaciter vocat nationes Deus, suis nimirum iudiciis auferens stuporem animorum et ignorantiam rerum divinarum v. 7 « *et praecipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos et telam quam orditus est super omnes nationes* »; — hebr. in ultimo membro *et velamen quod velatum est* (impositum) *super omnes gentes*; vinculum illud vel ex hebr. *tegumentum* et velamen animorum est obcaecatio; haec tollitur in monte, qui est theocratiae sedes ac centrum i. e. Deus dum regnum suum stabilit, cognitionem sui et desiderium rerum divinarum populis tribuit; cf. 11, 9; antea permisit gentes ingredi vias suas, nunc vero tempora huius ignorantiae despiciens (Act. 17, 30) lucem cognitionis suae discussis tenebris omnibus affundit. Cognitio Dei et universalis et maior ratione constanti attribuitur tempori messianico. Velamine illo ablato (cf. 2 Cor. 3, 16) participes erunt divini convivii, quo vita sempiterna, beatitas summa et summus honor convivis praestatur v. 8 « *praecipitabit mortem in sempiternum et auferet Dominus Deus lacrimam ab omni facie et opprobrium populi sui auferet de universa terra, quia Dominus locutus est* »; — in convivio illo adest pignus et

alimentum vitae aeternae, nutrimentum vitae spiritualis et gratiae, quae demum vita etiam corporis suscitati gloriosi absolvenda est; in eo Deus tribuit veram animorum consolationem, alacritatem, laetitiam suisque millies ac millies quae in servitio divino sustinuerint incommoda recompensat mira suavitate; *opprobrium* populi Dei est subiectio, qua propter peccata gentibus conculcandus tradebatur, et sunt variae punitiones propter infidelitatem inflictae; cum novus populus sanctus sit futurus, etiam vero honore fulgebit et honor permagnus iam in eo cernitur quod sint convivae Dei quibus lautissima quaeque a Deo apponuntur. Quantopere tria haec praesto sint et communicentur in s. eucharistia non tam expositione quam pia indiget meditatione. Adest valentissimum adversus *opprobrium* remedium, quia eo pane sanctitas alitur, confortatur et stabilis reddita miro modo augetur, sanctitas autem gloriae est radix et mensura.

Atque quibus animorum sensibus convivae Dei bonis illis fruuntur? Gratis animis salutem divinam et gaudia praedicant v. 9 « *et dices in die illa :ecce Deus noster iste, exspectavimus eum et salvabit nos; iste Dominus, sustinuimus eum, exsultabimus et laetabimur in salutari eius* » ; — *sustinere* idem est ac fiduciam ponere, cum spe et fiducia Dei opem ardenter desiderare et exspectare ; hebr. verte *confidimus in eum ut nos servaret... exsultemus et laetemur de salute eius!* Quam bonus ac suavis sit Dominus experiuntur ; quare laetabundi repetito exclamant et inter se ad laetitiam adhortantur. Hoc gaudium in salute a Domino praestita et in aeternum praestanda innititur, qua contra omnes inimicorum conatus et insidias in tuto collocantur v. 10 « *quia requiescet manus Domini in monte isto et triturabitur Moab sub eo, sicut teruntur paleae in plaustro* » ; — hebr. *sicut stramen trituratur in sterquilinium* (cf. *For. Mald. Mar. Malv.* et recentiores) ; *sub eo* i. e. conculcabuntur adversarii in loco suo, ubicumque fuerint (*Malv.*). *Manus Domini* designat auxilium, operationem, gubernationem divinam, totum ordinem providentiae simul cum Dei ope semper parata ; *requiescere* significat illam Dei potentissimi administrationem adfore non ad breve tempus, verum continuo, ita ut potentia et auxilium Dei nullo modo separari possit a theocratia (cf. *Mald.*) ; est praeformatio illius verbi Domini : portae inferi non praevalebunt adversus eam. Comparatione plena destructio et impotentia hostium declaratur. Ipsam comparationem ex usu Palaestinensium ita explicat *S. Hier.* : « hoc iuxta ritum loquitur Palaestinae et multarum orientis provinciarum quae ob pratorum et feni penuriam paleas praeparant esui animantium. Sunt autem carpenta ferrata, rotis per medium in serrarum modum se volventibus, quae stipulam conterunt et comminuunt in paleas. Quomodo igitur plaustris ferra-

tis paleae conteruntur, sic conteretur Moab, ut nihil in eo integri remaneat ». Textu hebr. etiam magis exprimitur quanta cum ignominia penitus potentia hostilis destruatur. *S. Hier.* in sua versione magis secutus esse videtur LXX ἐν ἁμάξαις. Cum convivium in monte Sion *omnibus* populis praeparetur, cum Moab iam 16, 5 ad salutem in Sion quaerendam remiserit vates (insuper cf. 2, 2 etc.), elucet non omnem gentem moabiticam ut Deo perpetuo inimicam et proinde conterendam exhiberi, verum eos solum qui indolem moabiticam in se exprimant expressamque pertinaciter retineant. Quae autem sit indoles moabitica, ex iis quae cap. 15 et 16 reprehunduntur et ex inimicitiis continuis et pessimis insidiis quas Moabitae Israelitis struxerunt (cf. Num. 25, 2 seq. Ios. 24, 9. 2 Reg. 8, 2. 4 Reg. 1, 1. 2 Par. 20 etc.), facile colligitur. Unde hoc loco Moab non ponitur ut natio quaedam singularis, sed ut eo nomine ii designentur qui inimici theocratiae a Deo sint reprimendi (cf. cap. 34 et 63 Edom) ; sumitur ergo, ut *S. Cyr.* dicit ex una regione exemplum, quo *quales* hostes Dei sint discamus, vel ut *S. Hier* : « nominatur Moab qui fuit inimicus Israel in tantum ut faceret eos fornicari cum Madianitis et consecrari idolo Beelphegor.... atque ex uno idolo et daemone qui huic idolo praesidebat omnes indicat contrarias fortitudines humiliandas et deducendas in tartarum et instar pulveris conterendas ».

Atque quantumcumque inimici se manui ultrici ac victrici Dei subducere conabuntur, nihil proficient v. 11 « *et extendet manus suas sub eo sicut extendit natans ad natandum, et humiliabit gloriam eius cum allisione manuum eius* » ; — hebr. *extendit manus suas in medio eius* vel *in eo* scil. in sterquilinio, in fimeto, in aquis illis sordidis in quibus Moab trituratur ; conatur ergo enatare, sese oppressioni et demersioni eripere, at frustra ; Deus fastum Moab supprimet, manus eius allidet et conteret et ita natatori illi evadendi viam occludet. Comparatione igitur conamina indicantur et varia artificia quibus inimici theocratiae eam oppugnabunt et Dei voluntati obsistent — at irrito conatu ; ipsis conaminibus maiora damna et maius opprobrium sibi infligent. Unde docemur fore ut theocratia non careat oppugnationibus, sed simul illas minime praevalituras adversus eam ; de utraque re vide Is. 49, 24 ; 51, 23 ; 60, 12. Ier. 30, 16. Ioel 2, 30 ; 3, 4. Mich. 4, 13 ; 5, 5. Soph. 3, 19. Zach. 9, 13-17 ; 12, 3 seq. — Indolem inimicorum depingi etiam ex altero membro constat, in quo fastus superbiaque commemoratur et conamina vel artificia manuum (cf. hebr.).

Hebr. אָרְבּוֹת יָדָיו ; vox אָרְבָּה explicanda erit ex ארב *nectere*, *insidias struere* ; proin de nexibus, vel insidiis manuum ; ergo uti ipsa comparatione exigitur, de conaminibus et artificiis quibus is qui in aquis submergitur se periculo eripere studet. Ita

vocem quoque explicant vel de conaminibus *Kn.* vel de artificiis ac dolis plures apud *Malv. Net. Rohl. Troch. Hitz. Drechsl. Del. Naeg.;* alii vertunt *cum cubitis;* ita *Vat. Mald. Mar.* sim. *Ewald, Eichhorn* (qui etiam non fastum, sed tergum humiliari vult); varia vide apud *Malv. Ros. Ges.*

Alia imagine prostrationem inimicorum vates delineat v. 12 « *et munimenta sublimium murorum tuorum concident et humiliabuntur et detrahentur in terram usque ad pulverem* » ; — in allocutione quae subito fit triumphus ac iubilatio de victoria depingitur ; in hebr. uti v. 10. 11 *Deus* ut victor ac triumphator describitur *deiicit, prosternit, deturbat in terram usque ad pulverem* i. e. ut *munitio sublimitatis murorum* (hebr.) redigatur in pulverem, penitus destruatur. Ergo quanto altius ac superbius se erexerint contra Deum, eo profundiore ruina concident. Victoria igitur Dei delineatur norma generali eiusque triumphus, qui revera adest post unumquodque iudicium et modo perfectissimo post ultimum conspicietur. Eo autem quod salvati magnalia Dei canticis celebrant, etiam indicatur semper eos adfore qui in rerum cursu consilia divina comprehendant et administrationem Dei debitis laudibus prosequantur. Deiectionem hostium *S. Cyr.* h. l. de cessatione idololatriae explicat : « ceciderunt fana et omnia quae in templis erant sublata e medio, nec sunt arae amplius, non sacrificia, non incantamenta, non hi qui erroris ludibria exercebant ; omnia vero per Christum cessarunt exortaque est hominibus terram incolentibus lux veritatis, invaluitque sol iustitiae corda credentium in ipsum collustrans ».

e) **Iustorum iubilus de exaltatione 26, 1-11.**

Hoc quoque carmine id agitur, ut salutis divinae excellentia nobis denuo commendetur. Proponuntur enim nobis iusti qui ea salute potiti ex laetissimis et maxime incitatis animi affectionibus carmen hoc laudis et exsultationis fundunt. Uti fit in magnis animi commotionibus et in materia qua affectus varii excitentur oportet, carmen ipsum liberius incedit, ab alio ad alium affectum transit, modo de salute parta gaudet, modo de periculo ablato sibi gratulatur, tum Deum exaltat, tum sibi faustissima quaeque promittit. Ita enim ab aliis ad alia celeri quodam cursu, minime quaesito, properans optime ipsas animorum affectiones depingit et exprimit, quibus iusti magnalia Dei consalutant. Apte *For.* : « Dei victoriam animo volvens propheta et novam Ierusalem animo contemplatus vastata illa impiorum hominum et homicidarum civitate canticum prophetico more adnectit » : v. 1 « *In die illa cantabitur canticum illud in terra Iuda : urbs fortitudinis nostrae Sion, Salvator ponetur*

in ea murus et antemurale » ; — hebr. *urbs fortitudinis nobis, salutem ponit muros et antemurale* i. e. iubilant quod iam habeant urbem firmam ac tutam, urbem roboris, novam scil. Ierusalem ; quae *salutem* habeat tamquam muros et propugnacula, cui ergo nullus hostium nocere iam potest et quae omnes incolas beatos reddit. Salus ipsa vel quod idem est ipse Deus auctor salutis sese urbis defensorem praestabit ; dupliciter i. e. multipliciter urbem protectione cinget. Ergo haec urbs expugnari non poterit. Ipsa haec exclamatio *urbs fortitudinis nobis* optimum dat responsum ad 25, 11. 12. *Sion* in *vulg.* additur tamquam interpretamentum neque tamen adest in hebr. apud LXX, *Syrum*, neque in commentario *S. Hier.* neque apud *Chald.* ; aptius et concinnius ponitur *Salvator* in altero membro (cf. *Osor. Sanct. Malv. Mar. Lap. Tir. Calm.*) ; ita parallelismo consulitur et sensus exoritur ad hebr. et graecum consentaneus : ipse Deus est murus qui nos undique custodiendo circumdat ; cf. Zach. 2, 5. Dicitur *terra Iuda* eodem fere modo, ut 24, 23 et 25, 6 de monte Sion sermo est ; ibi theocratia radices suas habet ; inde propagatur et diffunditur ; ergo vice versa, ubicumque theocratia consistit, regio Iuda creatur.

Iam si Sion talem praebet opem et salutem, cives sionitici omnes invitant, ut ad eam urbem accedant v. 2 « *aperite portas et ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem* » : — omnes enim populi vocantur (cf. 2, 2 ; 25, 6) et iusti huic vocationi omnium gentium et earum ad populum Dei aggregationi desiderio ardenti obviam feruntur. In nova Sion adest iustitia, fidelitas inconcussa ; cf. 1, 26 ; 2, 3 ; 4, 3 ; 11, 9 et saepissime in altera parte ; antea foedere violato fidem fregerunt, non ita instauratione facta. Unde memores temporum antiquorum magis praesentem beatitatem extollunt v. 3 « *vetus error abiit ; servabis pacem, pacem, quia in te speravimus* » ; — iam Sion ad normam divinam exacta est ; populus in ea inhabitat sanctus ; *error vetus*, quo a Deo declinatum est et auxilium expetitum ab alienigenis, abiit ; peccata fontes fecundissimi omnium malorum deleta sunt ; unde Deus abundantissimam suam pacem potest communicare iis qui iam in eo solo spem omnem collocant neutiquam ad extraneos deflectentes. Videmus ergo vatem statum, conditionem, affectiones iustorum ita describere, ut in iis simul praeclarissima documenta enuntientur et vivide proponantur eorum, quae in aequalium animis quam maxime insidere exoptat et in opus deduci. Hebr. intellige *indolem* (cogitationem) *firmatam servabis in pace* i. e. novus populus Sion indolem habet firmam et fixam in iustitia, iam non claudicat in duas partes ; huic autem firmae fidelitati respondet pax stabilis, imperturbata, abundans ; ita in novo populo imago quaedam relucet ac similitudo cum Iahve qui est Deus foederis fidelissimus, immutabilis.

S. Hier. ad suam versionem scribit : « hebraice *jeser samuch* (יֵצֶר סָמוּךְ), quod Aquila et Symmachus similiter transtulerunt πλάσμα ἐπηρεισμένον hoc est : error noster ablatus est, sive cogitatio nostra firmata est, quae prius inter te et idola fluctuabat, ut nequaquam circumferamur omni vento doctrinae, sed in te Dominum Salvatorem tota mente credamus. Pro quo nos, ut sensus manifestior fieret, transtulimus ***vetus error abiit*** »; at statim pergit : « et quia cogitatio nostra firmata est, propterea servabis nobis pacem »; et hoc sensum textus hebr. plane reddit. Intellexit ergo *S. Hier.* veterem errorem fluctuationem illam mentis, quam cum cogitatione firmata ablatam cerneret, errorem abiisse interpretatus est. — Secundum Epiphanium [1] Aquila vertit πλάσμα ἐστηριγμένον (cf. *M.* 16, 1759). Alii ita vertunt hebr. : cogitatio fixa, servabis pacem i. e. hoc tuum consilium est firmum et fixum, haec tibi stat sententia, ut sperantibus in te pacem conserves (*Mald. Mar. Calm. Hitz. Drechsl. Cheyne),* vel nobis firmum fixumque est sperare (cf. *Sanct. Malv.*). At prius parum dicit, quia decretum Dei pacem dandi piis non tum demum conditum est, sed semper exstitit; neque alterum placet, quod ne verbis quidem satis congruit. Alii vertunt : aedificium firmatum servabis incolume (*Net.*), ut rem firmam servabis pacem (*Naeg.*), vel etiam : eum qui mente firma est incolumem servabis (*Kn.*), sed hisce vel vox vel collocatio vocis minime favet. *Bred.* verba ea refert ad antecedentia : gens custodiens.. indolem firmatam.

Hanc indolem in Deo firmam fixamque ut eminenti modo prodant inter se hortantur etiam in subseq. ex hebr. *sperate in Iahve*; in vetere foedere saepe a spe divina ad foedera cum extraneis defluxerunt; unde in novo rerum statu unice Deo adhaereri et in eo omnem reponi fiduciam qui solus esse possit auxiliator asserunt v. 4 « *sperastis in Domino in saeculis aeternis, in Domino Deo forti in perpetuum* »; — hebr. *quia in Iah Iahve saxum saeculorum*; ipsis Dei nominibus fundamentum spei immotum continetur; de Iahve vide ad Os. 2, 20; 12, 5. Ioel 2, 32; saxum צוּר Deus saepius appellatur, quippe qui sit tutissimum praesidium sui populi et fundamentum immutabile atque immobile, cui theocratia innititur; saxum enim vel rupes quam maxime menti ingerit speciem firmitatis, soliditatis inconcussae, perpetuitatis (cf. Deut. 32, 15. 37. Ps. 18, 3. 47; 19, 15; 28, 1; 73, 26; 89, 27 hebr. etc.). Atque huius protectionis specimen praeclarissimum edidit Deus in deiectione inimicorum; quare id opus Dei celebrant v. 5 « *quia incurvabit habitantes in excelso, civitatem sublimem humiliabit; humiliabit usque ad terram, detrahet eam usque ad pulverem ;* v. 6 *conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum* »; — non tempora futura explica ex hebr. sed praeterita vel praesentia, quibus Dei facinora praesentia sistuntur laudantibus. Ea autem longiore

---

1. Epiphanius hanc affert textus hebr. transscriptionem graecam . ἰεσρὸ σμοὼχ, θεσὰρ σαλὼμ σαλὼμ, χιβὰχ βατόου et v. 4 : βετοὺ βαδωναΐ ἀδδὼδ, χιβαΐχ ἀδωναΐ σὼρ ὠλεμείμ ; vide *Field,* Origen. Hexapl. II p. 474. *Aq.* vertit : ὅτι ἐν τῷ κυρίῳ κύριος ὁ στερεώσας τοὺς αἰῶνας.

enumeratione praedicant ostendentes, quanti ea aestiment et quantopere singulorum memoriam gerant animis impressam. Civitatem intellige, sicut 25, 2; 24, 10; de locutione vide 25, 12. Ad iubilum iustorum quam maxime spectat, ut populus Dei qui videbatur nationibus superbis adeo vilis et contemptus in victoriae societatem a Deo assumatur, ut scil. Deus infirma mundi elegisse dicatur et per ea confudisse fortia; quare cum laeta repetitione efferunt urbem magnificam conculcatam esse pedibus pauperum, gressibus egenorum! En, deposuit potentes de sede et exaltavit humiles; cf. 14, 32; 25, 4.

Quantopere differt sors pauperum illorum a ruina civitatis sublimis! v. 7 « *semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum* »; — via eius non ad praecipitia ducit, sed plana est, ita ut facile et tuto incedat; eum ducit Dominus ne impingat; unde in hebr. *rectam complanas orbitam iusti;* cf. Prov. 3, 6; 11, 5; Deus ipse removet obstacula, emollit aspera, dura aufert, ut iustus suaviter incedere possit. Id iusti ex periculis erepti Deo laudi vertunt et in se ipsis experti sunt. Verum eandem fidem ac spem semper tempore tribulationum firmiter retinuerunt; quare ea fide armati excelsos gerebant animos v. 8 « *et in semita iudiciorum tuorum Domine sustinuimus te; nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animae* »; — illos non latuit per iudicia divinitus immissa procurari salutem; quare cum iudicia ingruerent, in ea quasi via Dominum auxiliatorem et salvatorem venturum exspectabant; cum gaudio recordantur et cum grato animo recolunt, quomodo in tempore iudiciorum *nomen* Dei i. e. Deus ipse fidelissimus atque immutabilis promissionum sponsor et *memoria eius,* recordatio Dei salvatoris intimo affectu et desiderio cordis ipsorum animis fuerit impressa; ecce, quam praeclara documenta vates tradat in hac iustorum descriptione, quid in rerum angustiis ob oculos habere oporteat!

Et quanto desiderio in mediis tribulationibus animati fuerint et gloriosam illam Dei manifestationem et salutem expetierint, iam in singulis quibusque vates accuratius describit v. 9 « *anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in praecordiis meis de mane vigilabo ad te* »; — totum hominem maximo illo desiderio urgeri sententia dicit; *spiritu meo in medio mei cupide te quaesivi* (hebr.); partem inferiorem et superiorem animae intime affici et suo quamque modo versus Deum impelli voces declarant. Intellige *noctem* de nocte tribulationis, uti 21, 11; ita ex hebr. [1] ; *mane vigilare* explica sicuti

1. Nam illa allusio quae forte in verbo שִׁחֵר *cupide quaerere* habetur ad שַׁחַר *aurora,* tamen nimis debilis est, ut tuto verti possit : *mane* quaeram te; praesertim quia verbum שִׁחֵר satis in usu est; cf. Prov. 1, 28; 7, 15; 13, 24. Iob 8, 5; 24, 5. Ps. 63, 2. Os. 5, 15.

phrasin mane consurgere et mittere i. e. sedulo et magno studio, cura et sedulitate eximia. Tanto autem desiderio tenebantur, quia quid praeclari ex iudiciis secuturum sit, bene perspectum habebant : « *cum feceris iudicia tua in terra, iustitiam discent habitatores orbis* » ; — ecce divinam illam praedicant normam : Sion, orbis in iudicio redimetur, et quia eum rerum statum quem Deus vult (— haec est demum vera et plena iustitia —) etiam ipsi hisce in terris consistere expetunt, id autem fieri posse per iudicia et divinas castigationes intelligunt, idcirco in ipsa periodo tribulationum hac se cogitatione erigebant et consolabantur, hac molestias et aerumnas emolliebant divino consilio cum laeta spe acquiescentes. Tantum vero bonum ex castigationibus originem ducere ulteriore consideratione rem a contrario perpendentes proponunt ex communi omnium experientia qua patet impium dum prospere agit nihil curare de Deo vel de iustitia : v. 10 « *misereamur impio et non discet iustitiam; in terra sanctorum iniqua gessit et non videbit gloriam Domini* » ; — i. e. « iuste desidero iudicium tuum et scelestorum punitionem; nam dum illis parcitur, deteriores fiunt » (*Men.* sim. *Sanct. Sasb. Pint. Mald.* et plerique); « finge, inquit, improbum non puniri quin immo bene habere et beneficiis affici, actum est; scito nunquam ad sanam mentem rediturum » (*For.*); vèrum ad maiora mala perpetranda se accinget audacter; *in terra rectitudinum* (*For. Mald. Vat. Mar. Malv.*) i. e. in ea regione ubi leges iusti et veri notae sunt et ab aliis servantur, inique et perverse agit; « exaggerat scelus impii dicens esse inter viros et sanctos admissum » (*Pint.*); malum enim est inter pravos peccari, peius inter bonos et sanctos (*Mar.*), cum tamen *rectitudines* palam sint propositae. Ita autem agens nullo modo reverentia quadam vel timore *maiestatis* vel sublimitatis (hebr.) Dei tangitur; *non videt* i. e. ncn advertit, non considerat, sed negligit atque spernit.

Immo, ita pergitur in hebr., etiam magnam maiestatis divinae manifestationem non advertere volebant impii; quare iam exoptandum, ut nunc experiantur, quanto zelo Deus pro suo populo rem sit acturus et scelera vindicaturus ; nam v. 11 in hebr. *Domine exaltata est manus tua neque tamen vident; videbunt* (*et confundentur*) *zelum pro populo, ignis adversarios tuos devorabit*; vel etiam : videbunt et confundentur! zelus pro populo, immo ignis adversarios tuos devorabit; sed communiter prius sequuntur. Manus Dei, Dei potentia et ratio gubernandi in rebus populi electi semper erat manifesta, verum impii sensibus obtusi id advertere minime volebant; quare certam perniciem illis annuntiat; in magnis illis iudiciis volentes nolentes videbunt et in se experientur, sed cum magna sua confusione, quomodo Deus maximo zelo et magna amoris

aemulatione (cf. ad 9, 7. Ioel 2, 18. Zach. 1, 14) pro populo suo sit pugnaturus. Neque multum ab hoc sensu recedit *vulg.* v. 11 « *Domine exaltetur manus tua et non videant! videant et confundentur zelantes populi et ignis hostes tuos devoret* » ! — indignatio enuntiatur iustorum ea imprecatione, ut impii ab initio non advertentes ad Dei iudicia demum maiore illorum severitate perstringantur; dicuntur *zelantes populi* eo scil. sensu quo apostolus dicit : aemulantur vos non bene (Gal. 4, 17). Talis ergo exitus iudiciorum appetebatur a iustis; pro impiis vel interitum vel ut discant iustitiam (v. 9) exspectabant. Quid ipsi pro se desideraverint et quibus animorum affectionibus iudicium Dei devolvi viderint, in parte subsequenti explicant.

Cum in v. 9 singulari numero dicatur *anima mea* etc., aliqui eam partem iam non ad canticum iustorum referendam esse censuerunt, sed ita accipi volunt, ut ipse Isaias suos animi sensus prodat. Ita *Sanct.* et inter recentiores *Hitz. Kn.* aliique. At iuremerito plerique tenent etiam haec ad canticum pertinere. Nam bene describuntur et exprimuntur sensus et affectiones iustorum, quibus Dei iudicia opperiebantur, atque ad conditionem carminis lyrici prorsus accommodatum est, ut illius temporis angustiis pleni sensus recolant. Insuper a v. 12 certissime idem canticum continuatur; ergo si non aperta necessitate cogimur, etiam pars interiecta non erit a carmine avellenda. Sed tantum abest ut talis adsit necessitas, ut quae ibi dicantur, optime ad carminis rationem conveniant. Neque mutatio illa qua dicitur *anima mea* tanta est, ut propter eam carmen interrumpatur. Transitus enim talis satis est frequens atque bene h. l. inservit, ut vividius affectiones depingantur, dum unusquisque loquens pro se et per se inducatur.

In hisce versibus *S. Hier*. cernit dialogum inter Deum et prophetam hunc in modum : advertit vates : « quamdiu non exerces iudicia tua super terram et nec bonis bona nec malis retribuis mala, iustitia tua, o Deus, ignoratur in terra; cum autem in iudicii die pro qualitate operum unicuique reddideris quod meretur, tunc iustitia tua cognoscetur in orbe terrarum » ; ad quod respondet Dominus : *misereamur impio* ; « et est sensus : magis impius misericordiam consequatur et discat clementiam meam » ; at reponit propheta « ex persona humanae impatientiae : *et non discet iustitiam;* estque sensus : et quomodo poterit tuam nosse iustitiam, si tantum clementiam fuerit expertus ? redditque causas quare eum velit Dei iustitiam discere » ; rursum autem Dominus sententiam temperans *et non videat,* inquit, sive *non videbit gloriam Domini* i. e. sufficit ei pro universa poena, quod me cum sanctis meis non videbit in mea maiestate regnantem; respondet propheta : *exaltetur manus tua et non videant ;* cui Dominus reponit : *videant magis et confundantur.* — Sed talis dialogus, cuius nullum apud prophetam vestigium, et carmen importune interrumpit et artificiosius et subtilius fingitur.

Alii v. 10 ita concipiunt : si impius benigne habeatur qui non didicit iustitiam,

perverse aget et Dei gloria non agnoscetur (cf. *Drechsl.*); at haec explicatio verbis non satis congruit; nam quid sibi vult otiosum illud *qui non didicit iustitiam* ? si enim est impius, id per se intelligitur, neque ulla cernitur ratio, cur *qui* supplendum sit; dein arbitrarie in ultima sententia novum introducitur subiectum grammaticale, cum in textu hebr. habeatur *perverse aget et non respicit maiestatem Dei* scil. idem ille impius. Insuper quod vult *Drechsl.* sensum esse : illo casu supposito non fore ut regnum Dei unquam erigatur et gloria Dei manifestetur, et illatio est longius petita et praemissis amplior et vix ad indolem carminis facta. Hoc totum autem carmen esse, neque carmen finiendum esse cum v. 2, satis supra dictum est et argumento proposito commendatur.

f) Iustorum iubilus de ope et spe praeclara 26, 12-19.

Recoluerunt iusti quid ratione habita impiorum de iudiciis Dei senserint. Iam memoria volvunt (antithetum est praecedentis membri, *Mald.*), quomodo ipsi turbinem iudiciorum appropinquantem et irruentem exceperint. Cum spe et obsecratione felicem exitum et salutem sibi sunt polliciti v. 12 « *Domine dabis pacem nobis; omnia enim opera nostra operatus es nobis* »; — pacem pro se fore imperturbatam invicte sperant et eam spem ex iis reddunt vividam, quae Deus eousque mirabilia pro suis gessit; quaecumque enim nobis evenerunt, a te evenerunt (*Men. Sanct.*), maximis iam beneficiis potiti per omnem rerum israeliticarum cursum habent pignus operum ac beneficiorum maiorum et hac spe sese consolabantur. Neque frustra. Nam iterum experti sunt opus Dei; unde v. 13 « *Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te; tantum in te recordemur nominis tui* »; — oppressionem ab inimicis illatam sola ope divina excusserunt; unde iubilantes confitentur : solum per te stat, ut nomen tuum cum laude praedicemus; in Deo quasi constituti, eius ope circumdati et fulti id obtinuerunt, ut iam cum cantico nomen Dei extollant. Domini *absque te* alieni sunt dominatores et inimici Deo qui populum Dei quasi Deo eripere et Deo seposito in illum dominari et tyrannidem exercere conabantur. Solus Deus populum suum sibi et suae ditioni restituit ; unde vero et proprio sensu dicunt *in te* nomen tuum celebramus, et simul hac locutione optime illustrant quod modo laudantes extulerunt: omnia opera operatus es nobis.

Et in hac pace et in nominis Dei laude iam plane tuti et securi sunt ; Deus enim oppressores, dominos illos absque Deo, morti tradidit, eorum vim plane contrivit; unde v. 14 « *morientes non vivant, gigantes non resurgant ; propterea visitasti et contrivisti eos et perdidisti omnem*

memoriam eorum »; — verte hebr. per simplex futurum : *mortui non vivent, umbrae non resurgent,* uti *S. Hier.* ipse ad h. l. adnotat : « Symmachus more suo manifestius : mortui non vivificabunt, gigantes non suscitabunt »; de *gigantibus* vide ad 14, 9. « Non solum ipsi non resurgent, sed ne memoria quidem illorum exstabit » (*Mar.* sim. *Osor.*); *propterea* i. e. « *idcirco enim* vel *ad hoc enim* eos abolevisti ne iterum resurgerent »(*For.*) et nos vexarent; particula לָכֵן id introducitur quod *eo ipso* fit, cum prius illud evenerit (cf. 61, 7. Ier. 5, 2; 2, 33. Zach. 11, 7. Iob 34, 25; 42, 3; uti graecum ἄρα; *Del.*). Quomodo oppressores devicti sint et morte oppressi, enumeratione longiore sublimem in modum recenset Ezechiel 32, 18-32.

Hostibus vero prostratis Deus et populo suo benigne adfuit et suam gloriam manifestavit et regnum suum ac dominium propagavit, suam scil. cognitionem magnis illis facinoribus spargens v. 15 « *indulsisti genti, Domine, indulsisti genti*, *numquid glorificatus es? elongasti omnes terminos terrae* »; — hebr. *addidisti populo,.. glorificatus es;* latinum *numquid* explica *nonne* glorificatus es? uti *numquid* saepius in *vulg.* (Gen. 18, 14. 23; 29, 5. Ps. 86, 5 etc.); vetus theocratia arctis terminis ac limitibus erat conclusa; quare eius super orbem diffusio quae non fit sine variis iudiciis Dei (cf. 25, 5) apte dicitur elongatio terminorum, qua scil. fines terrae in longum dimoventur seu dilatantur (cf. ad Mich. 7, 11). En, magna adest concinnitas aptusque progressus carminis in hac explanatione a v. 12; postquam enim in v. 12 summatim propositum est quid ipsi speraverint et cur eam spem foverint, in v. 13 oppressio describitur et liberatio per solum Dominum facta declaratur; qualis autem fuerit liberatio, in v. 14 morte et interitu hostium proponitur, in v. 15 vero exhibetur aucto populo gloria Dei manifestata, theocratia per orbem diffusa; declaratur itaque liberatio ut ita dicam *negative* et *positive*.

Interpretes veteres plerumque versum explicant de impiis : « affecisti impios multis beneficiis; verum nullum ab eis honorem, gloriam nullam reportasti; dilatasti eorum imperium, attamen te non agnoverunt » (*Mald.* sim. *Sanct. Pint. Mar. Lap. Men. Tir.*); ad quam interpretationem adacti esse videntur textu latino *numquid,* quam particulam *negative* acceperunt. *S. Hier.* hic quoque dialogum cernit inter Deum et prophetam : vatem reddere causas cur impios cupiat interire; « et est sensus : saepe misertus es gentibus, id est, humano generi et exercuisti in eas incredibilem clementiam, numquid te cognoverunt ? numquid glorificaverunt nomen tuum ? Nonne e contrario a te longe recesserunt » ? Sim. *Sasb.*, ita ut v. 16 propheta Deo dicat : « ego adverti aliquos angustia pressos te quaerere; quare immitte eis mala, ut saltem calamitate edocti discant applicare studia doctrinae tuae, licet cum murmure hoc faciant »

(*Sasb.* sim. *S. Hier.*). At ea explanatio, uti ex interrogatione sensu negativo (qui non adest in hebr.) prolata originem ducit, ita etiam rei et verbis est contraria; nam populum augeri, terminos elongari prosperum dicit theocratiae statum, sicut Deum honorari; dein postquam in v. 14 de morte et excidio hostium eum in modum sermo factus est, ut hostes plane interiisse et eorum memoriam penitus esse deletam dicatur, iam non est probabile, in v. 15 iterum de hostibus, qui nunc vivi ac florentes essent censendi, institui mentionem. Neque ad hostes in hac serie cogitationum post v. 14 aptari potest id quod in v. 16 enuntiatur; sed in v. 16 praeluditur ad sequentia, in quibus apertissime de ipso Dei populo, non de hostibus texitur oratio. Quare versus 15 sensu bono de populo Dei accipi debet et explicat liberationem et suo modo spem in v. 12 enuntiatam complet (cf. *Osor. Calm. Rohl. Troch.*). — Singulari plane ratione *Naeg.* versum interpretatur; dici scil. de regno mortis, quod regnum continuo crescat, quia homines continuo alii post alios moriantur; in hoc autem mortuorum cumulo qui crescat continuo, gloriam Dei contineri, quippe qui Dominus vitae et mortis homines mori velit ita exhibens omnipotentiam suam et impotentiam hominum; hac ratione terminos inferni et mortis continuo dilatari. Sed arbitrarie *gens* explicatur gens mortuorum, *terra* regio mortis, ut de aliis incommodis et de coacta expositione taceam. Si Isaias de inferno et regno mortis loquitur, id quam aperte et propriis verbis faciat legere poteris 5, 14 seq. 14, 9 seq. — *Bred.* legi vult נִכְבָּדוֹת genti gloriosa tribuisti largiter.

Liberatione commemorata redeunt, uti supra v. 8. 9, ad contemplandam viam qua ad beatam illam felicitatem pervenerunt; talis reditus in carmine lyrico variis affectionibus agitato facile fit, cum notum sit quoties in tali genere carminis canticum in suos quasi sinus redire ac replicari solent. Eo enim modo et assiduitas contemplationis et magnitudo ambitusque affectuum depingitur, qui una orationis complexione nequaquam digne possint exprimi, sed repetito indigeant circuitu, descriptione iterata. Unde v. 16 « *Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis* » ; — ultimum membrum ex hebr. *effuderunt tacitam orationem, cum castigares eos* (cf. *Mald. For. Vat. Mar. Malv.* et recentiores) submissa voce et tacitae mentis desiderio preces ad Deum fuderunt, dum divinis iudiciis et tribulationibus erudirentur; alii in לחש (*incantatio*) preces maxima cum obsecratione fusas intelligunt; *S. Hier.* murmur concipit, « quando tantum eis malorum pondus incumbet, ut ne clamare quidem audeant confidenter, sed dolorem suum silentio devorent » ; in tali ergo rerum angustia iis fore *doctrinam* i. e. eruditionem et salutarem institutionem (cf. Is. 28, 19. Ez. 6, 9).

Quaenam fuerit illa angustia et castigatio, illustratur v. 17 « *sicut quae concipit cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in dolo-*

ribus suis, sic facti sumus a facie tua, Domine » ! — hebr. *sicut gravida* etc. ; sunt enim dolores parturientis acutissimi ; unde saepe adhibentur ad comparationem (cf. Ps. 47, 7. Is. 13, 8 ; 21, 3. Ier. 4, 31 ; 6, 24 ; 13, 21 ; 22, 23 ; 49, 24. Ez. 30, 16. Os. 13, 13. Mich. 4, 9 etc.) et magnitudinem angustiarum declarant. Eo melius autem hac comparatione utitur vates, quia ex tribulationibus novus partus edendus erat, i. e. ope tribulationum in ipso populo Dei regeneratio quaedam spiritualis erat efficienda, ex calamitate salus erat proditura (cf. ad Mich. 4, 10) ; unde iusti quoque magno desiderio eiusmodi partui obviam ferebantur. Aderat in populo Dei ex institutione et gratia divina nisus quidam ad eiusmodi partum edendum, ad populum sanctum Deo procreandum ; at quam impar fuerit ex sese huic partui edendo, eadem comparatione retenta describitur v. 18 « *concepimus et quasi parturivimus et peperimus spiritum ; salutes non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores terrae » ;* — i. e. ventum peperimus ; frustra fuit labor ac vanus, frustra nostri conatus (cf. *Osor. Mald. Mar. Men. Calm.*), uti supra dictum est *tantum in te praedicamus nomen tuum* v. 13 ; populus altiorem illum salutis statum, novam theocratiam, efficere non potuit ; huius impotentiae documentum ac monumentum iam eo continebatur, quia ne incursus hostium quidem efficaciter propellere et avertere potuit : *et non ceciderunt habitatores terrae* (hebr.) i. e. dominatores et hostes qui nos affligebant nos nostra virtute non potuimus e sede et auctoritate et potentia deiicere (cf. *S. Hier. Sasb. Sanct. Pint. Mald. Mar. Men. Calm. Troch.*). Eadem comparatione utitur propheta cum de invasione assyriaca loquitur 37, 3 ; qua simul ostenditur quam impotes fuerint ad salutem efficiendam.

Ultimum membrum recentiores vertunt *et non nati sunt habitatores orbis* i. e. novus ille partus, populus novus theocraticus non est editus (cf. *Bauer, Ges. Drechsl. Del. Naeg. Field, Net. Rohl.*) ; censent enim cum de partu in anteced. sermo sit, נָפַל accipiendum esse, uti graecum πίπτειν vel etiam cadere. At verbum נְפַל in chald. et talm. sicut נֵפֶל in hebr. solum adhibetur de abortu, de partu praematuro ; unde omnino fit improbabile idem verbum dici vel potuisse dici de partu faustissimo ; analogia autem ex graeco et lat. petita et per se nihil efficit pro hebr. neque valet, quia πίπτειν et cadere aliqua demum determinatione addita illam induunt notionem ; ita πίπτειν μετὰ ποσσὶ γυναικός dicit Homerus (Il. 19, 110), latini autem cadere de matris gremio, tellure cadens etc. — Unde ratio illa ex comparatione instituta non tantum valet, ut inusitatam significationem verbo toties obvio liceat affingere, praesertim cum notione nativa et usitata, quam LXX, *Syrus, S. Hier.* et veteres interpretes secuti sunt, sensus optimus et ad contextum consentaneus fundatur.

Verum quod ipsi suis viribus efficere non poterant, Deus facillime et abundantissime praestare poterit. Unde humili confessione suae impotentiae facta ad praeclaram de Deo spem eriguntur : Deus non solum novam rerum conditionem in opus deducere potest, sed ita opus suum exsequetur et tanta gloria et amplitudine regnum suum exornabit, ut ipsos quoque mortuos ad vitam reductos gloriae suae reddat testes et participes : v. 19 « *vivent mortui tui, interfecti mei resurgent; expergiscimini et laudate qui habitatis in pulvere! quia ros lucis ros tuus et terram gigantum detrahes in ruinam* » ; — dicuntur mortui *tui,* qui cum Deo pietate iuncti mortem obierunt ; interfecti *mei,* qui populi theocratici causam agentes, defendentes et ut membra eius populi naturae debitum solverunt (hebr. *cadavera mea*). Isti vivent, resurgent ; ita Dei potentia egregie laudatur, qui non solum regnum suum per orbem terrarum diffundit, sed mortuos quoque vita donatos et e sepulcris excitatos in gloriae suae regnum assumit. Quare maxima cum iubilatione hanc periodum iam praeoccupantes exclamant : *expergiscimini et laudate..* haec nova vita unice laudibus Deo canendis erit dicata ; *habitatores pulveris* sunt qui in sepulcris conditi dormiunt (cf. Iob 7, 21 ; 17, 16 ; 20, 11 ; 21, 26 et quae notavi ad Iob 19, 25). Hisce ad vitam suscitatis insignis splendor additur novae theocratiae. Elucet enim eius vis et gloria, qua morti ipsi praeda eripitur, et victoria quam Deus reportare dicitur, agminibus illis e sepulcro eductis insigni modo exaltatur et regnum Dei coelum et terram, tempus et aeternitatem complectens exhibetur. In ea autem suscitatione mortuorum praeclarissima includitur consolatio pro iis qui mediis in tribulationibus antequam novus rerum ordo oriatur diem obeunt ; etiam ipsis nova vita promittitur, et cum Deus regnaverit et coram senibus adsit gloria (24, 23), hoc regnum et gloria haec ita absolvitur, ut omnes servi Dei sepulcris relictis regni eius et gloriae sint cives.

Haec autem suscitatio fit *quia ros luminum ros tuus* (hebr.) ; nam ut *S. Hier.* dicit : « quomodo iactis in terram seminibus ros paulatim crescere facit herbas, sic Domini ros ros erit luminum plurimorum » ; uti ros seminibus vitam dare vel ea ad vitam exserendam allicere et plantas iam fere emortuas ad novum vigorem provocare concipitur, ita ubicumque Deus qui est lux suae lucis radium immittit, mors pellitur, redit vita ; unde *ros luminum* est ros qui ad lucem et vitam vires tribuit, ad lucem vitae excitans et revocans (*Men. Sanct. Calm.*), vel ut *S. Cyr.* textum graecum : ros qui a te est sanitas illis est, exponit : « rorem vocari sentimus vivificam spiritus efficacitatem et potentiam ; est ergo ros vivificus spiritus a Patre per Filium, per quem terrestribus corporibus incorruptio tribuitur.... quemadmodum enim ros in terram delapsus

est, ut sensim ac leniter semina in ipsa recondita augeantur et crescant, eodem modo ros a te stillans medicinam et vitam et salutem praebebit defunctis tuis ». Futura ergo corporum resurrectio hoc loco clare enuntiatur, uti etiam interpretes catholici omnes et ex acatholicis plerique agnoscunt; cum lux et vita intimo nexu inter se saepe copulentur (uti e contra tenebrae et mors — cf. Iob 3, 16. 20; 33, 30), resurrectio convenientissime ad Dei lucem refertur, idque eo magis quia resuscitatorum demum agminibus maximus accedit splendor et gloria eximia maiestati divinae. Ultimo demum membro ex *vulg.* mortuis Dei qui nova luce vitae splendescent ex regione opponuntur adversarii Dei qui in ruinam detrahuntur : confer, quibus Christus publicae praedicationi finem imposuit : et ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam (Matth. 25, 46); en omnium rerum finis, en consummatio saeculorum, en sors aeternitatis immutabilis; quare hoc carmine optime finis imponitur iudiciorum divinorum considerationi quam a cap. 24 vates nobis proposuit. Vita resuscitatorum *beata* h. l. duobus indicatur, exhortatione ut Deo exsultationem et iubilum canant (*iubilate* hebr.) et metaphora *roris luminum* qua ad vitae et lucis Dei consortium eos admitti, rore luminum infundi, ergo vita et gloria donari designatur. Quodsi id conferas cum v. 14, consequitur dum servi Dei summa vita et luce fruantur, adversarios Dei contumaces in perpetuum omni potentia spoliatos a Deo conteri ac castigari plane devictos.

Sunt qui hebr. explicent *ros herbarum ros tuus* vel *ros olerum;* vide *Vat. Mald. Sanct. For. Malv. Lap. Men. Calm. Ros. Ges. Drechsl.;* qua explicatione vis illa vivifica simpliciter effertur, uti v. g. Eccli. 46, 14 : ossa eorum pullulent de loco suo (49, 12) vel apud ipsum Isaiam : ossa vestra quasi herba germinabunt (66, 14). At iuremerito alii retinent interpretationem *de rore luminum;* ita *Syrus, S. Hier. Chald. Saadias* quos sequuntur *Grotius, Ges.* in comment. *Ewald, Umbreit, Kn. Del. Naeg. Bred. Rohl. Net.* quae explicatio et uberior est et magis ad rem. Nam rorem ad herbas spectare, non opus erat efferre; sed inesse rori divino vim vivificatricem eamque vim repeti ex Dei natura qui est essentialiter lux et proin vita, hoc et aptissime simul et pulcherrime dicitur. — In hebr. verte membrum ultimum *et terra umbras* (mortuos) *proiiciet* i. e. reddet mortuos qui sunt in sepulcris (cf. *Mald. Vat. Malv.* et recentiores). Verba quidem hebr. verti *possunt,* uti *S. Hier.* intellexit, et uti sim. LXX, *Syrus* et ut videtur *Chald.*(impios trades in gehennam) verterunt; sed cum רְפָאִים in v. 14 de mortuis, de umbris dictum sit, difficile erit et coactum eandem vocem hoc loco sensu alio accipere et Rephaim nomen speciale gentis procerae extendere ad omnes Dei adversarios.

Hoc loco non tam spem firmam resurrectionis enuntiari quam solum desiderium eius ardens, quo tenuis quaedam opinio vel suspicio fore resurrectionem

contineatur, *Kn.* ad h. l. asserit. At perperam. Verbis enim ipsis et rationibus in textu allatis certa et firma proponitur praedictio. Duplici exhortatione *expergiscimini et iubilate* iam indicatur certa prophetae sententia, qui postquam futurum dixit, ut vivant, ut resurgant, iam hos ipsos ad vitam reduces admonet, ut iubilent; ratio vero additur de rore Dei qui sit ros luminum vel vitae, quae ratio ex Dei vita qua alios vita donare *vult* (*ros tuus*) deprompta Deum ostendit rorem suum vivificum immittentem, ergo efficaciter operantem; et quid revera ros ille divinus sit effecturus, in ultimo membro hebr. denuo indicatur. Veteres quoque versiones quotquot fragmenta servata sunt, non pium quoddam desiderium per modum optativi, sed praedictionem *futuro* enuntiatam exhibent. Ita LXX ἀναστήσονται οἱ νεκροί, ἐγερθήσονται οἱ ἐν τοῖς μνημείοις καὶ εὐφρανθήσονται οἱ ἐν τῇ γῇ; eodem modo praebent ζήσονται *Aq. Sym. Theod.*, praebent ἐξυπνισθήσονται, αἰνέσουσιν (*Aq.*), ἀγαλλιάσονται (*Sym.*), ἀλαλάξουσιν (*Theod.* cf. *Field,* Hexapl. ad h. l.). Immo *Chald.* habet: tu es qui vivificas mortuos, ossa cadaverum eorum tu suscitas. — Sed per se solum h. l. sermo est de resurrectione iustorum; de omnium etiam impiorum resurrectione loquitur Daniel (12, 2); spem resurrectionis eiusque fidem iam notam supponit Ezechiel (37, 2 seq.).

g) **Qua via ad salutem perveniatur 26, 20-27, 6.**

Postquam vates magnificum Dei consilium et ultimam theocratiae consummationem quae in resurrectione mortuorum habetur exposuit, iam nihil aliud restare videtur, nisi ut ea quae dicta sunt in praesentem populi et aequalium utilitatem convertantur. Ita enim agere prophetam iam saepius deprehendimus; vaticinio de montis Dei exaltatione proposito ad adhortationem suis aequalibus necessariam se convertit (2, 5 seq.); idem adverti potest ad 8, 11 seq. 20, 1. Similiter hoc quoque loco suos iam docet, quid ex normis illis divinis pro praesenti temporum necessitate et pro ingruentibus calamitatibus sit colligendum, scil. quali ratione sese habere oporteat, quomodo cum fide et patientia et spe adversa omnia sint toleranda. Ita propheta qui futurorum temporum mysteria divinitus accepta communicavit, iam pressius doctoris munere pro suo populo fungitur, ostendens qualem habere possint ac debeant utilitatem et ad praesentem conditionem applicationem vaticinia de rebus maxime remotis, et quomodo ex iis fides et spes sit nutrienda et vera capienda regula, qua de rerum cursu et variis eventibus iudicium feratur secundum normam divinam. Unde pro ingruente tribulatione monet v. 20 « *Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio* »! — « metaphora sumpta est a tempestate, qua ingruente solemus nos in domus penetralia recipere » (*Mald.*); id ergo Deus suis commendat, « ut quieti sint neque desperatione aut diffidentia despon-

deant animum, utque in silentio Deum toto cordis affectu deprecentur (eisdem enim prope verbis in evangelio Dominus orare docens suos erudiebat) neque solliciti essent de quarumvis rerum visibilium facie aut vicissitudine aut transmutatione, sed de Deo cuius providentia omnia dispensantur » (*For.*). Modo loquendi admonentur vel de Noe qui iubetur ante inundationem in arcam ingredi, quo ingresso Dominus ianuam clausit (Gen. 7, 16), vel de Israelitis in Aegypto, qui iubentur suis se domibus continere, dum transiturus sit Dominus percutiens Aegyptios (Ex. 12, 22. 23). Dicitur autem *modicum*, quia pro singulis tempus probationis et tribulationis comparatione instituta cum aeterna regni Dei gloria ad quam praeparantur et adducuntur, semper est in praesenti momentaneum (cf. 2 Cor. 4, 17. *Mald.*), vel etiam quia singulae afflictiones populi Dei tamquam breves considerantur, cum de singulis valeat quod Habacuc de una enuntiat : « si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet et non tardabit » (Hab. 2, 3) ; revera sunt singulae breves considerato toto theocratiae tempore ; ita v. g. tempestas a Sennacherib invecta *brevi* dici potest pertransiisse ; eodem enim modo sicut nos de periodis anteactis loquimur, brevi huius vel illius regis seu dynastiae gloriam transiisse, etsi per annos complures floruerit, ita prophetae de rebus futuris et annorum serie futura pronuntiant.

Quaenam pertransitura sit *indignatio*, explicatur v. 21 « *ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terrae contra eum, et revelabit terra sanguinem suum et non operiet ultra interfectos suos* » ; — Deus dicitur surgere, egredi de loco suo (de throno suo coelesti), venire, quando de effectu quodam peculiari, praesertim de actione iudiciaria mentio infertur ; cf. ad Mich. 1, 3 et ad Hab. 2, 3 et vide Os. 5, 15. Ps. 17, 8 ; 49, 3 ; 79, 3 ; 95, 13 ; 96, 3 etc. Deus ultor et vindex animadvertet *in iniquitatem,* ubicumque ea adest ; ergo etiam in ipsius populi sui peccata, pro quorum ultione mittit tamquam virgam furoris sui (Is. 10, 5) alias gentes ; et talem visitationem *etiam* h. l. intelligi, concluditur ex v. 18 et 20 ; in ea sententiam adeo generalem non sistere, liquet. Iniquitas visitatur *contra eum* i. e. in ipso habitatore terrae, in eo ipso qui eam patravit punitur ; iusta retributio effertur eo modo quo dicitur : convertetur dolor eius in caput eius et in verticem ipsius iniquitas eius descendet (Ps. 7, 17. *Mald.*). Atque hanc iustam scelerum vindictam ipsa iam terra, tot scelerum scena, expostulare inducitur : sanguinem occisorum quem absorbuerat iam palam profert et ostendit vindictam expetens eo fere modo quo « vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra » (Gen. 4, 10) vel quo Iob 16, 19 : « terra, ne operias sanguinem meum » a contrario dicitur i. e. ne sileas, o terra, ea quae mihi acciderunt neque sanguinem meum iniuste effusum con-

tegas, quin tamquam Abelis sanguis clamorem edat ; cf. Ez. 24, 7. 8. Insuper terra quo efficacius vindictam expetere concipiatur, « interfectos producet in publicum ad condemnationem eorum qui occiderunt » (*S. Hier.*) ; sim. *Sanct. Sasb. Lap. Men. Tir. Rohl.* ; post v. 19 id facile de resurrectione intelligitur, in qua omnes sese sistunt et iniuriarum sibi illatarum vindictam a Domino expostulant : vindica sanguinem sanctorum tuorum qui effusus est. Unde simul apparet, in hac Dei visitatione iudicium quoque universale repraesentari. — Verba *non operiet...* apte de occisis quos terra quasi e suo gremio emittit accipiuntur ; idque et efficacius nervosiusque est neque post v. 19 ulli potest difficultati subiacere; si alii in istis verbis solum sententiam antecedentem repeti volunt (cf. *For. Mald. Mar. Calm. Schegg*), a proprietate verborum recedunt et languidam repetitionem textui obtrudunt.

Qualem visitationem Dominus sit instituturus et quomodo iniquitatem orbis terrarum sit deiecturus, iam proponitur 27, 1 « *in die illa visitabit Dominus in gladio suo duro et grandi et forti super Leviathan serpentem vectem et super Leviathan serpentem tortuosum et occidet cetum qui in mari est* » ; — hebr. *leviathan serpentem fugacem,* LXX ὄφιν φεύγοντα. Cum addatur ad leviathan serpens fugax, serpens flexuosus, vel sinuosus, leviathan hoc loco de immani bellua, non speciatim de crocodilo (Iob 3, 8 ; 40, 20) accipi debet ; etiam תנין belluam immanem dicit et adhibetur vox ad significandam Aegyptum (Is. 51, 9. Ez. 29, 3. Ps. 73, 13) et Babylonem (Ier. 51, 34), sicut leviathan designat Aegyptum (Ps. 73, 14). Similiter Aegyptus Is. 30, 6 nominatur iumentum austri et belluae saepius ut symbola regnorum proponuntur (cf. Is. 14, 29 et praecipue Dan. 7, 3 seq. Apoc 13, 1). Unde dubium esse non potest, quin leviathan et draco etiam hoc loco proxime regna potentia dicant quae gladio Domini prosternantur; quae acceptio hoc loco eo magis commendatur, quia oraculum hoc agmen illorum claudit quibus de variis regnis propheta vaticinatus est, et quia iniquitas habitatoris terrae (26, 21) et in Deum rebellio in regnis potentissimis mundi repraesentari et exhiberi solet (cf. ad cap. 13). Cum draco saepius Aegyptum significet, ad quam significationem etiam *qui est in mari* apte additur, cum Nilus etiam mare appelletur, etiam hoc loco haec notio erit retinenda; praeter Aegyptum Is. 19, 23 Assur nominabatur et in hoc ipso capite v. 12. 13 mentio fit Assur, Babyloniae, Aegypti; cum praeterea hisce regna potissima designentur, quae veteri theocratiae infesta exstiterunt, haec tria proxime designari certum videtur. Assyria et Babylonia uno symbolo leviathan describuntur, quia regnum illud septemtrionale exhibent, a quo castigatio in populum Dei foedifragum exercita est; erant duo illa regna saepe sub unius imperio vel hegemo-

nia et in locum et ditionem Assyriorum successerunt Babylonii, quare hac etiam consideratione facta uno symbolo apte exprimuntur. Neque tamen aliquid discriminis et distinctionis abest. Serpens fugax vel celer et serpens tortuosus multa sane habent communia, at in ultimo symbolo fortasse Babylonia exprimitur artificiis magiae, incantationum, divinationum celebris, dum in Assyriis fortitudo et celeritas bellica potissimum laudetur. Aliis placet nomina explicare ex situ urbium Ninives et Babylonis; erat enim Ninive ad Tigridem sita, qui fluvius ob cursum rapidum apud indigenas sagitta[1] vocabatur, Babylon autem ad Euphratem qui ibi maxime est tortuosus et maeandribus volvitur. Hisce addunt, Assyrios celeriter in Israelitas prorupisse et regnum israeliticum celeriter suppressisse, Babylonios vero multis nexibus populum obstrinxisse, immo cum Babel symbolum sit pro potentia theocratiae adversaria in universum, populum Dei eius serpentis sinibus usque ad consummationem esse implicatum (cf. *Del.*).

Utut haec non sine probabilitate dicuntur, tamen cur cum emphasi *serpentis* mentio ingeratur, non satis explicatur. Id vero plane explicatur, si vestigia prementes SS. Patrum et fere omnium veterum interpretum in serpente hoc loco etiam diabolum designari dixerimus; cum igitur leviathan quo regnum mundanum exprimitur, simul dicatur *serpens* celer, *serpens* tortuosus, innui videtur potestati illi adversariae quae in regnis continetur, addi et substare aliam quandam cui serpentis nomen proprium sit i. e. diabolum (cf. Gen. 3). Hac acceptione sane optime tota illa potentia Deo inimica describitur: adest serpens et eius semen, adsunt homines Deo rebelles, sed ei rebellioni stimuli adduntur a diabolo, qui est princeps huius mundi et qua talis summus dux et imperator hostium Dei. Neque hac explicatione a rerum nexu et serie apud Isaiam recedimus; nam uti in limine huius partis, in onere Babel, superbia quaedam plus quam humana descripta est, ita ut rebellionem contra Deum humanam ab ipso daemone incitari et promoveri haud ita obscure innueretur, ita in eiusdem partis fine iterum a propheta ad serpentis illius astutias et conatus attenti reddimur eo quod in regnis terrenis prostratis nobis ostendit serpentem celerem et serpentem tortuosum gladio Domini devictum ac prostratum. Insuper postquam 24, 21 Deus visitaturus super militiam altitudinis in altitudine nobis est propositus, hoc loco apte omnino in serpente devicto illam quoque militiam altitudinis prostratam et punitam agnoscemus.

---

1. Ita vocem Tigris explicant *Plinius* (6, 127), *Strabo* (11, 14, 8), *Curtius* (4, 9, 16); quae explicatio petita esse videtur a voce zendica *tighri* sagitta; sed hanc explicationem ex linguarum familia arica depromptam non approbant assyriologi; vide *Delitzsch*, Wo lag das Paradies? p. 171.

Plerique veterum interpretum solum diabolum hic describi volunt (cf. *S. Hier. Haimo, Herv. Osor. Sanct. Sasb. Men. Lap. Sa, Tir. Gord.*) vel antichristum et diabolum (*For.*); alii tamen agnoscunt exhiberi vel inimicos (*Calm.*) vel homines tyrannidem exercentes (*Pint.*) vel regem Babylonis (*S. Thom. Est. Mar.*). Potentiam humanam Deo adversariam symbolo hoc exhiberi, ex vaticiniis anteactis et aliorum locorum analogia in quaestionem vocari nequit. Solum quaeri potest, num triplici ista designatione solum potestas Deo inimica generatim, ergo regnum mundi in universum describatur (*Rohl. Kn.*), an tria regna sint adumbrata, uti plerique recentiores sentiunt. Declarari *tria*, ipsa verborum proprietate, nominum distinctione, descriptione varia suadetur, cui sane non obstat, quod *Kn.* vult, esse solum de uno gladio Domini sermonem. Cur enim Dominus ad tres hostes prosternendos tribus gladiis indigere censendus esset et ita in symbolo cum tribus gladiis repraesentandus? Etiam homo bellator uno gladio plures conficit hostes, puto! gladius Domini est *durus* et *validus* ad belluam immanem, squamosam percutiendam, est *grandis*, ut possit confodere serpentem tortuosum et pertingere usque ad draconem in mari. Neque obstat, quod in antecedentibus aliquoties de uno hoste, de una civitate mentio fit (cf. 25, 2; 26, 21); respicienda enim sunt vaticinia illa a cp. 13-23, quae quasi coronide absolvuntur a cap. 24 et deinceps; unde nihil mirum, si modo de hoste in universum, modo de praecipuis ex illis adversariis sermo instituitur.

Iam si tria regna intelligi debeant, quaenam sunt illa? Alii enumerant Assyriam, Aegyptum, Tyrum; alii Mediam, Babyloniam, Aegyptum; alii Aegyptum, Scythiam, Babyloniam; alii Mediam, Persiam, Aegyptum (cf. apud *Kn.*). At in ipso textu Isaiae adsunt indicia, quibus Assyria, Babylonia, Aegyptus designatur (cf. 27, 12. 13), ad quae regna nomina quoque quam maxime adaptata sunt (cf. *Cheyne, Del. Naeg. Bred. Troch. Loch*). — Alii in *serpente fugace* sidus intelligunt, de quo mentio fit Iob 26, 13, i. e. draconem iuxta ursum maiorem et minorem; unde etiam serpentem tortuosum de sidere explicant v. g. de serpente Ophiuchi (cf. *Drechsl.*). Sensum esse volunt, omnia sive in excelsis, sive in mari, quae sint Deo inimica demum prosterni. Verum id quidem est; at explicatio de sideribus non placet; nam ita leviathan quid sibi velit non explanatur, neque ratio habetur symboli leviathan, et cur repetito ponatur non apparet; demum id incommodi ex hac explanatione oritur, ut gladius Domini sidera percutiat et mare, neque tamen quod praeprimis exspectaretur, regna terrae.

Serpentem *vectem* explicat *S. Hier.* de diabolo, quod multos suo carcere clauserit et propriae subiecerit potestati; in hebr. proprie haberi colubrum fugientem bene novit, scribit enim: « iste autem leviathan coluber fugiens, in hebr. dicitur *bari* (בָּרִחַ) quod *Aquila* interpretatus est *vectem*, *Symmachus concludentem, Theodotio robustum* ». Alii *vectem* aliter explicare tentabant, vel teretem ad similitudinem vectis, vel oblongum, lubricum, fortem et robustum (cf. *For. Sasb. Mald. Malv. Mar. Calm.*), alii explicationi a *S. Hier.* datae acquiescunt (cf. *Sanct. Lap. Men. Tir. Gord.*). Cum בְּרִיחַ *vectem* significet, patet interpretatio *Aquilae* et *S. Hier.*; sed Iob 26, 13 *S. Hier.* eadem verba נָחָשׁ בָּרִחַ vertit *coluber tortuosus*, ubi LXX praebent δράκοντα ἀποστάτην, *Sym.* idem quod hoc loco.

Omnibus vaticiniis iam praeformatum est, potestate adversaria deiecta fore ut exsistat populus sanctus, Deo placens. Is enim est fructus et effectus qui ex Dei iudiciis exoriturus constanter praedicitur. Describitur hoc loco ita, ut populus iam proponatur vinea Domini amoenissima Deoque gratissima. Remittimur igitur a contrario ad 5, 1 seq. et ut utramque vineam inter se comparemus admonemur, illam ante iudicia devoluta, hanc iudiciis factis et inimicis prostratis. Unde v. 2 « *in die illa : vinea meri—cantabit ei* » ; — hebr. *canite ei* i. e. congratulamini ei, laudes eius annuntiate (cf. *Mald. Sanct. Malv. Mar. For.*) vel cantando vocate eam vineam optimam quae vinum optimum afferat (*Vat.*) et iam inter delicias Domini recenseatur. Hoc exprimitur lectione חֶמֶד (pro חֶמֶר) quam LXX, *Chald.* codices quoque aliqui manuscripti sistunt (cf. *de Rossi*) et quam multi praeferunt (cf. *Houbig. Lowth, Doederlein, Hitz. Ewald, Umbreit, Drechsl. Del. Naeg. Bred. Rohl.*) et quae etiam ex Am. 5, 11 commendatur (cf. Is. 32, 12. Ier. 3, 19). Iam igitur facta est vinea « germen delectabile », quod ut esset, a Domino erat plantata (cf. Is. 5, 7). Quod *vulg.* habet *cantabit*, explica, uti in eiusmodi formis saepius in *vulg.* obtinet *cantabunt* (on chantera ; man singt ; cf. Is. 15, 5. Ps. 86, 5. Gen. 16, 4 ; de qua re vide *Kaulen*, Handbuch z. Vulg. p. 192). Prior pars *vinea meri* vel *vinea deliciarum* per modum laetae exclamationis effertur ad affectus vehementiam et gaudium declarandum.

Iam qualis gratulatio et iubilatio laetis vocibus sit proferenda, egregie exprimitur, dum Dominus ipse in cantico loquens inducitur qui maximum suum in populum electum amorem, suum de vinea hac instaurata beneplacitum profitetur v. 3 « *ego Dominus, qui servo eam, repente propinabo ei ; ne forte visitetur contra eam, nocte et die servo eam* » ; — ipse Dominus erit custos vineae et hanc curam suam ac sedulitatem eo demonstrat, ut *singulis momentis* (hebr.) indesinenter (*Sanct.*) vineam riget i. e. abundantissime ei cuncta provideat, quae ad eius culturam et amoenitatem utilia sunt ; antea minatus erat : mandabo nubibus ne pluant (5, 6), nunc autem donis suis iam non praefigit limitem semper paratus et promptus ad fluenta gratiae suae profundenda ; unde adeo emphatice in hebr. *ad momenta* i. e. singulis momentis (assidue ; cf. *Mald. Mar. Malv. Tir. For.* etc.) *irrigabo eam,* imbribus gratiae meae frequenter effusis illam fecundam et uberem efficiam (*Osor.*) atque ne quidquam adversi ei accidat, perpetuas super eam agam excubias neque ullo unquam tempore meum erga illam studium intermittam (*Sanct.*). Est *visitare* h. l. affligere, infestare ; ab hostili incursu ac molestia Deus vineam tuetur continuo ; proinde innuitur etiam theocratiae instauratae suos fore hostes, suas impugnationes (cf. 25, 10 et ad Ioel 3, 9), verum

valere illud *non praevalebunt.* Hoc carmine praeformantur et optime indicantur verba illa suavitate plenissima, quibus Messias pro suis orat ad Patrem: serva eos; servabam eos, quibus se vitem esse profitetur, quae continuo palmitibus succum et vigorem communicat (cf. Ioan. 17, 11. 12; 15, 1).

Vinea ita constituta iam Dominus alta voce suum proclamat amorem, suam testatur aemulationem et zelum, quo paratus est quaecumque vineae nociva esse possunt auferre; ita v. 4 in hebr. *indignatio non est mihi ; quis dabit me spinam et veprem ? in bello gradiar contra eam* (spinam), *succendam eam simul*! i. e. si adessent spinae et vepres, Deus statim ea deleret, ne vineae nocere possent; inducitur Deus quasi exoptans ut adsint qui vineae nocumentum velint inferre, ut eorum impugnatione celerrime et fortiter facta ostendere possit, quo ipse ardeat zelo ad vineam custodiendam et bonum eius promovendum. In textu *vulg.* Deus etiam amorem suum in vineam profitetur simul declarans nunquam fore, ut contra eam indignatione et ira agere debeat, sed illam sibi fore semper carissimam; v. 4 « *indignatio non est mihi; quis dabit me spinam et veprem in proelio? gradiar super eam, succendam eam pariter* »? — quam versionem *S. Hier.* ita explanat : « quis me docebit, ut durus sim et meam vincam clementiam et in proelio atque certamine truculentus incedam, ut gradiar super vineam quam ante servavi et succendam eam quam meo sepseram muro »? Talis igitur castigatio qua olim afflixerat vineam iam non erit; nemo efficere poterit, ut Deus id inferat vineae quod spinae et vepres inferre solent i. e. devastationem et ruinam, ut quasi pugnam contra eam ineat et eam igne deleat. Aliis verbis, in novo Dei populo florebit gratiae Dei ope (v. 3) continuo vera sanctitas; quare eversio vineae iam non erit; Deus ipse suo amore et zelo populi sui sanctitatem efficaciter tuebitur et conservabit (cf. *Sanct. Mald. Sasb. Pint. Lap. Men. Tir.*). Idque etiam enuntiatur v. 5 « *an potius tenebit fortitudinem meam, faciet pacem mihi, pacem faciet mihi* »? — i. e. tantum abest, ut gradiar contra vineam meam, ut illa vinea constanter adhaereat fortitudini meae, ut continuo mea pace et amicitia fruatur. Nemo illos poterit rapere de Dei manu; ipsa enim fortitudine Dei quam amplexati sunt fulcientur, hanc fortitudinem retinebunt quasi ipsius Dei virtutis atque constantiae participes et ideo pace cum Deo inita muneribus pacis et dulci cum Deo inita familiaritate potientur.

Potest enim *an* eodem sensu explicari sicut alias *nonne* adhibetur, qui usus etiam apud profanos invenitur [1] et hoc loco in *vulg.* post v. 4

1. Ita hanc e Cicerone sententiam afferunt : quidnam beneficio provocati facere debemus? an imitari fertiles agros etc.

optimum fundit sensum. Populi electi fidelitatis quasi pignus adstruitur fortitudo Dei, quae cum sit immutabilis immotos illos reddit in amore Dei, in pacto pacis ac beatitatis in Deo iis manifestatae. — Secundum textum hebr. Deus hostes et adversarios quos v. 4 a se deletum iri minatus est invitat, ut potius divina ope implorata secum in gratiam et amicitiam redeant : *aut apprehendat protectionem meam et faciat pacem mecum* i. e. nisi illi quos metaphora spinae designaverat opem Dei imploraturi in gratiam cum eo redierint, illos bello conteret et igne succendet.

S. Hier. vertit : *an potius tenebo fortitudinem meam,* et ita etiam quidam legunt ; cf. *Pint. Mald.* — LXX et Syrus in v. 4 non חֵמָה legerunt, verum חֹמָה *murus,* id quod etiam *Houbig.* restitui vult, qui cum aliquibus etiam hoc loco dialogum deprehendit inter Deum et vineam : « conqueritur vinea quod non claudatur muro (*murus non est mihi*), quia tunc regnum Iuda patebat incursionibus Assyriorum. Respondet Deus se non modo murum nec sepem vineae suae additurum, sed facturum ut conculcetur ab Assyriis ; postea pacem rogat vinea (v. 5) » etc. sim. *For.* — Alii autem in v. 4 peculiarem curam quam Deus impensurus est vineae exprimi censent hoc modo : dicit Deus adeo esse cultam atque purgatam vineam, ut nemo possit ei vel spinam unam in ea vel veprem ostendere, quam non ille statim comburat, ut suam in vinea colenda diligentiam commendet (cf. *Mald. Osor.*) ; Deum scil. quaecumque imperfecta sint et a virtute degenerent a sacro suo coetu sedulo remoturum, ut sanctus sibi sistatur populus. Alii spinam et vepres intelligunt inimicos theocratiae qui inter ipsum populum Dei surgant, hostes internos, ut distinguantur ab hostibus alienigenis externis, quia spina et vepribus vinea pessumdetur ab interno, ab externo autem bestiis ; sed si respicitur parabola de vinea, uti 5, 6 proponitur, non adest ratio, cur metaphora ad unum hostium genus restringatur.

Carmen finitur v. 5; id iam eo indicatur quia versus quinque syllabis constantes qui a v. 2 facile fluunt, iam nullo modo deprehendi possunt (cf. *Bickell,* Carmina vet. test. p. 204); indicatur quoque argumento versus sequentis, quo non carminis continuatio sed explicatio quaedam parabolae proponitur. Ita quidem in hebr. v. 6 *tempore venturo radices aget Iacob, florebit et propagines emittet Israel et replebunt faciem orbis proventu* vel fructibus (cf. *Vat. For. Mald. Malv. Mar.* et recentiores) ; i. e. populus Dei in se firmiter consistet et iam non e sua sede evelletur ; in hac autem firmitate et pace laete prosperabitur et crescet et dulces proferet fructus et longe lateque *propagines emittet,* theocratia propagabitur et fructibus ac proventu theocratiae, vera Dei cognitione et sanctitate implebitur orbis. En ad hoc vocatur populus Dei, hic est finis ac terminus iudiciorum Dei, talem demum populum Deus sibi

comparat et ita complebitur illud : plena est omnis terra gloria eius (6, 3). Ad imaginem vide Soph. 3, 19. Mich. 5, 12. Ita in Israel adimpletur: in te benedicentur omnes gentes. Complectitur iste versus totum carmen praecedens : firmitas consistit in Dei custodia; florebit autem quia Deus continuo irrigat vineam; propagines emittet iam propter irrorationem et quia Deus v. 4 (hebr.) ipsos etiam inimicos invitat, ut theocratiam ineant; Dei autem invitatio effectu non poterit carere. Intelligitur ergo *vinea meri* vel vinea *deliciarum* Iacob et Israel, populus Dei electus eodem modo, uti 5, 7 : vinea Domini exercituum domus Israel est. Praeterea adverte quomodo hoc carmine vinea Domini describatur Deo carissima, ita ut accurate oppositio efferatur ad 5, 2 seq. Ibi cap. 5 vinea affert labruscas, quare ablata sepe direptioni et vastationi traditur et divino oneratur maledicto; — hoc loco ei contingit cura Dei amantissima, fluenta uberrima, amor Dei studio et aemulatione excellens et fructus exoriuntur laetissimi, quibus demum totus orbis ditescit. En cap. 5 vinea ante iudicium et hoc loco vinea post iudicium : Sion in iudicio redimetur! et : restituam iudices tuos ut fuerunt prius (1, 25. 26), sed simul theocratiam per orbem esse diffundendam declaratur.

Eandem populi electi florentem conditionem et propagationem etiam cernere licet in textu *vulg.* v. 6 « *qui ingrediuntur impetu ad Iacob, florebit et germinabit Israel et implebunt faciem orbis semine* »; — explica *ingredi ad Iacob*, uti 2, 3; 14, 1 etc. similis habetur locutio; unde : qui studio magno et amore se populo Dei adiungunt, cum hoc ipso populo tamquam Israel florebunt : aliis verbis Israel erit benedictio in medio populorum. Hoc sensu si verba latina acceperis, quam proxime ad textum hebr. accesseris, id quod in explicatione *versionis* semper primo loco erit attendendum. Ceterum si quis existimaverit, in textu corrupto laborem explanationis perperam collocari, equidem minime refragabor.

S. Hier. vertit ita, ut textus hebr. facile agnoscatur idem quem nos hodie legimus : *qui egrediuntur de radice Iacob, florebit et germinabit Israel;* et in codicibus *vulg.* magna est varietas lectionum, de qua re iam disserit *Lucas* brugensis in notationibus suis : legitur : ingredientur, egrediuntur, egredientur — ad Iacob, ab Iacob, a Iacob. Unde *impetu* ortum sit, non liquet ; *For.* id explicare studet ex שׁרשׁ radicare, radices agere, quasi aliquid radicitus, cum impetu peragere. In explicatione *vulg.* non consentiunt; aliqui hoc prius membrum referunt ad v. 5, ut ii scil. pacem faciant cum Deo, qui cum impetu ingrediuntur ad Iacob (*Schegg, Loch*) ; alii : qui in populum Iacob irruere volunt, intelligant : Israel florebit (*Mar.*) ; alii aliter. LXX praebent ποιήσωμεν εἰρήνην (ex v. 5) οἱ ἐρχόμενοι τέκνα Ἰακώβ; ergo etiam ad v. 5 retulerunt hanc partem sicut etiam teste *Procopio* reliqui interpretes vertentes εἰρηνοποιήσει μοι τοὺς ἐρχομένους.

h) Benevolum Dei de populo consilium 27, 7-13.

In antecedentibus propheta exposuit totam agendi rationem Dei cum populo. Iam hanc pia consideratione secum revolvens vates immensam Dei benignitatem admiratur, qui inimicos populi iusta castigatione interimit, populum vero electum quamvis multis se sceleribus inquinaverit, tamen ad tale gloriae fastigium promovere vult. Unde admirabundus effert, quam benigne Israel habeatur aliorum comparatione instituta v. 7 « *Numquid iuxta plagam percutientis se percussit eum? aut sicut occidit interfectos eius, sic occisus est* »? — Deus erat in hostes severus, benignus in suos; « non eodem modo percussit Israel, quo percussit alios hostes qui percutiebant Israel » (*Mald.*); hostes enim ad internecionem usque percussit (sim. *Osor. Malv. Calm. Rohl. Troch.*). Comparatio igitur fit inter deletionem a Deo hostibus Israel inflictam et inter eruditionem qua Deus populum suum rebellem castigavit et emendavit. Alii inter se comparari censent plagam qua hostes percusserint Israel et plagam qua Deus castigaverit; hostes scil. plagas inflixisse sine ulla misericordia, Deum autem punitionem clementia temperasse; « num Deus percussit Ierusalem, ut eam percutere solent percussores eius » (*For. Mar. Del.*)? At cum hostes Israel tamquam ministri vindictae a Domino immittantur et Dominus per eos populum suum castigare dicatur (cf. 10, 5; 7, 16 etc.), prior expositio magis est ad rem. Inter se enim confertur excidium et interitus hostium et eruditio Israel i. e. plaga utrisque illata, minime autem comparatio instituitur inter furorem quo hostes conterere voluerint Israel et inter salutarem eruditionem a Domino factam.

Deum enim uti in castigatione Israel moderatione et benignitate vates asserit v. 8 « *in mensura contra mensuram cum abiecta fuerit iudicabis eam*; *meditatus est in spiritu suo duro per diem aestus* »; — meretur Israel quidem abiectionem et revera emittetur in exsilium; at punietur adhibito modo et regula quadam quasi ab eo « qui non punire ex animo velit sed iustum iudicium exercendo ad poenitentiam adducere » (*For.*); quae moderatio alias dicitur arguere in iudicio, non in furore (cf. Ier. 10, 24; 30, 11; 46, 28. Ps. 6, 1. *Mar. Malv.*). Eodem modo et sensu intellige membrum alterum : « non praecipitanter eam vineam depopulatus est, sed meditato consilio moderationem adhibuit irae suae, cum eam punivit » (*Mald.*); igitur id sibi populus in omni calamitate persuadeat, se mitius a Domino adhiberi quam meruerit, iudicia Dei et castigationes fieri in misericordia, non in severitate. Idem habetur ex hebr. *modice dum dimitteres eam punis* (iudicas) *eam,*

expellit in vento duro in die venti urentis; cum Deus dimitteret Israel, uxorem infidelem eamque inter gentes abiiceret (cf. 50, 1), nihilominus modice eam castigavit, quamvis magna ira provocatus ventum urentem, i. e. calamitatem magnam super eam induxerit (cf. *Vat. Mar. Malv. Rohl. Troch.*)

Hebr. בְּסַאסְּאָה plerumque explicant quasi contractum ex סְאָה ־ בִּסְאָה *ad mensuram, mensuram* i. e. modice; est סְאָה tertia pars ephae; ita quoque vocem intellexerunt *Aq. Sym.* ἐν σάτῳ σάτον et *Theod.* ἐν μέτρῳ μέτρον (cf. *M.* 16, 1762; *Field*, Hexapl. ad h. l.), ita *S. Hier.* et mensurae notionem etiam *Syrus* et *Chald.* efferunt. Intelligitur parva mensura et tota locutio videtur esse popularis et proverbialis. Ita explicant *Vat. Malv.* et plerique recentiorum (cf. *Rohl. Del. Naeg.*). Alii vocem explicant בְּסַאסְּאָה infinit. pilpel a סוא q. e. זוע *dum inquietaretur,* id quod vel de migratione in exsilium intelligunt (*Houbig. Hitz. Ewald*) [1] vel de vexatione quae bello facta sit (*Kn.*). Sed haec explicatio et artificiosa est nimis et a veterum explicatione satis concordi recedit. In altero membro legitur הָגָה, quod *S. Hier.* transtulit *meditatus est*; at melius vox intelligitur, uti Prov. 25, 4 *aufer* rubiginem de argento, et ita iam vocem acceperunt *Vat. Mald. Mar. Malv. Pint.* et intelligunt recentiores *amovere, separare;* solum *Naeg.* ibi videt verbum onomatopoeticum *spirare;* sed demum ad eandem notionem revertitur explicans *spirando auferre.*

Ad quid autem Deus *ventum urentem* (v. 8) induxerit et quid castigatione immissa obtinere voluerit, declaratur v. 9 « *idcirco super hoc dimittetur iniquitas domui Iacob et iste omnis fructus ut auferatur peccatum eius, cum posuerit omnes lapides altaris sicut lapides cineris allisos, non stabunt luci et delubra* »; — *ideo,* quia Deus non puniet populum suum, sicut eius hostes; *super hoc* i. e. hac de causa, hac conditione, si idololatriam reliquerit, *propitiabitur* i. e. expiabitur iniquitas Iacob (ita *Mald. Malv. Osor.*), *super hoc* conditionem subsequentem inducit: *cum posuerit* etc... altaria idolorum everti oportet, lapides altaris fieri debent tamquam *lapides calcis dispersi* vel *confracti* i. e. eos in pulverem redigi oportet (cf. *Mald. Mar. Malv. Vat.* et recentiores ex hebr.). Atque in eo praecise consistit *totus fructus* et finis vexationis a Deo immissae ut *peccatum auferatur* i. e. ut apostasia a Deo adeo fatalis et idololatria, ad quam Iudaei tantopere pronos ac promptos se eousque praestiterunt, funditus exstirpetur, neve unquam *resurgant* et iterum erigantur et colantur *ascherim et simulacra solis* (hebr. vide quae notata sunt ad 17, 8).

---

1. Pro qua significatione *deportandi* affert *Boettcher,* Neue Aehrenlese ad h. l. voces talmudicas הסיאו transtulerunt, סיאה translatio.

Sed ut fructus iste obtineatur et idololatria, quae est per emphasin *peccatum* Israel (cf. Os. 10, 8), auferatur, necesse est ut vastitas illa ac desolatio terrae inferatur quam vates iam in visione inaugurali fieri debere acceperat (6, 11) et quae in ipsius urbis Ierusalem ruinis expressa cernetur. Idololatria enim commissa populus pactum cum Deo initum quam maxime violavit, abiecit et quantum in se erat destruxit; unde Deus ex sua parte documentum foederis violati exstare vult in destructione urbis, centri ac sedis regni, et in abductione populi; ea autem destructione id demum efficietur, ut idololatria quoque apud populum Dei exscindatur; unde v. 10 « *civitas enim munita desolata erit, speciosa relinquetur et dimittetur quasi desertum ; ibi pascetur vitulus et ibi accubabit et consumet summitates eius* »; — cf. ad Mich. 3, 12 : mons templi in excelsa silvarum; frustra fiduciam ponent in munitionibus urbis; erit civitas *domicilium disiectum et derelictum sicut desertum* (hebr.), redigetur in pascuum (cf. 7, 21), ubi vituli accubabunt et comedent *ramos eius* (hebr.). Tali autem sorte ipsa idola esse interitura, vates iam 2, 20 dixerat; calamitate enim ingruente impotentia eorum deprehendetur, quare cultores illorum indignabundi et pudefacti illa proiicient. Eam calamitatem ulterius proponit v. 11 « *in siccitate messes illius conterentur*; *mulieres venientes et docentes eam* »; — si messes pereunt, fames in regione orietur, quae est una ex poenis in expugnatione urbis a prophetis descriptis (cf. Lament. 1, 11 ; 2, 12; 4, 4. Ez. 5, 12. 16 etc.). Ad magnitudinem calamitatum describendam mulieres inducuntur lamentatrices, quae veniant ad urbem eamque carmina lugubria doceant; ita textu lat. aptus funditur sensus, qui Ier. 9, 20 confirmari potest; sim. *S. Hier* : « magna infelicitas populi, a mulieribus lamentationis carmina discere ». In hebr. pergitur in descriptione vastitatis : *cum surculus eius aruerit, frangetur ; mulieres venient et incendent eum* (cf. *Vat. For. Malv. Osor*. et recentiores) i. e. Ierusalem ita vastata est et in regionem silvestrem conversa, ut pauperes ibi ligna colligant ad cibos coquendos. Cur autem ad tale excidium perveniendum sit, ratio redditur eadem, quae iam 6, 10 reddita est, populi obduratio et excaecatio, qua Deo repugnat : « *non est enim populus sapiens, propterea non miserebitur eius qui fecit eum, et qui formavit eum non parcet ei* » ; — i. e. populus non est docilis, doctrinam Dei non vult suscipere, frustra erant monita et minae prophetarum; quare Deus iam non gratia et clementia uti poterit.

Significat נָוֶה domicilium vel etiam pascuum, generatim habitatio, sedes; *S. Hier.* h. l. accepit adiectivum, uti invenitur Ier. 6, 2 et vide ad Soph. 2, 15 ; quare vertit *speciosa relinquetur*. קָצִיר a verbo קָצַר abscindere, metere, significat *messem*, uti

saepe occurrit et ita vocem hoc quoque loco *S. Hier.* accipit. Verum idem etiam bene novit eiusdem vocis notionem *frondis* ; cf. Iob 14, 9 ; et haec notio etiam nostro loco erit adoptanda, quia in antecedentibus modo de ramis erat sermo, quia *frangere* ad ramos siccos optime accommodatur et quia *accendere* ligna sicca esse collecta omnino innuit. Est האיר *accendere* ; cf. Mal. 1, 10. *S. Hier.* vocem accepit sensu translato *illuminare, docere*; unde *mulieres docentes*. Sed haec notio non convenit textui ; ramis vero siccis optime congruit, ut mulieres ex iis ignem accendant ; de usu vocis vide quoque Num. 8, 2. *S. Hier.* in sua versione vestigia pressit *Sym.* et *Theod.* Ad literam, ut solet, vertit *Aq.* φωτίζουσιν αὐτήν.

Iudicium delineavit quod in Ierusalem et populum devolvetur. Sed lege constanti iudicium subsequitur instauratio, ad quam ipso iudicio via sternitur. Unde v. 12 « *et erit in die illa, percutiet Dominus ab alveo fluminis usque ad torrentem Aegypti et vos congregabimini unus et unus filii Israel* » ; — hebr. *excutiet;* dicitur verbum de granis excutiendis et de fructibus ex arboribus decutiendis (cf. 28, 27. Deut. 24, 20). Deus igitur maximam quandam messem instituet ab Euphrate usque ad fluvium Aegypti, qui est prope Rhinocoruram. Unde *S. Hier.* notat : « pro torrente Aegypti LXX Rhinocoruram transtulerunt, quod est oppidum in Aegypti Palestinaeque confinio, non tam verba Scripturarum quam sensum verborum exprimentes ». Limites illi indicantur quibus regnum israeliticum ex vaticinio Gen. 15, 18 edito constare debuit et quibus revera tempore Salomonis continebatur, qui « exercuit potestatem super cunctos reges a flumine Euphrate usque ad terminos Aegypti » (2 Par. 9, 26 ; cf. 3 Reg. 8, 65). Hanc regionem commemorat, ut instauratio theocratiae splendidissimis veteris regni temporibus comparetur. In hanc regionem messem suam Dominus quasi comportat. Notione autem messis et delectum fieri et electorum congregationem institui declaratur. Delectus is erit, ut nullum granum repudietur, sed *ad unum unum* i. e. omnia et singula colligantur; eiectio enim in exsilium fiet, quemadmodum iam Amos quoque docuit (9, 9), ut palea separetur a tritico, ita tamen, ut ne unum quidem granum pereat. Vocem שִׁבֹּלֶת explicant fluvium (cf. Ps. 69, 3. 16) [1] ; vox communiter *spicam* significat, quae notio etiam hoc loco retineri potest : colliget Deus et excutiet omnes spicas a spica fluminis Euphratis i. e. quae est ad flumen etc. (cf. *Naeg.*), in quam rem iam bene notat *Malv.* : « eleganter propheta usus est voce ambiguae significationis *schibboleth*, qua fluxum et culmen spicae significat, ut persisteret in allegoria messis et triturae; faciet enim trituram et seliget suos ab aliis gentibus more agricolae excu-

---

1. Cf. LXX ἀπὸ τῆς διώρυγος. *Sym.* ἀπὸ τοῦ ῥεῖθρου et addit *Procop.* etiam reliquos esse interpretatos eodem sensu.

tientis triticum a palea » (sim. *For.*). Ita Deus eos assumet qui vere Israelitae intra fines olim promissos invenientur.

Hisce autem etiam adiungentur alii qui in regiones peregrinas et longinquas eiecti fuerunt v. 13 « *et erit in die illa clangetur in tuba magna et venient qui perditi fuerant de terra Assyriorum et qui eiecti erant in terra Aegypti et adorabunt Dominum in monte sancto in Ierusalem* » ; — ipse Dominus signum reditus edet (11, 12), hic clangore tubae, alias signo vel vexillo erecto (cf. 13, 2 ; 18, 3), quibus symbolis actio Dei longe lateque conspicua et eius rerum administratio designatur. Dispersi autem et iamiam perituri, interitui expositi et excidio quasi iam proximi colligentur a septemtrione et a meridie ; Assyria et Aegyptus nominantur, altera in quam exsules abducentur, altera in quam multi Iudaeorum aufugient (cf. 4 Reg. 25, 26. Ier. 26, 21 ; 43, 3 etc.) ; vide 11, 11 ; 19, 23 ; 27, 1. Redibunt exsilio et miseriis edocti veri cultores Dei et veri aestimatores promissionum divinarum ; i. e. *adorabunt Dominum in monte sancto in Ierusalem;* ad hunc cultum Dei efficiendum omnia convergunt ; hic est *omnis fructus* (v. 9) et finis operum divinorum in gubernatione populorum ; hic vero cultus Dei adnexus est monti Sion (cf. 2, 2 seq.), quia ibi centrum theocratiae, quia ibi vaticinia messianica recondita sunt. Unde vaticinia contra gentes, quibus eis et interitus annuntiatur rebellibus in Deum et salus promittitur accedentibus ad Deum, aptissime concluduntur ostensa adoratione Dei in monte sancto in Ierusalem. Ad hunc enim montem omnium gentium viae diriguntur ; hic mons in visione prophetica constitutus est finis et terminus operum Dei, ad quem igitur vaticinia omnia necessario redeunt et in quo tamquam centro et symbolo theocratiae absolvuntur. Quare iam supra 24, 23 iudicium Dei universale concluditur ostenso regno Dei et gloria in Sion et hoc loco Israelitarum sortes et omnium populorum fata ad id demum a Deo dirigi docemur, ut Deus in regno suo agnoscatur, laudetur et tota mentis devotione adoretur. Quae adoratio si ei ab omnibus gentibus penditur, erit canticum seraphim impletum : plena est omnis terra gloria eius (6, 2). Viam ad hunc finem nobis demonstravit vates : Sion in iudicio redimetur ; quare iudicium devolvitur in Sion (cap. 1 et seq.), in omnes gentes (cap. 13 et seq.), in universum mundum (cap. 24) ; sed iudicio facto *Dominus erit rex et coram senibus eius gloria.*

IV. — QUARTA VATICINIORUM SERIES CAP. 28-37.

Uti vaticinia secundae seriei (cap. 7-12) tempori Achaz regis attribuenda sunt, ita quae iam prae manibus habemus tempus spectant Ezechiae regis. Tempore autem Ezechiae regis pii et vere theocratici id agebatur ut quae Achaz impietate sua pessumdederat instaurarentur. Quemadmodum pro tempore Achaz iis quae cap. 7 referuntur occasio continetur et argumentum oraculorum subsequentium, ita qua mente et quo consilio Isaias munus suum obierit tempore Ezechiae potissimum ex eventu illo discimus quem ipse statim post hanc oraculorum seriem nobis narrat (cap. 36, 37). Achaz impietate sua iugum assyriacum regno et populo imposuit; Theglathphalasar enim « afflixit eum et nullo resistente vastavit; igitur Achaz spoliata domo Domini et domo regum ac principum dedit regi Assyriorum munera et tamen nihil ei profuit » (2 Par. 28, 20. 21); atque in eius impietatis poenam inundationem aquarum fluminis fortium et multarum Isaias praedixerat, quae iturae sint per Iudam inundantes et transeuntes usque ad collum (Is. 8, 8). Calamitas haec per incredulum regem inducta erat expianda et avertenda per regem credentem ac pium. Id factum est per Ezechiam. Et ut nexus ille inter Achaz impietatem et calamitatem ignorari non posset, Rabsaces eodem loco, quo Achaz opem Dei repudiarat (7, 3), manu gravi consistit minas et opprobria iactans in regem et populum et ruinam regni populique abductionem intentans (Is. 36, 2). Sicut igitur calamitas ideo illata est quia ope Dei spreta ad foedus et auxilium extraneorum confugerat rex, ita vincenda erat eo quod rex alius simul cum populo spreta fiducia subsidiorum humanorum in Deo solo firmam fidem et spem collocaret. Hic ergo erat labor Isaiae, haec eius cura assidua, ut contra ignaviam et machinationes multorum foedus cum externis impediret, ut animos omnium ad spem in unum Deum habendam excitaret. Atque ad hunc scopum et terminum recta tendunt et diriguntur orationes propheticae subsequentes.

Novum enim hoc loco incipere argumentum a praecedente distinctum iam veteres interpretes agnoverunt (cf. *Sasb. Sanct.*); pariter agnoverunt narrationem illam cap. 36. 37 ideo demum apponi, ut lucem superioribus prophetiis inferret (*Malv.*), ut ostenderet vates ea quae praedixisset reipsa fuisse impleta vel ut exhiberet historiam rerum quas praecedentidus capitibus praedixisset (ita *Lap. Calm.* sim. *Sasb. Sanct.*). Atque hisce ipsae orationes quam maxime adaptantur. Omni enim sermonis vi ac pondere aequales suos alloquitur duo potissimum vario modo versans ac pertractans : ut abiecta impietate in uno Deo omnem collocent spem, et foedera et machinationes cum extraneis fugiant. Ad prius potissimum pertinet quod vates eadem norma et

formula qua tempore Achaz prosperitatem ac salutem populi contineri dixerat, etiamnum omnem spem ac felicitatem constitui saepius edicit : *qui crediderit non festinet* (28, 16); *si revertamini et quiescatis salvi eritis, in silentio et in spe erit fortitudo vestra* (30, 15); *beati omnes qui exspectant eum* (30, 18). Frustra id dictum erat Achaz regi; interea experti sunt quam malum ac grave sit in hominibus spem posuisse. Ut ergo moniti et calamitatibus edocti iam melius sapiant quam olim, propheta eadem documenta iis ob oculos ponit et insuper praedictione saepius repetita de victoria gloriosa qua Deus deiecturus sit Assyrios animos ad laetam spem et fiduciam excitat. Ad alterum vero spectant crebrae illae minae ac reprehensiones, quibus foedus cum externis perstringit (28, 15; 29, 15; 30, 1-18; 31, 1-9), spectant vaticinia quibus Assyrios non ope hominum, sed una Dei manu esse prosternendos asserit (cf. 28, 21; 29, 6-8; 30, 31; 31, 8. 9; 33, 3). Transitus a tertia vaticiniorum serie ad hanc quartam est idem qui iam habetur supra cap. 8; postquam enim 8, 10. 11 omnes populos esse vincendos propter Emmanuel dictum est, vates ad sua tempora suosque aequales revertitur eosque docet 8, 13-18, quomodo in ingruente calamitatum tempestate sese fide ac spe armare debeant. Prius egregie explicatum habes in tertia serie, alterum iam nunc praestat propheta.

Quae igitur Ezechiae tempore propheta docuit, hisce orationibus comprehensa habemus. In iis admirari licet cum sublimitatem ac maiestatem, copiam et ubertatem dicendi, tum praecipue miram illam artem qua maxima affectuum varietate animos omni ex parte aggreditur modo terrens et increpans, modo suaviter alliciens, modo ad sensus sublimes evehens, ut demum eos eloquentia victrice subactos ad id quod sibi proposuit assequendum secum rapiat. Atque primo quidem sex orationibus, quas ipse particula *vae* distinxit, omnia adminicula destruit quibus prudentia humana in rerum difficultate inniti cupiat, et ubi verum et unicum sit auxilium ostendit varias rationes eloquenter proponens quibus ad divinam opem efflagitandam et amplectendam omnes efficaciter permoveat (cap. 28-33). Deinde subdit duas orationes (cap. 34, 35) quibus praeclara inter se oppositione depingit quae sit ultima sors impiorum, quae piorum; quanta illos maneat miseriarum abyssus, quanta hi bonorum abundantia a Domino sint exornandi; proponit ergo eis, ut olim Moyses, mortem et vitam; eligant quid sibi agendum censeant intuentes exitum incredulorum et salutem beatissimam bonis et credentibus a Deo praeparatam. Demum cap. 36 et 37 refert qualem fructum orationes hae attulerint, quomodo calamitas gravissima ab Assyriis illata demum fide et pietate regis

populique superata et aversa fuerit. Unde hanc vaticiniorum seriem tribus sectionibus constare facile concipitur.

Sectio prima : sex vae. Cap. 28-33

1. *Primum vae. Cap.* 28.

Arg. — Propheta vaticinatur ruinam ac destructionem Samariae propter superbiam et temulentiam incolarum ; suis se sceleribus perdent; Dominus vero reliquiis populi sui erit in gloriam et fortitudinem (28, 1-6). Sed Iudaei quoque, immo etiam sacerdotes et duces populi, Ephraimitas imitantur temulentia et irrisione et contemptu minarum ac monitionum divinarum ; quare poena suae impietati plane accommodata perstringentur (28, 7-13). Ab ea autem poena non liberabuntur suis machinationibus, e contra magis magisque implicabuntur, dum Dominus modo miro et inexspectato credentes e periculo erepturus sit (28, 14-22). Summa enim sapientia et provido consilio Deus suis et calamitates immittit et laetam fortunam concedit; id quod vates similitudine ab agricolis petita qui pro rerum varietate variis utantur agendi modis illustrat (28, 23-29).

a) **Ruina Samariae praedicitur 28, 1-6.**

In exemplo Samariae discant, qua via necessario ad excidium perveniatur. Illorum pompam, superbiam, luxuriem vates traducit quam suo *vae* interitui ignominioso esse devovendam dicit v. 1 « *Vae coronae superbiae, ebriis Ephraim et flori decidenti gloriae exsultationis eius, qui erant in vertice vallis pinguissimae errantes a vino* » ! — hebr. *vae coronae superbiae ebriorum Ephraim* ; corona haec elationis et *flos decidens* (macidus) *decoris ornamenti eius qui est super verticem vallis pingium* (pinguissimae) *vino obtusorum* (hebr.) est Samaria ; erat enim sita in vertice montis, cui vallis fertilissima vinetis et olivetis abundans subiacet, uti iam *Lap.* notat (sim. *Mar. Men. Tir. Gord.*) ; mons igitur ipsa urbe amoena tamquam corona magnifica ornatur et de urbis pulchritudine ac splendore gloriantur et exsultant ebrii Ephraim i. e. magnates regni israelitici quod ex tribu potentissima designatur ; iidem *vino obtusi,* vino percussi appellantur i. e. luxuriae et voluptatibus maxime dediti et malarum cupiditatum imperio plane subacti. Verum splendorem illum urbis vates cernit iam interitui devotum et ipsa sua interna corruptione labilem ac deciduum ; unde urbs appellatur *flos,* qui quidem oculis adhuc illustri pulchritudine, decore, ornamento esse videtur et cum in cacumine positus sit, longe lateque fulget et vallis amoe-

nissimae et fertilissimae vicinitate novam sibi iucunditatem conciliat; attamen iam est *marcescens* et deciduus. De Samariae opibus et luxu vide Am. 3, 12; 5, 11; 6, 4. Simul cum Samaria populo interitum nuntiari patet; id in versione *vulg.* praecipue effertur, item Ephraimitas spem ac gloriationem in Samariae magnificentia posuisse.

Verum quomodo haec pompa sit deiicienda et fiduciae humanae fulcra sint subvertenda, in sequentibus vates declarat *vae* explicans v. 2 « *ecce validus et fortis Dominus, sicut impetus grandinis, turbo confringens, sicut impetus aquarum multarum inundantium et emissarum super terram spatiosam* »; — tribus comparationibus exitium irruens et irreparabile denotatur : grandine, qua messes destruuntur, turbine quo arbores evelluntur, domus subvertuntur, inundatione, qua tota regio devastatur et campi luto et arena et lapidibus obruti inepti redduntur frugibus gignendis. Insuper adverte tria haec ita efferri, ut magna vi et impetu irruere exhibeantur; membra per modum exclamationis ponuntur et citato quasi cursu inter se subsequuntur, quo impetus ruinae repetitis ictibus ad vivum proponatur. Poenae genus iam delineatum cernit *S. Hier.* : « poenam illis comminatur Dominus, quod sicut grandinis turbo universa confringit et impetus aquarum inundantium quidquid obvium invenerit rapit, sic ab Assyriorum deleantur exercitu, et quod reliquum fuerit, in montes sive urbes Mediae transferatur » [1]. In comment. *S. Hier.* habetur *ecce validus et fortis Domini* i. e. habet Dominus validum et fortem quem vindicem mittat in Samariam; et ita quoque hebr. intelligitur (cf. *For. Mald. Malv. Mar. Calm.*); hebr. verte *similis procellae grandinis, turbini exitiali, similis inundationi aquarum validarum exundantium deiiciet in terram manu* i. e. facile, sine negotio [2] (cf. *Malv. For. Mald. Mar. Calm.*), de comparationibus cf. 8, 8; 17, 12. 13.

Et ruina haec erit plena opprobriis v. 3 « *pedibus conculcabitur corona superbiae ebriorum Ephraim* »; — repetitio ex v. 1 emphasi non caret; « optime extrema extremis et infimis summa coniungit; nam coronam quae supra altissimam corporis partem eminet et radiat, infimae id est pedibus calcandam subiecit » (*Sanct.*); ita breviter ac nervose ex quanta pompa ad quantam ignominiam urbs superba detrahenda sit exprimitur; « est elegans antithesis inter coronam quae super

1. Similiter *Chald.* : venient contra eos populi et transferent eos de terra sua in terram aliam propter peccata quae sunt in manibus eorum.

2. Alii explicant בְּיָד cum vi, cum potentia (cf. *Mald. Mar. Kn. Del. Rohl.*). *S. Hier.* eundem textum hebr. legisse videtur; at הניח explicavit et legit in forma *hophal* referens ad זרם et יד (manus) accepit, uti Gen. 34, 21. Is. 33, 21. Ps. 103, 25 etc.

caput ferri solet et pedes : inter superbiam et conculcationem » (*Mald.*). Quanta vero aviditate et sedulitate hostes munere suo destructionis ac conculcationis functuri sint, vel quanta vi lapides eius in vallem detrahendi sint, ut Michaeas loquitur (1, 6), explicatur alia similitudine : v. 4 « *et erit flos decidens gloriae exsultationis eius qui est super verticem vallis pinguium, quasi temporaneum ante maturitatem autumni, quod cum aspexerit videns statim ut manu tenuerit, devorabit illud* » ; — ficus praecoces in deliciis habebantur et inter cupedias recensebantur ; cf. Os. 9, 10. Mich. 7, 1. Ier. 24, 2. Non sine acri ironia repetitur, quanta gloria et magnificentia Samaria fuerit conspicua ; hac pulchritudine et pompa hostes allexit et magna aviditate ad suam ipsius perniciem attraxit. Samaria tribus annis obsidebatur (4 Reg. 17, 5) ; aviditas ergo et velocitas ad id refertur, ut post expugnationem celeriter conculcetur et gloria Samariae regnique israelitici repentino ictu concidat nunquam resurrectura ; unde *devorabit illud* ; ad quod confer quod legitur 4 Reg. 17, 23 : usquequo auferret Dominus Israel a facie sua, sicut locutus fuerat in manu omnium servorum suorum prophetarum ; translatusque est Israel de terra sua in Assyrios *usque in diem hanc.*

Ex verbis dubium non est quin hoc oraculum contra Samariam editum fuerit ante eius ruinam ; id demonstratur minis et annuntiatione exitii, qui modus loquendi re iam facta intelligi nequit, nisi prophetam potius risum movere quam terrorem incutere et reverentiam Dei commendare voluisse dixeris ; neque obstat quod in *vulg.* legitur v. 1 *qui erant ;* in hebr. est אֲשֶׁר עַל etc. quae dicendi formula potius praesentem declarat rerum conditionem. Sed si oraculum hoc tamdiu ante invasionem assyriacam editum est, merito moveri potest quaestio, sitne cum hac invasione et eo scopo ac fine connexum quem supra huic seriei assignavimus. Quominus sit nil obstat. Quomodo vero huic contextui sit insertum, varie concipi potest. Aut enim propheta iam ante obsidionem Samariae simul atque Ezechias rex pius regnum capessierit populum ad fidem ac fiduciam Dei habendam excitare et a confidentia armorum revocare incepit, aut saltem postmodum in exemplo Samariae suis civibus ob oculos posuit ad quem tandem exitum abalienatio a Deo et voluptates perducerent. Utrocumque modo rem consideraveris, oraculum apte ponitur neque vi sua caret. Prius verbis oraculi et nexu cum sequentibus commendatur, et facile credi potest, Isaiam iam primis Ezechiae annis in id incubuisse, ut fatalis illa servitus assyriaca quam Achaz sponte subierat abiiceretur. Id fortasse indicatur, dum antequam obsidionis Samariae mentio fit iam narratur : rebellavit quoque (Ezechias) contra regem Assyriorum et non servivit ei (4 Reg. 18, 7). Alterum si praeplacet, Isaias oraculum olim editum causasque ruinae Samariae civibus in memoriam revocasse censendus erit, quo monitioni suae ex re iam gesta pondus adderet et ipsa impletione vaticinii eos doceret quam fideliter et vere Dei verba et retulerit et nunc ad eos perferat ; quasi diceret : ecce ita olim vaticinatus sum ; neque frustra ! ergo exemplo moniti discite abiicere quae Deo displicent, discite ei soli adhaerere !

In ruina Samariae cernitur quo exitu pompa humana sit finienda. Iam ubi vera sit gloria et beatitas reposita, pulcherrima antithesi vates exsequitur v. 5 « *in die illa erit Dominus exercituum corona gloriae et sertum exsultationis residuo populi sui,* v. 6 *et spiritus iudicii sedenti super iudicium et fortitudo revertentibus de bello ad portam* »; — Ephraimitae coronam gloriae et diadema magnificentiae in se, in urbe principali, in Samaria eiusque opibus ac fortitudine quaerebant (v. 1); sed haec misere intereunt; verum reliquiis populi ipse Dominus maximam quam exoptare possunt gloriam concedet. Iuda enim quia ibi aeternus Davidis thronus (2 Reg. 7, 14) est firmatus interire nequit; unde iam a priore clarum est Iudam salute donari; hanc autem salutem ita vates describit, ut dicat ex una parte omnem gloriationem in solo Domino esse collocandam, ex altera autem magnifice promittat eos qui ita Domino adhaeserint ad summam gloriae divinae magnificentiae participationem admissum iri; uti 4, 2 germen Domini, ita h. l. ipse Dominus suis erit corona gloriae. Tamquam talem autem se praebebit populo suo, dum everso regno israelitico regem pium et theocraticum populo suo concedet, qui iustitiam administrabit, cui etiam fortitudinem praestabit ad hostes superandos. Sunt enim duo haec officia regis inter praecipua, ut ubique iustitiam vel tueatur vel reducat et populum vera iustitia omnia peragentem valide et efficaciter ab hostium incursu defendat; ita enim iustitia et pax, duo illa bona summa (cf. Ps. 71, 2. 3), consistent. Et quantopere paratus sit Dominus ad talem opem ferendam, eo declaratur quod ipse dicitur esse in spiritum iudicii sedenti super iudicium et *in fortitudinem convertentibus bellum ad portam usque*(hebr.) i. e. ut convertant hostes in fugam usque ad urbium suarum portam (cf. 2 Reg. 11, 23. 4 Reg. 18, 8. 1 Mach. 5, 21. *For. Mald. Malv. Vat. Rohl. Net. Troch.*). Promissio haec adeo ampla est et magnifica, ut *plene* non adimpleatur nisi in regno messianico. Atque optime quidem post ruinam Samariae vaticinium inducitur messianicum, quia ultima ratio cur Iuda non sit eodem modo interiturus in promissione messianica sita est. Ex hac autem divina dispositione etiam maxime congrue fit, ut quo tempore regnum israeliticum concidit, in regno iudaico adsit rex pius ac theocraticus, qui fide sua ac pietate civitatem populumque labantem sustineat et erigat. Unde in v. 6 Ezechiam regem describi haud immerito censent (cf. *S. Hier. Ephr. Sanct. Lap. Calm.*); id quod eo sensu admitti debet, ut promissio detur ampla et generalis, quae *etiam* in Ezechia rege sit impleta, verum una hac re minime sit exhausta. Contra ruinam Samariae Deus potius statuit et effert normam generalem qua in regendis rebus regni iudaici ipse utatur; prophetarum enim est a rebus particularibus ascendere ad normas universales et leges fundamentales, quibus ordo divinae providentiae constituitur.

b) Invehitur in contemptores 28, 7-13.

Transitus hic est idem qui habetur 2, 5. 6. Ad quale gloriae fastigium Iuda vi promissionum messianicarum a Deo invitetur, vates modo dixit v. 5. 6 ; verum quam diversi sint et contrarii populi mores, quantopere populus ex sua parte impedimenta et obstacula obiiciat divinis consiliis, vates sacra cum indignatione perstringit describens ac lamentans, quomodo eadem quae in regno israelitico vitia etiam apud Iudaeos et apud eos ipsos serpant qui magistri et duces esse debebant ; v. 7 « *Verum hi quoque prae vino nescierunt et prae ebrietate erraverunt ; sacerdos et propheta nescierunt prae ebrietate, absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt iudicium* » ; — sicut Ephraimitae accusantur ebrietatis (v. 1 ; cf. Os. 4, 11. Am. 2, 8 ; 4, 1 ; 6, 4-7), ita Iudaei ; haec autem ebrietas et ingluvies indicium est mentis a Deo aversae et rebus infimis immersae et signum stupiditatis, qua solis inhiantes voluptatibus divina spernunt. Quam altas radices vitium egerit, cumulo verborum et repetitione ad vivum describitur : *at etiam hi prae vino oberrant et prae sicera* [1] *titubant ; sacerdos et propheta oberrant prae sicera* (hebr.) ; certe pseudoprophetae intelliguntur qui nunquam non deerant auram popularem captantes et turpis lucri gratia vitiis populi blandientes (cf. Mich. 3, 5. 11 ; 2, 11 hebr.) ; unde qui *nati* erant duces et exempla populi, sacerdotes, et qui tale munus praetendebant, pessimo exemplo praeibant, *obruti sunt vino,* plane ebrietati dediti atque immersi, ita ut sensus pariter ac mentes vino plane captiventur et obnubilentur ; immo *oberrant in videndo, impingunt in iure dicendo* (hebr.), in ipso muneris exercitio ebrietatem ostentant ; prophetae si consulantur, in visionis quam praetendunt se habuisse explanatione titubant, se vino onustos esse produnt ; sacerdotes quibus ius dicere etiam incumbebat (Deut. 17, 9 ; 19, 17) impingunt et fere cadunt in tribunali, quamvis iis praescriptum esset, ne ante functionem vino indulgerent, « ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum » (Lev. 10, 10). Atque sacerdotes eo maiore reprehensione digni sunt, quia solum graviores causae ad tribunal sacerdotale referebantur (cf. Deut. l. c.) ; in iis autem vino madere eo graviori culpae vertitur, quia iudices nomine et auctoritate

---

1. « *Siceram* omnem potionem quae inebriare potest (dicimus) et mentis statum evertere, quam proprie Aquila ebrietatem transtulit, sive illa frumento sive hordeo sive millio pomorumque succo et palmarum fructu et alio quolibet genere conficiatur » *S. Hier.* Insuper vide de sicera quae tradit idem in ep. ad Nepot. *M.* 22, 536 ; cf. ad Ioel 1, 5.

Dei iudicium Dei statuunt, ergo spiritu Dei imbuti esse debent (cf. Ex. 18, 15. Deut. 1, 17. 2 Par. 19, 6).

Et accusationis documentum et argumentum addit irrefragabile v. 8 « *omnes enim mensae repletae sunt vomitu sordiumque, ita ut non esset ultra locus* » ; — i. e. locus vacuus et purus à sordibus et immunditie ipsorum (*Malv.*); ubique testimonia ebrietatis patent. Haud infrequens erat apud Romanos, ut in conviviis et compotationibus se vomitu ad epulas et potationes instaurandas redderent aptos, de qua re vide testimonia apud *Sanct. Lap.*; « quae morum atque epularum intemperantia videtur quoque irrupisse in Iudaeorum mensas, ut docet hic locus non obscure et alia non pauca quae vomitum cum epulis saepe coniungunt; neque tamen improbo, si quis putet, quia copiosas epulas sequi solet vomitus, vomitum pro ingluvie sumi et nimia ciborum intemperantia » (*Sanct.*). Vide ad 5, 22. 23; sed de artificio illo helluonum vix erit cogitandum. Et quantopere vino madidi indigne ferant quod corripiuntur et quam rebelles sint et contumaces in Deum eiusque legatum, vates describit v. 9 « *quem docebit scientiam? et quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus* »? — i. e. sacerdotes illi et « prophetae » cum irrisione a propheta quaerunt, nesciatne, quinam sint? Sunt scil. viri docti, sapientes, qui minime indigeant edoceri; et cum magno contemptu muneris prophetici addunt, habeatne ipsos quasi pro infantulis trium vel quattuor annorum, qui modo sint ablactati — per tres enim annos matres Iudaeorum proli lac suum praebere solebant —; pro eiusmodi puerulis monita prophetae fortasse salutaria esse vel necessaria!

Iam quid ipsis bilem praecipue commoveat indicant acri subsannatione impudenter vati occinentes et turpi et truncata imitatione monitis eius illudentes v. 10 « *quia : manda remanda, manda remanda, exspecta reexspecta, exspecta reexspecta, modicum ibi, modicum ibi* »! — « prophetis ventura annuntiantibus et nisi fecissent quae praecepta erant tormenta minitantibus solebant dicere subsannantes : *manda, remanda* i. e. *praecipe, praecipe,* impera que facere debeamus; cumque abuterentur Dei patientia qui differt iram ut praebeat misericordiam, solebant etiam hoc ex persona prophetarum ludentes dicere : exspecta paulisper, exspecta modicum, venient quae futura praediximus »; ita *S. Hier.* versionem suam explicat. In hebr. ipsa ebriorum et prae ebrietate balbutientium lingua imitatione exprimitur : *tzav latzav, tzav latzav; qav laqav* [1]... i. e. praeceptum ad praeceptum, normam (lineam)

---

1. צַו cf. Os. 5, 11 ; קַו cf. 18, 2. 7 ; 34, 11. 17 ; 44, 13 est funis, funiculus mensorius, norma, regula. Ad orationis imitationem comparant illud : sta pes, sta mi pes, stas pes, ne labere mi pes (cf. *Del. Rohl.*).

ad normam prophetae addunt; continuis suis monitionibus et minutis praeceptis de omni re molesti sunt et fastidiosi. Ita prophetae ab impiis irrisioni habentur; cf. Am. 5, 18. Ier. 23, 33; haud absimili modo S. Paulus a philosophis epicureis et stoicis σπερμολόγος appellabatur (Act. 17, 18. *Rohl. Troch.*).

Aliter veteres interpretes nexum interpretati sunt. Intelligunt enim v. 9 quasi quaestionem a propheta positam : hoc rerum statu, quando omnes vino dediti sunt, quem docebit Deus vel propheta scientiam ? cui Deus suorum consiliorum arcana mysteria revelabit ? Quod sequitur *ablactatos a lacte* etc. alii accipiunt, ut ii tantum capaces sint coelestis disciplinae, qui solido nutriuntur cibo et ab uberibus depulsi sunt i. e. humiles, simplices, a malis cupiditatibus alieni (cf. *S. Hier. Thom. Pint. Lap.* etc.); unde sententiam legunt assertive, uti fert quoque interpunctatio *vulg.* — Alii melius legunt interrogative, uti *Vat. For. Sanct.* : illosne docebit quibus infantile ingenium est, et mores ita leves, ut nunc primum depulsi videantur a lacte et a maternis uberibus avulsi (*Sanct.* cf. *Sasb.*)? E recentioribus ita quoque *Drechsl.* explicat. Sed cum in v. 10 fatentibus omnibus verba exhibeantur irridentium illusorum et versus particula *quia* adeo arcte cum antecedentibus cohaereat, explicatio illa sustineri nequit. Irrisio in v. 10 expressa quaestionibus illis v. 9 indignatione plenis bene praeparatur et inducitur. — Notat *S. Hier.* ad verba brevia illa hebr. in v. 10 : « his abuti solet immundissima haeresis apud simplices quosque atque deceptos, ut terrorem faciat novitate sermonum, quod scil. qui haec verba cognoverit et in coitu eorum meminerit, absque ulla dubitatione transeat ad regna coelorum »; alludit scil. ad Nicolaitarum haeresin, qui ex hoc loco spurcum suum Καυλακαύαν formaverint; cf. *Epiphan.* haer. 25; apud Basilidianos quoque Caulacauas aeon nominatur; cf. *Theodor.* haeret. fabul. 4; *Philastr.* 33 (*M.* 41, 325. 83, 349. *M.* lat. 12, 1149).

Sed irrisionem hanc ultio divina consequetur. Quia illi illudentes et prae ebrietate gravi lingua balbutientes sonos edunt inconditos, propterea Deus immittet hostes, qui similiter sonis barbaris loquentur iis, ut qui prophetas ludibrio habuerint perversa vocum imitatione, iam a barbaro ferocium hostium clamore et strepitu contremiscant : v. 11 « *in loquela enim labii et lingua altera loquetur ad populum istum* »; — hebr. *in balbutientibus labiis* i. e. per eos qui barbara, blaesa, quae intelligi nequeant iis occlamabunt Deus sua loquetur iudicia ad contemptores istos. Unde bene *Lap.* : « mea exhortatio vobis visa est molesta et ridicula, quare subsannando blaese ac balbutientes dicitis ac repetitis : manda remanda; quare ego per Chaldaeos, qui videntur vobis blaesi ac balbi, milites et ministros iustitiae meae vos puniam, ut sannis peregrinae suae linguae vos incredulos arcessant et compescant, vos irri-

deant » etc.; at intellige id fore ab Assyriis, quorum lingua quamvis pertineat ad familiam semiticam et multa habeat verba cum hebr. communia, tamen a Iudaeis intelligi non poterat; adde in exercitibus variarum gentium ac tribuum viros et saepe turbam valde promiscuam adfuisse collectam ex gentibus subiectis. Terror invasionis hostilis augetur, si hostium sermo non intelligitur. Loquetur ergo Dominus eis in lingua *altera,* quia priorem et suaviorem audire et intelligere renuerunt. Quae fuerit illa prior, declaratur v. 12 « *cui dixi : haec est requies mea ; reficite lassum, et hoc est meum refrigerium, et noluerunt audire* »; — i. e. clare et aperte iis annuntiatum erat, qua via requiem ac prosperitatem consequi possint ac debeant. Cum sermo sit de populi ducibus, sacerdotibus et prophetis (cf. v. 7), et propheta mox a v. 15 et in subsequentibus capp. saepius foedera cum extraneis reprobet ac reprehendat, admonitio *reficite lassum* ad id referri videtur, ne populum bello et tributis sub Achaz satis superque afflictum denuo bellis obiiciant suis consiliis ac foederibus contra Dei voluntatem initis; ita iam *Mald.* rem concipit : « vos sacerdotes et pseudoprophetae sinite in pace populum, date requiem fesso huic populo ; desinite fallere » et *Kn. Del. Rohl.* — Alii tamen sententiam uti generali ratione enuntiatur, de operibus caritatis et misericordiae explicant (cf. *Osor. Sanct. For. Mald. Mar. Tir. Lap. Calm. Schegg, Troch.*), quae si praestiterint, quietem et refrigerium a Deo iri concessum. Unum instar omnium iis praecipitur; est enim plenitudo legis dilectio vel potius, cum alias populi duces oppressionis et iniustitiarum frequenter et graviter accusentur (cf. 5, 8 seq.), hoc vitio tamquam multorum peccatorum fonte sublato reliqua facillime ad Dei legem componi posse innuitur. Aliis demum placet *lassum* intelligere ipsum Deum quem suis fatigant peccatis, recreant virtutibus (cf. *Sasb.* et apud *Lap. Calm.*).

Sed frustra sunt admoniti. Unde cum sarcasmo Deus illusoribus verba reddit eadem et seriem tribulationum iis annuntiat v, 13 « *et erit eis verbum Domini : manda remanda, manda remanda, exspecta reexspecta, exspecta reexspecta, modicum ibi, modicum ibi : ut vadant et cadant retrorsum et conterantur et illaqueentur et capiantur* »; — quia Domini monita iis sunt series quaedam molesta ac putida praeceptorum, aliam seriem iis immittet Dominus miseriarum, quibus veluti laqueis cadant, veluti saxorum pondere conterantur, veluti retibus illaqueentur, veluti decipula capiantur : ita enim « sanniones punit et sannas in ipsos retorquet » (*Lap. Men.*); « vide quantum intersit inter humana atque divina scommata; nam a conviciis hominum nihil prophetis in quos iactabantur adversi accidit, a Dei vero maledictione id nacti sunt homines ut cadant etc. » (*Sanct.*). Plures modi enumerantur,

ut si una via se salvos esse putent, alia eo certius puniantur. Cum Sennacherib rex Assyriorum ad universas civitates munitas Iuda ascenderet easque caperet(4 Reg. 18, 13), vel, ut ipse narrat, quadraginta sex urbes munitas, arces et oppida innumera oppugnaret et caperet et ducenta millia hominum centum et quinquaginta in captivitatem abduceret (cf. *Vigouroux*, la Bible et les découvertes modernes 3 éd. IV p. 196; *Schrader,* Keilinschriften u. A. T. ad 2 Reg. 18), ea tempestate illusores illi captivitate et caede poenas irrisionum luebant et variis exitii generibus haec quoque prophetae verba ad exitum perducebant.

c) In Sion lapis angularis pretiosus 28, 14-22.

Etiam clarius ostendit propheta, in quanam re duces populi potissimum a doctrina prophetae recedant eamque irrideant. Contra pericula assyriaca suum agendi modum, sua subsidia iam elegerunt prudentia humana seseque hisce tutos putant. Aliud autem est consilium Dei. Unde propheta antecedentia magis declarans pergit v. 14 « *Propter hoc audite verbum Domini viri illusores qui dominamini super populum meum qui est in Ierusalem!* v. 15 *dixistis enim : percussimus foedus cum morte et cum inferno fecimus pactum : flagellum inundans cum transierit non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram et mendacio protecti sumus* » ; — illusores cf. v. 9, 10; ad dominatores, duces populi etiam « sacerdos et propheta » v. 7 accensendi sunt, Dominus *suum* vocat populum miserans conditionem vexatam et ipsa appellatione spem et auxilium spondens. Commemorata civitate sancta et centro theocratiae eo magis v. 15 effertur ducum arrogantia et insolentia, qua confidunt inundationem illam assyriacam et flagellum, quibus Samaria interierit, nihil funesti sibi esse allatura, quia spem suam posuerint in Aegypto et ab Aegypto revera protecti sint ; Aegyptum enim intelligi tacite, ex 30, 2 seq. indubie colligitur. Atque ut prophetae illudant ex eius quasi mente et verbis spem illam vocant *mendacium :* quia collocavimus spem nostram in auxilio humano et idolis quae tu soles mendacia et vanitates appellare (cf. *Sanct. Mald. Malv. Pint. Lap. Rohl.*); quae ratio dicendi maiore vi pollet magisque illusorum contumaciam declarat, quam quod alii explicant ab ipso propheta statim spem eorum nomine mendacii tamquam inanem designari ; sed cum ipsi illusores loquentes inducantur et in tali locutione qua verba prophetae irrisorie usurpent maior contineatur illusio, prior acceptio est praeferenda. Adeo se esse tutos iactant, quasi pacto inito cum morte, ne eos invadat aut occupet, et cum inferno, ne eos admittat ; etiam in hac locutione irrisio prophetae contineri videtur, quippe qui saepius iam

mortem ingruere, infernum aperire os comminatus erat (cf. 5, 14). In flagello inundante — vide paronomasiam in hebr. schot schoteph — duae comparationes coaluisse videntur, quae singulae saepius de invasione Assyriorum adhibentur; cf. 8, 7 seq. 10, 5. 22. 24. 26; 17, 13. Ceterum verbis istis confirmatur explicatio ad v. 12 proposita.

Consiliis illis perversis et antitheocraticis Deus suum agendi modum opponit et ubi sit vera salus ex divina dispositione docet; Deus enim prudentiam illam humanam reprobat neque eo quo illi volunt modo salvabit; unde v. 16 « *idcirco haec dicit Dominus Deus : ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamento fundatum; qui crediderit, non festinet* » ; — praedixerat ruinam Samariae; ostenderat firmamentum illud fallax, *mendacium,* in quo illusores principes spem salutis collocabant : his duobus excitatur veri et stabilis fundamenti memoria (cf. *Sanct.*), quod in Sion positum inconcussam firmitatem theocratiae praebet. Lapis ille describitur in se et in effectu quem praestat : in se *probatus* i. e. electus et ad munus suum aptissimus, habens scil. exploratam soliditatem, ut illi tota moles incumbat (*Men.*) ; haec aptitudo ea est quae in *angulari* lapide requiritur, qui non solum firmum praebet fundamentum, sed et parietes iungit et totius aedificii ordinem ac normam dirigit; lapis in se est *pretiosus* i. e. prae aedificio habet in se dignitatem et pretium maius atque nobilius ceteris aedificii lapidibus, est igitur ordinis quasi altioris et eminentior ceteris. Et qua talis est *fundationis fundatae* (hebr.) i. e. immotam praebet stabilitatem et eam fundationem fundat, quam nemo evertat aut commoveat. Bis effertur eius soliditas, quo efficacior cernatur oppositio ad mendacium illusorum (cf. *Lap.*). Iam fundamentum illud immotum quod a Deo in Sion est collocatum et in quo ipsa urbs firma consistit et permanet est promissio messianica, urbi Ierusalem et Sion monti adnexa, quae promissio in rege messianico continetur et absolvitur. Propter theocratiam quae ex Ierusalem sese diffundere debet per orbem universum et propter Messiam oriundum ex domo David, qui thronum sempiternum Davidi promissum (2 Reg. 7, 14; cf. *de Hummelauer* in comment ad h. l.) occupaturus est, urbs Ierusalem et regnum iudaicum periculo eripietur. Consideratur ergo Sion hoc loco, quemadmodum saepe (cf. 2, 2 et vide quae notavi ad Ioel 2, 32; 3, 17. Mich. 1, 3. Zach. 12, 2 seq.), tamquam centrum ac sedes theocratiae. Unde facile concipitur, lapidem illum probatum, pretiosum, angularem intelligi, uti ss. Patres et interpretes catholici semper explicarunt, ipsum Messiam, qui in se est dignitatis altissimae et totius firmitatis et splendoris theocratiae est ratio ultima et fundamentum inconcussum. Ad eam enim metaphoram iam 8, 14 Isaias viam stravit Dominum appellans

lapidem offensionis pro incredulis et via quoque paratur crebris illis locis, in quibus Deus petra vocatur tamquam certissimum ac firmissimum populi refugium et firmamentum (cf. Deut. 32, 18. 37. Ps. 17, 3. 32; 41, 10; 72, 26; 88, 27 etc.). Quam merito autem Messias ita vocetur, non indiget explanatione; est enim ipse, ut *S. Cyr.* ait, basis et spes et fulcrum et fundamentum immotum Sion sub intelligentiam cadentis i. e. Ecclesiae.

Quare promissione messianica exhibita norma statuitur eadem quae supra 7, 9 : qui hac fide imbutus est, in hoc uno lapide omnia praesidia collocet, huic ita innitatur, ut nunquam in rebus adversis tumultuetur, nunquam metu trepidet, nunquam huc vel illuc sollicite discurrat, sed animo quieto ac tranquillo auxilium divinum exspectet (*Osor*). Haec ergo salutis norma ac regula statuitur, in qua iudicium de incredulitate iam continetur. Unde v. 16 enumerata illusorum impietate pergitur *idcirco,* quae particula ad v. 14 propter hoc intime refertur. Fide enim statuta damnatur infidelitas. Sed simul magna Dei benignitas cernitur, quod, dum illusores se populumque perdere omni conatu festinant, misericordiae suae consilia aperit. Quare ea consideratione facta haud immerito *Sasb.* rem perpendit : « *idcirco*... mirabilis est consequentia; videbatur enim ita debere dicere atque hoc exspectabatur : quia vos tales estis, quia tam supina est vita vestra, idcirco vos semel perdam.. nunc vero ait : quia vos tam inhumani estis, tam supini et securi, *idcirco*.. i. e. licet vos indigni sitis quibus praestetur misericordia, ego tamen quid fides mea et veritas exigat considerans mittam vobis Messiam » (sim. *Pint.*).

Uti supra 7, 9 credentibus securitas ac permanentia asserebatur, ita hoc loco iis promittitur fore ut non trepident, ut non trepide cedant et fugiant. Bene *Chald.* : « et iusti qui credunt in illis cum venerit tribulatio non commovebuntur ». Ad idem recidit textus graecus : οὐ μὴ καταισχυνθῇ *non confundetur,* vel ut reliqui vertunt οὐ σπεύσει. Lex ergo illa fundamentalis innuitur, ut etsi Domini auxilium tardare videatur, nemo animum abiiciat firma fultus spe, quia veniens veniet et promissa complebuntur (cf. Hab. 2, 3. *S. Hier.*), qua lege etiam S. Paulus Hebraeos solatur ostendens quantopere a mundi primordiis per omnes generationes invaluerit (Hebr. 10, 36-12. 7). — *Lapidem* illum explicat *Chald.* : « ecce ego constituo in Sion regem, regem robustum, fortem et formidabilem, corroborabo eum et confortabo eum » ; hic rex autem intelligi nequit ipse Ezechias (ut volunt aliqui rabbini et *Ges. Maurer*) ; nam ut *Theod.* advertit: confidere in homine divina eloquia vetant, et ipse Isaias totus in eo est, ut fiduciam talem excludat (cf. 2, 22 ; 30, 2 ; 31, 3) ; at res ita concipi potest : lapis iste promissio est messianica vel in concreto ipse Messias ; uti saepe propter promissionem messianicam vel uti s. literae etiam loquuntur propter David

(cf. 3 Reg. 11, 11-13. 32-39; 15, 4. 5. 4 Reg. 8, 19; 19, 34. 2 Par. 21, 7) res iudaicae servabantur et prospere gerebantur, ita etiam in ea rerum conditione rex vere pius et theocraticus ad salutem reipublicae iudaicae a Deo concedebatur; Ezechias ergo non est ille lapis, sed propter lapidem illum Deus ita res disposuit, ut Ezechias rex pius et theocraticus exsisteret. Vide quae dicta sunt ad 16, 5 et cf. 32, 1 seq. — Aliqui *lapidem probationis* interpretantur active: ad quem quasi ad lapidem lydium homines probentur quales sint; ita ex recentioribus *Drechsl.* et iam apud *Mald. Malv.*: at id hoc loco abesse videtur, cum lapis *in fundamento* positus non sine catachresi simul considerari possit ut talis ad quem offendunt et impingunt. — Ad explicationem de Christo vide 1 Petr. 2, 4-8. Rom. 9, 33; 10, 11. Eph. 2, 20-22. 1 Cor. 3, 11. Dan. 2, 34. 44. Matth. 21, 42 et Ps. 117, 22.

Iam quomodo eo fundamento posito Deus aedificium sit erecturus declaratur ita, ut sententia « qui crediderit non trepidabit » explicetur etiam ab opposito, scil. quid illusoribus sit eventurum; ad hoc enim iam a v. 7 potissimum dirigitur sermo: v. 17 « *et ponam in pondere iudicium et iustitiam in mensura et subvertet grando spem mendacii et protectionem aquae inundabunt* »; — hebr. *et pono iudicium in normam et iustitiam in perpendiculum* i. e. in exstruendo aedificio norma (קָו cf. v. 10) et mensura ad quam omnia exiguntur et diriguntur et perpendiculum quo rectus aedificii ordo ac status continetur, erit *ius et iustitia*; ex hac norma unusquisque diiudicatur et ad salutem in theocratia accipiendam admittetur vel ab ea excludetur et quaecumque per seriem generationum prospera vel adversa eventura sunt, iure et iustitia diriguntur, ut sint vel in mercedem vel in poenam ad Dei iustitiam, fidelitatem, sanctitatem commendandam. Hac ratione regnum Dei iure et iustitia aedificabitur et consistet, ex quo vero consequens est, ut qui contra Dei normam agunt, sua perversitate corruant. Quare pergitur et *subvertet grando*... cf. v. 2; in sorte Samariae depingitur quid eos maneat qui non credunt; de mendacio cf. v. 15; tegumentum illud et latibulum quod se invenisse gloriabantur v. 15 inundatione aquarum auferetur. In se igitur ius et iustitiam Dei experientur castigati.

Quod quo certius clariusque innotescat, ipsis illusorum verbis vates quid futurum revera sit exponit v. 18 « *et delebitur foedus vestrum cum morte et pactum vestrum cum inferno non stabit; flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem*; v. 19 *quandocumque pertransierit, tollet vos; quoniam mane diluculo pertransibit in die et in nocte, et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui* »; — in invasione Assyriorum cum civitates munitae caperentur multique captivi abducerentur, flagello illo sane percussi et contriti sunt; erat enim tempus illud dies tribulationis et increpationis (4 Reg. 19, 3. Is. 37,

3) ; atque satis diu durabat : *mane, mane irruet* (hebr.) i. e. quolibet mane irruet, dein interdiu et noctu, proinde sine interruptione atque diu affligentur. Hac autem calamitate pressi agnoscent multi solius Domini opem esse exquirendam, inania esse hominum conamina ; tunc calamitate vexati et edocti intelligent *auditum* i. e. annuntiationem propheticam ; « malo coacti sapitis, non aliter » (*Mar.*) i. e. non solum videbunt vera praedixisse vatem (qua explicatione multi contenti sunt ; cf. *S. Hier. Malv. For. Tir.*), sed doctrinam ab eo inculcatam quam antea percipere nolebant ipsa rerum experientia edocti veram esse confitebuntur. Fructus igitur ex calamitate oriundus assignatur, qui etiam ad ius et iustitiam pertinet, qua Dominus regnum suum exstruere spondet (v. 17) ; « tantum magna aliqua vexatio efficere potest, ut intelligatis doctrinam quam ego profiteor » (*Sasb.* sim. *Osor. Rohl. Troch.*).

Hebr. eodem modo quo *S. Hier.* vertunt etiam aliqui recentiores (*Rohl. Net.*) : sola vexatio docebit, vel solus terror doctrinam explicabit ; qui sensus et verbis aptus est et optime ad contextum congruit. Verbum enim הָבִין (vel legitne *S. Hier.* תָּבִין ?) שְׁמוּעָה certe hoc loco eodem modo debet intelligi quo v. 9 intelligere faciet auditum ; ergo terror vel calamitas intelligere faciet annuntiationem vel praedicationem ; ea enim notione usurpari *auditum* notum est. Mirum sane est, quod *Naeg.* vult, cum v. 9 phrasis usurpetur in notione *intelligere facere* hoc loco tamen ex contextu erui sensum *praedicationem audire ;* sim. iam aliqui veteres : fiet ut commotio sit intelligere famam (*Mald. Mar. Pint. Malv.*) vel quod recentioribus quoque arridet : iam terror est, talem audire annuntiationem vel famam vel revelationem (cf. *Ros. Ges. Maurer, Ewald, Drechsl. Del.*). Contra quas explicationes haud immerito excipit *Kn.* sicut זוע non inveniatur sensu translato spirituali, ita זְוָעָה non significare *terrorem,* verum ubique *vexationem* (cf. Ier. 15, 4 ; 24, 9 ; 29, 18 etc.) ; insuper *audire famam* non satis quadrare in contextum, quo aperte plus aliquid ac gravius postuletur. Id autem optime adest in explicatione quam *S. Hier.* dedit : *sola vexatio intellectum dabit auditui,* faciet intelligere mala vestra.

Ad hanc vero intelligentiam pervenient, quia sole clarius apparebit subsidia humana plane esse insufficientia ac omnino deficere neque iis quidquam salutis effici posse. Id proverbiali locutione vates exponit v. 20 « *coangustatum est enim stratum, ita ut alter decidat, et pallium breve utrumque operire non potest* » ; — proverbio hoc non solum angustia rerum et difficultas (*Mald. Sa, Ges. Kn. Drechsl. Schegg*) exprimitur, vel non fieri posse ut simul cum Deo et cum alienigenis foedus ineatur (cf. *S. Hier. Sasb. Pint. Lap. Men. Tir.*), verum potius et ad rem maxime accommodate : conatus humanos ad securitatem praestandam prorsus esse impares (cf. *Osor.*) ; vanae spes vestrae tutari vos non possunt (*Malv.*) vel calamitate sua laborantes impii mutuam sibi ferre opem non possunt (*Calm. Troch.*). Quod humanis subsidiis fieri Deus

non vult, id ipse modo miro et inexspectato praestabit; atque in hoc operandi modo Dei probatio fidei continetur et iudicium fertur in incredulos; unde v. 21 « *sicut enim in monte divisionum stabit Dominus, sicut in valle quae est in Gabaon irascetur, ut faciat opus suum, alienum opus eius, ut operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo* » ; — i. e. Deus aget similiter, ut olim in monte Pharasim et in valle Gabaon. Priore loco Deus Davidi concessit insignem victoriam de Philisthiim, ita ut David exclamaret : « divisit Dominus inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquae; propterea vocatum est nomen loci illius Baal Pharasim » (2 Reg. 5, 20. 1 Par. 14, 9); ad quem eventum hoc loco etiam propter flagellum *inundans* apta fit allusio. Alter eventus non est, ut aliqui volunt (*Kn. Del. Rohl. Nei.*) alia Davidis victoria (l. c. v. 22. v. 13), sed alluditur ad victoriam Iosue apud Gabaon (Ios. 10, 10), ubi Deus lapidibus *grandinis* hostes prostravit (cf. v. 17. 2 sicut impetus grandinis) uti plerique ex veteribus rite explicant (cf. *S. Cyr. Hier. Ephr.*). Hisce vero declarat Deus qua ratione deiecturus sit Assyrios ipse, uti bene exponit *S. Cyr.* : « sumit igitur velut ab his quae contigerunt veteribus imaginem et figuram auxilii futuri Israelitis a Deo qui servare potest, si quidem velint servatoris nostri verbis parere » ; sim. *S. Ephr. Thom.*; atque revera saepius clades Assyriorum mirabili Dei interventu praedicitur efficienda, ita ut duabus illis cladibus divinitus inflictis maxime similis reddatur (cf. 10, 27. 33; 17, 14; 18, 5; 30, 30; 31, 8 etc.). Quare strages illa cum emphasi dicitur *opus* Dei; est *alienum* i. e. novum, inauditum, et inde ipsis hostibus et illusoribus ingerens stuporem, et fidelibus admirationem, cum adeo subito et tanto fiat ambitu; est *peregrinum*, insolitum, a communi Dei agendi modo longe remotum etiam ea consideratione facta, quia Deus populo magnam partem contumaci et rebelli tam insignem opem in summa rerum angustia subministrabit. Opus aliquod illustre, extraordinarium, uti iam comparationibus inducitur, ita ipsa sententiae repetitione inculcatur.

Verum plerique interpretes versum hunc alia ratione accipiunt, quasi non Assyriorum clades, sed punitio Iudaeorum infidelium exprimatur, Deum scil. uti olim Philisthaeos et Chananaeos prostraverit, ita iam in impios et illusores animadversurum (cf. S. *Hier. Euseb. Haim. Osor. Sanct. Mald. Mar. Lap. Men. Calm. Rohl. Troch. Kn. Del. Bred.*). At ea explicatio difficile intelligitur. Neque enim ullo modo credibile videtur, prophetam uti exemplis illis quibus mira liberatio et salus Iudaeis olim praestita exprimitur, non ut salutem Iudaeorum, sed ut eorum ruinam miro interventu Dei esse efficiendam demonstret, dum tamen saepius cladem assyriacam illis cladibus divinitus inflictis comparat; ita cum

illustrat victoria de Madianitis reportata (9, 4; 10, 26) et interitu Aegyptiorum (10, 26); ergo pronum est, ut eodem modo hic Assyriorum clades illustretur. Quibus adde non satis perspici, quomodo invasio Assyriorum et calamitates ab iis inflictae Iudaeis tam grandibus illis miraculis divinis conferri possint, quia sane nihil cernitur in illa irruptione quod illis magnalibus simile sit, dum e contra in repentina prostratione exercitus assyriaci adsit punctum comparationis quam maxime obvium pariter et illustre. Quare illa explicatio quam fere omnes sequuntur, relinquenda esse mihi videtur — insuper nemo quo tendat comparatio, accuratius explicat — et revertendum ad eam acceptionem, quam *S. Ephr. Cyr. Thom.* proponunt.

Cum tale sit consilium Dei ad suos servandos et hostes perdendos, uti rebus illis divinitus gestis continetur, apte sequitur admonitio illusoribus facta ne Dei hostibus sese iungentes eadem pernicie involvantur v. 22 « *et nunc nolite illudere, ne forte constringantur vincula vestra; consummationem enim et abbreviationem audivi a Domino Deo exercituum super universam terram* »; — ne rideant de vaticinio edito, etsi modus salutis conferendae mirus et pene incredibilis videatur, neve fidem ac spem piorum dicteriis prosequantur; quodsi fecerint, vincula eorum fortius constringentur i. e. ab Assyriis, quorum iugo et vinculis iam ab Achaz rege mancipati sunt, plane demum captivi agentur (cf. v. 18). Vae ergo illis, si non ad meliorem frugem erudiantur. Tum enim illo interitu prosternentur quem Deus norma generali de omnibus suis adversariis constituit : *consummationem* enim et perniciem *certo determinatam* (hebr.) Deus constituit de universa terra, quibus verbis propheta ad oracula priora alludit (cf. 10, 23) de iudicio in orbem universum exercendo. Huius iudicii pars quaedam est etiam vastitas illa, quae invasione Assyriorum quasi flagello inundante regno iudaico est illata; de regno iudaico *universam terram* plerique explicant (cf. *S. Hier. Mald. Sanct. Sasb. Pint. For. Malv. Lap. Tir. Troch.*), sed praestat cum aliis (cf. *S. Cyr. Osor. Rohl.*) verba in universum intelligere, praesertim quia propheta iudicium tale in omnes diserte annuntiavit et verbis ipsis de *consummatione* firmiter decreta plus innuitur quam unius regionis per breve tempus oppressio, qualis in expeditione assyriaca evenit.

d) De Dei provida administratione parabola 28, 23-29.

In variis rerum eventibus miram cerni Dei sapientiam et consilium providum quo emolumento ac saluti suorum consulat et cuncta ad optatum exitum dirigat, propheta parabola illustrat e re agraria petita. Mi-

nas igitur propositas in solatium bonorum temperat ipsosque contumaces ut Deo se subiiciant ac committant hortatur ostendens qua sapientia multiplici et benevolentia Deus sortes populi rerumque cursum varium moderetur. Sive igitur leniter agat, sive durius agere videatur et puniat et immo conterat, aptissimum tenet in gubernatione populi modum et suos ad veram felicitatem provehere satagit. — Uti in proverbiis saepe fit, attentio audientium speciali modo excitatur v. 23 « *Auribus percipite et audite vocem meam, attendite et audite eloquium meum* »! — longiore praefatione rei gravitas declaratur, quae ut recte percipiatur vates exoptat; quare repetito ut rem optime perpendant monet; cf. Prov. 1, 8; 2, 1; 3, 1 etc. Ps. 77, 1 seq.

Iam sequitur parabola de agricola. Deum esse quasi populi sui agricolam iam 21, 10 vates innuit; item Os. 2, 23 : seminabo eam mihi in terra; 6, 11 et Mich. 4, 12; 5, 7. Unde quo tendat parabola, facile intelligitur. Primum effertur nosse agricolam quomodo et quando ager sit subigendus et sarculo emolliendus v. 24 « *numquid tota die arabit arans ut serat, proscindet et sarriet humum suam* »? — ut ager ad semen recipiendum disponatur opus est aratro, oportet sulcare et occare terram, eam proscindere quasi vulneribus inflictis, ut semen utiliter recipiat; at hoc non fit quotidie vel *omni die* (hebr.), perpetuo, verum solummodo tempore ad id opportuno; haec scissio terrae melioris frugis est praeparatio. Nam v. 25 « *nonne cum adaequaverit faciem eius, seret gith et cyminum sparget et ponet triticum per ordinem et hordeum et milium et viciam in finibus suis* »? — varia quoque semina suo quaeque modo adhibentur : alia simpliciter uti sors fert seruntur vel sparguntur sine *peculiari* cura, uti *gith* vel nigella sativa (le pavot noir, Schwarzkümmel) et *cyminum* vel cuminum (le cumin, Kümmel); *triticum* autem ponitur ordine, mensura, serie et per sulcos seritur, ut singula grana crescere possint neve inter se suffocent; alia quoque *in finibus suis* i. e. ut *S. Hier.* scribit, iuxta varietatem terrae et temporum plantantur; neque enim simul omnia seminantur, sed suo loco et ordine (sim. *Osor. Sanct. Sasb. Men.*); vel uti hebr. habet *hordeum suo loco* (loco signato, ad id apto) *et viciam confinium eius,* prout iam explicat *Mald.* : « solent agricolae triticum, hordeum ac meliora semina vicia aut fabis aut alio vili genere leguminis circumcingere, ne a praetereuntibus animalibus depascantur »; sim. recentiores (cf. *Del. Naeg. Rohl. Troch.*), vel *in confinio suo* i. e. in agro suo (*Bred.*).

S. Hier. pro hebr. נִסְמָן ponit *et milium,* secutus uti videtur textum graecum qui in nonnullis codicibus fertur καὶ κέγχρον. Vox hebr. est ἅπ. λεγ.; explicant per modum adverbii loc. in loco designato, in agro ad id apto; aliis vertere placet *hordeum sig-*

natum i. e. praestantissimam, uti etiam ἅπ. λεγ. ad *triticum* aliqui interpretantur de tritico *egregio*. Sed שׂוֹרָה tutius cum *S. Hier.* et plerisque explicatur *ordo, series*, cuius notionis est chald. et talm. שׁוּרָא; cf. *Levy*, Chald. Woerterb. II p. 464. Cum ergo verti oporteat *triticum suo ordine*, lege quoque parallelismi suadetur versio *hordeum loco ad id apto*. Vocem כֻּסֶּמֶת aliqui vertunt *speltam*; LXX habent ζέαν et *S. Hier.* notat : « pro farre quod graeci ζέαν vocant quidam *viciam* intelligunt » ; et isti *quidam* recte observarunt consentientibus recentioribus, qui uti *Wetzstein* apud *Del.* et *Diestel* dubitant num spelta ea in regione exstiterit et *viciam sativam* vel *nigram* intelligunt, quod est pabuli genus pro iumentis (cf. *Naeg. Diestel*).

Modus iste agendi sapienter et pro rerum natura accommodate nobis argumento et documento esse debet Deum summa sapientia omnia moderari. Quare propheta nobis in memoriam revocat rationem humanam esse imaginem quandam derivatam a divina intelligentia et edoctam atque institutam a Deo; unde v. 26 « *et erudiet illum in iudicio; Deus suus docebit illum* » ; — erudit agricolam Deus, ut *ad iudicium* (hebr.) secundum normam vid. rebus aptam omnia peragat; unde bene infert *Mald.* : « quanto ergo magis Deus qui illum docuit sciet, quomodo debeat tractare homines ». Deus enim illum delectum rerum et temporum docuit (*Sasb.*), « quod quidem argumento est eum qui rebus omnibus ordinem praescripsit, ordine cuncta moderari » (*Osor.*). Hisce ergo ostenditur iudicii discretio (*S. Thom.*). Quam discretionem in alia quoque re rustica declarat v. 27 « *non enim in serris triturabitur gith, nec rota plaustri super cyminum circuibit, sed in virga excutietur gith, et cyminum in baculo,* v. 28 *panis autem comminuetur; verum non in perpetuum triturans triturabit illum neque vexabit eum rota plaustri nec ungulis suis comminuet eum* » ; — bene *S. Hier.* : « *panis* i. e. triticum de quo efficitur panis ferreis rotis teritur ». Ceterum alii legunt per interrogationem : *num frumentum conteritur? non, neque enim perpetuo triturando triturabit* (hebr.), ne scil. continuata tritura frumentum conteratur; neque continuo vel rotis plaustri vel equorum iumentorumve ungulis frumentum excutit. Est enim modus in rebus neque omnia omnibus conveniunt. Minora grana virgis excutiuntur, « non rotis plaustrorum teruntur quae in serrarum similitudinem ferreae circumaguntur et trahuntur super demessas segetes » (*S. Hier.*). Doctrinam inde colligit *S. Hier.* hanc : « Deus varie genus dispensat humanum, nunc punit, nunc miseretur; nunc corripit, nunc defendit; id est nunc arat, nunc serit, nunc maturas fruges metit et demessas in areis terit, orbemque suum gubernat ut voluerit ».

Uti v. 26, quo tendat parabola explicatur, ut scil. in rerum omnium administratione sapiens Dei consilium ac providum agnoscamus : v. 29 « *et hoc a Domino Deo exercituum exivit, ut mirabile faceret consilium*

et magnificaret iustitiam » ; — hebr. *mirabile facit consilium, magnam facit salutem;* de voce תּוּשִׁיָּה vide quae notavi ad Iob 5, 12; in hisce ergo Deus imaginem quandam proponi vult ex qua incomparabilem ipsius sapientiam, providentiam miram et benevolentiam discamus; est enim rusticatio creata ab Altissimo (Eccli. 7, 16. Gen. 3, 17) et in ea quasi in speculo cernitur qua ratione Deus humanum genus erudiat. Inde hauriant pii Dei cultores solamen in rebus arctis, neque enim semper triturat, malis affligit (*Malv.*), et ex ipsa afflictione optimas fruges colligere satagit. Unde vates iterato docet qua demum animorum habitudine, qua mente de variis eventibus sit iudicandum; vult idem quod iam a primo capite sibi assequendum proposuit denuo inculcare, ut scil. in rebus gestis et variis sortibus ad altiora Dei consilia contemplanda et ad Dei normam considerandam oculos mentesque elevent. « Hanc totam varietatem quam cernitis in agricultura videre potestis in magna illa agricultura, ubi Deus pater agricola est. Vos itaque intelligite et diligenter attendite, quid Dominus circa unumquemque vestrum agat, an serat, an metat, an excutiat » (*Sasb.*).

2. *Alterum vae* 29, 1-14.

Arg. — Alterum vae in Ierusalem vertitur; angustias eius et flagellum inundans de quo 28, 15. 17-20 egerat magis magisque vates determinat, at simul vaticinatur, quam subito et quam miro modo Deus hostes sit disiecturus (29, 1-8). At multi talem Dei agendi modum propter cordis duritiem et cultum Dei neglectum intelligere nolunt; quare Deus illorum sapientiam vanam esse et inanem demonstrabit (29, 9-14.)

a) **Angustiae ac liberatio urbis 29, 1-8.**

Primum vae vates direxerat ita in Samariam, ut eos ex Iuda potissimum tangeret qui sentiendi agendique ratione maxime erant affines Samaritanis. Alterum vae iam immediate ipsi urbi Ierusalem annuntiat, quae quamvis sit locus altaris Dei et civitas David cui thronus aeternus promissus est, tamen brevi summis angustiis sit premenda : v. 1 « *Vae Ariel, Ariel civitas, quam expugnavit David; additus est annus ad annum, sollemnitates evolutae sunt,* v. 2 *et circumvallabo Ariel et erit tristis et moerens et erit mihi quasi Ariel* » ; — hebr. *vae Ariel civitas* (in qua) *resedit David; addite annum ad annum, festa in orbem redeant* i. e. post unum annum, postquam adhuc semel dies festi ac sollemnes in orbem circumierunt, Deus immittet angustias urbi. Duplici titulo urbem compellat : *Ariel* vel focum (altare) Dei, quae appellatio

explicatur 31, 9 : Dominus cuius ignis est in Sion et caminus eius in Ierusalem, et iam 10, 17 innuitur : et erit lumen Israel in igne et Sanctus eius in flamma ; ita Ariel vocatur altare Domini apud Ezechielem 43, 15 seq. ; designatur ergo urbs ubi est ignis sacrificalis et altare Domini, ubi cultus Dei exercetur et Deus suam domum habet ; dein urbs, in qua David commoratus vel castrametatus est, quae ergo est sedes David ; duplici hoc titulo quam maxime urbs tuta esse debuit ab omni infestatione ; verum cum Deus a *vae* exordiatur, in ea compellatione potius cernitur animus Dei propter beneficia spreta summopere offensus, cernitur indignatio Dei quod urbs talibus exornata Dei donis infidelitate sua duram in se provocavit punitionem. Brevi enim, circiter post annum *angustabo*, in angustias redigam Ariel (hebr.), quae quantae futurae sint verbis additis declaratur *et erit moestitia et moeror* vel gemitus ac singultus (hebr.) et tunc erit Domino *quasi Ariel,* erit alio quodam sensu locus ignis, caminus et altare Domini, quatenus igne tribulationis divinitus immissae devastatur et ibi ira Domini ardet in castigatione et vindicta vel ut sit altaris instar, iuxta quod mactantur strataeque iacent et laceratae victimae, i. e. impii et rebelles vindicta Dei per hostes occisi (cf. *Sanct. For. Gord. Rohl.*).

De notione Ariel אֲרִיאֵל non omnes consentiunt. Nomen hoc invenitur 2 Sam. 23, 20 (1 Chron. 11, 22) inditum duobus viris moabiticis et Esd. 8, 16 levitae. Propria significatio est *leo Dei,* quam multi etiam hoc loco exhibent ut nomen urbis ; ita iam *Euseb.* scribit : « dicunt autem Ariel significare *leo Dei* » et sim. *S. Hier. Cyr. For. Men. Tir. Calm.* Alii explicant *focum,* altare Dei ; ita iam *Chald.* et plerique rabbini et ex recentioribus *Ros. Hitz. Kn. Del. Bred. Rohl. Troch.* ; atque haec explicatio praeferenda videtur, praesertim quia eo nomine altare vocatur Ez. 43, 15 seq. et ipse Isaias 31, 9 de igne et camino Domini in Ierusalem et in Sion loquitur, et cum urbes nominibus femininis appellari soleant, in altera designatione non tam leonem quam leaenam exspectaveris (*Rohl.*). Accedit quod plerique qui leonem Dei interpretantur nomen tamen referunt ad altare vel templum ; id iam indicat *Euseb.* : « narrant altare illud quod ante templum constructum fuerat Ariel vocatum fuisse, quod palam aiunt esse ex Ezechiele », quae opinio etiam testem habet *S. Hier.* eamque sequuntur *S. Thom. Mald. Est. Sasb. Sanct. Sa, Malv. Mar. Lap.* varias afferentes rationes, cur altare vocetur leo Dei, v. g. quia victimas immolatas devoret, vel quia in altari maxime reluceat fortitudo, maiestas et cultus Dei. Verum hae explicationes coactae sunt. Si vocem de leone Dei esse explicandam censueris cum plerisque veterum et cum aliquibus recentioribus (*Ges. Ewald, Drechsl. Cheyne*), intelliges praedicari invictam urbis fortitudinem et dominationem quae ei insit propter promissiones Davidi datas et propter Messiam vel generatim propter regem theocraticum ; de qua re vide Gen. 49,

9 : catulus leonis Iuda; ad praedam ascendisti; requiescens accubuisti ut leo etc. Sed cum haec omnia summatim comprehendantur in appellatione civitatis *David*, alia explicatio de *foco* Dei etiam ea consideratione commendatur, ut scil. duobus istis nominibus plena urbis dignitas significetur, qua in ea contineatur cultus Dei et regnum David, sacerdotium et imperium sacrum, domus Dei et domus regis theocratici.

Nimis argute explicat *Naeg.* vocem prius ac si scriberetur עִר אֵל urbs Dei, uti dicitur Ar Moab, deinde autem v. 2 altare Dei. In v. 2 ipse aliique iam faustam cernunt annuntiationem : erit mihi sicut caminus sacer et ut talem se exhibebit, hostes devorans; cf. 10, 17; 31, 9. Sed cum ab oppressione urbis sermo inchoatus sit et in eadem oppressione oratio v. 3 pergat, haec explicatio qua series rerum adeo interrumpitur non placet. Adde quod cum dicatur *sicut* Ariel, vates innuere videtur vocem ad alium parumper sensum deflecti. Etiam argutius rem concipit *Drechsl.* retinens notionem *leonis* Dei, fore urbem tamquam leonem cum Deum precibus ac poenitentia victura sit, sicut olim praevaluerit Iacob adversus Deum. At explicatio haec ex duplici capite reiicienda est; neque enim Ierusalem tantam fidei fortitudinem unquam exhibuit, ut Deum quasi invitum in suas pertraheret partes, neque Deus urbis perdendae consilium cepit, a quo quasi reluctans esset dimovendus, ergo lucta illa urbis cum Deo, in qua urbs se leonem praebeat, nullatenus cogitari potest. — LXX omittunt *sicut Ariel* et pro אֲנִיָּה etc. legisse videntur אוֹן robur, opes; habent enim καὶ ἔσται αὐτῆς ἡ ἰσχὺς καὶ ὁ πλοῦτος ἐμοί; in v. sequenti כַּדּוּר legerunt כדוד ὡς Δαυίδ.

Atque quantopere ira Dei et igne tribulationis urbs sit exurenda declaratur v. 3 « *et circumdabo quasi sphaeram in circuitu tuo et iaciam contra te aggerem et munimenta ponam in obsidionem tuam* »; — « Dominus comminatur quod circumdet Arielem sphaera » (*S. Hier.*) i. e. obsidione perfecta ut quasi corona et circulo sit circumvallata (*Sanct.*), *et arctabo te statione militum* (hebr.) [1]. Haec praeclare illustrantur iis quae Sennacherib ipse de sua in Palaestinam expeditione narrat : « ipse (Ezechias) in urbe sua principali Ierusalem inclusus fuit sicut avis in cavea » (cf. *Vigouroux,* la Bible et les découvertes modernes 3 éd. IV p. 196. 199; Schrader, Keilinschr. und A. T. ad h. l.) atque etiam terroris incussi mentionem facit : « Ezechias ipse magno timore maiestatis meae correptus est, uti etiam eius praesidium et milites et viri quos ad defendendam urbem principalem Ierusalem assumpserat » (l. c.), quemadmodum terror iste etiam 37, 3 describitur; dies autem afflictionis erit talis : v. 4 « *humiliaberis, de terra loqueris et de humo*

1. Ultimum membrum vertendum esse censet *Delitzsch* (Prolegomena e. hebr. aram. Woerterb. p. 127) : et ponam super te vigilias vel custodes (cf. Ier. 51, 12). Etiam Hab. 2, 1 et Nah. 2, 2 מְצוּרָה de vigiliis vel custodia esse explicandum contendit eamque notionem ex נָצַר et assyriaco *massaru* (*custos*) derivat.

audietur eloquium tuum, et erit quasi pythonis de terra vox tua et de humo eloquium tuum mussitabit » ; — Ierusalem humi prostrata viribus exhaustis vocem edere non potest nisi tenuem, exilem, fere iam emortuam, sicut obscure mussitare solent umbrae vel potius vates necromantici; de pythone אוֹב vide ad 8, 19. Magna igitur exhibetur oppressio, afflictio, impotentia urbis. Ad tantas angustias erit reducenda, quasi iamiam moritura ultimum suspirium trahere videatur, ut tandem quam impotens sit prudentia humana, omnibus innotescat. Antea enim nihil audiebatur nisi strepitus et gloriatio illusorum : « flagellum non veniet super nos, mendacio protecti sumus » (28, 15 ; cf. 7 seq.). Haec insolentia iam erit expianda gemitu hoc urbis in pulvere iacentis, voce flebili ac lamentabili qua impotentiam demum suam fateri cogentur ; ita scil. flumen Assyriorum inundans et transiens usque ad collum veniet 8, 8. Lugentium moris est humi sedere et pulvere obvolvi ; cf. 3, 26. 2 Reg. 12, 16.

Sed summis in angustiis ipse Dominus opem feret subito, modo inexspectato, uti iam indicatum erat 28, 21 et 10, 33 ; 17, 14 ; 18, 5, et ita quidem ut contra impotentiam humanam summa Dei potentia mirifice extollatur v. 5 « *et erit sicut pulvis tenuis multitudo ventilantium te et sicut favilla pertransiens multitudo eorum qui contra te praevaluerunt* » ; — en, urbs pondere illo pressa et humi iacens vix gemere potest, nedum pondus excutere ; verum ingens illud pondus coram Domino censetur *pulvis tenuis, gluma transvolans* (hebr.). Est enim Dominus coelitum imperator summusque dux huius certaminis arbiter ; unde v. 6 « *eritque repente confestim ; a Domino exercituum visitabitur in tonitruo et commotione terrae et voce magna turbinis et tempestatis et flammae ignis devorantis* » ; — ad Domini maiestatem adumbrandam militia eius describuntur tonitrua, terrae motus ac fremitus, procellae et flammarum incendia, uti in psalmis et apud prophetas fieri assolet ; cf. 5, 25 ; 13, 9. Ps. 17. 95. Mich. 1, 3. Hab. 3, 6 etc. Unde *visitatio* haec est gratiosa pro urbe (et ita *visitabitur* de urbe explicant liberanda *Del. Naeg.*), fatalis pro hostibus, de quorum punitione alii verbum accipiunt (cf. *For. Sanct. Calm. Rohl. Troch.*) ; neque tamen potest cum aliis (*S. Hier. Mald. Sa, Mar.*) de punitione urbis intelligi, cum series orationis mire esset interturbanda. Animadversio enim in hostes iam v. 5 habetur eademque in v. 7 quoque describitur ; unde in v. 6 apte exhibetur iudicis punientis potentia, qua illae metaphorae in v. 5 et illud *repente confestim* optime declarantur et etiam subsequentia inducuntur.

Atque revera si Deus potentissimus defensor exsistit et pugnator, quis resistere poterit? si ipse pro *Ariel*, pro aris et focis dimicare

vult, quid erit timendum? Unde v. 7 « *et erit sicut somnium visionis nocturnae multitudo omnium gentium quae dimicaverunt contra Ariel et omnes qui militaverunt et obsederunt et praevaluerunt adversus eam* »; — ultimum hemistichium verte ex hebr. *et omnes qui militaverunt contra eam et contra arcem eius et coangustaverunt eam*, « somnio comparatur illa multitudo, quia fugiet aut solvetur, quemadmodum vanescunt somnia, cum primum dormiens evigilaverit » (*Sanct.* sim. *Men. Rohl.*); potentia eorum nihil habet validi ac solidi; primo afflatu quasi in aera diffluit, uti somnia; in somnio visionis nocturnae id quoque pro civibus hierosolymitanis forte exprimitur fore quidem, ut quemadmodum in somniis contingat angoribus ac timore corripiantur et exerceantur, at mox pavores illos cum laetitia fore commutandos, uti quis experiatur evigilans terriculamentis somniorum evanescentibus. Promissio haec generali ratione profertur et ita quoque intelligatur oportet; recurrit ergo vates ad Dei normam generalem, qua *Ariel* i. e. sedem suam ac domum ab hostibus defendere statuit pro sua fidelitate, quae propter urbis infidelitatem (cf. v. 1 vae Ariel) eo magis illucescit.

Quam vana spe hostes inflentur et quanta cum confusione ab urbe repellendi sint, ex iis quae somniantibus eveniunt illustratur v. 8 « *et sicut somniat esuriens et comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius; et sicut somniat sitiens et bibit, et postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit et anima eius vacua est, sic erit multitudo omnium gentium, quae dimicaverunt contra montem Sion* »; — etiam magis ad vivum res exprimitur in hebr. *sicut somniat famelicus et ecce manducat etc. et sicut somniat sitiens et ecce bibit et expergiscitur et ecce lassus et anima eius avida* etc.; cui ita in somnio [1] contingit, is vana spe delusus magis afflictatur, quia vigilans ab eo vacuus est quod se habuisse in somniis iam laetatus est voluptate percepta (*Sanct.*). Uti in v. 1 duo urbis tituli proferebantur, ita hic quoque v. 7 et 8 *Ariel* nominatur et *mons Sion,* quibus appellationibus cur urbi salus ac liberatio ab *omnium* hostium insidiis concedatur egregie continetur (cf. 2, 2 seq. 4, 2 seq. 9, 7; 11, 9; 14, 32; 16, 5; 28, 5 etc.). Quater in v. 5-8 *multitudo* impugnantium effertur, quae tamen quam impotens sit comparatione pulveris et glumae et som-

---

1. Adducunt ex *Lucretio* (4,1091) eandem similitudinem *Ros. Ges.* ita propositam

Ac velut in somniis sitiens cum quaerit et humor
Non datur, ardorem in membris qui stinguere possit,
Sed laticum simulacra petit frustraque laborat,
In medioque sitit torrenti flumine potans. Cf. Il. 22, 199.

nii et descriptione maiestatis tremendae iudicis Dei praeclare exhibetur; unde vatem omnes intendere vires intelligimus, ut fidem ac spem in animis nutantium excitet. Verum apud plerosque in vanum effundi monita eius (secundum id quod habetur 6, 10), sequentibus docemur.

b) Illusores confundentur 29, 9-14.

In fide unicam salutis spem esse repositam propheta monuerat (28, 16) et qua ratione fides Deo sit exhibenda, docuerat modo salutis proposito (28, 21; 29, 5-8). Verum tale vaticinium fide non amplectuntur, quia aliam salutis ac liberationis viam prudentia humana necessario exigi sibi persuaserunt (cf. 28, 15; 29, 15; 30, 1 seq.). Quare necesse est ut calamitates experti dedoceantur. Quid ergo suae prudentiae consilia sequentes sibi ipsi molituri sint, propheta proponit v. 9 « *Obstupescite et admiramini, fluctuate et vacillate, inebriamini et non a vino, movemini et non ab ebrietate* »! — hebr. *obstupescite et attoniti estote, excaecamini et caeci estote* (oblinite oculos vestros)! *ebrii sunt, at non vino*; *titubant, at non sicera*; magna quaedam afflictio qua sensus mentesque obstupescunt et perturbantur terrore, ebrietati comparari solet; cf. 19, 4. Ier. 25, 15. Quid futurum sit, vates per imperativum edicit; cum enim sola vexatio det intellectum (28, 19) et cum frustra moniti non resipiscant, iam sermone duriore ut afflictiones experiantur propheta exoptat; unde indignabundus in eos invehitur, ut obcaecationis suae effectus funestos in se sentiant! Sermo in hebr. assonantiis et paronomasiis distinguitur. Stupore illo et ebrietate et titubatione ea designantur quae 28, 18. 19; 29, 2-4 praedicta sunt et quae statim infra v. 14 tanguntur; hisce non iam eorum conditionem praesentem describi (uti volunt *Drechsl. Kn. Del. Naeg. Bred. Rohl. Troch.*), qua solum vaticinio incredibili audito ita sint stupore perculsi, verum futuram delineari afflictionem, et verborum gravitate suadetur et commendatur addito illo *at non a vino*, quo sane aliud iam tempus quam quod nunc fluat (cf. 28, 7) indicatur et probatur sequenti versu, quo explicatur, cur tandem ad illud malorum fastigium perventuri sint.

Id autem eveniet quia Dominus eos in ea quam amplexi sunt obduratione relinquet v. 10 « *quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, prophetas et principes vestros qui vident visiones operiet* »; — hisce eorum conditio praesens exhibetur: mente stupidi nolunt vaticinium fide amplecti; oculis occlusis ea non vident quae adeo perspicue in rebus gestis regni iudaici eminent, a solo scil. Domino salutem esse exspectandam; etiam ii qui duces populi sunt vel se esse iactant tenebris opertos oculos habent; quomodo autem ad talem obcaecationem

pervenerint, declaratur 28, 7-14 et vide 6, 10; 7, 2. Inde simul patet, quo sensu Deus spiritum soporis effudisse etc. dicatur. Haec autem mentis obtenebratio in eo consistit, quod vaticinium adeo clare propositum et monita prophetae non intelligunt; id quod similitudine quadam effertur v. 11 « *et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti literas dicent : lege istum, et respondebit : non possum, signatus est enim;* v. 12 *et dabitur liber nescienti literas diceturque ei: lege, et respondebit: nescio literas* »; — uti in v. 10, ita hic quoque populus et duces commemorantur vel ignobiles qui nesciunt legere et nobiles qui literis sunt eruditi. Utrique autem prophetiam non intelligere perhibentur; nobilibus est liber signatus, clausus, quem aperire non volunt; unde eorum culpa maior reputabitur. Ceterum cf. 8, 16. 20. Cum enim tanto cum studio ad avertendam calamitatem assyriacam humana conquirant subsidia (cf. 28, 15; 29, 15; 30, 1 seq.), revera opere produnt prophetiam esse librum clausum neque a se attendi posse vel debere. Forte continetur in libro *signato* irrisoria quaedam principum allusio, esse scil. omnem prophetiam obscuram, saepe vagam, ita ut non sit consultum in rerum gerendarum dispositione et praecipue in apparatu bellico conquirendo vaticiniorum habere rationem. Quodsi ita est, illusores illi cum contemptu et risu modum salutis a Deo electum repudiant simul peccantes contra normam theocraticam iam dudum a Deo stabilitam et a propheta iterato inculcatam (cf. Deut. 28, 7).

Cum igitur in v. 11 et 12 duo ordines distinguantur, nobiles scil. et ignobiles, utrique autem prophetiam non intelligant, etiam in v. 10 qui sint *prophetae* illi, facile colligitur et quid sibi velit *operire* explicatur. Sunt scil. pseudoprophetae, quorum mentes eadem caligine tenentur, et qui propterea *capitibus* (hebr). vel principibus accensentur, quia ipsi tale munus ducendi populum sibi arrogant; vide ad 9, 15. Quare a vero aberrant qui in v. 10 veros cernunt prophetas divinitus missos, quos *operire* diceret propheta ita ut sensus esset : facere ut non intelligantur (uti explicant *S. Hier. Cyr. Sanct. Sasb. Lap. Men. Tir. Schegg*), vel qui *operiri* dicerentur eo quod Deus iis visiones et responsa iam non ultra concederet (*Osor. Mald. For. Mar.*). Sed de veris prophetis explicatio admitti nequit, quia ex v. 11 et 12 ii designantur qui vaticinium non intelligunt. — Hebr. etiam ita iungitur : *obligavit oculos vestros, prophetas, et capita vestra, videntes, operuit* (cf. *Del. Naeg. Rohl.*), sed contra accentus. Neque desunt qui *prophetas* et *videntes* utpote glossema eiiciant (cf. *Ges. Hitz. Ewald, Kn. Bred.*) et sane admiratione non caret, cur praeter prophetas videntes enumerentur, vel cur principibus attribuantur visiones, nisi dixeris, ipsos quoque principes obtentu visionum vulgo imposuisse et nutantes ad suas pertraxisse partes. Cur aliquis glossator *prophetas* et *videntes* inseruerit et non potius *sa-*

cerdotes vel *duces*, difficile dixeris ; quare ipse modus loquendi insolitus non tam glossatorem prodere, quam ipsum prophetam innuere videtur. Duplex nomen ita explicat *Naeg.* ut duplicem quasi ordinem prophetarum statuat : prophetas primarios, uti Isaiam, eorum quasi interpretes ad populum, *videntes*, qui illorum effata populo explicarent. Verum dubito, num ullum talis ordinis duplicis ac distinctionis vestigium ullibi inveniatur.

Cur vero adeo hebetes sint ad doctrinam Dei percipiendam, rationem sitam esse in vero cultu Dei neglecto, vates aperit; qui enim ad Deum accedere renuunt, quid mirum est, si ab ipso iam non illuminentur neque eius vocem intelligant? Unde v. 13 « *et dixit Dominus : eo quod appropinquet populus iste ore suo et labiis suis glorificat me, cor autem eius longe est a me et timuerunt me mandato hominum et doctrina,* v. 14 *ideo ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi et stupendo; peribit enim sapientia a sapientibus eius et intellectus prudentium eius abscondetur* » ; — uti 1, 10, cultum solum externe exhibitum reprehendit, laudes Dei scil. illas, quae ore solum labiisque proferuntur, neque tamen ex animis piis Deoque subiectis procedunt. Cor illud longe est a Deo, quod voluntati eius obsequi renuit; hebr. *timor eorum erga me* i. e. cultus eorum ac religio *mandatum hominum institutum,* praeceptis continetur et exercetur humanis, ritibus externis consuetudine et usu traditis quos obeunt sine animorum pietate ac devotione. Quemadmodum propheta verae pietatis defectum et cultum Dei neglectum tamquam causam assignat hic, cur hebetes facti sint et stupidi ad verbum Dei intelligendum, ita S. Paulus in eodem cultu Dei neglecto ultimam cernit rationem, qua gentes ad enormem illam morum corruptionem descenderint et mentis in rebus religionis stupiditatem (cf. Rom. 1, 21. 24. 26. 28). Restituerat quidem Ezechias cultum Dei (4 Reg. 18, 3-6. 2 Par. 29-31); sed post funesta Achaz regis exempla certe non deerant qui solum externe cultum a rege imperatum obirent, interne autem mentem idololatricam retinerent vel qui ritibus quibusdam Deo satisfieri sibi persuaderent. Contra hos merito invehitur propheta. Remedium indicat quo Deus usurus sit ad eos sanandos, dummodo velint; quam impotes sint illis ostendet et eas adducet rerum angustias et perturbationes, ut quo se vertant plane nesciant et sapientia humana penitus confundatur et obruatur. Vide rei eventum 37, 3. Hisce opprobriis et hac confusione simul poenas luent (v. 14 *ideo*) verbi Dei spreti animique increduli.

3. *Tertium vae* 29, 15-24.

Arg. — Invehitur propheta in eos qui consilium suum perversum et a Dei norma alienum abscondere nituntur coram Domino, quod quam stultum sit et inutile exagitat. Huic consilio stulto opponit Dei consilium, quo magna rerum conversio et populi exaltatio futura sit tyrannide et iniquitate deleta. Deus enim fidelis qui Abraham elegit populum suum non tradet opprobriis, verum eum ad sanctitatem et pacem adducet.

Arcte hoc *vae* ad antecedentia adnectitur; perstringuntur enim ii quos propheta iam saepius accusaverat nimiae fiduciae quam in subsidiis humanis et prudentia sua collocant. Occulte machinantur, foedus aegyptiacum coram propheta abscondere nituntur; putant se secreto et inscio propheta omnia moliri et censoriam eius virgam effugere; at v. 15 « *Vae qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera et dicunt : quis videt nos et quis novit nos* »? — hebr. ad verbum *qui profundum faciunt a Domino ad tegendum consilium* i. e. omni studio consilium suum occultare et celare nituntur et tenebris obvolvere, quo conatu iam produnt se merito timere reprehensionem prophetae et conamina sua non sequi normam theocraticam. Ceterum molitiones illae furtivae ad ordiendum foedus aegyptiacum etiam tegendae erant ne suspicionem incurrerent Assyriorum, qui multiplici experienta edocti bene noverant quam pronae essent gentes palaestinenses ad foedera contra ipsos nectenda. Sed quam ineptum sit vel populum velle sospitem reddere sine Deo vel modum illum quo servare velit Deus spernere, similitudine adhibita propheta demonstrat v. 16 « *perversa est haec vestra cogitatio, quasi si lutum contra figulum cogitet et dicat opus factori suo : non fecisti me, et figmentum dicat fictori suo : non intelligis* »; — hebr. *o perversitatem vestram! num sicut lutum figulus reputabitur, ut dicat opus*... Deus enim sibi populum *formavit;* quare Dei ratio potissimum est habenda in rebus gerendis et *sine* Deo velle populum e periculo eripere aeque stultum est atque impium, quasi opus negaret se a factore esse factum. Cum igitur plane in omnibus penitus dependeant a Deo, a quo id habent ut sint et vivant et a quo theocratia est instituta, eius gubernationi sese subtrahere nequeunt. Etiam magis ridiculum est consilio Dei quo ipse salutem dare iam constituerit nolle acquiescere, quasi minus esset aptum et prudens. Hanc animi contra Deum elationem vates castigat altera comparatione, quasi dicat figmentum fictori : nihil intelligis! Unde quanta submissione sapientiae Dei et

eius benignitati fidendum sit docet simul perstringens intolerabilem arrogantiam, si quis consilia Dei ad trutinam suam revocare ausus fuerit.

Eorum consilia Deus ita subvertet, ut res contra omnem exspectationem humanam cadant. Id proverbiali locutione designatur v. 17 « *nonne adhuc in modico et in brevi convertetur Libanus in Carmel et Carmel in saltum reputabitur* »? — explica ex hebr. appellative *convertetur Libanus in campum frugiferum et frugifer campus pro saltu reputabitur* i. e. rerum conversio exsistet praeter omnem exspectationem : quod sterile videbatur, fructum afferet; quod laetas fruges promittebat, horridum erit ut silva. Ita revera accidit. Foedus aegyptiacum a quo omnia sperabantur, inutile erat Aegyptiis turpiter fusis fugatisque et omnis regio circa urbem vastatione hostili affligebatur oppidis plurimis expugnatis et multis hominum millibus captis — en quos fructus attulerit campus frugifer qui sperabatur ! verum ex miseria et deiectione Deus populum suum ad salutem et prosperitatem evexit ; ita silva sterilis in campum frugiferum vertitur. Cum hac rerum conversione intime nectitur interna quaedam animorum sententiarumque mutatio, quam propheta indicat v. 18 « *et audient in die illa surdi verba libri et de tenebris et caligine oculi caecorum videbunt* » ; — en, sola vexatio dabit intellectum ! antea verba prophetiae audire et intelligere noluerunt : cf. 29, 11. 12 ; iam calamitate eruditi maiestatem Dei venerantur et e tenebris et caligine infidelitatis et animi increduli ad lucem et agnitionem Dei salvatoris ac vindicis populi sui emergunt. Unde nova quadam ratione id fit quod illo proverbio indicatur : silva mutatur in agrum frugiferum. Suum igitur fert calamitas fructum apud eos qui antea surdi erant et caeci.

Pii autem qui ipsi quoque rebus adversis affligebantur et impiorum irrisione impetebantur optimam fidei suae mercedem reportabunt ea videntes impleta quae firma fide fore semper crediderant ; v. 19 « *et addent mites in Domino laetitiam et pauperes homines in Sancto Israel exsultabunt* » ; — *mites* i. e. ex hebr. afflicti, humiles, qui fide et spe fulti in Domino etiam medias inter calamitates gaudebant, iam nunc augent laetitiam *in Domino*, quae scil. in Domino fundatur et de Domino eiusque gloria versatur ; eousque a sapientibus illis et dominantibus habebantur despectui — pauperes — ; at nunc fidei praemium reportantes gloriosa victoria divinitus concessa iubilant in *Sancto* Israel (cf. 6, 3), quem quia populi sui vindicem et verae pietatis auctorem semper sincere venerati sunt, modum agendi illusorum semper erant aversati. Nunc enim iniquitate devicta et tyrannide suppressa Sanctus Israel gloriam suam manifestavit et zelum illum denuo exhibuit quo

populum sibi sanctum efficere gestit. Unde iuremerito in eo exsultant v. 20 « *quoniam defecit qui praevalebat, consummatus est illusor et succisi sunt omnes qui vigilabant super iniquitatem,* v. 21 *qui peccare faciebant homines in verbo et arguentem in porta supplantabant et declinaverunt frustra a iusto* »; — hebr. explica *quia defecit* (periit) *violentus, consumptus est irrisor, excisi sunt omnes invigilantes iniquitati* i. e. qui sedulo vigilant ne quid boni praevaleat, sed ut iniquitas obtineat, qui propterea *homines perdunt in causa* (eos reos iniuste peragunt et in iudiciis condemnant) *et disceptanti in porta,* in foro, in iudicio rem suam et ius proponenti et defendenti *insidiantur,* ei laqueos tendunt, ut causa cadat, *et mendacio iustum opprimunt,* proprie per nihilum, per rem inanem i. e. fraude, calumniis, mendaciis insontem qui causam habet iustam perdunt. Eminet ergo in hostibus violentia, tyrannis, rerum divinarum contemptus et irrisio, studium quoddam et cura, ut iniquitas dominetur, oppressio insontis et iusti, iniusta iudicia. Assyrii quidem describuntur (cf. 10, 7 seq.) sed ita, ut comprehendantur in tam generali adumbratione ii quoque ex Iudaeis qui vita et moribus ad eorum partes accensendi sunt (cf. 28, 7 seq. 5, 8 etc.). Adversarii igitur Dei, qui nunc tanto strepitu impietatem suam et arrogantiam in Deum et homines produnt, delebuntur; innuit vates simul cum Assyriis interituros esse qui ex Iudaeis mentis morumque cognatione iis sunt coniuncti, nisi resipuerint. Ita complebitur suo modo proverbium *campus frugifer vertetur in silvam* : quae magnifica, splendida, potentia videbantur, ipsius iniquitatis pondere oppressa corruent.

In hebr. proprie habetur *peccare facientes hominem in verbo,* in causa, id quod significare potest : seducentes homines, ut peccent in iure dicendo; unde illi *invigilantes iniquitati* tamquam tales depinguntur qui alios impellunt ad iniustitiam in foro committendam. Verbum חטא in hiphil frequens est in notione ad peccandum inducendi, seducendi; praesertim in 1 et 2 libro Regum v. g. 1 Reg. 15, 26; 16, 26; 22, 53. 2 Reg, 3, 3; 10, 29 etc. etiam Ier. 32, 35. Sed significat etiam *peccati reum facere;* cf. Deut. 24, 4. Eccl. 5, 5; unde hoc loco plerique verbum notione *condemnandi, reum declarandi* capiunt; *in verbo* autem varie explicant: propter verbum eum condemnant, propter minimam causam vel unicum verbulum (*Del.*), vel verbo mendaci efficiunt, ut reus agatur (*Naeg.*). In ultimo membro plerique תהו explicant de falso testimonio, mendaciis et calumniis, iniusto iudicio (*Vat. Mald. Malv.* et recentiores); *Kn.* vertit *expellunt iustum in desertum;* verba quidem ita possunt intelligi; תהו cf. Deut. 32, 10. Iob 6, 18; 12, 24. Is. 24, 10; 45, 18. Ps. 107, 40 et נטה hiph. significat removere, expellere (Ier. 5, 25); sed frequentius adhibetur sensu translato, qui hoc loco magis consentaneus est, nisi תהו sensu generaliori de miseria, inopia, desolatione explicare malueris; nam iustum expelli *in desertum* singulare quidem genus oppressionis est, sed num etiam usitatum?

Hanc autem rerum conversionem efficiet Deus *fidelis,* memor foede-

deris sui et promissionum, qui opus in vocatione et electione Abraham inceptum ad exitum perducere vult; ita v. 22 « *propter hoc haec dicit Dominus ad domum Iacob, qui redemit Abraham : non modo confundetur Iacob nec modo vultus eius erubescet* »; — refer *propter hoc* ad ea omnia quae a v. 17 proposita sunt; quia igitur Deo constitutum est ita agere cum populo suo, ideo verba consolationis ad eum dirigit et eos profert titulos quibus fidelitas ipsius est obstricta; unde *domum* commemorat *Iacob* (cf. Gen. 49) et electionis Abraham mentionem infert, in qua primum quasi fundamentum operis divini positum est. Dei autem dona sine poenitentia sunt et quae promisit et incepit, fideliter exsequetur. Quare mentione operum Dei antiquorum necesse est fiducia in Deum fidelem quam maxime excitetur. Qua re simul egregie demonstratur, quomodo Deus sua salutis consilia iam a saeculis instituerit ac praeparaverit; id quod vates etiam saepius monet; cf. 41, 8; 51, 2. Cernitur enim in Abraham pignus quoddam Dei fidelis qui cum eum elegisset et in eo semen eius, hoc idem semen non abiiciet; quare ei promittitur fore, ut ab ignominia et opprobriis eripiatur; neque enim permittet Deus domum Iacob a gentibus conteri vel a sede et dignitate sua deiici, sed efficiet ut conditione fruatur electioni suae consentanea.

Unde quid ignominia ablata in populo Dei procreandum sit, vates exsequitur v. 23 « *sed cum viderit filios suos, opera manuum mearum, in medio sui sanctificantes nomen meum, et sanctificabunt Sanctum Iacob et Deum Israel praedicabunt* »; — hebr. verte et explica : *nam si ipse,* i. e. *filii eius viderint opera manuum mearum in medio ipsius, sanctificabunt nomen meum et sanctificabunt Sanctum Iacob et Deum Israel timebunt ; ipse* est Iacob et declarationis causa additur *filii eius*, quia posteri Iacob intelliguntur. Denuo ergo fides Abraham et Iacob reviviscet in eorum *filiis*. Dei enim magnalia cernentes filii Israel Deum glorificabunt et sanctitate vitae et vera pietate eum colent; exsistet populus sanctus. Ecce quis sit fructus ex calamitate oriundus et ex praeclara illa victoria qua Deus hostes prosternet (cf. 28, 5. 16; 29, 19).

Hebr. בִּרְאֹתוֹ aliqui explicant, ut supra verti (cf. *Del. Naeg.*); potest etiam cum aliis (*Ges. Rohl.*) ita accipi, ut obiectum quod videatur quasi praeoccupetur; ponitur ergo וֹ pleonastice et id quod sequitur *opera manuum mearum* suo modo introducit. Praeterea versiculus varie accipitur; aliqui enim pronomen suffixum non legisse videntur, cum vertant ὅταν ἴδωσι τὰ τέκνα αὐτῶν τὰ ἔργα μου; ita LXX, *Syrus*; utrum versio *Sym.* eodem modo accipienda sit necne, quaeri potest; praebet enim ὅταν ἴδῃ τὰ τέκνα αὐτοῦ ἔργα χειρῶν μου (cf. *Procop.*); neque desunt qui vertant versiculum nostrum, uti eum in *vulg.* videmus expressum :

si Iacob viderit filios suos, opera manuum mearum ; i. e. dicuntur filii Iacob opus manuum Dei, quia periculis erepti ad novam quandam reipublicae vitaeque conditionem eamque praeclaram (cf. v. 17 seq.) translati sint et quasi regenerati (cf. *Ros. Drechsl. Net.*) ; *in medio sui* i. e. in domo sua, quasi intra sinum suum et in nullo a vere filiis suis discrepantes (*For.*). Sed in hac acceptione apodosis non facile adiungitur, cum nexus inter utramque sententiam clarus et obvius non appareat ; neque enim commode dixeris, cur illi nomen Dei sint celebraturi, si Iacob eos viderit Dei ope in statum meliorem translatos. Quodsi nihilominus eam verborum rationem retinere volueris, rem potius ita accipe et explana : Iacob non confundetur ; nam cum filios suos videat restitutos, eos simul cernet sanctificantes nomen Dei ; in qua acceptione alterum sententiae membrum *et sanctificabunt* etc. commode explicare poteris cum *Drechsl.* de aliis nationibus, ad quas ex Iudaeorum pietatate restituta gloria Dei sit propaganda. Verum explanatio quam supra proposui est magis obvia magisque cum antecedentibus et tota rerum serie cohaerere videtur. Saepius enim inculcatum est fore ut visis Dei magnalibus gloriam Dei laudemque celebrent ; cum ergo verba ipsa quam facillime eum fundant sensum, is quoque retinendus erit. Ad quem proxime accedit *Chald.* : « sed cum viderit (domus Iacob) magnalia quae faciam filiis suis, benignitatem Abraham pro semine eius post eum in terra sua, inter se sanctificabunt nomen meum ». — Alii demum omissa particula כִּי primum hemistichium v. 23 ad antecedentia adnectunt ; Iacob non confundetur ; nec modo vultus eius erubescet, cum viderit filios suos, opera manuum mearum i. e. ope Dei restitutos ; sensus quidem haud erit spernendus ; at particulam כִּי tuentur LXX, *Sym. Theod. vulg. Chald.* ; quare audacius est eam expungere.

Hisce autem Dei magnalibus efficietur quoque, ut multi ex iis qui nunc rerum peregrinarum studio abrepti a norma theocratica aberrant et contra prophetarum monita obstrepunt ad meliorem frugem convertantur v. 24 « *et scient errantes spiritu intellectum et mussitatores discent legem* » ; — hebr. *discent doctrinam;* cf. v. 18; prudentia illa humana, de qua v. 14, hoc loco *error* dicitur, quo remoto animus vera intelligentia sit imbuendus, ut ad normam theocraticam omnia exigant et diiudicent ; qui errantes spiritu dicuntur, iidem sunt *murmuratores,* verbis prophetarum obstrepentes eaque indigne ferentes ; sed rerum eventu edocti institutioni divinae per prophetas communicatae iam faciles aures praebebunt. Ita rerum iudaicarum conditio in melius vertetur. Hac igitur certa spe piorum animi erigantur ! Vatis vero est et pios consolari et reluctantium quoque animos fructu qui exoriturus est salutari commemorato ad eundem fructum percipiendum paulatim praeparare.

4. *Quartum vae* 30, 1-33.

Arg. — Graviter in eos minas effundit qui consilio Dei spreto opem

flagitaturi Aegyptios adierunt; non opem, sed opprobria et confusionem eos reportaturos esse ab Aegyptiis praedicit oraculo in Aegyptum prolato (30, 1-7). Quod oraculum propheta diligenter perscribere iubetur propter contumaces, qui non ea quae utilia sunt ac recta audire velint, sed quae ipsi perverse appetunt; quare poenas iniquitatis dabunt in extremum exitium ruituri. Idque merito; nam normam salutis quam Dominus praefixerat petulanter reiecerunt; unde suis ipsorum conaminibus sibi interitum adsciscent (30, 8-17). Deus autem fidelis et misericors eos qui in ipso fiduciam collocant mediis in angustiis auxilio, institutione divina, abundantia bonorum quam amantissime exornabit (30, 18-26) et tamquam iudex terribilis et vindex in hostes populi animadvertet mirum in modum vindictam capiens, suos autem incredibili laetitia perfundens (30, 27-33).

Quam apte hic sermo antecedentibus iungatur, facile cernitur. Eo enim perspicue explicatur, quale sit consilium illud, quod a Domino abscondere nitantur (29, 15); appetunt scil. foedus aegyptiacum eoque opem et salutem sibi promittunt. Quod cum normae theocraticae aperte sit oppositum, propheta, custos theocratiae, omni verborum pondere quam inutilis futura sit Aegyptus quantamque ipsis allatura ignominiam denuntiat, contumaciam et perversitatem popularium castigat, unam salutis normam qua Deus uti velit pluribus commendat, salutem a Deo dandam egregie describit, ultionem de hostibus capiendam eorumque interitum vivis coloribus depingit. Quibus omnibus id sane assequi vult, ut a spe aegyptiaca eos retrahat opprobrio poenisque ostensis, ut ad Dei fiduciam eos alliciat benignitate eius ac salute descripta. Quare hoc quoque sermone auditorum animos in omnem versat partem: modo minis et terroribus eos absterrens a fiducia humana, modo bonorum promissione ac descriptione eos demulcens, modo Deum vindicem malorum exhibens, modo eum salutis largitorem benignissimum describens. Ita omnes quasi animorum aditus vates tentat, ut a perversis machinationibus eos retrahat et in uno Deo spem ponere efficaciter doceat.

a) Aegyptus erit iis opprobrio 30, 1-7.

Quantopere a norma theocratica, qua Deus ipse per suos internuntios et oraculis datis res omnes administrare volebat, recesserint, gravi reprehensione propheta effert v. 1 « *Vae, filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium et non ex me, et ordiremini telam et non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum* »! — rebellionem et contumaciam voce סוֹרֵר denuntiat (cf. 1, 23), quae in *filiis* eo magis vituperio est; honoris ac dignitatis titulo prolato quantis modis

Deo sint obstricti docet et turpitudinem rebellionis ac protervitatis exaggerat. Haec in eo cernitur, quod contra regimen theocraticum Deo non consulto, immo Deo aperte contradicente et vetante consilia capiunt et foedus inire tentant. Haec enim agentes Deum *regem* negligunt, seponunt, spernunt et talem rerum gerendarum rationem sibi arrogant, qualem Deus per prophetas et oracula exercendam sibi reservaverat. Cum igitur legem theocratiae fundamentalem ipsumque Dei dominium aggrediantur et subvertant, mirum non est eos compellari *rebelles* iisque dici haec ab ipsis fieri eo animo, *ut* peccatis addant peccata, priora scil. peccata (cf. cap. 5. 7) hac a Deo rege defectione complentes.

Quale sit illud consilium et quale foedus, iam indicat per singula v. 2 « *qui ambulatis ut descendatis in Aegyptum et os meum non interrogastis, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis et habentes fiduciam in umbra Aegypti* » ; — reprehensione illa v. 1 generali praemissa attentio animorum excitatur, ita ut accurata haec altera accusatio eo maiore vi audientes percellat et eis qui abscondere voluerint consilium (29, 15) a Domino, clarissime prodat nihil vatem latere, immo luce clarius machinationes omnes ei patere. Locutione ampliore *ambulatis ut descendatis* ipse labor itineris ac diuturnitas indicari videtur ; « longum iter suscipitis, ut quaeratis humanum auxilium, cum habere possetis divinum » (*Mald.*). Idque faciunt propheta haud consulto, qui est *os Domini* (cf. Ex. 4, 16 ; 7, 1. Ier. 15, 19) ; de rebus enim gravioribus publicisque ex norma theocratica vel prophetae erant interrogandi vel Dei voluntas per pontificem ope urim et tummim erat exquirenda. Cur descendant in Aegyptum, ex hebr. verte : *ut roborentur* [1] *robore Pharaonis* (cf. *Syr. Chald. Mald. Malv. Net. Drechsl. Naeg.*) *et confugiant ad umbram Aegypti* vel se abscondant in umbra Aegypti. Bene dicitur *umbra,* vox scil. ambigua, quae uti absconsionem et tutelam protectionemque a calore significat, ita quoque impotentiam, infirmitatem, vanum ac nihil designat [2]. Et vere *umbram* i. e. debilitatem et nihil intelligi in subsequentibus satis innuitur a vate.

Verum quantopere a spe concepta deiiciendi sint, statim iis declarat v. 3 « *et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem et fiducia umbrae Aegypti in ignominiam* » ; — hebr. *et refugium* (vel abscon-

---

1. Ita scil. cum testibus antiquis et probabiliter etiam cum LXX τοῦ βοηθῆναι infin. עוֹז derivandum censeo a עזז ; alii explicant ab עוז *fugere* (cf. *Kn. Del. Bred. Rohl.*) : ut fugiant ad asylum Pharaonis. Sed praeter veterum acceptionem etiam maiore dicendi varietate et pondere prior explicatio commendatur.

2. Vide v. g. 4, 6 ; 25, 4 ; 34, 15 ; 51, 16. Num. 14, 9. Ps. 16, 8 ; 90, 1 ; 120, 5 — e contra Iob 8, 9 ; 17, 7. Ps. 101, 12 ; 143, 4.

sio) *in umbram Aegypti* erit vobis in *opprobrium;* cf. 20, 5. Haec ergo ab ore Domini audire debent, quibus quam misere convellenda sint ipsorum consilia edoceantur. Atque revera opprobriis a Rabsace iactis demum experti sunt, quam vere vaticinatus sit propheta (cf. 36, 6. 4 Reg. 18, 20). — Quam merito id eis eventurum sit, vates ex sedulitate declarat, qua legatos varias in partes miserunt, simulque sermonem per singula pertexens iis manifestat se de occultis eorum machinationibus esse omnino edoctum; quare quae adduntur etiam antecedentibus robur et probationem adiiciunt ita, ut si forte accusationem factam negare voluerint, omne effugium iis occludatur; v. 4 « *erant enim in Tani principes tui et nuntii tui usque ad Hanes pervenerunt* »; — hebr. *nam principes eius fuerant in Tani et nuntii eius perveniunt* (venient, pertingent) *ad Hanes;* modo loquendi indicari videtur, illos iam pervenisse Tanim, sed nuntios adhuc in itinere Hanes versus occupari. Tanis vel hebr. Zoan, hieroglyphice scribitur *tan* vel *ta,* urbs antiquissima (cf. Num. 13, 23. Ps. 77, 12. 43) in cuius regione Moyses miracula patraverat, sita erat in terra Gosen ibique aliquae dynastiae aegyptiacae (ex Manethone 21. et 23.) sedem habuerunt (cf. *Brugsch,* Geogr. Inschriften I p. 87. 90. *Winer* s. v. *Schenkel,* Bibellexicon V. p. 722). Hanes, hebr. Chanes, a plerisque urbs fuisse censetur in media Aegypto in insula sita, quam Graeci Heracleopolin magnam vocabant et quae hodie Ehnes appellatur et eadem creditur quae Ἄνυσις apud Herodotum (2, 137) et Ahnas apud Arabes (cf. *Brugsch* l. c. 280; *Schenkel,* Bibellexicon II p. 590). Urbibus istis nominatis auxilium a Iudaeis efflagitatum esse apparet et apud regem Aegypti inferioris, qui tum temporis erat Sethos ex dynastia 24 saitica, et apud regem Schabataka ex dynastia 25 aethiopica, qui in Napata et Thebis dominabatur; unde primores illi qui apud Iudaeos a partibus Aegyptiorum stabant longe lateque opem conquirere studebant. Quod cum Ezechia rege inscio vel invito fieri nullatenus posset, intelligitur cur vates adeo severe modum agendi antitheocraticum condemnet et mala inde proventura adeo vivide proponat.

LXX in ultimo membro praebent μάτην κοπιάσουσιν; simili modo *Syrus* sine nomine urbis *defatigabuntur*; igitur legerunt non חנס sed levi literarum mutatione חנם i. e. חִנָּם *frustra,* quam lectionem etiam complures codices apud *de Rossi* exhibent. Eam aliqui recentiores adoptarunt (cf. *Hitz. Kn. Bred.*). At perperam. Nam cur pro vocabulo notissimo si in textu adfuisset nomen ceteroquin incognitum positum sit, nemo explicabit, dum e contra facile patet contrarium; dein ipso parallelismo admonemur, ut nomen urbis retineamus; urbem praeter *vulg.* etiam agnovit *Chald.*, solum in eo a vero deflectens quod illam explicat תחפנחס

Taphnes (uti quoque in margine legitur cod. 380 apud *de Rossi*). Perperam quoque *Kn.* aliique pauci principes nuntiosque intelligunt Pharaonis; principes scil. militum qui regi irati in Tani manent nec auxilium ferre volunt, ita ut nuntii regis frustra itineribus defatigentur et frustra ad arma milites convocare studeant (cf. *Herodot.* 2, 141). Sed principes illos regi iratos in urbe otiosos sedere neque regi ad arma vocanti obsequi velle, nullo modo verbis textus adeo simplicibus exprimitur, lectionem autem hebr. immerito mutari iam ostensum est. Neque explicatio illa rebus revera gestis congruit; nam regem aegyptiacum exercitu conscripto contra Assyrios profectum esse, ex 4 Reg. 19, 9 et Is. 37, 9 indubie constat.

Probatione allata qua constat accusationem vere ac recte fieri et pravis illorum machinationibus detectis et demonstratis propheta cum emphasi id repetit quod iam in v. 3 inculcaverat, v. 5 « *omnes confusi sunt super populo qui eis prodesse non potuit; non fuerunt in auxilium et in aliquam utilitatem, sed in confusionem et in opprobrium* »; — i. e. omnes pudore afficientur; in hebr. alterum membrum verbo omisso cum ictu effertur : *non in auxilium neque in utilitatem, verum in confusionem et etiam in opprobrium.* Quod quo magis efferatur, vates oraculum minis plenum et proprio titulo distinctum sermoni inserit v. 6 « *Onus iumentorum austri* »; — hebr. *onus behemoth austri;* behemoth nomen esse hippopotami, vide ad Iob 40, 10; eo autem animali Aegyptum declarari certum est, id enim iam nomine terrae *australis* indicatur, dum Babylonia regio dicitur septemtrionalis; id hippopotamo innuitur, qui in Nilo fluvio frequens adest; similiter alias Aegyptus vel תַּנִּין serpens, vel crocodilus vel fera arundinis aenigmatice designatur (cf. 27, 1. Ps. 67, 31). Hippopotamo autem animali vasto ac pinguissimo quod non sine difficultate se movet bene delineatur Aegyptiorum indoles [1] qui ad auxilia ferenda iam saepius non adrepserunt nisi tardius; ita Osee regem Samariae deceperunt, ita Samaria ab Assyriis expugnata sero venerunt (cf. *Rohl.*).

Hippopotamum intelligi recentioribus compluribus placet (cf. *Schegg, Rohl. Del. Naeg. Troch.*); explicant בַּהֲמוֹת statum constructum de בְּהֵמוֹת Iob 40, 10. Alii tamen *iumenta* retinent; ita veteres versiones; LXX ὅρασις τῶν τετραπόδων; *Aq.* ὅραμα κτηνῶν λιβός; *Sym.* λῆμμα κτηνῶν νότου; sim. *Theod. Syrus.* Haec autem iumenta intelligunt plerique Iudaeos : « cum Iudaeos videret Isaias ferre divitias suas in Aegyptum per viam australem seu meridionalem, nempe per desertum illud horrendum quod ad australem plagam Palaestinae iacet per quod filii Israel

1. Bene notat *Troch.* : « rien ne peint mieux l'Egypte égoïste, difficile à faire sortir de chez elle, surtout quand il s'agit seulement de l'intérêt des autres, que ce colosse énorme, qui se remue si difficilement ».

in terram promissam ex Aegypto profecti sunt, et eorum onera videret atque propter hoc a Deo duriter tractandos, dicit *onus*... i. e. visio gravis (cf. 13, 1) in eos qui veluti iumenta versus austrum onerati proficiscuntur » (*For.* sim. *Mald. Malv. Sanct. Lap. Men. Tir.* et iam *S. Hier. Thom.*); alii et Aegyptum et Iudaeorum legatos communi nomine comprehendi volunt (cf. *Naeg.*). Inscriptionem hanc aliqui recentiores (*Ges. Hitz. Umbreit, Kn. Bred.*) ut additamentum e textu eiiciunt, quibus iam praelusit *Calm.* scribens ad h. l. : « inscriptio haec minus necessaria hic videtur ac merito suspicamur Iudaei alicuius additamentum esse ». At perperam. Nam ex v. 8 elucet effatum hoc tamquam oraculum peculiare posterorum memoriae commendari et asservari, unde illud titulo peculiari insigniri quis mirabitur? Ea autem inscriptione attentio quam maxime provocatur, id quod hoc loco magnam habet emphasin. Porro titulus eodem modo profertur, sicut quater cap. 21. 22 et habet aliquid aenigmatici, sicuti illi tituli; quare manum glossatoris hoc loco minime deprehenderis. Minis istis singulari oraculo in Aegyptum iactis pondus magnum accedit orationi; ipsa Aegypti designatio, ut vidimus, ad rem praesentem est aptissima et eleganti ratione iam praeformat et alio modo effert nomen illud Aegypto v. 7 inditum; non minus apte quam concinne et eleganter oraculum nomine aenigmatico et inchoatur et concluditur; nomen denique illud singulari consensu apud omnes testes antiquos quotquot exstant reperitur : quid igitur amplius requisieris, ut rationibus et internis et externis inscriptionem esse genuinam et ab ipso auctore additam affirmes? Alii verba quidem retinent, at inscriptionem non agnoscunt. Ita iam *Chald.* : « portant in iumentis suis in via austri, in terra.. » et *Net.* : « tamquam vectigal bovis marini portant thesauros suos... »; at immerito a communi veterum et recentiorum acceptione receditur; novae interpretationi obstat collocatio verborum et sententia nimis interrupta et languida.

Indole aegyptiaca in ipso titulo delineata non sine acerba ironia quot labores et pericula subeant, quot thesauros impendant, ut confusionem et opprobrium sibi comparent, vates exsequitur v. 6 « *in terra tribulationis et angustiae, leaena et leo ex eis, vipera et regulus volans, portantes super humeros iumentorum divitias suas et super gibbum camelorum thesauros suos ad populum qui eis prodesse non poterit* »; — textum hebr. iunge et explica : per terram tribulationis et angustiarum, ex qua est leaena et leo, vipera et regulus volans, portant super humeros asinorum opes suas. Bene notat *Mald.* : « describit difficultatem itineris quod a legatis suscipiebatur : transeundum enim erat illis desertum quod propheta vocat terram tribulationis et angustiae, ubi sunt leones, viperae, reguli qui ex eis (terris) egrediuntur »; de qua re cf. Deut. 8, 15 : « ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens » i. e. saraph hebr. quae vox hoc quoque loco usurpatur; de regulo cf. 14, 29. Neque minus horrores deserti apud Ier. depinguntur : « qui traduxit nos per

desertum, per terram inhabitabilem et inviam, per terram sitis et imaginem mortis ». Laboribus vero et periculis quibus se exponunt addunt opum profusionem : asinos enim et camelos onerarunt, ut thesauros suos effunderent *super populum* (hebr.), qui tamen *nihil* utilitatis eis praestabit. Tertio id iam inculcat vates (cf. v. 5 hebr.).

Ergo laborant et opes profundunt in vanum, idque iuremerito, quia sine Deo, immo contra Deum rationes ineunt; revera igitur iam periit sapientia a sapientibus (29, 14); unde v. 7 « *Aegyptus enim frustra et vane auxiliabitur; ideo clamavi super hoc : superbia tantum est, quiesce* » ! — nomen indit propheta, quo vera Aegypti indoles declaretur ad rem praesentem apta et facta; hebr. רהב qua voce alias quoque Aegyptus designatur (cf. 51, 9. Ps. 86, 4; 88, 11), dicit tumorem, impetum, ferociam, superbiam; hebr. potest verti cum *Malv.* : « *tumor ipsi* i. e. Aegyptus nihil nisi tumor et ampullae inanissimae sunt... tota illa ampla et magnifica Aegyptiorum promissio seu iactatio de mittendis auxiliis eo tandem recidet, ut nihil agant »; id quod in hebr. ultimo verbo indicatur שָׁבֶת i. e. cessatio, sessio [1]; iactant sese quidem ac tument et gloriantur, at quando ipsa res agitur, domi sedent ac remanent otiosi. Ita cum risu et contemptu Aegyptus decribitur et eo nomine tamquam tessera populo tradito vates conatus illos antitheocraticos eludere et evertere studet. — Interpretes latini cum *S. Hier.* explicant *quiesce* de Iuda : desine petere auxilium a superbis Aegyptiis, vel domi mane, o Iuda, quiesce ab ista profectione. Sed cum novum nomen Aegypto indendum annuntietur, prior interpretatio textui hebr. consona praeferenda est.

b) Suis se machinationibus perdent 30, 8-17.

Effatum illud in Aegyptum pronuntiatum diligenter literarum monumentis consignare propheta iubetur, ut per cunctas aetates constet quantopere Deus illum agendi modum aversetur et ut oraculum diligenter servatum quando rei exitus aderit divinam manifestet curam, providentiam, rerum praescientiam iisque qui frustra moniti sint, confusioni vertatur; v. 8 « *Nunc ergo ingressus scribe ei super buxum et in libro diligenter exara illud, et erit in die novissimo in testimonium usque in aeternum* »; — hebr. *nunc ingredere, scribe illud in*

---

1. Adnotat *S. Hier.* : « Symmachus interpretatus est ταραχαί εἰσιν κατοικεῖν i. e. tumultus sunt, ut habitent; verbum hebr. Aquila ὅρμημα i. e. *impetum et superbiam,* Symmachu *turbationem,* LXX *vanitatem,* Theodotio *latitudinem* interpretati sunt »; legit ergo *Theod* רחב.

tabula coram eis scil. qui adsint tamquam testes rei praedictae et literis consignatae... *et erit* (ut sit vel permaneat) *ad tempus subsequens, ad perpetuum, usque in aeternum;* cf. 8, 1. Perennis igitur exstet memoria et sollemniter testatum relinquatur, « quam saepe populum hunc de officio suo commonuerim et in quo salutis suae ratio tota consisteret aperte demonstraverim et ne praeceps in pestem rueret obtestatus sim » (*Osor.*). *Tabula* et *liber* parallelismi et emphasis gratia adhibetur, non quasi bis conficienda sit scriptio. Textus *mas.* fert in perpetuum לָעַד; nescio an non praeferenda sit lectio quam sequuntur *Aq. Sym. Theod. Syrus, vulg.* לְעֵד *testimonium,* εἰς μαρτύριον, quae lectio magno pondere praestat et vehementem contumacium accusationem effert et cur Deus oraculum velit literis mandari et posteris tradi graviter monet, similiter uti olim Moyses : « tollite librum istum et ponite eum in latere arcae foederis Domini Dei vestri, ut sit ibi contra te *in testimonium* » (Deut. 31, 26). Neque frustra dicitur *usque in aeternum;* voces enim propheticae Dei normas docent aeternas iisque documenta continentur semper et ubique quae valeant.

Publicis autem monumentis et testibus sollemniter accitis oraculum illud est consignandum, quia omnia primorum populique studia in rem prorsus contrariam nituntur; quare simplex enuntiatio vel non attenderetur vel statim oblivioni daretur; v. 9 « *populus enim ad iracundiam provocans est et filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei* »; — hebr. *populus enim rebellis est* vel refractarius, durae cervicis, qui nolit obsequi; *mendaces,* qui spem suam in mendaciis rebusque vanis ponunt (28, 15) vel mendacia et fallacias prae veritate amant et amplectuntur, uti versu subsequenti dicitur, vel etiam qui perfidi, adulterini ac degeneres Dei spem et exspectationem fallunt et a foedere inito desciscunt promissis minime stantes (cf. *S. Cyr. Osor. Men.*). Utpote tales doctrinam Dei respuunt. Quomodo aures suas veritati occludant, vates graphice describit v. 10 « *qui dicunt videntibus : nolite videre, et aspicientibus : nolite aspicere nobis ea quae recta sunt! loquimini nobis placentia, videte nobis errores* »! — prophetas vera videntes respuunt; pseudoprophetis adhaerent qui *adulationes* (hebr.) loquuntur, qui populi praeiudiciis adstipulantur; ita enim mores populares conformati sunt, ut iis aures avidae praebeantur, qui ea promittunt et vaticinantur quae quisque libenter audit; cf. Mich. 2, 11 (hebr.), atque in eo potissimum et semper constitit et ubique constat pseudoprophetarum vis et auctoritas, ut cupiditates populares in suas partes connivendo et blandiendo pertrahant. Sermonem propheta instruit, uti 28, 15; quid revera expetant et exoptent, nomine *blanditiarum et deceptionum* effert innuens ipsos sua sponte a pseudopro-

phetis velle decipi et scientes veritatem repellere et iustam prophetarum reprehensionem aversari. Immo longius progrediuntur v. 11 « *auferte a me viam, declinate a me semitam, cesset a facie nostra Sanctus Israel* » ! — hebr. *recedite a via, declinate a semita, facite cessare a facie nostra Sanctum Israel* i. e. volunt, ut prophetae tramite veri rectique relicto perversis cupiditatibus obsequantur, ut iam non admoneantur quid Sanctus Israel postulet. Animorum id est in malo proposito obfirmatorum. Aegre ferunt ipsum nomen Sancti Israel, quo prae ceteris Isaias frequenter utitur et quo quae Dei sint partes in populum rebellem, egregie adumbratur (cf. 6, 3); ipso enim hoc nomine inter cetera effertur, quantopere Deus normam theocraticam in populo vigere velit, paratus omnem iniquitatem severe ulcisci. Quare facile intelligitur, cur audire Sanctum Israel gravissimum sit iis ac molestissimum.

Sed Sanctus Israel vindex est malorum, qui pro sua sanctitate iniquitatem non relinquit impunitam; iis ipsis quibus salutem perperam appetentes in Deum peccarunt, iusta ultione castigabuntur; ita v. 12 « *propterea haec dicit Sanctus Israel : pro eo quod reprobastis verbum hoc et sperastis in calumnia et in tumultu et innixi estis super eo,* v. 13 *propterea erit vobis iniquitas haec sicut interruptio cadens et requisita in muro excelso, quoniam subito dum non speratur, veniet contritio eius* » ; — verbum quod fastidio magno abominati sunt (hebr.) est oraculum contra foedus aegyptiacum et reprehensio eius per prophetam facta; pro ratione agendi a Deo ipsis assignata spem suam collocant in *oppressione* (hebr.) et violentia ; vi enim et armis repellere volunt Assyrios; ideo foedus aegyptiacum appetunt, ad quod ut habeant munera et thesauros, oppressione utuntur et duris exactionibus in populum (cf. v. 6 et sim. 4 Reg. 15, 20). Alterum quo a norma Dei deflectunt est נָלוֹז *res perversa, curva,* qua voce modus ille agendi antitheocraticus designatur quem coram Deo occulere student (29, 14). In his duobus spem ponunt, verum in iis ipsis iniquitas eorum et ruina consistit. Qualis pernicies illo peccato eis immineat, comparatione declaratur : *hoc peccatum vobis erit velut ruptura cadens, prominens* (protuberans quasi tumefacta) *in muro excelso* (hebr.) i. e. instar muri rupti iamiam ruinam minitantis, *qui subito, repente venit ad contritionem* (hebr.); adest scil. ruptura in muro; pars rupta tamquam tumor in alto muro iam prominet; quare singulis momentis timendum, ne murus corruat. Aliis verbis : quibus rempublicam iuvare ac fulcire volebant, iis eam certo certius suffodiunt atque evertunt; murum firmum exstruere sibi promittunt, sed ruinam efficiunt. Quodsi igitur Deus eorum conamina non impediret, rempublicam everterent funditus atque

destruerent. Atque revera foedere illo aegyptiaco id effecerunt, ut Sennacherib quam primum audivit Tharacam regem Aegyptiorum egressum esse, ut pugnaret adversus ipsum (4 Reg. 19, 9), eo maiore conatu et impetu urbem Ierusalem occupare tentaret.

Ruinam quam sibi et reipublicae allaturi sint consiliis Dei obnitentes, alia imagine etiam fortius exprimitur v. 14 « *et comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida, et non invenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio aut hauriatur parum aquae de fovea* » ; — hebr. *et confringet eum* (Deus scil. ultor propter peccatum v. 13 — ita *Mald. Malv.*).. *non parcet* i. e. sine commiseratione. Qua comparatione completa quaedam regni dissolutio atque destructio praedicitur, ita ut nihil remaneat, ac si urceus vel lagena ita frangitur, ut ne testa quidem supersit qua parum aquae hauriatur. Quare serio monentur, ut considerent, ad quid tandem modo illo agendi antitheocratico perveniatur. Eam comparationem vere propheticam dixeris. In calamitate quidem assyriaca contritio illa non est facta, nisi eam retuleris ad internecionem multorum et eversionem multarum urbium ; sed in expugnatione chaldaica et etiam magis in romana respublica iudaica eam subiit ruinam ac disiectionem suorum civium culpa et iniquitate, quae lagena confracta et plane ad omnem usum inepta optime illustratur. Unde altera haec comparatio gradatione continetur, quam explicat *Mald.* : « sensus est fore ut Iudaeorum ruina peior sit quam ruina excelsi ac tumentis muri ; murus enim cum cadit, manent lapides et lateres saltem integri, ex quibus reaedificari possit, sed Iudaei cum ceciderint, ita comminuentur, ut in pristinum statum restitui non possint, sicut lagena minute confracta refingi non potest » (sim. *For.*). Aliqua tamen ratione etiam in calamitate assyriaca simile quid experti sunt ; talem enim rerum conditionem plane desperatam indicant Ezechiae verba, infra 37, 3 ; quare versum hunc ita declarat *Osor.* : « vos sic eritis eversi et afflicti, ut nihil in vobis integrum vel ad aliquod quantumvis vile et abiectum munus obeundum inveniatur ».

Tali autem ruinae obviam feruntur necessario, quia salutem a Domino oblatam respuunt neque consiliis divinis acquiescunt, quibus Dominus suam civitatem et rempublicam salvam consistere vult ; v. 15 « *quia haec dicit Dominus Deus, Sanctus Israel : si revertamini et quiescatis, salvi eritis ; in silentio et in spe erit fortitudo vestra ; et noluistis* » ; — normam Deus promulgat eandem eandemque salutis viam quam iam Achaz regi proposuerat (cf. 7, 4) et quam 28, 16 ostenderat. Postulat enim ut a via perversa quam inierant *revertantur,* ut alieni a foedere antitheocratico spem totam in uno auxilio divino ponant, ut proinde a bellico tumultu et strepitu recedant et plena fide se Domino tradant. In

hac fide et spe omne eorum robur consistit; haec si adsunt, invicti sunt; haec si desunt, hostium incursu prosternentur. Sed quis hominibus rerum mundanarum cupiditatibus pressis normam adeo sublimem et ab hominum aestimatione alienam persuadebit? Iis enim tanguntur quae vident. Unde vim vi repellere, arma armis superare unice meditantur. Quare incredulitatem eorum atque contumaciam Deus perstringens acerba ironia eos exagitat v. 16 « *et dixistis : nequaquam ! sed ad equos fugiemus ; ideo fugietis ! et super veloces ascendemus ; ideo velociores erunt qui persequentur vos* » ! — hebr. explica : super equis celeri cursu feremur scil. in hostes impetu feremur equis vecti ; non quietem et spem in Domino ponendam affectant, sed pugnam et caedem hostium. At eleganti paronomasia (*Mald.*) suis ipsorum verbis poenam Deus annuntiat. Mentio fit equorum, quia Aegyptii quos belli socios exspectant equitatu praeprimis valebant.

Sententiam in contumaces prolatam Deus verbis confirmat e Pentateucho petitis, quibus scil. iam olim normam illam theocraticam promulgaverat pandens conditiones victoriae vel caedis, gloriae vel interitus v. 17 « *mille homines a facie terroris unius et a facie terroris quinque fugietis, donec relinquamini quasi malus navis in vertice montis et quasi signum super collem* » ; — cf. Deut. 32, 30 : « quomodo persequatur unus mille et duo fugent decem millia ? nonne ideo quia Deus suus vendidit eos et Dominus conclusit illos » ? et Lev. 26, 17. 36. Impetum et terrorem praedicit quo exercitus Assyriorum copias Iudaeorum dispellet et universas Iudaeae urbes et oppida occupabit ; atque in eas demum angustias res iudaicae redigentur, ut sola urbs regni caput in communi calamitate emineat et relinquatur invicta, ac si silva excisa in montis vertice una relinquatur *pinus* (hebr.) vel prout signum militare vel vexillum in colle erectum (13, 2) eminet in vasta undique solitudine. Hisce simul magnam fore Iudaeorum cladem plurimosque contumaciam suam morte esse expiaturos praedicitur (cf. 28, 17-20). Neque abs re erit similitudinem adhibitam ita cum aliis inflectere, ut calamitas designetur insignis ubique conspicua et spectabilis, « quemadmodum si quis malum in monte vel signum in colle statuerit » (*S. Cyr. Theod. Euseb. Procop.*), quod aliis inserviat pro admonitione, ne eodem naufragio implicentur (*Mald. Sa, Men. Tir. Calm.*) vel ut *S. Hier.* adnotat : « quomodo si fracta navi et compage illius dissoluta sola arbor quae malus dicitur remaneat et ponatur pro signo in summitate montis sive in excelso colle, sic pro signo atque vestigio vix unus et alter resideant ad Dei potentiam demonstrandam » (sim. *Sanct. Malv. For. Osor. Lap. Troch.*).

c) Deus autem suos bonorum copia ditabit 30, 18-26.

Sed calamitas illa infligitur, ut via pandatur saluti; reliquiae enim convertentur ad Deum fortem (10, 21) et Sion in iudicio redimetur (1, 27). Unde sicuti 29, 5, cum omnia ad extremam miseriam redacta videantur et humana subsidia prorsus prostrata iaceant et impii suae impietatis et contumaciae poenas luerint, Deus pro sua fidelitate miserae reipublicae conditioni succurret. Quare v. 18 « *Propterea exspectat Deus ut misereatur vestri et ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus iudicii Dominus* ; *beati omnes qui exspectant eum* » ; — nexus cum antecedentibus *propterea, ideo* facile explicatur, dummodo memor sis ab initio prophetiae continuo efferri fore ut ex afflictione et castigatione salus efflorescat (cf. ad 6, 11). In hebr. magnum exprimitur desiderium quo Deus ad praestandam misericordiam feratur. Vim vocis bene expendit *For.* : « non satis explicat verbum *exspecto* vim verbi חכה, quod anhelandi et inhiandi verbo reddi potest; huc tendit, inquit, in hoc totus est, ut misereatur; ad hoc permittit hostes grassari, vos fugientes intercipi, multos ex vobis interfici et in paucitatem redigi, ut malis fractos et ad se conversos in gratiam recipiat » (sim. *Osor.*). Et cum sit *Deus iudicii,* qui scil. ius et iustitiam, statum illum suae sanctitati congruum et multis promissionibus oppigneratum, in terris adesse velit, ideo *exsurget*, ut misereatur i. e. postquam diu hostes grassari permisit, demum sese elevabit, ut eorum impetu represso gratiam suis praestet (cf. *Malv. Schegg, Net.*). Quae cum sit Dei agendi ratio, illi merito beati praedicantur, qui magno desiderio ad Deum anhelant (חִכָּה), « quasi dicat : si ipse inhiat et quasi anhelat ad benefaciendum nobis, uti in principio versus dixerat, o quam praeclare agitur cum iis, qui vicissim ei inhiant et ad eum amplectendum anhelant » (*Malv.* sim. *For.*).

Alii versum sensu prorsus contrario explicant : propterea Deus tardabit ut misereatur... sese elongabit a vobis, vel longe aberit ut vestri misereatur (cf. *Mald. Rohl. Drechsl. Del. Naeg. Bred.*). Sed haec explicatio et verbis et contextu excluditur. Verbum enim חכה est *desiderare* ; cf. 8, 17. Iob 3, 21. Soph. 3, 8. Ps. 33, 20 etc. atque eo sensu hic quoque accipiendum esse verbum, indubie ex ultima eiusdem versus sententia colligitur ; beati omnes qui exspectant eum, quae sententia aperte refertur ad versus initium et eos designat quibus Deus bona largiri desiderat. Sed cum verbum idem bis in tali coniunctione adhibeatur, nefas est sine ratione cogente illud sensu contrario accipere. Neque verbum רום cum sequenti ל aliud significare potest nisi *se elevare, surgere ad miserendum* et sane mirum est, quomodo aliqui sequentes Raschi ex ea locutione

contrarium exprimere conentur : altior est (longe abest) quam ut misereatur ; sed qualem Dei elevationem propheta intelligat, disce ex 33, 3 et 31, 2. Neque minus contextu ea explicatio reiicitur. Nam sollemniter et repetito Deus profitetur se auxilium laturum, quando summum aderit reipublicae periculum in calamitate assyriaca. Tale vero periculum certe in v. 17 depingitur ; quomodo ergo apte sequi posset : Deus propterea tardabit ? Ex ipsa demum impletione scimus, Deum revera in summis angustiis et in necessitate quasi extrema opem tulisse ; cur ergo verba haec sensu plane alio accipies ? Demum cum in v. 19 misericordia Dei praedicetur et statim ad vocem clamoris is dicatur respondere, nemo dixerit quomodo haec sententia particula *enim* antecedenti copuletur, si in illa Deus tardare et sese a populo elongare dicitur. Omnia autem in ea expositione optime cohaerent, quam veteres et versiones et interpretes sequuntur (cf. *Syr. Chald. S. Hier. Cyr.*). — Frequenter *exaltabitur* ita accipiunt, ut Deus dicatur magnitudinem suam et gloriam parcendo et miserando quam maxime manifestare ; « ideo miseretur et parcit, ut exaltetur illius misericordia et bonitas creatoris nota fiat » (*S. Hier.* sim. *Mald. Sa, Mar. Tir. Calm.*) ; sensus quidem praeclarus est ; at propter 33, 3 et 31, 2 alia explicatio praeferri debet. — Ex sensu vindicato simul elucet nos omnino carere posse coniectura illa, qua aliqui pro יָרוּם legi volunt יִדּוֹם *quiescet* (*Houbig. Lowth, Ew. Cheyne, Naeg. Bred.*) contra versiones veteres.

Iam quomodo Deus suos sit consolaturus in rebus arctis declaratur explicatione addita ad versum antecedentem v. 19 « *populus enim Sion habitabit in Ierusalem; plorans nequaquam plorabis, miserans miserebitur tui; ad vocem clamoris tui statim ut audierit respondebit tibi* » ; — hebr. *quia populus in Sion habitat, in Ierusalem* i. e. Sion centrum ac sedes regiae potestatis, Ierusalem caput totius regionis ab invasione hostili servabitur; ibi Dei populus secure deget tempore calamitatis assyriacae ; ibi Deus lacrimas et gemitus piorum auferet, gratiam praestabit ; ibi confestim opem feret, simulac preces effuderint. Post minas in rebelles iactas ostendit triplici modo quanta benignitate pios sit amplexurus, quanta promptitudine eorum precibus sit obsecuturus, ut hac amicitia et benevolentia proposita animos in verum amorem Dei ac fiduciam attrahat. Et apte quidem ac psychologice post minas et terrores suavem hanc Dei cum suis familiaritatem vates depingit, ut si quorum animos terrore percusserit, eos iam spe erigat, vel si qui minis et poenis non flectantur, ut saltem benignitate et bonorum exhibitione ad fidem Dei alliciantur. Omnes enim, ut supra monui, aditus ad animos permulcendos vates sapienter pertentat.

Iis quae sequuntur versus antecedens magis explicatur; ostenditur enim qua ratione Dominus ingruente calamitate necessitatibus corporum animorumque sit prospecturus v. 20 « *et dabit vobis*

Dominus panem arctum et aquam brevem et non faciet avolare a te ultra doctorem tuum, et erunt oculi tui videntes praeceptorem tuum »; — hebr. *dabit vobis panem angustiae et aquam oppressionis* i. e. aderit pressura, at in rebus quoque maxime arctis Deus non vobis deerit, sed necessaria providebit. Verbis quidem victus tenuis et parcus designatur (cf. 3 Reg. 22, 27. 2 Par. 18, 26); at rerum series ex antecedentibus pendens postulat, ut sententiam non intelligamus minacem (cum *Sa, Malv. Tir. Calm.*), sed aliquid consolationis mediis in angustiis promittentem. Hisce subsequentia quoque congruunt. Nam praeter beneficium illud, ut a Domino sustententur licet pane tenui et aqua parca, Deus maius aliquid largitur : iam *non abscondentur* (sese subtrahent) *doctores tui* i. e. aderunt prophetae divinitus missi, palam praedicabunt et consilia Dei annuntiabunt; neque frustra; populus enim eos audiet iisque obsequetur. Tempore enim calamitatis verbum propheticum, quod antea saepe irrisioni erat (cf. 8, 16-20; 28, 7; 29, 10 seq.), ipso rerum eventu docente et explicante magni aestimabitur, avide audietur, sollicite quaeretur. Atque revera Isaias propheta regem populumque in tribulatione assyriaca edocuit, confortavit, ad felicem rei exitum perduxit (cf. 37, 2. 6 seq. 21 seq.). Antea multi aderant, qui prophetarum monita respuebant (30, 10); sed tribulatione edocti meliora sapient et voci divinae aures praebebunt v. 21 « *et aures tuae audient verbum post tergum monentis : haec est via, ambulate in ea et non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram* »! — propheta, sicuti pastor gregem sequitur eumque ne aberret dirigit, populum de singulis rerum conditionibus rite edocet monens, quae via sit terenda, *si dextrorsum vel si sinistrorsum flexeritis* (hebr.), si scil. sit periculum a recto tramite deflectendi. Calamitas mentes quam maxime dociles reddet.

Praeterea illud commodum e tribulatione enascetur, ut reliquiae idololatriae removeantur. Ezechias rex quidem bellum atrox indixerat idololatriae et impii cultus instrumenta deleverat (cf. 4 Reg. 18, 4. 2 Par. 29, 15), at nihilominus idololatriam in occulto serpsisse certum est (cf. 31, 7). Sed angustiis eruditi animos a cultu impio et luxuria pleno avertent atque idola abominabuntur v. 22 « *et contaminabis laminas sculptilium argenti tui et vestimentum conflatilis auri tui et disperges ea sicut immunditiam menstruatae; egredere dices ei* »; — idola scil. sive sculptilia sive fusilia laminis aureis vel argenteis operiri et veluti amiciri solebant; iam tale operimentum talemque amictum reputabunt immundum adeoque impium cultum detestabuntur, ut aurum illud et argentum iam ad nullum usum adhibeant, sed ut rem foedissimam cum horrore abiiciant; ipsa exclamatione abominatio et fastidium depingi-

tur. — Mentio idololatriae (quam hoc loco fieri nonnemo fortasse mirabitur) eo quoque apte inducitur, quia eius periculum et proxima quasi occasio apud eos aderat qui foedera cum alienis appetebant. Vix enim sine ritu superstitioso vel idololatrico talia foedera iniri poterant; et quae erat veterum opinio, populi alicuius gloria et potentia intime coniuncta considerabatur cum diis popularibus, ita ut qui populi auxilium implorabat, eo ipso dei popularis opem efflagitare censeretur (vide quae notavi ad Am. 1, 15. Nah. 1, 14. Hab. 1, 16. Zach. 2, 8).

Hac ratione populus ope tribulationum mundatur, eruditur, ad pietatem instituitur. In talem autem populum Deus liberalitatis suae dona et bona largissima effundit; quare si calamitate assyriaca populus ad Deum accedere eique arctiore modo adhaerere didicerit, eo ipso aditum sibi aperuit ad abundantiam bonorum. Unde propheta ad consolationem piorum et omnium adhortationem ea bona depingit quae Deus fideli suo populo paratus est dare. Ex norma autem veteris legis pietas populi et maxima terrae fertilitas bonorumque terrestrium abundantia nexu intimo inter se sunt colligata, ita ut ubi pietas adest et observatio mandatorum Dei, etiam adsit illa bonorum copia, vel vice versa si eiusmodi bonorum abundantia describitur, illa intelligatur tamquam sanctitatis indicium et merces. Cum igitur propheta certo sciat calamitate assyriaca pietatem populi auctum iri Deumque post tribulationem piis novos maioresque favores esse largiturum, facile intelligitur subsequens bonorum promissio atque descriptio, quae in priore parte promissis pentateuchicis tota innititur (cf. Lev. 26, 3 seq. Deut. 28, 8 seq.) v. 23 « *et dabitur pluvia semini tuo, ubicumque seminaveris in terra, et panis frugum terrae erit uberrimus et pinguis* »; — promissio est indoli terrae palaestinensis quam maxime accommodata; agrorum cultura maximum dabit proventum. Abundantia illa in eo quoque cernitur, quod greges longe lateque pascentur et iumenta optime nutrientur : « *pascetur in possessione tua in die illo agnus spatiose* v. 24 *et tauri tui et pulli asinorum qui operantur terram commistum migma comedent, sicut in area ventilatum est* » ; — hebr. *pascet pecus tuum in campo spatioso;* ergo amplam unusquisque habet possessionem ; boves autem et asini *farraginem* vel migma comedent, pabuli genus ex hordeo, farre, viciis aliisque constans quod quo sapidius sit *sale* vel herbis acidis erit *conditum* (hebr.), et quo melius puriusque etiam *ventilatum vanno et ventilabro* (hebr.). Ex quo facile concluseris quanta adesse censenda sit frugum copia, ut tanta cura iumentis prospiciatur; simul attende etiam animalia suo modo partem habere et optime valere, si homines in felicissima conditione positi sunt; uti enim regiones propter peccata hominum vastitate et maledicto plectuntur, ita simul cum hominis pietate, felicitate,

beatitate ipsae quoque novo splendore vestientur. Unde quoque v. 25 « *et erunt super omnem montem excelsum et super omnem collem elevatum rivi currentium aquarum in die interfectionis multorum, cum ceciderint turres* » ; — hebr. *erunt rivi, fluenta aquarum,* ergo irrigatio abundantissima, unde maxima graminum herbarumque luxuries in montibus ac collibus consequitur ablata sterilitate; nam ubi in plagis orientalibus fluenta aquarum sunt, ibi quoque prata campique laete virescunt. Ea exaggeratione — nemo enim in ipsis montibus ac collibus Deum novos fontes rivosque creaturum esse opinabitur — benedictionis copiam quasi imagine quadam vates exhibet. Illam vero initium capturam dicit a die interfectionis multorum, *in die caedis magnae* (hebr.), i. e. a magna illa calamitate et strage, qua Assyrii plurimos ex Iudaeis impiis prosternent (cf. 28, 18 seq.), et in die cum ceciderint *turres,* quas non intelliges aggeres et munimenta Assyriorum (29, 3), multoque minus superbos tyrannos — talis enim tropus loquendique modus est inauditus, quamvis haud pauci ita explicent — sed optime explicabis castella, arces, turres Iudaeorum, quae ab Assyriis expugnabantur et deiiciebantur atque ex Dei consilio deleri debebant. Idem enim hoc loco propheta indicat quod saepe iam docuit : pompam humanam esse destruendam, ut saluti via pandatur; cf. 2, 12 : « quia dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum... super omnem turrim excelsam et super omnem murum munitum... et elevabitur Dominus solus in die illa » et sim. Mich. 5, 10 etc.

Sine ullo dubio talis prosperitas ac beatitudo, qualem vates hisce exposuit, post calamitatem assyriacam in terra Iuda non habebatur. Quomodo ergo haec prophetia erit intelligenda? Num dixeris prophetam pia sua desideria solum enuntiasse vel spe sua esse deceptum ? Absit ! Eos enim *beatos* praedicavit, qui magno desiderio ad Deum anhelant v. 18, qui igitur se totos Domino tradunt ; unde in descriptione subsequente hanc explicat beatitudinem demonstrans quid Dominus iis praebere paratus sit qui se totos Domino dediderint. Quare ex rerum serie et connexione statim elucet beatitatem illam nullo modo ita proponi, ut ab omni conditione absoluta certo sequi dicatur, sed describi bona quae obventura sint, *si* gens iudaica conditionem illam in v. 18 designatam exsecuta fuerit. Num exsecuta est ? Minime. Quamvis enim Ezechia rege aliqua morum emendatio effecta sit, tamen mox sub Manasse iterum idololatria et scelerum colluvies praevaluit. Unde perspicuum est bonorum illam copiam non potuisse concedi. Sed num ideo hoc oraculum inanis verborum pompa reputandum erit ? Minime gentium ! Aperitur enim nobis norma Dei, declaratur quali modo cum populo suo acturus esset, *si* is voluntati divinae plane vellet obsecundare, et praeprimis valore suo

constat oraculum, si uti debet modo *generali* accipitur, ut scil. ratione ad indolem veteris foederis accommodata illa delineentur bona et illa depingatur Dei cum hominibus familiaritas, quae ex perfecto servitio Dei enascuntur. Hac consideratione adhibita cum perfectum Dei obsequium proprium sit periodo messianicae, oraculo hoc ultimatim sensuque pleno benedictio ac felicitas regni messianici adumbratur. Illam autem describi bonis terrestribus nullo modo alienum est a more prophetico. Cum enim in vetere foedere eiusmodi bona pietati revera essent proposita, status tali bonorum copia perfectus quasi sua sponte imago quaedam considerari poterat et figura sanctitatis et divinae liberalitatis; ex quo ultro consequitur bona illa accipienda esse non uti verba sonant, sed prout ipsa natura et indole regni messianici exigitur; vide quae notavi ad Os. 2, 21; 4, 3. Am. 9, 13. Mich. 7, 13. Ioel 3, 18. Neque tamen omittendum est ubertatem illam et pulchritudinem rerum creatarum etiam eo sensu verissime efferri, quia docente revelatione « ipsa quoque creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei; nam exspectatio creaturae revelationem filiorum Dei exspectat » (Rom. 8, 19. 21), ut ipsa quoque in statum claritatis et gloriae transferatur; qua de re recole quae scripsi ad 11, 6 seq. — Uti ergo vates in antecedentibus post calamitatem assyriacam iam saepius regni messianici splendorem ac felicitatem consummatam nobis proposuit (cf. 9, 6; 11, 1 seq.), ita hoc quoque loco ad eam periodum animos evehit. Id quod versu sequenti comprobatur.

Prophetam novos coelos novamque terram et creaturae glorificationem eam describere quam docente revelatione in rerum omnium consummatione exspectamus, ipso verborum ambitu omnino suadetur v. 26 « *et erit lux lunae sicut lux solis et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui et percussuram plagae eius sanaverit* »; — i. e. sol tanta fulgebit claritate ac si splendor quotidianus quo nunc lucet septies esset auctus vel lucis copia alias per septem dies diffusa in unum diem colligeretur. Cum natura nobis insitum sit, ut gloriam Dei et beatorum immensa quadam lucis et splendoris claritate nobis mente effingamus, aptior modus quo creaturae glorificatio oculis subiiciatur excogitari nequit quam quem hoc loco adhiberi videmus, ut scil. lumine multoties aucto tota creatura coelesti quodam splendore vestita ac sublimiore gloria praedita repraesentetur. Rerum igitur consummationem propheta tangit et ea nobis proponit, quae ex Rom. 8, 21 et 2 Petr. 3, 13 plane demum ac facile intelliguntur. Ita gloria regni messianici ostensa et aditu beatae aeternitatis quasi patefacto ad quem tandem terminum felicissimum illi perventuri sint magnifice docet qui *exspectant Dominum,* eorumque *beatitatem* in crea-

turae glorificatione quasi in imagine spectandam exhibet. Si enim tantus splendor in ipsam creaturam redundaturus est, qualem censebimus splendorem eorum, propter quorum gloriam creatura in aliquam claritatis societatem erit assumenda? Unde eo versiculo propheta aptissime absolvit describere : *beati* omnes qui exspectant eum (v. 18). Nam tali gloria proposita et Dei munificentiam benignitatemque praeclare commendat et omnium animos efficaciter allicit, ut talem Deum tota mente complectantur. Haec autem gloria erit, quando Deus *obligaverit fracturam populi et vulnus plagae eius sanaverit* (hebr.) scil. perfecte, omni modo; ad gloriam enim in Deo et per Deum assequendam cuncta condita sunt; maledictio et infelicitas peccato invecta est; quamprimum igitur vulnus illud perfecte sanatur et reparatio fit integra et consummata, etiam aditus ad gloriam pristinam pandatur necesse est. Ita propheta normam Dei breviter ac nervose complectitur et ad quem terminum singula Dei beneficia tendant ultimatim, proponit.

Verba haec de glorificatione creaturae intelligenda esse censeo cum *S. Hier. Procop. Est. Sasb. Lap. Men. Tir. Gord. Schegg*, cui explicationi aliqui uti *S. Thom.* aliam de laetitia aucta adiungunt. Sunt qui hanc solam proponunt et in luce lunae solisque aucta gaudium magnum de interitu Assyriorum depictum cernunt vel etiam felicem rerum sortem quae post eorum cladem secuta sit. Ita fere *S. Ephr. Theod. heracleotes, Theod. Vat. Sa, Pint. Sanct. Malv. Mar. For. Rohl.* Nam, inquit *For.*, sicut obscuritas solis et lunae calamitates et tristia omnia figurate in Scriptura significat, ita et lux lunae ac solis multiplicata laetitiam ac laeta omnia notat. Revera eiusmodi locutiones in sacris literis adhibentur; ita legimus de Iudaeis timori et periculo mortis ereptis : « Iudaeis autem nova lux oriri visa est, gaudium, honor et tripudium » (Esth. 8, 16 ; cf. 11, 8), dum e contra calamitate ingruente « sol occidet in meridie » (Am. 8, 9 ; cf. Ier. 15, 8. Soph. 2, 4). Neque talia inepte dicuntur ; nam « et laetitia affectis sol clarius splendescere videtur et qui moerore animi tabescunt, illis omnia obscura apparent » (*For.*). Aliis vero in luce aucta maiorem Dei cognitionem cernere praeplacet quae per orbem sit diffundenda et omnia sua claritate illustratura (*S. Cyr.*); utramque explicationem proponunt alii, uti *Mald. Calm.* Verum hac metaphora omissa verba illa sensu proprio de creaturae glorificatione erunt explicanda. Ut enim tropicam illam locutionem de aucta hominum laetitia vel sorte prospera amplectamur, nihil suadet; ne accipiamus, obstant multa. Locis allegatis tropum subesse facile patet et ipsa rerum serie omnino indicatur ; non ita in nostro loco. Nam hic a v. 23 sermo texitur de fertilitate et amoenitate camporum quos singuli possidebunt, v. 25 de totius regionis ubertate et v. 26 haec demum rerum creatarum pulchritudo in luna soleque depingitur et in luce multipliciter aucta qua terram illam beatam collustrabunt. Vides ergo gradatione quadam gloriam rerum creatarum describi. Cum igitur sollemne sit in sacris literis, ut et hominis poena et eius felicitas exhibeatur redundare in creaturas, et

cum insuper de glorificatione creaturae edoceamur revelatione, quid propius adiacet quidve magis et verbis et rerum seriei congruit quam ut versum nostrum de illa gloria explicemus? Neque quis iure obiecerit obstare quod propheta tam subito ad rerum consummationem transire non sit censendus. Ad eam enim sibi viam iam paravit, dum describere aggreditur, qualia bona sperantibus in Deum sint obventura; experientia autem edocti scimus prophetas Dei benedictionem et favores amplissimo modo saepe exhibere, ita ut ea quae in tempore et in aeternitate conferantur, uno quasi conspectu proponantur (vide quae notavi Proph. min. II p. 168. 241. 341). Ea de re in altera Isaiae parte sermo saepius recurret.

d) **Deus in hostes terribilis, benignus in suos 30, 27-33.**

Beati, qui Dominum exspectant. Hanc beatitudinem propheta modo depinxit. Iam a contrario subiungit, quid eventurum sit iis qui se Deo opponunt eiusque consiliis refragantur. Sortem eorum ac perniciem ita exhibet, ut in clade Assyriorum divinitus infligenda symbolum quoddam deprehendatur et exemplum severi iudicii, quo Deus in hostes est animadversurus. Quantopere haec quoque pars apta sit, ut animi rite praeparentur ad calamitatem assyriacam fructuose subeundam, neminem latere poterit, qui consideraverit imagine iudicis exhibita admoneri Iudaeos, quanto cum periculo Deus contemnatur vel eius consilia negligantur. Quare propheta vehementi dictione in id incumbit, ut quam terribilis sit iudex et ultor vivis coloribus omnium oculis subiiciat: post imaginem illam suavem beatitatis (v. 26) terror ultoris ac vindicis animos vehementius percellere censendus est; v. 27 « *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius et gravis ad portandum; labia eius repleta sunt indignatione et lingua eius quasi ignis devorans* »; — symbola quibus iudicis maiestas tremenda vestiri solet ac demonstrari hic habes collecta; cf. Ps. 17. 95. 96. Nomen Domini i. e. maiestas Domini nominatissima et celebratissima (*Malv. For. Lap.*), qua se ut *Iahve,* tamquam Deum promissa minasque in opus deducentem, exhibere vult, sese manifestabit *de longinquo,* de coeli altitudine quasi descendit, ut vindictam exerceat (cf. Mich. 1, 3); hostis enim a longinquo veniens maiore furore et terrore irruere et maiore barbarie formidinem spargere censetur (cf. 5, 26; 10, 3); praeterea hoc loco imaginem subesse tempestatis e longinquo minantis et diu iam imminentis probabile est. Dominus est ignis devorans; quare iudex depingitur igne circumdatus, quo quaecumque impura sunt celeriter absumuntur; vehemens Dei in hostes ira symbolo ignis devorantis apte exprimitur, irae autem magnitudo declaratur hebr. *et gravis elatio* vel (quod aliis praeplacet, accommodate ad ignis symbolum) *et gravis*

fumus [1]; iudex iram flammasque spirat. Quid eius iudicis sententia valeat, exprimitur in labiis indignatione plenis et in linguae igne absumente. Iam quis tali obsistere poterit? Halitu suo universa perdet v. 28 « *spiritus eius velut torrens inundans usque ad medium colli, ad perdendas gentes in nihilum, et frenum erroris, quod erat in maxillis populorum* »; — praeter ignem inundationis symbolo quod est exitii genus unum e gravissimis utitur vates ad iudicis terrorem ingerendum. Inundationem exhibet, quae *usque ad collum dividit* (hebr.), pertingit (cf. 8, 7; 17, 12; 28, 2), qua imagine ex 8, 7 petita simul declarat, quid terrae iudaicae et impiis Iudaeis obventurum sit. Cuncta autem fient *ad cribrandas gentes cribro vanitatis* (hebr.) vel perniciei et exitii, ut scil. tamquam paleae inutiles excutiantur, separentur, comburantur (cf. *Mald. Malv.*). Neque tale iudicium effugere ulla ratione poterunt : *et frenum errare faciens in maxillis populorum* (hebr.) i. e. tali freno a Deo constricti sunt et ducuntur quo etsi nolint ad perniciem debitam et castigationem pertrahuntur. Ipse enim ille furor et contumacia illa in Deum frenum est erroris, quo interitui adstringuntur et obviam feruntur (cf. *Mald. Osor. Mar. Malv.*).

S. Hier. coniungit *ad perdendum frenum* eumque multi ex latinis interpretibus sequuntur explicantes frangendum esse frenum erroris quo vel diaboli malitia vel gentium perversitate populi obstringantur (cf. *Sanct. Lap. Men. Tir. Calm.*). Sed textus hebr. non potest ita concipi, neque cernitur quomodo in eum contextum laeta promissio quadret. Quia *S. Hier.* vertit ad *perdendas* gentes, opinio orta est *perdere* ad subsequens quoque membrum posse vel debere trahi. Verum textu originali haec opinio statim destruitur. Textui hebr. adstipulantur *Syrus* et *Chald.* et LXX quoque licet liberius vertant; habent enim : « et spiritus eius quasi aqua in valle trahens veniet ad collum usque et dividetur, ut conturbet gentes errore vano et persequetur eos error vanus et capiet eos in conspectu ipsorum ». Ea sententia addita conditio populorum ad iudicium pertinens describitur, simili modo ut 37, 29. 4 Reg. 19, 28.

Deus iudex terribilis in hostes, in suos se benignum praestabit. Iudicium enim in hostes exercitum in maximam vertetur laetitiam Israelitis v. 29 « *canticum erit vobis sicut nox sanctificatae sollemnitatis et laetitia cordis sicut qui pergit cum tibia, ut intret in montem Domini ad fortem Israel* »; — i. e. hostium clades et prostratio tanta eos afficiet laetitia et exsultatione, ut cantus eorum tam festivus futurus sit, sicut erat nocte

---

1. Vel *incendium*; ita *Ges. Ros. Hitz. Del. Cheyne, Naeg.*, dum alii, uti *Kn. Bred.*, eam vocis significationem non admittunt. At vide Iud. 20, 38. 40.

illa primi paschatis quando liberationem ab aegyptiaca servitute iamiam capiebant et sicut generatim esse solet in coena paschali; nox enim paschatis est nox sanctificatae sollemnitatis. Praeterea tripudii magnitudo alia comparatione ob oculos mentesque ponitur, illius scil. laetitia qui cantu festivo pergit ad templum Domini, ut ibi adeat *petram Israel* (hebr.), Deum scil. qui populo suo certissimum est atque immotum salutis vitaeque fundamentum et refugium ab omni adversitate tutissimum (cf. Deut. 32, 4. 18. 37 hebr. 1 Sam. 2, 2. Ps. 18, 32; 19, 15 hebr. etc.). Quanta vero cum laetitia perrexerint in templum Domini, audi psalmistam: laetatus sum in his quae dicta sunt mihi; in domum Domini ibimus (Ps. 121), neque insolitum erat, ut pompae atque supplicationes festivae cum canticis instituerentur (cf. 2 Reg. 6, 5. Ps. 41, 5), quemadmodum notat *S. Hier.* : « erit cordis tanta laetitia, ut imitemini eos, qui ad templum primitiva portantes et in Dei torcularia deferentes munera pergunt cum tibiis cordis gaudia carmine demonstrantes ». Atque revera si maximas illas angustias quas ab Assyriis perpessi sunt (cf. cap. 36. 37) mente consideraveris, facile tibi persuadebis liberatione subito facta eos in laetitiae significationem prorupisse haud absimilem ei quam patres a servitute et angelo vastatore liberati olim experti erant et cantica celebrasse *petrae* Israel, prout Ex. 15, quando iugum servitutis proiecerunt (S. *Hier.* sim. *Haimo, For. Sasb. Lap. Men. Rohl. Troch.*).

En, quam praeclare suam ostendet potentiam, protectionem petra Israel! v. 30 « *et auditam faciet Dominus gloriam vocis suae et terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris et flamma ignis devorantis*; *allidet in turbine et in lapide grandinis,* v. 31 *a voce enim Domini pavebit Assur virga percussus* »; — hebr. *et ostendet* (videre faciet) *descensum brachii sui*, est scil. metaphora sumpta a fortiter percutientibus, qui sublatum prius brachium fortius dimittunt (*Mald.*), ita ut Deus tamquam homo exserto et vibrato brachio virium suarum documentum insigne editurus dicatur in Assyrios (*Malv.* sim. *Vat. For. Mar.*), et ictus isti infliguntur *in aestu irae, in flamma ignis devorantis, in turbine et imbre et lapide grandinis* (hebr.). Vox Domini saepe tonitru vocatur, quo scil. Deus in rerum natura gloriam quoque suam ac maiestatem declarare solet (cf. Ps. 28, 3 seq. *Mald. For. Malv. Men. Osor. Rohl. Troch.*). Unde Deus iudex omnibus illis instructus et circumdatus apparet, quae terrorem, vastationem, interitum multiplicem declarant. Quaecumque enim in rerum natura adsunt exitialia tamquam Dei arma ad hostes delendos describi solent; neque immerito, nam saepius usum esse Deum iis rebus ad perimendos vel puniendos hostes, sacris literis docemur (cf. Gen. 19. Ios. 10, 10. 2 Par. 20, 37. Ps. 47, 8). Num igitur in clade quoque assyriaca eiusmodi intervenerunt, fulgura, tonitrua,

globuli ignei, grandines etc. ? Sunt qui affirment (cf. *Sanct. Mar. Calm.*). Sed narratione rei Is. 37, 36. 4 Reg. 19, 35 talia non modo non commemorantur, verum omnino excludi videntur. Neque ea ullo pacto accersenda sunt, ut sua huic oraculo stet veritas. Est enim usitatum satis, ut sacri vates poetarum in morem Deum iudicem describant fulgura iactantem, ignes mittentem etc. cuius rei insigne exemplum habes in Ps. 17 (2 Reg. 22), in quo Deus iudex qui Davidis causam tuetur et vindicat schemate et figura vehementis tempestatis iudicium exercere in adversarios Davidis exhibetur. Idem igitur hoc loco expressum cernis neque quidquam amplius exquiras oportet; illis enim exemplis terribilem maiestatem vindicis Dei oculis subiicere vult propheta.

Et quam terribilis futura sit illa Dei manifestatio, vates ex eo declarat quia Assur, eousque orbis terrarum terror, pavore correptus tremet v. 31 « *a voce enim Domini pavebit Assur virga percussus* » ; — hebr. *baculo eum percutiet* scil. Deus ; nam quod aliqui volunt hebr. vertendum esse : qui (scil. Assur) alios virga percusserat (cf. *Chald. Mald. Drechsl.*), cum sequentibus non satis cohaeret, in quibus *Assur virga percussus* magis declaratur v. 32 « *et erit transitus virgae fundatus quam requiescere faciet Dominus super eum, in tympanis et citharis, et in bellis praecipuis expugnabit eos* » ; — hebr. *et erit, omnis ictus virgae decretae* [1] *quam Dominus super eum demittet, in tympanis et citharis* i. e. quotiescumque Assur ictu virgae quam Dominus constituit atque decrevit super eum percutitur, cives hierosolymitani illam percussionem ad animorum laetitiam declarandam tympanis et citharis celebrabunt (cf. *Osor. Sa, Men. Tir. Rohl. Troch.*). Dum igitur Deus Assyrios prosternit et silvam illam succidit (cf. 10, 16-19. 33. 34), unumquemque ictum Iudaei musicis instrumentis et laetitiae significatione comitabuntur. Attende dicendi genus poeticum, quo propheta declarat quanto cum gaudio nuntium de clade Assyriorum sint audituri ; similiter variis dicendi figuris in v. 30 iram Dei et ultionem delineavit. Magnam fore eorum cladem denuo dicit *et in pugnis* (bellis) *agitationis pugnabit adversus eos* (hebr.) i. e. in quibus Deus fortiter agitat brachium et virgam ad eos percutiendos (*Malv.*).

Demum poena et interitus Assyriorum eo quoque declaratur, quia Deus iam dudum pro impiis locum praeparavit (cf. virgam *decretam* v. 32), in quo ingenti flammarum incendio absumentur v. 33 « *prae-*

---

1. מוּסָדָה proprie est *fundatio,* dein id quod decretum et constitutum est ; cf. 28, 16. Hab. 1, 12. Ps. 104, 8 hebr. — Alii levi mutatione facta legunt מוּסָרָה *castigatio* (*Lowth, Kn.*) ; at immerito ; nam virga fieri castigationem per se patet, non item eam esse divinitus decretam ; cf. Mich. 6, 9.

parata est enim ab heri Topheth, a rege praeparata, profunda et dilatata; nutrimenta eius ignis et ligna multa; flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam »; — hebr. *praeparata est enim ab heri* (i. e. iam dudum) *Topheth, etiam ipsa regi est apparata;* Topheth (תָּפְתֶּה) locum dicit in valle Ben-Hinnom (gehenna) prope Ierusalem, in quo sacrificia humana Molocho offerebantur (cf. 4 Reg. 23, 10. Ier. 7, 31; 19, 6. 11 seq.); nomen probabilius derivandum erit a תּוּף spuere; unde תֹּפֶת Iob 17, 6 *sputum, sputamen,* ita ut ipso nomine locus designetur abominationi habitus. Alii vocem explicare malunt ab aram. תפא *comburere,* ergo *locus incendii, bustum, ustrina* (cf. *Fürst, Scholz* ad Ier. 7, 31). Uti vallis Ben-Hinnom (vel gehenna, proprie ge-benehinnom) propter sacrificia illa abominanda locus erat maledictionis et abominationis, ita Topheth, locus combustionis, symbolica ratione pro interitu horrore pleno adhibetur. Legitur h. l. in hebr. תָּפְתֶּה qua formatione regio designatur aeque foeda et horrida, sicut Topheth, locus igitur combustionis. In textu hebr. duo distincte efferuntur : iam dudum talem locum horroris et incendii esse praeparatum et eum *etiam regi* i. e. regi Assyriorum esse apparatum et constitutum. Priore igitur sententia generatim enuntiatur exsistere locum horroris et combustionis, in altera distincte dicitur, in eum impios Dei hostes, Assyrios, iudicio Dei et percussione facta esse proiiciendos. Dein qualis sit locus, per singula describitur : *profundum fecit, dilatavit* (hebr.) Deus locum, quo plurimi capiantur et puniantur et eius loci horror augeatur; *pyra eius ignis et ligna plurima* (hebr.), ergo rogi ibi ardent ingentes, qui ipso Dei vindicis halitu succenduntur; nam « flabellum excitans et acuens hunc ignem est flatus Domini i. e. spiritus seu ventus procellosus divinitus excitatus, qui gehennam perinde accendit ac si torrens sulphuris ardentis in eam infunderetur » (*Tir.* sim. *Osor. Mald. Sanct. Lap. Men.*).

Num hoc loco nihil aliud dicitur nisi Assyrios fore interimendos eorumque cadavera esse comburenda vel Deum iam destinasse locum, in quo victimae illae sint caedendae et comburendae? Ita aliqui praesertim recentiores censent (cf. *Calm. Drechsl. Kn. Del. Rohl.*). At hanc explicationem verbis et contextui sufficere, vix mihi persuadeo. Interitus enim Assyriorum in antecedentibus iam saepius est descriptus et verbis propriis et variis dicendi figuris. Hoc autem loco potius ratio redditur, cur Deus deiecturus sit Assyrios, eaque primo generalis, quia locus incendii et horroris iam dudum sit a Deo praeparatus; dein additur, eum locum etiam Assur hosti a Deo esse designatum. Iam quid haec sententia sibi vult? Num nihil aliud, nisi quod iam repetito dictum est,

Assyrios esse prosternendos? Annon potius iudicium illud in eos exercendum declaratur ex eo quia Deus hostibus suis locum horroris et incendii paravit, ubi flatus Domini est sicut torrens sulphuris succendens? Iam si hoc, status quidam indicatur, in quem hostes Dei ope illius iudicii coniiciendi erunt; duo ergo declarantur : percussio illa vel prostratio *et* status quidam horroris plenus illam percussionem subsequens et post illam perdurans, in quem per actum illum iudicialem deveniunt. Ad hanc considerationem accedit, quod propheta sortem impiorum aperte opponit felicitati piorum. Supra enim a v. 18 exposuit, quid boni exspectandum sit iis qui exspectant Dominum et ea bona absolverat glorificatione creaturarum adumbrata (v. 26), ergo ultima rerum consummatione in aeternum permansura; nostro autem loco a v. 27 contrariam delineat sortem impiorum; ergo consequens est, ut si verba permittunt, haec quoque sors qualis futura sit permanens ultimatim exhibeatur. Neque eam explicationem a mente Isaiae censeri posse alienam, vide ex loco re ipsa parallelo 66, 24. Saltem hoc concedendum erit, nostro hoc loco iam praeparari illam significationem vallis Ben-Hinnom (gehenna), quam in novo testamento clare videmus expressam, immo Christum cum loquatur de igne aeterno praeparato haud obscure ad nostrum alludere locum combustionis iamdudum praeparatum, et S. Ioannem non uno in loco qualis futura sit combustio illa declarare (cf. Apoc. 14, 10. 11; 19, 20; 20, 9. 10. 14). Unde *S. Hier.* et latini interpretes fere omnes iuremerito hunc Isaiae locum de inferno interpretati sunt. Eam explicationem *Chald.* quoque commendat scribens : « quia praeparata est a saeculis propter peccata eorum gehenna ».

Sorte igitur impiorum usquequaque demonstrata vates quartum vae absolvit. Magnifice antea descripserat quali bonorum abundantia pii sint exornandi et quanta cum laetitia magnalia Dei sint celebraturi (v. 21 seq. 29. 32). Quis ergo non totum se tradet *petrae* Israel, ut tantae benedictionis reddatur particeps? Sed si qui etiamnum ancipites haeserint, eos furore Dei et ultione flammisque incendii ingentibus terret, ne Dei hostibus iungantur et cum iis pereant. Quare ipsa inter se oppositione benedictionis ac maledictionis et vivida utriusque descriptione vatem quam plurimum ad animos commovendos valuisse iuremerito dixeris.

In priore versus parte LXX et *Syrus* satis ab hebr. recedunt. Et illi quidem praebent : tu enim ante dies decipieris; numquid et tibi regnum paratum est; תפתה ergo explicarunt *imperf. niphal.* a verbo פתה *seducere;* cf. Iob 31, 9. *Syrus* vero habet : quia praeparat ante dies cibum suum (an legit vel vocem hebr. explicavit ex aram. תפנוקא edulia, deliciae ?). Sed textus hebr. confirmatur per *Aq. Sym. Theod.* qui Θόφθ vel Θαφέθ habent (cf. *Field,* Hexapl. ad h. l.).

5. *Quintum vae* 31, 1-32, 20.

Arg. — Vates eorum stultitiam qui seposito Domino apud Aegyptios auxilium quaerunt denuo castigat. Frustra enim ab iis opem expetunt, cum Dominus ipse pro suo in Sion zelo eorum causam tueri velit ; quare totis animis ad eum se convertant, qui inimicos sua virtute disperdet (31, 1-9). Tum in regno iudaico denuo efflorebit iustitia et sanctitas impietate e sede et auctoritate deiecta (32, 1-8). Verum ut ad conditiotionem adeo felicem perveniatur, tribulationes magnae et angustiae erunt subeundae, quarum acerbitate mulieres quoque nimium securae magnopere affligentur, donec opera Dei iustitia et pax restituatur iudicio in hostes devoluto (32, 9-20).

Igitur iterum foedus aegyptiacum reprobatur omnemque spem in Domino qui miro modo auxilium ferre velit esse collocandam denuo inculcatur. Iterum ob oculos ponitur, in quam praeclaram conditionem Deus regnum iudaicum sit restituturus, dummodo consiliis Domini obsequi velint, atque in solatium piorum effertur, quomodo ex tribulatione et miseria miro Dei favore salus sit exoritura. Proinde ea quae vates iam proposuit denuo aliter atque aliter recolit et inculcat. Ita sane repetito egisse censendus est, ut populum ad calamitatem assyriacam rite subeundam praepararet, neque eum piguit eandem doctrinam iterum iterumque auribus et mentibus popularium instillare eorum consulens necessitati. Quis enim non videt in re difficili et in consuetudine inveterata corrigenda minime sufficere, ut doctrina semel proponatur, verum necesse esse ad animos non solum docendos sed etiam commovendos, ut grata quadam varietate iterum iterumque animi ad eandem reducantur percipiendam et meditandam ?

a) Non Aegyptus, sed Dominus opem feret 31, 1-9.

« Quia res est omnino gravis et prope iam impendens, argumentum idem et eodem pene ordine et modo iterum versat » (*Sanct.*) ; v. 1 « *Vae qui descendunt in Aegyptum ad auxilium in equis sperantes et habentes fiduciam super quadrigis, quia multae sunt, et super equitibus, quia praevalidi nimis, et non sunt confisi super Sanctum Israel et Dominum non requisierunt* » ! — dixerant contumaces 30, 16 : ad equos fugiemus ; iam quam stultum sit tale consilium propheta declarat (cf. *For.*), quasi per singula illud explicans : in equis, quadrigis, equitibus spem salutis ponunt, Deum vero foederis fidelissimum (cf. *Iahve,* quae notavi ad Os. 2, 20 ; 12, 5. Ioel 2, 32) et *Sanctum* Israel (cf. 6, 3) qui pro populi sui salute et incolumitate velut pro sua gloria zelator

exsistit, non respiciunt; de vero auxilio non curant, quamvis ipsa Dei nomina potentissimum auxilium et maximam iuvandi pronitatem ipsis certo promittant. Ab Aegypto equos et quadrigas expetunt, quibus Iudaei potissimum carebant, sed quibus Assyrii valebant (cf. 5, 28) et Aegyptii quoque (cf. 36, 9. Ex. 14, 9 ; 15, 4. 3 Reg. 10, 28. 2 Par. 11, 3. Ier. 46, 4. 9. Cant. 1, 8) — quare Rabsaces irridens Iudaeis dicit : « dabo tibi duo millia equorum nec poteris ex te praebere ascensores eorum » (36, 8).

Quanta autem caecitate et stoliditate Deum seponant et negligant, propheta exsequitur v. 2 « *ipse autem sapiens, adduxit malum et verba sua non abstulit, et consurget contra domum pessimorum et contra auxilium operantium iniquitatem* » ; — hebr. *et etiam ipse sapiens et adducet malum*... secum ergo recogitent, dum Dominum obliti omnia ab equis et quadrigis exspectant, Dominum quoque satis esse prudentem et sapientem, ut quae decrevit in opus deducat. Bene notat *For.* : « initio superioris capitis vidimus, quo pacto suae prudentiae et consiliis innixi auxilium Aegyptiorum implorare decrevissent; ad illud ergo respiciens non sine quadam irrisione addit *est autem ipse quoque sapiens* q. d. ipse quoque Dominus iuxta sapientiam suam scit quid facto opus sit, et quid vestra isthaec contumacia mereatur ut non ignorat, ita quoque vicem sapientissime rependet ». Secum ergo perpendant, Deum verba ac decreta non retractare vel irrita reddere; quare eveniet quod annuntiavit : *consurget* : ergo potentiam suam in sceleratos eximie manifestabit et auxilium quod ab impiis sperant egregie evertet et deiiciet; domus malorum (cf. 1, 4) sunt impii Iudaei, auxilium operantium iniquitatem est Aegyptiorum idololatrarum. En, quomodo *Sanctus* Israel ad quem non respiciunt (v. 1) sanctitatis suae rationem habens iniquitatem persequatur et prosternat !

Iam quomodo Dominus *consurgat* et quid ipse potentissimus valeat, propheta enucleatius oculis subiicit v. 3 « *Aegyptus homo et non Deus, et equi eorum caro et non spiritus, et Dominus inclinabit manum suam et corruet auxiliator et cadet cui praestatur auxilium simulque omnes consumentur* » ; — homo אדם terrigena, אל Deus *fortis; spiritus* vitam tribuit et vires, caro de se iners est ac impotens : ergo infirmissima quaeque amplectuntur; ipsam vero fortitudinem fontemque omnis vitae ac vigoris negligunt. Hanc Dei virtutem nervose depingit; Dominus *extendit* manum (hebr.) et omnes, Aegyptii et Iudaei impii, corruunt et consumuntur; ironice dicit adiuvantem et adiutum ; uterque levissimo Dei nutu interibit. Hoc est illud verbum quod Deus non aufert (v. 2).

Hac autem ratione Deus aget, quia ipse populi sui causam agere ac tueri vult : v. 4 « *quia haec dicit Dominus ad me : quomodo si rugiat*

leo et catulus leonis super praedam suam — et cum occurrerit ei multitudo pastorum, a voce eorum non formidabit et a multitudine eorum non pavebit, — sic descendet Dominus exercituum ut proelietur super montem Sion et super collem eius » ; — hebr. *contra quem convocatur multitudo pastorum* ; leo praedam non dimittit; multo minus Deus populum sibi sanctum ac dedicatum derelinquet ; quare ipse tamquam *leo* in arenam quasi descendit; vae ergo ei qui consiliis Dei obsistet. Comparatione ea quae more poetarum epicorum iucunda quadam amplitudine proponitur, animus leonis intrepidus, excelsus, acer, ad nullius occursum cedens sed placida quadam maiestate imbecilles spernens conatus egregie depingitur (cf. *Sanct.*) ; in ea imagine debilem quandam cernant adumbrationem immensae Dei virtutis ac maiestatis, cui omnia agmina coelestia et terrestria praesto sunt (cf. ad Os. 12, 5. Mich. 4, 3). Uti leo rugit *super* praedam eam defendens et fortiter retinens, ita Deus *super* Sion certamen init; quare sensus esse nequit : *contra* Sion pugnabit (uti volunt *Hitz. Del. Naeg.*), sed super Sion stans pro Sion pugnabit, uti veteres interpretes rite explicant. Dei autem adversariis omnes adnumerari debent qui eius consiliis quovis modo obnituntur; ergo non solum Assyrii, verum etiam ii ex Iudaeis qui ad urbem sanctam regnumque tuendum conamina adhibent Dei voluntati contraria i. e. qui foedere aegyptiaco sese tutari volunt. Contra hos omnes Deus, uti leo praedam, urbem suam defendit; nam ii quoque Deo suam velle eripere praedam recte censentur. Ita facile elucet, quomodo Deus ita super montem Sion proeliari dicatur, ut et urbem suam eo quo ipsi placet modo liberet et simul cum Assyriis impios ex Iudaeis perdat. Hoc sensu aliqua ratione Deum *contra* Sion in pugnam descendere dici potest; sed *super* Sion ita simpliciter explicari nequit; Deus enim nunquam contra Sion i. e. contra theocratiam vel regnum illud sacrum cuius ipse est rex ac Dominator arma capessit, sed solum contra eos qui illud quolibet modo impugnant; praeterea quae sequuntur clarissime modum exhibent quo Dominus proeliaturus sit super Sion.

In priore comparatione fortitudo depingitur et prostratio conatuum adversariorum, in altera tenera Dei clementia ac studium amantissimum suos tutandi v. 5 « *sicut aves volantes, sic proteget Dominus exercituum Ierusalem protegens et liberans, transiens et salvans* » ; — *transiens* i. e. parcens פָּסֹחַ cum allusione ad Ex. 12, 23, sicut enim olim transcendit ostium domus Israelitarum vastator angelus percutiens Aegyptios, ita Assyriis per angelum percussis ipsi secure degent (cf. *Mald. For. Calm. Troch.*). Comparatio suavem spirat Domini amorem et sedulitatem; « quemadmodum volucris pullos contegit usque adeo ut,

etiamsi serpens vel quidvis aliud pullis perniciem moliatur, non exterrita fugiat, sed mira sollicitudine nidum circumvolitet omniaque tandem periclitetur, quo possit a pullis suis pestem avertere, sic Dominus Sionem, hoc est, hominum fidelium nationem ita proteget, ut nunquam ab illius praesidio discedat, sed illam perpetuo singulari cura tueatur » (*Osor.*). In hebr. ad teneram curam declarandam aves matres significantur.

Si igitur ipse Deus pari fortitudine atque amore causam Sionis et regni tuendam suscipit, quid aliud consequitur, nisi ut tali Deo se totos committant? Unde v. 6 « *convertimini sicut in profundum recesseratis, filii Israel* »! — Iacob patriarcha fide, constanti pietate, magno benedictionis desiderio nomen sortitus est Israel (Gen. 32, 28; vide ad Os. 12, 4); ea appellatione ad imitandum patris exemplum provocantur, idque eo magis decet quia *profundam fecerunt defectionem* (hebr.) i. e. summo studio totisque viribus aversionem persequebantur vel multiplicabant (*For.*); pro magnitudine igitur peccati agant poenitentiam vel tam serio tantoque animi affectu ad Deum revertantur, quanto ab eo recesserant (*Mald.*) aut « tantum sursum excitate cor vestrum, quantum deorsum illud depressistis » (*Sanct.*), « tanto studio pietatem recolite, quanta fuit illa perfidiae labes » (*Osor.*); ad quem locum *S. Thom.* illud S. Pauli in memoriam revocat simili modo dictum : sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire munditiae (iustitiae) in sanctificationem (Rom. 6, 19).

Hanc admonitionem propheta prius fulcit eo quod mox malis eruditi idola cum abominatione proiicient maxima, experti damnum et stoliditatem idololatriae v. 7 « *in die enim illa abiiciet vir idola argenti sui et idola auri sui quae fecerunt vobis manus vestrae in peccatum* »; — effertur stupiditas idololatrarum; ex *suis* rebus opibusque ipsi sibi suis manibus fabricantur idola (cf. 2, 20; 44, 12 seq.) — et quali fructu? *in peccatum*, ut culpis se poenisque implicent et ad ruinam properent; vel ex hebr. ipsum quoque idolum vocari potest *peccatum*, iniquitas; quo sensu vide ad Os. 10, 10. Am. 8, 14. Quia igitur idola cultoribus suis maxima afferent damna, ita ut ipsi eorum pertaesi illa abiiciant, iam nunc admonentur, ut reditu ad Deum vivum facto illam praecaveant confusionem et experientiam turpissimam. — Alteram dein addit exhortationis in v. 6 factae rationem potentissimam : Deus ipse miro modo Assyrios deiiciet et perdet, zelum suum pro Ierusalem manifestans v. 8 « *et cadet Assur in gladio non viri et gladius non hominis vorabit eum et fugiet non a facie gladii, et iuvenes eius vectigales erunt* v. 9 *et fortitudo eius a terrore transibit et pavebunt fugien-*

tes principes eius, dixit Dominus, cuius ignis est in Sion et caminus eius in Ierusalem »; — non gladio humano, sed divino angeli percussoris cadet; id repetito effertur, quia eo foedus aegyptiacum reprobatur. Nota quanta solertia et amplitudine ruina Assyriis inferenda describatur : ter exitium illorum divinitus infligendum generatim annuntiatur; deinde tres ordines speciali ratione enumerantur sorte exitiali perimendi : *iuvenes,* ergo populi robur et spes, servituti addicentur, *petra eius prae horrore fugiet* (hebr.) i. e. totum illud quo fortitudo Assyriorum et pompa consistit; cf. 10, 18 : gloria saltus eius ; praecipue igitur robur exercitus et milites iam multis bellis exercitati et probati, quos rupis instar firmiter consistere et firmum reliquis praestare praesidium sperari licebat, demum *principes eius pavebunt a signis* (hebr.), terrore percussi fugient a vexillis, vexilla militaria turpi fuga deserent; ita caedes, servitus, fuga invasioni Assyriorum finem imponet (cf. 37, 36. 37). Ita enim statuit Dominus, quia in Sion, in arce scil. regni davidici, et in Ierusalem, in metropoli theocratiae, sedem suam fixit; quare ibi habitat quasi ignis consumens (cf. Deut. 4, 24), qui peccatores devoret et ligna, fenum stipulamque consumat (*S. Hier.*); cf. 10, 17 ; vel quod plerisque probatur, Deus urbem suam defendet, quia ibi sacrificiis colitur et altare suum cum iugi sacrificio et igne perpetuo habet (cf. 29, 1 ; *Sanct. Sasb. Mald. Sa, Est. Pint. For. Lap. Men. Tir. Calm. Schegg, Rohl. Troch.*).

In primo membro v. 9 vertendo interpretes variant. Alii enim explicant : ad petram suam (arcem) prae metu fugiet (*Vat. Malv. Mar.*), alii : petram suam prae timore transibit i. e. « tanto metu hostis perculsus erit, ut et ipsa munimenta quae ipsi sunt transiturus sit fugiens quippe non ausurus prae metu se iis committere » (*Ros. Bauer, Doederlein, Ges.*), vel *petram* explicant locum refugii, cavernas, specus vel montes praealtos, ubi victi refugium et tutamen quaerere solent (cf. Iud. 20, 47. Ier. 47, 28), in quibus tamen consistere non audent, cum in ipsis cernant signa erecta a Iudaeis, quibus omnes ad arma et ad hostes persequendos convocentur. Ita ex membro sequenti *pavere a signis* quibusdam explicare placuit (cf. *Ros. Kn. Drechsl.*). Verum hae explicationes subtiliores videntur. Verbis optime accommodatur simplex versio : petra eius prae horrore fugiet (cf. *For. Calm. Net. Rohl. Del. Naeg.*). Sed in *petra* explicanda non omnes consentiunt; volunt alii vocem dici de *rege* Assyriorum (*Calm. Net. Rohl. Del. Naeg. Bred.*) propter membrum parallelum de principibus ; sed principibus praeter regem alia quoque vi parallelismi opponi vel adiungi possunt. Unde praeplacet cum *Chald.* explicare *petram* : robusti eius in interitum erunt. Ita *fortitudinem* quoque *S. Hier.* intellexit, ita *For. Mald. Sanct. Sasb. Lap. Men.* — LXX praebent : « petra circumdabuntur quasi vallo et vincentur, qui autem fugerit capietur » ; ad quod *S. Hier.* notat : « quid sibi velit quod in Septuaginta legitur, scire non valeo ».

In textu *mas.* v. 8 legitur in tertio membro *et fugiet a facie gladii* scil. cum lectione לו, ita ut postquam bis dictum est eum iri consumptum gladio eius qui non sit homo, tertia vice eadem assertio repetatur et gladius divinus innuatur. Eandem lectionem tuentur *Syrus* et *Chald.*, dum LXX, *vulg.* et aliqui codices apud *de Rossi* et (teste *Del.*) Iudaei orientales לא *non* legunt.

b) Laeta rerum conditio promittitur 32, 1-8.

Post cladem assyriacam prospici feliciorem rerum conditionem, pietatem omnium auctam, iustitiam florentem, iam saepius vidimus (cf. 28, 19. 29; 29, 18-24; 30, 18-26) idque plane iis congruit, a quibus hanc prophetiae partem vates auspicatus est (28, 5. 6) sorte Samariae et Ierusalem inter se opposita. Neque ullo modo dubium esse potest quin periculo assyriaco mira ratione depulso sub Ezechia rege pietas creverit et optimi regis exemplum, cui Deus tanto succurrerat miraculo, permultum valuerit ad cultum Dei inter populares promovendum et morum emendationem efficiendam. Hunc igitur fructum e calamitate oriundum vates hoc quoque loco celebrat. Quam apposite id fiat, perspicuum est. Hisce enim summopere commendatur divina providentia; quae sit utilitas calamitatis ostenditur, eriguntur et confortantur pii et edocentur, ut fructum illum prospicientes castigationes a Deo inflictas tamquam in salutarium remediorum numero habeant. Quod propheta ab initio monuit: Sion in iudicio redimetur, quodque tamquam iudiciorum Dei finem ac terminum declaravit: restituam iudices tuos ut fuerunt prius (1, 26. 27), id inchoatione quadam iam fieri post tempus tribulationis assyriacae innuit. Ceterum ad explanationem huius loci recole quae supra ad 30, 18-26 notata sunt; eadem enim est utriusque loci ratio.

Ut laeta felixque efficiatur rerum conditio, primum iustitiam adesse oportet sancteque coli a rege et principibus (vide rem a contrario 1, 23; 3, 14; 5, 23). Quare v. 1 « *Ecce in iustitia regnabit rex et principes in iudicio praeerunt* »; — tangi regnum Ezechiae eiusque imaginem proponi plerique interpetes concedunt, at simul monent, in Ezechia eiusque tempore minime esse sistendum neque in eo plenam hanc iustitiae formam fuisse exhibitam, quam hoc loco vates proponat; quare ad altius iustitiae exemplar, ad ipsum regem messanicum esse ascendendum, et sub typo Ezechiae describi regnum Christi. Ita iam advertit *Theod.* heracl. historiae ratione habita agi de Ezechia, praeprimis tamen (κυρίως) verba dirigi in ipsum Salvatorem; simili modo *Osor. Sanct. Sasb. Pint. For. Mar. Lap. Men. Tir. Calm. Gord. Rohl. Troch.*, dum alii vel de solo Ezechia mentionem faciunt (*S. Ephr. Thom.*) vel solum regem Messiam agnoscunt (*S. Hier. Cyr. Euseb. Procop. Haimo, Malv. Mald. Sa*). Pe-

riodum exhibet propheta post cladem assyriacam iis utique coloribus qui solum imperfecte in Ezechiae tempus congruunt; quare occasione capta ex pio Ezechiae regnandi modo altius et sublimius propheta spectasse censendus est. Idque consequenter ad alia dicitur, cum iam saepius adverterimus post cladem assyriacam fieri transitum ad liberationem messianicam (cf. 11, 1).

Iam quam laetos fructus editura sit iustitia quam rex et principes sedulo servant et administrant, vates exsequitur v. 2 « *et erit vir sicut qui absconditur a vento et celat se a tempestate, sicut rivi aquarum in siti et umbra petrae prominentis in terra deserta* »; — magis nervose in hebr. *et erit unusquisque sicut absconsio a vento et latibulum adversus imbrem* i. e. protectionem et tutelam ab impiorum iniuriis rex et principes efficaciter praestabunt, bonorum abundantiam procurabunt, omnibus afferent consolationem; umbra petrae [1] maius praebet refrigerium, quam arboris, per cuius ramos radii solis calorem transmittunt. Sub eo igitur rege adfore describitur maximam securitatem, pacem, prosperitatem, quietem suavissimam, eaque explicantur imaginibus consuetis. Bonis hisce atque commodis alia etiam maiora sociantur v. 3 « *non caligabunt oculi videntium et aures audientium diligenter auscultabunt* »; — ablata scil. est maledictio illa et poena: excaeca cor populi et aures eius aggrava et oculos eius claude, ne forte videat oculis suis (6, 10), ablata obcaecatio 29, 10; 30, 10; iam vident et intelligunt Dei consilia, diligenter et avide doctrinam et verba prophetarum suscipiunt; v. 4 « *et cor stultorum intelliget scientiam et lingua balborum velociter loquetur et plane* »; — eaque doctrina rite percepta altas aget in corde radices; qui antea erant festini, praecipites (hebr.), verae sapientiae expertes, iam divinae providentiae consilia intimis animis et affectibus complectentur; *cor* enim vitae totius quasi cardo concipitur. Et quae rite perceperunt, expedite cum aliis communicant. Antea balbutientes prophetas irridebant (28, 10); nunc praecones exsistunt veritatis. Quanta igitur ubique rerum mutatio! Notatu dignum est, quantopere vates spiritualem eius mutationis indolem efferat.

Cum vera iustitia et pietas vigeat et omnium animi recta rerum intelligentia sint imbuti, impii e sede et auctoritate deiecti iam non sunt in honore neque fraudulentis artibus aliquam sibi vindicare poterunt in alios dominandi potestatem v. 5 « *non vocabitur ultra is qui insipiens est princeps neque fraudulentus appellabitur maior* »; — morum enim perversitate fit, ut vocabula speciosa foedis rebus affingantur (cf.

---

1. Monent apud Hesiodum quoque commemorari σκιὴ πετραίη (Ἐργ. v. 589) et apud Virgilium *saxea umbra* (Georg. 3, 145; cf. *Naeg. Del. Rohl.*).

5, 20); *stultus* נָבָל in s. literis vocatur impius, qui Deum esse negare conatur (cf. Ps. 13, 1) et qui variis vitiis ac sceleribus indulget; peccatum enim in s. Scriptura, uti verissime est, tamquam stultitia, amentia, mendacium traducitur. Talis autem eo tempore unusquisque reputabitur qualis revera est; vera enim norma ferendi iudicii omnibus praesto est. Uti in v. 5 duo illa genera peccatorum, in Deum scil. et in proximos, praecipue indicat propheta, ita in v. 6 et 7 « exegesin proponit hominis flagitiosi, qui designatur ab animo, verbis et factis in Deum et homines » (*Malv.*) v. 6 « *stultus enim fatua loquetur et cor eius faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem et loquatur ad Deum fraudulenter et vacuam faciat animam esurientis et potum sitienti auferat;* v. 7 *fraudulenti vasa pessima sunt; ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendaci, cum loqueretur pauper iudicium* » —; נָבָל *stultus* cf. v. 5; corde molitur vel machinatur iniquitatem, quae ita in opus transeat, ut contra alios exerceat omne genus fraudis et impietatis (חֹנֶף cf. 9, 17), contra Deum autem loquatur vesana (hebr.). Impietas in Deum, iniustitia, oppressio, crudelitas in alios, fraus occulta et aperta violentia, i. e. peccata in Deum et proximum arcte inter se connectuntur, sicut a contrario dilectio Dei et proximi vinculo indissolubili in una virtute theologica caritatis continetur. In v. 7 hebr. adest paronomasia; *vasa* intellige arma, instrumenta, fraudes quibus fraudulentus utitur, qui varia excogitat et machinatur scelesta, ut *afflictos perdat* (hebr.) sermonibus mendacii, quamvis egenus iustam suam causam demonstret. En, quanta in alios duritia, quanta perversitas ex pietate in Deum neglecta redundet.

Sed illa periodo ii qui in auctoritate positi sunt, mores habent emendatos, ita ut qui munus quoddam gerit etiam quae munere digna sunt exsequatur v. 8 « *princeps vero ea quae digna sunt principe cogitabit et ipse super duces stabit* »; — hebr. *nobilis nobilia decernit et ipse nobilibus insistit* i. e. consilia capit principe nobili et generoso digna et quae cepit ea firmiter atque constanter in opus deducit neque se a nobili agendi ratione dimoveri sinit. Quod igitur nomine prae se fert, id rebus quoque moribusque praestat. — Imaginem felicioris conditionis ita proponit propheta, ut ex ipsa descriptione facile perspiciatur, quid potissimum in aequalibus reprehendere velit: indignos quosdam esse in auctoritate positos multumque valere; ipsos populi duces et primores aliquos nomine et honore plane esse deiiciendos; illos sane occulte petit qui foedus aegyptiacum ordiuntur.

Vocem כִּילַי explicant rabbini, quos sequitur *Fürst, avarum, tenacem; Hitz.* vocem a כָּלָה derivans *prodigum* interpretatur. Verum plerique interpretationem a

S. Hier. datam sequuntur et *fraudulentum* vertunt (cf. *Ges. Del. Naeg. Bred. Rohl. Drechsl.*) aliis notionem *perditoris* coniectantibus (cf. *Kn.*). Sed versio *S. Hier.* est retinenda. Ei adstipulatur *Sym.* οὐδὲ τῷ δολίῳ ῥηθήσεται σωτήρ in v. 5. Vox *nun* abiecto orta est ex נְכִילַי, sicut שִׂיא pro נְשִׂיא Iob 20, 6. Ceterum veteres interpretes in ea voce explicanda variant. *Aq.* praebet σκευαστήν, quae interpretatio ex eius vertendi modo facile declaratur, respexit enim externam illam cum כְּלִי σκεῦος similitudinem. *Theod.* vertit χήραν — an igitur כַּלָּה *sponsam, nurum* ob oculos habuit ? ! LXX in v. 7 praebent : consilium enim impiorum iniqua cogitabit ; multo magis in v. 5 a textu *mas.* recedunt : nec ultra dicent ministri tui : tace. — *Syrus* vocem interpretatur *vacuum* ; *Chald.* in v. 7 *impium* intelligere videtur ; in v. 5 vero hanc praebet paraphrasin alterius membri : qui transgressi sunt verbum eius, non dicentur fortes.

c) Per tribulationes ad felicitatem contendi oportet 32, 9-20.

Uti sacer vates in describenda conditione meliore, quae subsecutura est calamitatem assyriacam, sui temporis vitia iam tetigit (v. 5 seq.), ita nunc plane ad aequales suos exhortandos revertitur. Mulieres autem alloquitur easque a falsa quadam securitate qua nihil mali sibi esse pertimescendum opinantur deiicere studet. Proinde nobiles quaedam mulieres talem videntur posuisse spem in foedere aegyptiaco quod inire principes gestiebant, ut nihil ab Assyriis esse timendum sibi persuaserint. Hisce vates graviter denuntiat quantopere fallantur. Uti 3, 16 seq. pompam et luxum muliebrem acriter insectatus est, ita nunc falsam earum fiduciam et fallacem securitatem perstringit. Incipit more paroemiastae attentionem excitans atque postulans v. 9 « *Mulieres opulentae, surgite et audite vocem meam! filiae confidentes, percipite auribus eloquium meum* » ! — hebr. *mulieres securae* vel tranquillae ; ergo simul elucet quam parum fidei verbis et oraculis prophetae adhibuerint ! De modo paroemiastico vide Prov. 2, 1 ; 3, 1 ; 4, 1 ; 5, 1 ; 6, 1 etc. Si verba spectas adeo plana et mente retractaveris, mulieres tamquam matres et uxores multum valere in familia domestica, immo blanditiis, precibus, lacrimis haud parum efficere posse penes maritos, filios, mecum sane miraberis tot fuisse interpretes qui non mulieres, sed urbes et oppida vel provincias sint interpretati (*S. Ephr. Cyr. Theod. Malv. For. Osor. Sanct. Mar. Calm.* — *Vitringa, Ros. Eichhorn*), uti *Chald.* quoque, alios autem intellexisse vel viros effeminatos vel synagogas (*Euseb.*), alios rem in medio reliquisse (cf. *S. Hier. Haim. Thom. Pint.*). Verum nulla adest nec excogitari potest ratio, cur ab ea interpretatione recedamus quam teste *S. Hier.* iam eius tempore plerique veram arbitrabantur, intelligendas esse mulieres ; ita quoque explicant *Mald. Lap. Men. Tir. Gord.* et recentiores.

Eam iis primo denuntiat calamitatis partem qua matresfamilias et rerum domesticarum administrae maxime tanguntur, defore messem indeque victus rationem v. 10 «*post dies enim et annum vos conturbabimini confidentes; consummata est enim vindemia, collectio ultra non veniet*» ; —hebr. proprie *dies ad annum* i. e. ad annum praesentem dies adhuc addendi sunt numero incerto, ergo aliquo tempore post annum evolutum vel etiam a tempore quo haec dicuntur annus adhuc praeteribit integer et certus dierum numerus; utro sensu verba sint intelligenda, nemo definierit. Ceterum *dies* spatium designant satis incertum; Num. 9, 22 plus quam mensis, Iud. 17, 10. 1 Sam. 27, 7 annus ea voce designatur. Ergo post aliquod tempus ex falsa securitate certissime expergiscent trepidantes : deerit vindemia et collectio fructuum, messis igitur aestiva seu autumnalis. Assyrii enim vel per aestatem regionem vastaverunt vel ita omnem circa urbem regionem et campum occupant, ut vineae hortique nequeant adiri. Rerum autem penuria ad luctum provocantur, quem ut more orientalium edant propheta hortatur; tali vero ad luctus indicia assumenda exhortatione efficax exprimitur rerum futurarum praedictio, quae ob certissimum affirmandi modum non poterit non multum in animos valere v. 11 « *obstupescite opulentae, conturbamini confidentes, exuite vos et confundimini, accingite lumbos vestros,* v. 12 *super ubera plangite super regione desiderabili, super vinea fertili* »!— hebr. *contremiscite securae, trepidate confidentes, deponite* scil. ornatum et pompam, vestes v. g. illas luxuriosas, de quibus 3, 16 seq. *nudate vos,* uti est lugentium vestibus squalidis incedere vel etiam vestitu convenienti carere ad luctus magnitudinem declarandam, *accingite lumbos vestros* sacco scil. (cf. 3, 22; 15, 3; 22, 12); et cum saccus quandoque super nudo gerebatur (3 Reg. 21, 27. 4 Reg. 6, 30), illud *nudate vos* etiam accipi potest, ut vestimenta mollia omnia seponant et carnem sacco ac cilicio affligant. Hisce v. 12 addere dicuntur aliud luctus signum : pectora scil. tundunt (hebr.) propter regionis vastationem lugentes. Undique igitur moerore confectae apparent : anguntur, tremunt, lugent vehementer. De luctus indiciis cf. Iob 16, 16. Mich. 1, 8. Nah. 2, 10 etc.

Aliqui explicant *plangere super ubera* lugere propter ubera arentia scil. propter lactis inopiam ; ita *Mald.* aliique apud *Ros.* Alii non ubera, sed agros ex maxima vocum hebr. similitudine legunt : lugete super agros (quos vide apud *Kn.*) ; at omnino retinenda est explicatio supra data, quam iam LXX praebent ἐπὶ τῶν μαστῶν κόπτεσθε et quam recentiores quoque communiter sequuntur.

In hisce versibus frequentior deprehenditur in hebr. generis enallage ; ita v. 11 חִרְדוּ imper. masc. iungitur cum nomine fem. ; similiter v. 12 habes סֹפְדִים part. masc., cum tamen addatur עַל שָׁדַיִם *super mammas*. Maiore difficultate premuntur

formae in v. 11 tres illae רְגָזָה, פְּשֹׁטָה, עֹרָה ; secundum accentus *mas.* appositos ה illud paragogicum esse declaratur. Quare explicatio quam maxime probabilis ea esse videtur, ut ibi cernatur imperat. masc. cum he paragogico; ita iam formam explicuit *Mar.* et explicant *Ges. Hitz. Del. Naeg. Bred. Rohl.* In qua sententia iterum cernitur enallage generis et numeri. Aliis explicare placet imp. pl. fem. ita tamen ut litera *nun* sit elisione eiecta (ita rabbini, *Drechsl.* Ewald §. 226 a), quae tamen literae eiectio nullo alio exemplo hebr. demonstrari potest, quamvis in lingua aethiopica inveniatur. Alii demum explicant inf. cum he (cf. *Malv. For.*) vel per modum substantivi vel cum he paragogico. Sed priori explicationi obstat punctatio, altera non minus inusitata videtur (cf. *Del. Naeg.* Hebr. Grammatik p. 30 not. 4).

Atque revera aderit, cur lugeant et pectora tundant. Tota enim regio vastatione et horrore squalebit invasionem hostilem experta v. 13 « *super humum populi mei spinae et vepres ascendent ; quanto magis super omnes domos gaudii civitatis exsultantis* » ? — cf. 24, 7 luxit vindemia ; spinae et vepres maledictionem dicunt quae propter incolarum impietatem agris campisque infligitur, Gen. 3, 18. Hisce igitur contecti hominum accusant iniquitates. Atque eadem vastatione etiam (hebr. כי immo ? profecto) prosternentur domus deliciarum urbis exsultabundae ; immo eae iure potiore, quia ubi peccatis magis indulgebatur, ibi magis etiam cerni maledictionem peccati oportet. Unde facile fluit quod habet *vulg.* quanto magis. Cum autem ipsa urbs Ierusalem non sit capta ab Assyriis, potissimum intelligendae erunt domus gaudii quas cives extra muros habebant, uti iam monet *For.* Atque quantopere finis sit imponendus laetitiae et tripudiis et quid immineat, nisi sincera ad Deum conversione ultimam averterint et extremam ruinam, vates minatur v. 14 « *domus enim dimissa est, multitudo urbis relicta est, tenebrae et palpatio factae sunt super speluncas in aeternum ; gaudium onagrorum, pascua gregum* » ; — clarius colligitur sensus ex hebr. *palatium relictum est, tumultus urbis cessavit* i. e. urbs ob frequentiam olim tumultu et strepitu plena iam tristi silentio luget ; *arx (Ophel) et munitio erunt in speluncam in aeternum, gaudium onagrorum* ; ita hebr. iam explicant *Vat. Mald. Mar. Malv. Sasb. Calm.* et recentiores. Ipse *S. Hier.* notat in hebr. dici *Ophel* et *Been* (בחן) « quas Hebraei duas turres in Ierusalem fuisse arbitrantur », haec autem nomina interpretatur appellative tenebras sive nubilum [1], probamentum et firmitatem, in commentario autem palpabiles tenebras utramque vocem explicat ; quare sensus *vulg.* ita commode cum *Mald.* reddi potest : urbes frequentissimae fient obscurae speluncae, ut earum tenebrae palpari queant.

1. Explicat nempe עֹפֶל ac si esset אֹפֶל, quod idem habes Mich. 4, 8 ; vide quae ad illum locum notavi Proph. min. I p. 433. — Etiam *Sym.* vertit σκότος καὶ ἐξερεύνησιν.

Hebr. *Ophel* tumulum vel clivum dicit, sed peculiari modo eo nomine vocatur clivus in parte meridionali montis Sion muro munitus (cf. 2 Par. 27, 3; 33, 14. Neh. 3, 26; 11, 21); *Bachan* explicant *speculam* vel turrim quae fuerit in colle Ophel; neque improbabiliter; cf. Neh. 3, 25. 27 (ita *For. Mald. Malv. Troch. Kn. Del. Naeg.*). Sensus non restringatur oportet ad Ierusalem, sed in universum enuntiatur, quid per terram palaestinensem futurum sit; quare *Ophel* quoque notione communi explica i. e. omnes colles et turres, omnes munitiones fore vastandas. Id factum esse per Assyrios, facile sibi persuaserit qui legerit omnes civitates munitas fuisse captas ab Assyriis (36, 1. 4 Reg. 18, 13) et in ipsis annalibus Sennacherib regis dici oppida innumerabilia et loca munita fuisse expugnata (cf. *Vigouroux, Schrader,* l. c.).

Regionem ergo fertilissimam, urbes, oppida, castella in solitudinem ac desertum, ubi bestiae impune commorentur esse convertenda propheta minatur, idque *in aeternum* i. e. peccatis incolarum talem deberi punitionem quam ipsi vel avertere vel expiatione criminum facta tollere nulla ratione possint. Verum Dominus isque solus vastationi terminum ponere atque feliciorem rerum conditionem ex illis ruinis ac miseriis excitare potest et excitare revera vult. Unde v. 15 « *donec effundatur super nos spiritus de excelso, et erit desertum in Carmel et Carmel in saltum reputabitur* »; — en, spiritus ille soporis 29, 10 non poterit vinci et expelli nisi spiritu Dei in homines effuso, quo interna quaedam animi quasi regeneratio efficiatur et novus vitae fons homini aperiatur. Ita scil. Dei virtute et gratia, quam hominum mentibus infundit et qua eas nova rerum divinarum luce et robore imbuit, felix illa mutatio in opus deducetur. Verissime id monet propheta; homo enim suis viribus plane impos est qui peccata eorumque damna reparet et resarciat; opus est gratia Dei et virtute, qua animus a morte ad novam vitam revocetur et qua ei denuo spiraculum vitae inspiretur. Spiritus Dei effusio peculiari ratione periodo messianicae attribuitur (cf. Ioel 2, 28. Ez. 36, 25; 39, 29); unde hoc quoque loco denuo confirmatur quod saepius monuimus, prophetam post calamitatem assyriacam felicem rerum mutationem ita adumbrare, ut uno conspectu tempus quoque messianicum complectatur (cf. 32, 1). De Carmel vide 29, 17. Quemadmodum maledictio peccato inhaerens in desolatione et vastitate terrae exprimitur (cf. 13, 14 et modo in v. 12-14), ita innovationi et sanctitati proprium esse perhibetur, ut in rerum quoque naturam splendore quodam redundet (cf. 30, 23 seq.). Quare effectus effusionis spiritus Dei ita describitur, ut desertum transmutetur in campum amoenum; quo symbolo et nova illa vita ubertasque operum bonorum quam spiritus Dei in animis efficiet, et benedictio illa optime illustratur quae ab hominum

sanctitate in res creatas redundabit. Ita sane intelligenda erit prior membri alterius pars. Sed quid sibi vult : campus amoenus et fertilis in saltum reputabitur? Non puto sensum esse : impius elatus qui prius videbatur cultissimus iam horrescit (*Malv.*) neque censeo designari priorem conditionem securitatis falsae, quae nunc demum tamquam talis agnoscatur et despiciatur; nam ex v. 13. 14 abunde constat talem rerum conditionem iam dudum censeri ablatam, neque puto effusionem spiritus Dei ita exhiberi, ut priorem effectum amplissimum alter subsequatur multo minor, cui habendo par sit calamitas ipsa per Assyrios inflicta. Veram explicationis viam innuit *S. Thom.* : « terra vestra prius deserta ita erit fertilis sicut Carmelus, cuius fertilitas reputabitur sterilitas comparatione terrae vestrae ». Unde si rationem symbolicam consideraveris, merito dixeris ea comparatione declarari quantopere nova illa conditio priore futura sit perfectior ac sublimior, ita ut si utriusque temporis speciem inter se contuleris, id quod antea in regionis amoenae ac fertilis censu habebatur, iam nunc prae gloria novae conditionis non reputandum sit nisi in loco silvae horridae atque incultae (cf. *Sanct.*).

Atque hanc esse veram v. 15 acceptionem, etiam sequentibus colligitur, quibus quae sit spiritus Dei effusio clarius proponitur v. 16 « *et habitabit in solitudine iudicium et iustitia in Carmel sedebit* » ; — i. e. norma Dei eiusque voluntas ubique valebit et plene dominabitur; in solitudine, apud eos ipsos, quorum quia Deo rebelles erant terra antea est vastationi et solitudini tradita; et in regione fertili, apud eos quorum regio benedictione coelesti tamquam mercede fidei et pietatis non carebat. Quodsi iustitia et sanctitas ubique viguerit, fructus exorientur laetissimi v. 17 « *et erit opus iustitiae pax et cultus iustitiae silentium et securitas usque in sempiternum* » ; — *cultus* i. e. *proventus,* effectus *iustitiae erit quies et securitas* (hebr.); ubi enim lex Dei observatur, ibi Deus pacis bona sua abundanter largitur. Bene notat *Mald.* : « alludit ad falsam illam securitatem v. 9. 11, cui opponit veram et solidam securitatem ». Tunc populi Dei conditio talis erit qualem pro hereditate Dei iuremerito exspectamus v. 18 « *et sedebit populus meus in pulchritudine pacis et in tabernaculis fiduciae et in requie opulenta* » ; — particeps erit bonorum Dei cuius est summa pace et beatitate imperturbata perpetuo frui; huius quasi imaginem populus prae se feret. Haec bona tamquam tempori messianico propria describi solent apud prophetas ; unde iterum patet prophetam felicitatem futuram quam describit non uno Ezechiae tempore concludere, verum beatiorem prospicere messianicam periodum.

Demum per modum epiphonematis et cladem hostibus infligendam et felicitatem subsecuturam i. e. totum huius partis argumentum breviter

recolit; v. 19 « *grando autem in descensione saltus et humilitate humiliabitur civitas* » ; — hebr. *grandinat, dum saltus cadit;* saltus qui succiditur et grando quoque iam supra cladem annuntiarunt et descripserunt Assyriorum (10, 34 ; 30, 30); quare dubium non est ruinam declarari Assyriorum, qua scil. via paratur ad feliciorem conditionem; urbs autem quae *humilitate humilianda* erit i. e. quae pro sua superbia quam maxime humiliabitur est illa ipsa, de qua talis annuntiatur abiectio et castigatio 29, 1-4. 14 ; 28, 18. 19; 30, 16. 17, urbs scil. Ierusalem, quatenus summo periculo et angustiis premetur ita, ut omnia subsidia humana plane deficiant (cf. 37, 3). Hanc rite intelligunt *S. Hier Osor. For. Sasb. Malv. Mar. Lap. Men. Tir. Rohl.*, dum alii vel Niniven civitatem Assyriorum (*S. Ephr. Thom. Calm.*), vel Babylonem (*Sanct. Troch.*) vel omnes urbes hostium Dei, uti 24, 10 explicant (*Drechsl. Bred.*) ; at in *hac* oraculorum serie de alia civitate quam Ierusalem non est sermo, quare in isto epiphonemate (uti *Sanct.* bene hanc partem appellat) alia urbs nequit intelligi. In hebr. attende paronomasiam (עִיר, יַעַר ; בָּרַד בְּרֶדֶת). Sunt qui *saltus* quoque deiectionem de Iudaeis contumacibus accipiant (*S. Hier. For. Lap. Men. Pint.*) ; sed sane in brevi hoc sermonum argumento non quaerenda est tautologia, verum rerum tractatarum mentio succincta; adde saltum et grandinem alias clare usurpari de Assyriis.

Hostibus Dei et alienigenis et domesticis (qui scil. sint ex domo et familia Dei) deiectis atque punitis laetiorem subsequi ac feliciorem epocham, saepius audivimus; quare id quoque h. l. recolitur v. 20 « *beati qui seminatis super omnes aquas immittentes pedem bovis et asini* » ; — qui seminatis ad omnes aquas, dimittentes liberum pedem bovis... eos vagari libere permittentes in pascuis abundantibus. Depingitur terrae fertilitas, pax, securitas, quia greges libere vagari possunt. Alii : immittentes in ipsas segetes, ut eas depascantur; tantam scil. fore copiam et luxuriem satorum (*Malv. Mar. Troch.*). Propheta hac imagine brevi recolit quod cognata ratione pluribus 30, 23. 24 proposuerat; etiam hoc loco valet fertilitate terrae exhibita benedictionem Dei et beneplacitum declarari propter populi pietatem et sub allegoria bonorum temporalium abundantiam promitti spiritualium (cf. *Malv. Sanct.*) ; recole quae dicta sunt ad 30, 25.

6. *Sextum vae* 33, 1-24.

Arg. — Vae Assur, iure talionis punietur; Deus suis benigne succurret, fugient Assyrii spoliis relictis; maxima exsistet gloria Dei et salus populi (33, 1-6). Terra quidem palaestinensis magna affligitur solitu-

dine et vastitate ; at demum Deus iis qui omni auxilio destituti sunt miro modo opem ferens hostes destruet ; peccatores terrore contremiscent, iusti autem secure habitabunt regnique splendorem videbunt renascentem (33, 7-17). Ipsi calamitatem transactam laetis animis revolvent et spe delectabuntur certo confisi, fore ut urbs sancta etiam in posterum potenti Dei auxilio ab hostium direptione defendatur (31, 18-22). — Nunc utique Ierusalem calamitate fere opprimitur ; at ex ea urbs ditior ac sanctior evadet. Ita v. 23. 24 per modum epiphonematis.

Hoc quoque sermone animos apte praeparari ad calamitatem assyriacam riteque de ea edoceri in aperto est. Iam eo ipso quod Assyriis iterum adeo distincte interitus denuntiatur, fides et spes piorum roboratur; quod autem propheta in eo interitu maximam exhiberi cernit gloriam Dei eiusque opus insigne, ne ad exterorum auxilium et fiduciam confugiant, graviter et efficaciter admonentur. Denuo calamitas angustiaeque quae instant ob oculos iis ponuntur; tela enim praevisa minus nocent et ea praedictione fit, ut animi in ipso rerum turbine firmi constantesque perseverent. Quare opem quoque a Deo ferendam pluribus egregie describit; impios interitu ostenso terret; pios laeta spe et felicitate subsecutura consolatur eosque docet, qua ratione ex divinae providentiae consiliis de istis adversitatibus iudicari oporteat. Hisce ergo et similibus quae in hoc sermone exprimuntur vates muneris sui ad theocratiam stabiliendam constanter memor animos popularium erudire et indole menteque vere theocratica imbuere satagit.

a) Clades Assyriorum et Dei gloria 33, 1-6.

Sermo propheticus hoc loco vertitur in Assyrios eodem modo quo 10, 5; est enim Assur virga qua Deus utitur ad populum suum castigandum et erudiendum, sed quam eruditione peracta confringit et abiicit. Assur enim insolentia et superbia, crudelitate et oppressione multis se illigavit culpis, quare demum iure talionis iustissimas exsolvet poenas. Unde ad pios spe roborandos vates dicit v. 1 « *Vae qui praedaris ! nonne et ipse praedaberis ? et qui spernis, nonne et ipse sperneris ? cum consummaveris depraedationem, depraedaberis; cum fatigatus desieris contemnere, contemneris* » ! — hebr. *vae vastator et tu non vastatus* [1] (eousque), *raptor et te non diripuerunt* vel oppressor et te non oppresserunt [2] i. e. eousque impune Assur grassatus est, nondum debitas luit

1. Etiam textu graeco interrogatio non exprimitur. Cum apud *Chald.* in secundo membro, ut in versione *S. Hier.*, futurum ponatur, sententia erit cum interrogatione legenda.

2. בגד optime explicabis : alicui perfide vim et iniuriam inferre.

poenas de tot iniuriis aliis illatis; quare exclamatione hac et oppositione vates divinam appellat iustitiam, ut suo munere fungatur; statimque iusta retributione Assur iri punitum subdit : *cum consummaveris vastans, vastaberis ; cum compleveris oppressionem, oppriment te* (hebr.) i. e. vastationem utique et oppressionem inferet Assur tamquam virga qua Deus populum erudire vult; at ea peracta ipse Assur eadem poena prosternetur; cf. 10, 5 seq. — Prius versus membrum nimis restringunt, qui eo dici volunt immerito Assyrios aggredi Iudaeam, cum ipsi a Iudaeis non sint oppugnati vel vastati (*Mar. Malv. Kn. Hitz.*); sed verba in universum prolata sensum fundunt et universalem et multo meliorem : Assyrios eousque impune aliis iniuriam intulisse, qua re simul innuitur, quanta insolentia et arrogantia Assyrii venturi sint ad terram conculcandam (cf. 10, 7).

Formam כַּנְּלֹתְךָ explicant hiphil syncopatum cum dagesch dirimente pro כַּהַנְּלֹתְךָ, uti revera teste *Ges.* in Thes. ling. hebr. p. 888 4 codd. legunt ; ה quandoque posse excidere non est improbabile (cf. 3, 8. Deut. 1, 33). Verbum נָלָה non solum apud Arabes, sed etiam apud Hebr. exstitisse, ex Iob 15, 29 constat. Quare multi textum *mas.* retinent (*Ros. Hitz. Drechsl. Del. Naeg. Rohl.*) verbumque explicant *consequi, perficere.* Alii tamen notionem *perficiendi* quae nostro loco omnino exigatur voci inesse negantes et advertentes alibi in membris parallelis inter sese excipere תַּם et כָּלָה (cf. Is. 16, 4 ; sim. 29, 20. Dan. 9, 24 ?), rescribendum censuerunt כְּכַלֹּתְךָ (cf. *Doederlein, Lowth, Ges. Maurer, Ewald, Kn. Cheyne*), cui voci utique *finiendi* vis inest. *Chald.* eo loco praebet : cum fatigatus desieris diripere, diripient te ; unde aliquibus (*Cappello, Houbig.*) placuit coniicere כְּנַלְאוֹתְךָ a voce לָאָה. Etiam *Sym.* praebet ὅταν κοπιάσῃς ; unde quoque orta esse videtur *S. Hier.* versio.

Praedictionem preces excipiunt, quibus sacer vates popularibus praeit exemplo, qua ratione Deus sit implorandus et quales sensus foveri oporteat v. 2 « *Domine miserere nostri, te enim exspectavimus ; esto brachium nostrum in mane et salus nostra in tempore tribulationis* »! — brachium i. e. auxilium, opitulator; imploratur Deus qui olim in brachio excelso, in magnitudine brachii, extento brachio populum suum ex ergastulo Aegypti redemit (cf. Ex. 6, 6; 15, 16. Deut. 4, 34 ; 5, 15 ; 7, 19 etc.), ut hoc brachium suum exserat *matutinis* singulis i. e. singulis diebus ; « quoties dies illuxerit, illucescet quoque in nobis tua misericordia », uti *Sanct.* bene hebr. explicat. Petitionem sequitur professio fiduciae in Deo collocatae, ut inde discant quibus demum gratia Dei et misericordia iure speranda sit, quae igitur ipsi praestent oporteat. Haec professio simul continet rationem quae, ut *Sanct.* advertit, divinam clementiam inflectere vehementer solet, quia

nimirum non speraverint in gentium idolis aut Aegyptiorum viribus, sed in uno Deo spem salutis totam reposuerint.

Et quam prompte Deus preces cum fiducia fusas sit exauditurus et quam praeclaram opem laturus, propheta ad eandem fiduciam animis ingerendam egregie prosequitur v. 3 « *a voce angeli fugerunt populi et ab exaltatione tua dispersae sunt gentes* »; — hebr. *a voce strepitus diffugiunt populi* i. e. Deus tumultum et terrorem hostibus immittet, ita ut fugiant; compara quae de rege Assyriorum 37, 7 dicuntur : « ecce ego dabo ei spiritum et audiet nuntium et revertetur ad terram suam ». Deus dicitur *surgere,* quando efficax fert auxilium; sufficit, ut *surgat* (hebr.) et gentes iam in omnem ventum impotes disperguntur; ita potentia Dei et facilitas qua hostes conterit oculis subiicitur (cf. 30, 18. 31; 31, 8). In textu *vulg.* statim exprimitur cladem illam per angelum iri inflictum. Quomodo *S. Hier.* ut ita verteret adductus sit patet ex 37, 36 et eius verbis quibus ad nostrum locum utitur : « a voce enim angeli quem Symmachus ita ut in hebr. scriptum est transtulit *amun* (הָמוֹן), quem Hebraei Gabrielem autumant et habere etymologiam *populi,* fugit Assyrius ». Neque aliae versiones *angelum* h. l. habent; LXX διὰ φωνὴν τοῦ φόβου sim. *Syrus, Aq.* et *Theod.* ἀπὸ φωνῆς ὄχλου. Quare versionem *vulg.* hoc loco meri interpretamenti censu haberi oportet.

Quam turpiter et celeriter terrore Dei correpti fugam sunt capturi, propheta ex spoliis relictis depingit. Vivido sermone hostes compellat v. 4 « *et congregabuntur spolia vestra sicut colligitur bruchus, velut cum fossae plenae fuerint de eo* »; — tam *facile* tamque *abundanter;* ergo morte et fuga praecipiti hostes disparuerunt. Victoriam praeclaram et spolia uberrima sperantibus in Deum promittit; cf. v. 23; erit sicut olim 4 Reg. 7, 16. Hebr. verte *et colligentur spolia vestra collectione bruchi, sicut discursus locustarum current ad ea* (cf. *Mald. Mar. Malv.* et recentiores) i. e. ingens civium hierosolymitanorum numerus sedulo cursitabit ad spolia colligenda.

Prior versus hebr. pars explicari potest vel *active* vel *passive* i. e. colligentur spolia, sicut bruchus celerrime omnia colligit, devastat, absumit, vel sicuti locustae colliguntur. Iam uter sensus erit praeferendus? Passivum secuti sunt LXX ὃν τρόπον ἐάν τις συναγάγῃ ἀκρίδας; sim. *Chald.* et *Syrus* : sicut congeries locustarum, et *S. Hier.* Atque haec sententia praeplacet; אֹסֶף dicit enim messem quae iam facta sit; cf. 32, 10. Mich. 7, 1; neque ullo modo obstat membrum subsequens. Nam eo determinari debere sensum antecedentis, quod *Del.* asserit, gratuito affirmatur. In hebr. potius adsunt *duae* comparationes ab una re petitae : in priore spolia comparantur congeriei locustarum et multitudini, « quae operiat superficiem terrae ne quidquam eius appareat » (Ex. 10, 5), et tanta

fore ac tot spolia hostium fuga et terrore Domini dispersorum; in altera vero sedulitas, fervor, studium, alacritas depingitur, qua cives ab hostibus liberati ad spolia capienda current vel potius advolabunt. Hac demum acceptione, ut bene adnotat *Drechsl.*, sententia haec omnino redditur concinna; pone enim pro אֹסֶף verbum finitum, concinnitas tum aderit solum, si *passive* accipitur, uti habes in interpretatione *S. Hier.* In altero membro *S. Hier.* vocem גֵּב explicuit eo modo quo usurpatur Ier. 14, 3 *fovea, cisterna, puteus,* uti *Mar.* bene monet, et מַשַּׁק etc. derivavit a שׁוּק *redundare* (Ps. 65, 10. Ion. 2, 24; 4, 13); unde origo eius versionis facile perspicitur (cf. *Schegg*). — Active prius membrum accipiunt *Del. Naeg. Rohl.* : spolia capietis, sicut locustae omnia abrodunt.

Hostibus ita prostratis et fuga dispersis maxima habebitur et agnoscetur Dei gloria et salus populi v. 5 « *magnificatus est Dominus, quoniam habitabit in excelso; implevit Sion iudicio et iustitia* »; — hebr. *quoniam habitans in excelso implevit...* uti in excelso thronum habet, ita facinore excelso magnitudinem suam et maiestatem omnibus declaravit; opus Dei excelsum est iudicium et iustitia, ut ius restituatur, ut status ille efficiatur quem Deus adesse vult. Bene notat *Sanct.* : « iudicavit iusta de Sennacherib, qui suae potentiae omnia arrogantissime tribuebat; ostendit se iustum esse in Sion, cum complevit cumulate quod pollicitus saepe fuerat » (sim. *Lap. Men. Tir.*). Gloria Dei in hac *iustitia* maxime relucet; quae sint bona ei intime connexa, explicatur v. 6 « *et erit fides in temporibus tuis, divitiae salutis, sapientia et scientia; timor Domini ipse est thesaurus eius* » ; — nota, quantopere indolem spiritualem, regenerationem et sanctitatem morum, cognitionem Dei rerumque divinarum vates efferat, talia unice commemorans, non regni splendorem, potentiam, gloriam bellicam. Primo loco ponitur *fides, fidelitas,* qua scil. constanter legem Dei pietatemque sequantur; ex tali constantia enascentur divitiae et incrementa salutis et abundantia benedictionis Dei; priore obcaecatione ablata (29, 10 seq.) adest intelligentia consiliorum Dei (cf. 11, 2) maiorque cognitio Dei; fons autem ille inexhaustus et thesaurus ex quo bona haec profluunt continuoque servantur est *timor Dei,* cultus religioque qua Deo debitus habeatur honor. Est enim timor Dei initium et consummata perfectio sapientiae, est sicut paradisus benedictionis (cf. Prov. 1, 7; 9, 10; 15, 33. Iob 28, 28. Eccli. 1, 11. 22; 19, 18; 21, 13; 40, 28). Timore Dei in felici illa periodo constituitur *thesaurus* populi, ex quo quaecumque ad vitam beatam requiruntur largissime illis affluant; thesaurum talem iam non in foedere cum extraneis neque in apparatu bellico quaerent, verum ibi, ubi ex indole theocratiae a Deo rege institutae unice reponitur, in cultu et religione Dei. Cum in hoc versu aperte habeatur enumeratio bonorum, singula membra, uti fit in *vulg.*, distincte sunt recensenda,

prout etiam *Syrus* et *Chald.* rem concipiunt et multi interpretes explicant secuti *S. Hier.*, dum alii iungunt : firmitas temporis vel regni consistit in salutari fortitudine, in scientia etc. (cf. *Mald. For. Malv. Drechsl.*).

Uti sacer vates iam saepius explicuit quae bona subsecutura sint cladem assyriacam (29, 20; 30, 18 seq. 31, 7; 32, 1 seq.), ita hoc quoque loco illa commemorata ad bona transit altiora, quae illo beneficio Deus populo suo conferre vult. Talis autem nexus ex ipsa notione theocratiae habetur. Urbs enim Ierusalem ab incursu hostili servatur propter foedus Dei cum populo initum, propter theocratiam ibi in suo quasi centro constitutam ; sed foederis et theocratiae bona quae demum cum hominibus communicanda sunt in illo ordine altiore continentur.

b) Ex afflictione salus 33, 7-17.

Idem argumentum vates denuo pertractat. Iterum enim redit ad ingruentem calamitatem, ad vastitatem ab Assyriis inferendam, vel si malueris, sermonem ita explica, ut invasione Assyriorum iam facta et magna regionis parte iam devastata, dum omnia bellico tumultu et timore completa sunt, vatem ea concionatum esse dicas. Quanta iam adsit afflictio (cf. 29, 2 ; 33, 1), oculis subiicitur v. 7 « *Ecce videntes clamabunt foris, angeli pacis amare flebunt* » ; — hebr. *en, heroes eorum foris vociferantur* (eiulant), *nuntii pacis amare flent ;* sermo est de legatis ad pacem cum Assyriis componendam missis qui re infecta redeuntes et de periculi magnitudine minime dubii iam foris, extra urbem, et publice clamores tollunt, immo animorum moerorem et timorem lacrimis pandunt ; agi scil. de tali legatione missa ad regem Assyriorum, veteres interpretes iam rite viderunt (cf. *S. Thom. Osor. For. Malv. Sa, Mald. Sasb. Pint. Sanct. Lap. Men. Tir.*), in eo solum a recentioribus discrepantes, quod rem referunt ad legatos ad Rabsacen missos, qui scissis vestibus redeunt ad Ezechiam eique verba Assyrii insolentia plena nuntiant (4 Reg. 18, 18-37), dum hi illos intelligunt legatos qui tributum a Sennacherib exactum ad eum perferunt, sed nihilominus regem Assyriorum ipsius urbis deditionem exposcere et mala gravissima minari regi populoque nuntiant (cf. 4 Reg. 18, 14). In textu *vulg.* intellige *videntes* vel illos ipsos nuntios qui Assyriorum potentiam et arrogantiam viderint et eo terrore perculsi eiulantes ab itinere redeunt, vel qui vastitatem in regione iudaica viderint et iam gementes ad urbem confluunt, vel « speculatores qui videntes tantas Assyriorum copias clamabant » (*Lap. Men. Tir.*) ; verum prior expositio maxime plana et

obvia videtur et cum hebr. consonans et parallelismo verborum commendata.

In hebr. habetur אֶרְאֶלָּם ; *S. Hier.* notat : « verbum hebr. *arellam* pro quo Aquila et Symmachus et Theodotio interpretati sunt *apparebo eis* extremam syllabam dividentes et legentes *are lahem,* Hebraei significare angelos arbitrantur ». Similiter etiam *Syrus* et *Chald.* verbum explicant ; LXX vero verbum a יָרֵא *timere* derivasse videntur. Iam *For. Malv. Calm.* illam proponunt explicationem (de qua *Lap.* quoque mentionem iniicit) quae hodie fere communi consensu recipitur : nomen esse idem quod אריאל 2 Sam. 23, 20 *leo Dei* i. e. heros (cf. *Kn. Del. Naeg. Rohl. Troch.*). Formam ipsam quae in textu *mas.* habetur non omnes eadem ratione explicant ; aliis enim est nomen *collectivum* (*For.*) et explicant dagesch ex analogia cum כַּרְמִלּוֹ a כַּרְמֶל et sim. ; alii *dagesch* referunt ad veterem illam acceptionem, de qua iam *S. Hier.* scribit. Alii scribendum censent vel אראלים, uti aliqui codices apud *de Rossi* ferunt, alii אֲרָאֵלִם vel אַרְאֵלָם (cf. *Naeg.*). Ex forma אֲרִיאֵל oriri posse vel אֲרָאֵל vel etiam אֲרָאֵל, exemplum habes (id quod *Naeg.* monet) in voce *Abner* ex Abiner (1 Sam. 14, 50) et in Ebjasaph pro Abiasaph (1 Chron. 6, 8. 22 coll. Ex. 6, 24) ; sim. Ebjathar ex Abi jathar (1 Sam. 22, 20 et saepius). Virum fortem vocari leonem Dei etiam apud Arabes usuvenire monent (*Bochart,* Hieroz. II p. 7 ed. *Ros. Ges.* Thes. p. 147).

Talem referri nuntium a legatis res est eo maioris tristitiae, quia tota regio iam belli incommoda quam maxime est experta v. 8 « *dissipatae sunt viae, cessavit transiens per semitam, irritum factum est pactum, proiecit civitates, non reputavit homines* » ; — i. e. viae publicae vastatae sunt et derelictae, *cessat viator* (hebr.), iam ubique commercio hominum interrupto solitudo cernitur ; frustra dona adeo larga regi Assyriorum oblata sunt (cf. 4 Reg. 18, 14), non stat promissis, pactum repudiat ; civitates iam plurimas cepit ; incolas servitute et captivitate abripit (4 Reg. 18, 13) et revera gloriatur Sennacherib in inscriptionibus suis a se ex Iudaea ducenta millia hominum centum et quinquaginta abducta fuisse. Maximo contemptu Iudaeos prosequitur, quare quasi nihil reputat illis fidem datam non servare. Inter ceteras regiones praesertim vastatae et afflictae sunt regiones septemtrionales et regio maritima quae est inter Caesaream et Ioppen ; neque mirum cum per eas regiones maxima pars exercitus Assyriorum iter fecerit (cf. quae notata sunt ad 10, 28). Unde v. 9 « *luxit et elanguit terra ; confusus est Libanus et obsorduit et factus est Saron sicut desertum et concussa est Basan et Carmelus* » ; — quam maxime ad tristitiam excitandam et calamitatis magnitudinem demonstrandam facit, quod regiones alias florentissimae misere iam prostratae, lugere, sordescere (*arescere* hebr.), in desertum redigi omnemque arborum ornatum abiicere Basan et Carmelus (hebr.) dicuntur. « Saron omnis iuxta Ioppen Liddamque appellatur regio, in qua latissimi campi fertilesque tenduntur » *S. Hier.* Libanum montem

revera fuisse ab Assyriis vastatum, ex 37, 24 quoque elucet; regionem Carmeli quoque afflictam fuisse ex itinere exercitus fere necessario sequitur; difficilius erit idem de regione Basan affirmare. Attamen non improbabile videtur, etiam in regionem illam orientalem aliqua Assyriorum agmina irrupisse. Nullo autem pacto versus ita cum *Del. Rohl. Naeg.* intelligendus est, ut nihil aliud dicatur nisi silvas arboresque propter autumni tempus folia excutere; proinde sermonem prophetae autumno esse habitum. Sed cum autumno semper excutiantur folia, quid hoc sibi velit ad tristitiam et angustiam exaggerandam vel ad Assyriorum impetum declarandum, nemo dixerit.

« Solet Deus quo illustriora sint suae potentiae atque benignitatis opera, permittere ut homines in eum articulum deducantur, ut omni tentato consilio fateantur teneri se undique atque omnes sibi interclusos esse ad salutem aditus... Hoc idem legati et cum ipsis cetera multitudo fatebatur » (*Sanct.*); quare opem ferre vult Deus v. 10 « *nunc consurgam, dicit Dominus; nunc exaltabor, nunc sublevabor* » ! — nota triplicem emphasin; cf. 30, 18; 33, 5. Ps. 11, 6. Repetitione trina et certissima praedictione spem acuit propheta fore, ut quando ab humana industria nulla se ostendit ad salutem via (*Sanct.*), proxime adsit Dei auxilium, qui de throno suo ac quiete surgere et tremenda sua maiestate hostes prosternere dicitur. Atque quantopere hoc Dei verbum certissimam promittat victoriam, propheta laeta contra hostes exclamatione profitetur v. 11 « *concipietis ardorem, parietis stipulam; spiritus vester ut ignis vorabit vos* » ; — hebr. *concipitis fenum* i. e. consilium volvitis et machinamini quod non succedet : conceptio est deliberatio, partus est exsecutio operis (*Malv.*) ; omnia eorum conamina feno et stipulae, quisquiliis comparantur, quia effectu carebunt; immo furor ille quo ardent non cives hierosolymitanos, verum ipsos vorabit; « vos ipsi ad incendium vestrum materiam congeritis, vos flatu vestro ignem protinus excitabitis qui vos repente devoret atque consumat » (*Osor.*). Ipsi suo se incendio excitato perdent. Triumphantis in modum Deique victoriam celebrantis idem repetit vates, quo maiore fiducia et spe mediis in tribulationibus afflictos civium animos erigat v. 12 « *et erunt populi quasi de incendio cinis, spinae congregatae igni comburentur* » ; — hebr. *erunt populi combustiones calcis* (*For. Malv. Vat. Mald. Mar.*) i. e. sicut adusti lapides calcis in pulverem redigentur; erunt sicut *spinae succisae* quae igni comburuntur (hebr.) ; ex tota illa pompa, ex magnifico illo saltu (10, 18. 34) nil remanebit, nisi cineres; tam facile totus ille apparatus concidit, quam spinae aridae succenduntur igni admotae. En, quanta Dei potentia, quanta populorum coram eo infirmitas!

Haec autem Dei magnalia omnibus, alienigenis ac civibus Iuda, doctrinae sint et documento oportet. Quare iam inducit propheta Deum facta sua magnificantem et quae bona consecuta sint ex perditione inimicorum ostendentem (*For.*); v. 13 « *audite qui longe estis quae fecerim et cognoscite vicini fortitudinem meam* »! — eos quoque qui longinqui fuerint praeclarum hoc Dei facinus agnovisse, discimus 2 Par. 32, 23 : « multi etiam deferebant hostias et sacrificia Domino in Ierusalem et munera Ezechiae regi Iuda, qui exaltatus est post haec coram cunctis gentibus » scil. post cladem assyriacam. Ad *vicinos* i. e. Iudaeos quod attinet, primo quid experiantur illa in tribulatione et clade peccatores, proponitur v. 14 « *conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas; quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis* »? — in hebr. ipsi peccatores tremefacti clamant : *quis nostrum* etc. ; cum iudicio in Assyrios exercito coniungi punitionem peccatorum in Sion, iam saepius monitum est (cf. 28, 18; 29, 14 ; 30, 13. 17; 32, 12). Deus se ignem devorantem praebuit Assyriis hostibus (v. 11. 12 ; 29, 30); hoc vindictae ac punitionis exemplo omnes qui hostes sunt theocratiae iure merito terrore concutiuntur prospicientes incendium illud Topheth Dei hostibus praeparatum (30, 33). Ad illud enim flammarum barathrum dirigi sermonem, ex *ardoribus sempiternis* colligitur. Illius sortis horrore correpti, illud incendium horrendum etiam sibi ipsi imminere cernentes, tremebundi exclamant : quis habitabit ex nobis...? quis poterit illas sustinere flammas? De explicatione vide quae 30, 33 notata sunt de Topheth. Timorem istum esse *salutarem,* iam ex v. 13 sequitur et efficitur ex antecedentibus, quibus saepius clade Assyriorum impios quoque ex Iudaeis ad meliorem frugem reductum iri asseritur (cf. 29, 18; 30, 22; 31, 7; 32, 15).

Dum peccatores iure contremiscunt, iusti pace ac securitate fruuntur; ita secundo explicat vates, quomodo hi fortitudinem Dei sint cognituri (v. 13) v. 15 « *qui ambulat in iustitiis et loquitur veritatem, qui proiicit avaritiam ex calumnia et excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem et claudit oculos suos ne videat malum,* v. 16 *iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius; panis ei datus est, aquae eius fideles sunt* » ; — hac iusti viri descriptione et mercede subiuncta simul dari videtur responsum, quomodo incendium illud v. 14 possit evitari; ad quid igitur peccatoribus sit incumbendum. Ad ipsam descriptionem cf. Ps. 14 et 23, 4. Primo id quod omnia complectitur vates ponit *ambulare in iustitiis* i. e. omnes vitae rationes omnemque sentiendi agendique modum ad normas in lege Dei datas exigere ac componere; subiunguntur variae huius generis

totius species iis vitiis oppositae quae antea maxime perstringebantur (cf. 5, 8 seq.; 29, 20; 32, 6); veritas atque sinceritas quae sit commercii inter homines quasi fundamentum et conditio effertur, pluribus describitur iustitia stricte dicta, qua omne lucrum ex oppressione aliorum repudiatur, omnis corruptio arceatur quam longissime; demum cura commendatur qua iusti invigilant sensibus, ne per hos quasi per portas odium aliaque scelera in animum intrent; *audire sanguinem* i. e. consulentibus caedem aures praebere (*Mar. Osor. Calm.*). Qui ita iustitiae operam dat, in securitate vivit quasi in arce alta atque munita, tutus ab hostium incursu (cf. Ps. 17) et Dei benedictione fruitur ab omni rerum inopia alienus; aquae *fideles* sunt, quae nunquam ne aestate quidem deficiunt.Benedictio modo ad v. 8. 9 accommodato proponitur. Ne in ipsa quidem calamitate assyriaca illis defore necessaria, iam 30, 20 dictum est.

Praeter bona et commoda privata iusti etiam conditione meliore reipublicae delectabuntur et periodo illa liberationis et felicitatis gaudebunt v. 17 « *regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longe* »; — hebr. *cernent terram longinquitatum* i. e. spatiosam, longe lateque patentem, ergo regnum amplum, ab invasione hostili tutum, liberum ab occupatione hostium. Tempore invasionis et obsidionis « rex erat squalidus, ea soluta assumet regium apparatum » (*Mar.*), ad quod confer quod monet *Malv.* 2 Par. 32, 23; sim. *Pint.*: « regem Ezechiam quem antea sacco indutum viderant, in decore suo et maiestate videbunt », gloria fulgentem insidentemque solio magis magisque stabili post hostes fusos fugatosque, ut notant *Calm. Rohl.*, et submotis undique hostibus quolibet licebit excurrere, non amplius metu hostili continebuntur in urbe, sed poterunt libere ambulare quovis (*Sasb.*) i. e. videbunt terram spatiosam. Haec utut vere dicuntur, tamen de Ezechia rege non valent nisi modo quodam imperfecto, quo bona meliora adumbratione quadam et inchoatione exhibeantur. Propheta enim hoc versu aperte redit ad id quod 32, 1 proposuerat; quare explicatio eadem hoc loco erit adhibenda. Unde iure advertunt typice hoc dici de Ezechia in eoque typice factum, perfectum autem esse et consummatum in Messia rege (cf. *Mald. Mar. Malv. Sanct. Sasb. Pint. Gord.*); alii tamen immediate et unice de Christo vel Deo in coelis clare viso interpretantur (cf. *S. Hier. Cyr. Theod. Thom. Lap. Men. Tir. Troch. Loch*).

c) **Iucunda recordatio praeteritorum et laeta spes 33, 18-22.**

« Et haec olim meminisse iuvabit ». Calamitate transacta mente ea recordatione iucunda recolunt quae antea sustinuerunt, simul secum mi-

rantes quam subito gravissimum illud periculum evanuerit. Id quod in textu hebr. ad animorum sensus aptis exprimitur interrogationibus v. 18 *cor tuum meditabitur terrorem; ubi scriba ? ubi ponderans ? ubi numerans turres ?* tria haec ad oppressionem assyriacam referuntur ; *ubi est?* i. e. en quam cito et subito abacti sunt qui nos oppresserunt ! *Scribam* intellige eum qui vel singulorum nomina pro exactione tributorum descripsit vel generatim tributorum rationes penes se habuit, eas praescripsit (cf. *Mar.*) ; *ponderans* is est qui inquirit in tributa soluta, in aurum argentumve, an omnia iusto constent pondere ; ad quod v. g. recole quae leguntur 4 Reg. 18, 14 : « indixit itaque rex Assyriorum Ezechiae regi Iudae trecenta talenta argenti et triginta talenta auri ». Cum antecedentia et subsequentia (v. 19) aliquid molesti referant ex oppugnatione assyriaca, ad eandem quoque referatur oportet *numerans turres ;* quo autem sensu, non adeo liquet. Forte intelligitur dux hostilis, qui ad obsidionem urbis praeparandam turres ac moenia urbis accurate lustraverit, dimensiones et altitudinem eorum ad calculum duxerit, ut machinas et scalas apte admoveret (cf. *Calm. Rohl. Troch. Kn. Del. Naeg. Bred.*) ; vel qui turres numeraverit, ut pro earum numero penderetur tributum (*Malv.*) vel ut quae essent destruendae pro arbitrio ab Assyriis decerneretur (*Drechsl.*).

Ex textu hebr. docemur, qualis sensus verbis *vulg.* sit subiiciendus v. 18 « *Cor tuum meditabitur timorem; ubi est literatus? ubi legis verba ponderans? ubi doctor parvulorum* » ? — in versione *S. Hier.* legitur : ubi est scriba? *legis verba* explicationis causa perperam est adiectum. Literatum vel sapientem intelligere poteris ironice de iis consiliariis sapientibus qui auxilio ab Aegyptiis ferendo confisi spe sua maxima cum confusione exciderint (cf. 29, 14). Alterum membrum explicabis de pseudoprophetis qui falsa spe populum deludentes se verba Dei exponere iactabant (cf. 29, 10 — si scil. *verba vulg.* retinere volueris), eodemque modo tertium membrum *vulg.* intelligi potest.

Cur ita verterit *S. Hier.*, ratio reddi potest partim ex versione LXX, quae ita apud eum fertur : ubi est qui numerat eos qui nutriunt et parvum et magnum populum, vel ex versione *Sym.* : numerans enutritos ; legit igitur aliis punctis הַמְגֻדָּלִים a גדל pual.

Nonnullis interpretibus difficultas orta est ex usu horum verborum quem facit S. Paulus 1 Cor. 1, 19 ; unde verba haec serie rerum neglecta ad alium sensum trahunt. Ita v. g. *For.* : « iuxta sensum quem Spiritus S. praecipue attendebat quem nobis aperuit optimus prophetarum interpres Paulus, sunt verba eorum qui agnoverunt Christum Domini et intellexerunt sapientiam evangelii et crucis et admirantur, quo pacto tam subito perierit omnis sapientia in lege peritorum » sim. *Mald.* — At recte alii iudicant S. Paulum solum *alludere* ad h. l. (cf. *Sanct.*

Sasb. Pint.) et verba haec suo instituto accommodare, quae ceteroquin satis diverso modo ab eo efferuntur.

Singula praeteriti terroris et periculorum argumenta animo percurrere iucundum est (*Calm.*), unde v. 19 « *populum impudentem non videbis, populum alti sermonis, ita ut non possis intelligere disertitudinem linguae eius, in quo nulla est sapientia* »; — iam non vides saevum populum, cuius terror augebatur ex lingua ignota; cf. 28, 11; hebr. *populus profundi labii, ita ut non audias* (intelligas), *balbutiens lingua,* ita ut *non* adsit *intelligentia; in quo* refertur ad sermonem. Describitur sermo qualis iis apparet, qui linguam non intelligunt, scil. tamquam sonitus quidam barbarus et murmur obscurum. Cum ex ipso linguae peregrinae sono terror sit auctus — hostis enim cuius linguam non intelligis, etiam magis terribilis est — cur linguae fiat mentio, facile patet. Est quidem lingua assyriaca aliquo modo cognata hebraicae nec pauca adsunt vocabula utrique communia; at nihilominus tanto discrimine in verbis formisque grammaticalibus inter se separantur, ut Hebraeis lingua fuerit peregrina. — Attende hoc novum vaticinandi genus quo propheta ad rem certissime futuram praedicendam eos describit sensus quibus calamitate peracta de periculo depulso gaudebunt. Iis sensibus et affectibus propositis nova subministratur piis materia consolationis.

Hanc consolationem propheta docet colligendam ex ipsa urbe sacra, quae cum sit centrum cultus divini et divinarum promissionum, divina quoque protectione tuta consistet. Laudes urbis celebraturus sermone utitur affectu et amore in urbem pleno v. 20 « *respice Sion civitatem sollemnitatis nostrae; oculi tui videbunt Ierusalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur clavi eius in sempiternum et omnes funiculi eius non rumpentur* »; — medio in turbine et vastatione assyriaca consistit urbs inconcussa et tuta, quia est קרית מועד quod nomen allusione facta ad אהל מועד tabernaculum foederis (ubi Deus cum populo convenire solebat) urbi tribuitur propter templum et cultum in eo constitutum. Est scil. Dei *tabernaculum,* quia ibi in templo, uti olim in tabernaculo mosaico, nubes illa lucida, schechina, umbra illa et signum divinae praesentiae requievit (cf. 3 Reg. 8, 10). Quare firmitas eius exemplo tabernaculi describitur. Firmitatem intellige illam, quae ex cap. 2 et 4 consequitur et quae theocratiae natura sua inest, quia regnum Dei est aeternum et inconcussum. In hebr. *habitatio tuta,* secura, cum allusione ad 32, 9; ergo ubi sit vera securitas et omnis confidentiae ratio, declaratur.

Cur ita sit, audi v. 21 « *quia solummodo ibi magnificus est Dominus*

noster »; — hebr. *immo* (quin potius) *istic nobis est magnificus — Iahve;* ibi Deus sedem fixit, ibi magnificentiam suam et gloriam palam omnibus facere vult; nam ibi revelationem suam reposuit. Quare pro sua potentia et maiestate etiam urbem reddit munitissimam et tutissimam. Id imagine et allegoria propheta effert : « *locus fluviorum, rivi latissimi et patentes; non transibit per eum navis remigum neque trieris magna transgredietur eum* » ; — est quasi urbs fluminibus circumdata et hostibus inaccessa; bene advertit *For.* : « quemadmodum Mesopotamia fluviis circumquaque firmata est et sicut Aegyptus Nilo in omnes partes diducto, sic Deus, immo valentius multo Ecclesiam firmaturus est et futurus pro rivo amplissimo, ut sit Ecclesia extra omnem teli iactum ». Sed ea est securitas, ut nullo pacto navis nec parva nec magna ibi possit appellere bellumque inferre (cf. *Mald. Mar.*) ; vel ut *Calm.* explicat : « est nobis Dominus perinde atque amnis patens et rapidus quem ne vastissimae quidem naves traiiciant; amnis erit navigiorum impatiens, qui traiici ab hostibus nequeat, ut nos aggrediantur; amnis erit, inquam, fines regionis nostrae protegens, qui pro vallo erit contra hostium iniurias » (sim. *For.*). Habes in loco fluminum simul depictam regionem amoenam et fertilem; nam ubi aquae sunt in regione orientali, ibi laeta quoque conspicitur plantarum pratorumque luxuries. Quare amoenitatem, abundantiam bonorum, securitatem summam in ea allegoria quasi in unum colligit propheta ad laudes urbis theocraticae praedicandas.

Tantis autem commodis urbs praecellit, quia ibi *magnificus* habitat v. 21, cuius magnificentia iam declaratur v. 22 « *Dominus enim iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster; ipse salvabit nos* » ; — triumphantis in modum titulos illos recenset propheta, quibus fides et spes certissima innituntur : Deus causam populi suscipit et tuetur, ipse rempublicam lege sua constituit, ipse est rex eius ac vindex ; ergo eius est opus inceptum perficere, iustam populi causam defendere, *suam* legem pro sua dignitate sancire ac fulcire, *suum* regnum tueri et gloriosum reddere, prout talem decet regem; ergo rationes adstruuntur valentissimae, ut plena fide omnes dicant: ipse salvabit nos. Atque hanc fiduciam omnium animis ut imprimat, propheta omni studio adlaborat. — Quae omnia cum dicantur de urbe prout est centrum theocratiae, civitas Dei et caput regni Dei, quam apte transferantur et suo modo omnino valeant de Ecclesia Christi, quae est vera illa theocratia et verum regnum Dei ad omnes iam gentes extensum, non opus erit pluribus prosequi. Quare a vero non aberrant qui ea de Ecclesia explicant hisce in terris constituta; extensione quadam suo modo alii eadem transferunt ad urbem coelestem Ierusalem (cf.

S. Hier. Cyr. Theod. Euseb. Haimo, Sanct. For. Mald. Osor. Lap. etc.).

Demum epiphonematis instar sermonem summatim colligit, prius periculum instans civiumque impotentiam delineans, dein victoriam divinitus concedendam proponens ; v. 23 « *Laxati sunt funiculi tui et non praevalebunt ; sic erit malus tuus, ut dilatare signum non queas* » ; — nunc quidem *funes tui laxati sunt, non tenent firmiter malum suum, non expandunt signum* (vexillum, velum) hebr. ; vide *Mald. Malv. For.* et recentiores; metaphora navis pene fractae miseram depingit conditionem reipublicae iudaicae et civitatis : quae firma esse deberent in navi, rumpuntur ; navis iam malo est destituta et velis, ergo navigationi plane impar. Sed cum respublica ita sit viribus fracta et ruinae iam proxima, « *tunc dividentur spolia praedarum multarum ; claudi diripient rapinam ;* v. 24 *nec dicet vicinus : elangui ; populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas* » ; — en, qualis subito rerum mutatio ! non ruina, sed distributio sequitur praedae amplissimae et spoliorum opimorum, et adeo facilis, ut ipsi claudi praedam auferant. Victoriam ergo facillimam Deus iis concedet ; ipse infirmitati civitatis medebitur ; iam non dicet *incola* (hebr.) : *infirmus sum* ; omnis languor est ablatus, quia iniquitas quoque ablata est. Paucis totius rei eventum propheta complectitur : impotentiam urbis et conditionem fere desperatam, auxilium Dei miro modo concessum, statum meliorem ac feliciorem qui subsecuturus sit. Hunc duobus declarat : languor aufertur, aufertur iniquitas. Tribulatione assyriaca peccatores vel morte puniti sunt vel emendati (cf. 28, 18. 19 ; 30, 18) ; pii autem fide sua et fiducia in Deo posita culpam illam quam Achaz cum maiore populi parte contraxerat (cf. 7, 3 seq.) Ezechia pio rege quasi duce expiarunt edocti sermonibus prophetae ; ergo causa ruinae est amota ; omnia adsunt quibus reipublicae theocraticae status florens constituitur, cuius robur in eo consistit, ut populus sit *sanctus*. Bonum hoc expiationis et ablationis culpae et iniquitatis ultimo loco effertur, ut omnes sciant ad illud efficiendum omnia in administrandis sortibus populi Dei demum divinitus dirigi atque disponi.

Interpretes sat multi in v. 23 ruinam cernunt descriptam et impotentiam Assyriorum (cf. *Osor. Vat. Mald. For. Pint. Sa, Malv. Mar. Gord. Calm. Schegg, Troch. Kn. Ges. Reuss*) ; qua in acceptione iam praeivit *Chald.* explicans : eo tempore conterentur populi a fortitudine sua et erunt similes navi etc. Verum non satis intelligitur, quomodo eo in contextu qui totus est de Ierusalem, subito inferatur compellatio ad Assur directa. Deinde ipsa metaphora vel allegoria

navis inutilis magis delineat *statum* quendam infirmitatis; non exprimit *casum* repentinum vel *ruinam* subito factam; at quotiescumque de clade assyriaca mentio fit, ea ita proponitur, ut *percussio* repentina, casus delineetur subitaneus (cf. 10, 33; 29, 17; 30, 27 seq.; 31, 8; 32, 19). Quare omnino praeferenda est interpretatio, sermonem dirigi ad urbem Ierusalem (id quod pronomine quoque suffixo in hebr. et apud *Syrum* gen. fem. suadetur). Eam proponunt *S. Ephr. Hier. Cyr. Theod Euseb. Procop. Haimo, Thom.* (saltem de Iudaeis explicans) *Sasb. Sanct. Lap. Tir. Rohl. Drechsl. Del. Naeg. Bred.* et ea unice vera esse videtur. Nam Ierusalem compellari *funes tui* cum tota oratio de Ierusalem versetur quam proxime adiacet; *statum* describi infirmitatis et impotentiae, ad Ierusalem spectat tempore calamitatis, prout in hac sermonum serie iam saepius occurrebat (cf. 28, 20; 29, 1-4. 14; 30, 5; 31, 3; 32, 10 seq. et in hoc ipso capite a v. 8). Hac acceptione vere habetur recapitulatio argumenti tractati summatim facta; id quod in fine saepius fieri vidimus; cf. 32, 19.

De verbis haec pauca sufficiunt: כֵּן aliqui explicant substantivum *basin, fundamentum* i. e. *receptaculum* mali nautici (cf. *Ges.* Thes. p. 694; *Kn. Drechsl. Del.*) μεσόδμην, trabem obliquam qua recipiatur et sustentetur malus; ergo: funes non firmant trabem illam mali vel nautae non firmant. Alii adiectivum *rectum* interpretantur: non tenent rectum malum (cf. *Naeg.*). Signum נֵס accipitur ἐπίσημον aut παράσημον, aut velum.

Sectio altera: diversa impiorum piorumque sors. Cap. 34-35.

Arg. — Tremendo Dei iudicio interituros esse vates praedicit populos hostes Dei, ipsum coelum eiusque ornatum iri obscuratum (34, 1-4). Hac annuntiatione generali praemissa Dei iudicium et ira in Edom quasi in exemplo et typo proponitur: populus caede interimetur (34, 5-8), regio horrenda vastitate prostrata et maledicto obruta iacebit; verbum enim Domini irritum esse non potest (34, 9-17). Haec est sors impiorum. Sortem vero ac beatitatem piorum ita oculis subiicit, ac si desertum in florentissimum paradisi hortum mutetur, omnis languor et morbus et error a regione illa felicissima longissime absit et aeterna exsultatione incolae Deo laudes dicant (35, 1-10).

Utraque hac sorte depicta propheta ob oculos ponit quis sit ultimus rerum exitus pro impiis, quis pro piis, quid Deus illis, quid his praeparaverit. Idque eo verborum ornatu, ea sententiarum gravitate ac pondere prosequitur, ut nihil videatur excogitari posse efficacius aut sublimius, uti iam *Sanct.* monet. Sermonis autem argumentum arcte ad antecedentia adnectitur et ex eis quasi sua sponte consequitur. Iam enim saepius utramque sortem considerandam proposuit, hoc autem loco ea omnia, quae antea sparserat, colligit et auget et gravissima inter se oppositione ad animos commovendos vehementissime urget. Quare

hac oratione omnem demum movet lapidem, ut contribules a foedere aegyptiaco avocatos ad fidem Dei adducat. Unde sortem horrendam inimicorum Dei et amicorum eius beatitatem considerandam exhibet et maximis dicendi luminibus illustrat : eligant igitur mortem vel vitam, supplicium horrendum vel felicitatem immensam! Sed cum animus refugiat a poenis et suppliciis et maxima necessitate feratur in beatitatem, utrum ab omnibus vehementissime desideretur, dubium non est : ergo plena fiducia totos se dedant Deo auctori omnium bonorum, caveant vindicis terrifici iram incurrere foedere antitheocratico! Quam apte igitur hic sermo sequatur et coronidis instar omnes antecedentes compleat animosque ad calamitatem rite subeundam praeparet edoceatque, ex ipso argumento elucet. Simul autem tam vivido dicendi genere et colore est compositus, ut eo iam nomine et Isaia maxime sit dignus et ad animos movendos natus factusque. Accedit quod duo haec capita iam Ieremiae (Ier. 25, 31 seq. 46, 10; 50, 27 et saepius) et Sophoniae (cf. Soph. 1, 7. 8; 2, 14) nota fuerunt; quare minime audiendi sunt qui ea Isaiae esse negant. Ii quidem ad nexum cum antecedentibus animum non advertunt, sed capita haec ex rerum serie quasi separata et avulsa considerantes prophetae nescio cui iuniori adscribunt (cf. *Ges. Ros. de Wette, Hitz. Ewald, Kn. Umbreit*) circa exsilii soluti tempus. Verum sicut capp. 24-27 antecedentia ita complent, ut ad particularia iudicia generale adiungant reliqua omnia in se complectens atque consummans, ita hic sermo quae antea tractata sunt modo quodam universali recolit et ad quem demum terminum omnia tendant egregie docet.

a) **Iudicium in gentes et orbem 34, 1-4.**

Ultimum rerum omnium exitum annuntiaturus et descripturus maledictionem qua impii sint percutiendi et benedictionem piorum, quia omnium res ibi agitur et ipsa quoque creatura suam habet in hominum sorte partem, omnes alloquitur propheta omniaque attendere iubet v. 1 « *Accedite gentes et audite et populi attendite; audiat terra et plenitudo eius, orbis et omne germen eius* » ! — plenitudo i. e. omne id quod terram implet, in ea continetur, crescit (cf. Mich. 1, 2). Haec adhortatio ad totum qui sequitur sermonem (cap. 34. 35) referatur oportet, cuius est apta quaedam praefatio. Eo ipso quod gentes invitantur, ut audiant, apparet eas menti prophetae obversari tamquam quae sanari salvarique possint et quas utraque sorte proposita ad salutis viam seligendam incitare desideret.

Primo quaecumque Deo adversantur, deiicientur et funditus everten-

tur v. 2 « *quia indignatio Domini super omnes gentes et furor super universam militiam eorum; interfecit eos et dedit eos in occisionem* »; — hebr. *anathemate damnavit* i. e. interitui eos devovit et dedit eos in mactationem; cf. 24, 1 seq. 30, 33. Et ad quid tandem recidet omnis fastus et pompa, omnis magnificentia et superbia adversariorum Dei? v. 3 « *interfecti eorum proiicientur et de cadaveribus eorum ascendet foetor; tabescent montes a sanguine eorum* »; — nihil remanet nisi cadavera et foetores. Ecce quam nihil reputandum est quodcumque Deo adversatur, etsi maximo splendore oculos hominum offuscat et admirationem concitat. Tanta est autem strages, ut prae sanguinis copia, quasi inundatione crebrisque imbribus, montes liquescant et diffluant. Hyperbolicum dicendi genus est ut exprimatur, quam severum et quam universale futurum sit Dei ultoris iudicium. Si montes, terrae fulcra et quasi fundamenta, colliquescunt ac dissolvuntur, ipsam quoque terram eadem sorte liquescere et interire patet; cf. 24, 20. Praeter terram coelum quoque iudicio illo involvi, docetur v. 4 « *et tabescet omnis militia coelorum et complicabuntur sicut liber coeli et omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea et de ficu* »; — quanta maiestatis et potentiae divinae significatio! quando coeli creantur, dicuntur extendi tam facile sicut extenditur velum vel aulaeum (40, 22. Ps. 103, 2); quando dissolvuntur, id tanta facilitate efficitur ac si liber complicatur, ac si folium putridum decidat! Coeli militia vel ornatus (cf. Gen. 2, 1) sunt stellae, quae suo tempore decident, sicut autumni tempore folia; veterascet ergo mundi machina et concidet, ut demum novi coeli novaque terra exoriantur; cf. 24, 21. Ioel 2, 30; 3, 15. Iis novi foederis oracula concordant: virtutes coeli commovebuntur, stellae cadent de coelo, coeli magno impetu transibunt (cf. Matth. 24, 29. 2 Petr. 3, 10). Iuremerito igitur statuunt interpretes plerique iudicium universale hisce depingi (cf. *S. Hier. Cyr. Euseb. Theod.* etc. excepto *S. Ephr.* qui de Assyriis intelligit).

b) **Forma iudicii exhibetur in Edom 34, 5-17.**

Iam singulari ratione in uno Dei populique electi hoste describitur, quid omnibus immineat. Edom, gens quidem israelitico populo cognata sed odio et inimicitiis continuo in eum flagrans et multarum in eum iniuriarum rea, iuremerito seligitur, ut in ea gente quasi in typo omnium peccatorum sors et iudicium exhibeatur. Notum est ex libris historicis quantum molestiae Israelitis creaverint Edomitae (cf. Num. 20, 15 seq. Iud. 11, 17. 3 Reg. 11, 14. 4 Reg. 8, 20); immo ipso Isaiae tempore sub rege scil. Achaz « venerunt Idumaei et percusserunt mul-

tos ex Iuda et ceperunt praedam magnam » (2 Par. 28, 17). Quare iure miraberis quod aliqui ex eo quod in Edomitas castigatio h. l. denuntiatur, tempus arguunt post Isaiam (cf. *Kn.*), quasi non etiam Ioel 3, 19 et Am. 1, 11 et Abd. v. 10-14 minas in Edom pronuntiaverint. Nam quod exsilii quoque tempore Edomitae in Iudaeos inimicitias exercuerunt, minime sufficit ut dicamus quod illi volunt, oraculum omne « odium spirans » in Edomitas non posse esse ortum nisi eo tempore.

Terror iudicii universalis ex eo probatur, quia gladius Domini iam sit paratus et quia in uno illo contra Edom iudicio pignus habeatur et documentum ultionis divinae et exemplum. Inde patet cur vates pergat nexu causali v. 5 « *Quoniam inebriatus est in coelo gladius meus; ecce super Idumaeam descendet et super populum interfectionis meae ad iudicium* » ; — gladius symbolum est irae ac vindictae Dei; dicitur inebriatus in coelo, quia furore Domini tot sceleribus offensi incitatur et urgetur ad vindictam capiendam; dicit ergo decretum in coelo constitutum de ultione capienda (cf. *Mald. Sa, Mar.*) et hanc exercendam esse in *populo anathematis mei* (hebr.), qui iam iusta interitus maledictione condemnatus est. Gladium iam cernit vates descendentem et ingentem stragem edentem; quare pergitur v. 6 « *gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe de sanguine agnorum et hircorum, de sanguine medullatorum arietum; victima enim Domini in Bosra et interfectio magna in terra Edom* » ; — qui anathemate, cherem, percussus est, debet exscindi; uti alias gladius per modum prosopopoeiae proponitur, quando sermo est de ore gladii, de gladio devorante, bibente (cf. 1, 20. Ier. 46, 10. Os. 11, 6), ita h. l. gladius satiatur sanguine, impinguatur adipe. Apposite scribit *Sanct.* : « egregia descriptio horribilis stragis, in qua nulli hominum aetati aut ordini parcitur; uti autem in victimis immolantium cultri pleni sunt sanguine et arvina pingui, non aliter divinus gladius in populum bacchabitur et stillabit sanguine ». Tali quasi sacrificio oblato ira Dei est placanda et iustitiae eius satisfaciendum ; cf. זָבַח; de Bosra vide ad Am. 1, 12 (Proph. min. I p. 260).

Non solum agni et arietes, id est, imbellis turba et commune vulgus cadet, sed etiam qui potentiores sunt et magis ad resistendum parati (*Sanct.*) ; v. 7 « *et descendent unicornes cum eis et tauri cum potentibus; inebriabitur terra eorum sanguine et humus eorum adipe pinguium* » ; — hebr. *et corruent bubali feri cum eis et iuvenci cum tauris;* de ראם vide quae notavi ad Iob 39, 9 (Comment. p. 437) [1]. Quam ingens

---

1. Quibus adde quae habet *Delitzsch*, Prolegomena e. hebr. aram. Woerterb. p. 15; explicat vocem *taurum ferum*, Wildochs quod animal proxime accedat ad bovem primogenium vel bovem urum. Eius animalis imagines sculptas Assyrii nobis reliquerunt *remu* inscriptas;

strages edatur, collige ex terra ebria sanguine et ex pulvere qui adipe impinguatur (hebr.). Tale autem iudicium fit v. 8 « *quia dies ultionis Domini, annus retributionum iudicii Sion* » ; — scil. ut ius reddatur Sioni, quae multas passa est iniurias (cf. *Osor. Mald. Sanct. Sa, Men. Tir.*). Animadvertit Deus in hostes Sion, i. e. in hostes theocratiae, qui eius consiliis se opponunt, et ultionem exercens regni sui causam agit. Unde denuo clare cernitur, Sion i. e. theocratiam spectari et ad eam tendere quaecumque demum in rerum humanarum administratione a Deo geruntur. Si vero ita causa agitur theocratiae, consequens est in eos quoque dirigi iram Dei qui ex Iudaeis agendi modum theocratiae contrarium sequuntur. Quare iudicium hoc omnibus admonitioni et documento proponitur.

Cur iudicium fiat declaratum est v. 8 et simul indicatum qui eius terroribus sint involvendi. Iam ut hi qui hostes sunt theocratiae in ipsa residentes et cives Sion animum abiiciant a theocratia alienum et sensus induant populo Dei dignos, horrores ultionis divinae magis magisque spectandi proponuntur. Unde qualis futurus sit dies ultionis et quali maledictione terram hostilem sit percussurus, describitur v. 9 « *et convertentur torrentes eius in picem et humus eius in sulphur et erit terra eius in picem ardentem* » ; — pro aquis quae terrae fertilitatem et florem gignunt aderunt rivi picis ; pro humo sulphur ; unde tota regio incendio horrendo et foetido flagrat. Notat *Mald.* alludi ad eversionem Sodomae et Gomorrhae, quae regio maledicto obruta non adeo distat ab Edom et tale supplicium experta est quale nunc describitur (cf. *Sanct. Lap. Tir. Gord. Rohl.*). Extremam ergo exhibet vastitatem eamque quam maxime foedam. Per ignem enim, ut advertit *Sanct.* summum in homine cruciatum, et in aliis rebus summam vastitatem exprimimus, quia ille et cruciare durius et corrumpere alia atque dissolvere solet vehementius ; hanc autem stragem illi comparat materiae quae et citius concipit flammam et diutius conservat et vim ignis maxime auget et foetores gignit intolerabiles. Atque horrendum et foetidum incendium ulterius sensibus proponit v. 10 « *nocte ac die non exstinguetur ; in sempiternum ascendet fumus eius ; a generatione in generationem desolabitur, in saecula saeculorum non erit transiens*

---

cf. Transactions of the Society of biblical Archeology 1877 V p. 33. 326 ; ex quibus patet animal hoc non ad speciem *orygis leucorygis* pertinere, saltem si nomen ex assyriaco explicaveris. Atque animal intelligi bovi simile et plane indomitum facile fluit ex Deut. 33, 17. Ps. 29, 6 ; 22, 22. Iob 39, 9. Apud Arabes quidem eo nomine *antilope leucoryx* designabatur ; sed eam esse indolis mitioris *Delitzsch* l. c. censet ; at *Schegg*, bibl. Archaeologie p. 79 vocem de oryge explicat et quam ferox sit animal exemplis allatis ostendit.

per eam »; — torrentes picis, humus sulphure constans, terra ipsa quae pice ardente consistat, incendium hoc perpetuum, haec omnia satis per se ostendunt, vatem non terrae edomiticae sortem et vastationem praedicere, sed in tali descriptione per modum symboli vel allegoriae depingere, quam terribile futurum sit iudicium Dei et quomodo in maledictionem peccati et punitionem res quoque creatae pertrahantur. Uti beatitas messianica in terram quoque redundare dicitur et terrae fertilitate et amoenitate describitur, ita a contrario maledictio peccati etiam terram inficit et in vastitate terrae exprimitur. — Quam stabili maledictione peccatum puniatur, quater in v. 10 effertur : bis notatur incendium perpetuum, bis vastitas perpetua. De incendio cf. 30, 33; 33, 14. Ea omnia colliguntur quae ad sensum horroris gignendum apta sunt.

Vastitas ac solitudo porro cernitur, quia regio ab animalibus occupatur et incolitur, « quae in desertis locis habitare consueverunt » (*S. Hier.*) v. 11 « *et possidebunt illam onocrotalus et ericius, ibis et corvus habitabunt in ea, et extendetur super eam mensura, ut redigatur ad nihilum et perpendiculum in desolationem* » ; — hebr. יַנְשׁוֹף hoc loco et Lev. 11, 17 et Deut. 14, 16 a LXX et *S. Hier.* explicatur *ibis;* vocem *Chald.* interpretatur *noctuam, ululam,* quam significationem alii adoptant (cf. *Mald. Mar. Vat. For. Kn. Naeg. Del.* [1]) ; ceterum vide 13, 20-22; 14, 23. Soph. 2, 14. Ps. 101, 7. Tota regio in vastam quandam et horridam redigetur molem ; in hebr. *extendet super eam* (Deus) *lineam tohu* (vastitatis) *et perpendidulum bohu* (confusionis) ; cf. Gen. 1, 2; quae ad aedificandum adhibentur, linea et perpendiculum, ad destructionem inservire dicuntur, ut per *regulam* industriam et artificium intelligas ad diruendum (*Mar.*) ; « desolabit eam et evertet ad lineam, funiculum et filum, hoc est summo iudicio et quam regulatissime » (*Malv.*) vel « erit quasi linea fabrilis in terra extensa, ut iuxta eam plane desoletur, radatur et solo aequetur » (*Lap.*) ; cf. Am. 7, 7. Lament. 2, 8. 4 Reg. 21, 13. Ergo regula et mensura, ad quam opus destructionis exigitur, est ipsa vastitas et rerum confusio vel inanitas. Alii exprimi cernunt omnem punitionis modum quasi perpendiculo aut amussi dirigi (*Lap. Men.*), Deum adhibito diligenti meritorum examine ad rigidam iustitiae normam puniturum (*Sanct. Troch.*).

Ita ergo antiqua Edomitarum gloria (cf. Gen. 36, 31) penitus evanuit v. 12 « *nobiles eius non erunt ibi; regem potius invocabunt et omnes principes eius erunt in nihilum* » ; — regnum interiisse ruina irrepara-

---

1. Eam notionem etiam *Delitzsch,* Prolegg. p. 80 ex assyriacis commendat.

bili, textu *vulg.* dicitur ; nobiles enim iam e regione pulsi sunt ; quaerunt quidem regem et optant qui rebus afflictis succurrat regnumque collapsum erigat (*Lap. Tir. Sa, Sanct.*) — at frustra ; omnes enim principes Edom iam quasi nihil reputantur i. e. aut morte abrepti sunt aut omni auctoritate et ope plane destituti. Idem fere etiam habes in hebr. *nobiles eius* (quod attinet) *non iam ibi sunt qui regnum proclamant* vel non est regnum quod proclament (cf. *Malv. Rohl. Drechsl. Kn. Del. Naeg. Bred.*). Alii aliter : non adesse nobiles qui reges eligi possent (cf. *Ros. Hitz.*), nobiles cogi, ut supplices regem alienum invocent (*Men. Schegg*) et ab eo opem efflagitent. Sunt qui ex hoc loco concludunt nobilibus Edom ius fuisse eligendi quem vellent regem (*Rohl. Troch. Del. Naeg.*). At conclusio audacius fieri videtur ; nam *regnum proclamare* non idem est ac regem pro lubitu eligere ; vel etsi vertas : non adest quem ad regnum capessendum vocent, nondum illud sequitur ; nam regnum plane iam destructum proponitur et describitur, ita ut nemo iam adsit qui possit regni gubernacula suscipere ; sed ex eo minime inferri potest antea regem pro arbitrio fuisse electum.

Nobilibus interemptis vel e terra eiectis palatia ruinis concidunt et habitacula fiunt ferarum v. 13 « *et orientur in domibus eius spinae et urticae et paliurus in munitionibus eius et erit cubile draconum et pascua struthionum* » ; — bene adnotat *S. Cyr.* : « rursum nobis alio modo quae in solitudine contingunt conatur declarare » et quae h. l. dicuntur, signa sunt extremae solitudinis (*S. Hier.*) et ad solitudinis horrorem (*S. Thom.*) declarandum proferuntur. Quem horrorem quia vates sensibus et mentibus quam maxime imprimere vult — rebus enim sensibilibus territi homines iudicia Dei timere facilius discent — pergit eandem imaginem latius depingens v. 14 « *et occurrent daemonia onocentauris et pilosus clamabit alter ad alterum, ibi cubavit lamia et invenit sibi requiem ;* v. 15 *ibi habuit foveam ericius et enutrivit catulos et circumfodit et fovit in umbra eius ; illuc congregati sunt milvi, alter ad alterum* » ; — plurima ferarum genera ibi degunt et imperturbata quiete suas sequuntur vivendi rationes ; ergo hominum nemo a quo perturbentur ibi transit (v. 10). Ad versionem *S. Hier.* nota nomina animalium hebr. ab ipso aliter aliis in locis verti (cf. 13, 21. Ier. 50, 39) ; *daemonia* et *onocentauros* hoc loco ex LXX transtulit. Scribit enim ad h. l. : « et occurrent sibi in ea solitudine iuxta LXX diversa daemonum phantasmata, sive ut omnes alii iuxta hebr. transtulerunt *siim* צִיִּים et *iim* אִיִּים ». Pro lamia hebr. legitur *lilith*, « et a solo Symmacho translata est *lamia* » (*S. Hier.*), לִילִית spectrum dicit nocturnum ; a rabbinis daemon habetur muliebris quae noctu infantibus insidietur, fere ut strix et lamia Romanorum et ἔμπουσα Graecorum (cf. *Levy*, Chald. Woerterb. I p. 410).

In v. 15 veteres versiones קִפּוֹז reddunt eodem modo quo קִפּוֹד i. e. *ericius*; sed apposite monet *Mald.* : « sed epitheta repugnant; nam ericius non *nidificat* neque ova ponit » ; verba enim hebr. sunt ova ponere, excludere. Recentiores explicant *serpentem iaculum*, serpentis genus, ἀκοντίας, quod in iaculi modum prosiliens mordet (cf. *Ges.* Thes. p. 1226).

Depinxit vates Dei iudicium et iram in impios. Quod ut alte animis imprimant, explicite monet, ut oracula secum perpendant et illa eventu compleri certissime sibi persuadeant v. 16 « *requirite diligenter in libro Domini et legite; unum ex eis non defuit, alter alterum non quaesivit, quia quod ex ore meo procedit, ille mandavit et spiritus eius ipse congregavit ea ;* v. 17 *et ipse misit eis sortem et manus eius divisit eam illis in mensuram ; usque in aeternum possidebunt eam in generationem et generationem habitabunt in ea* » ; — ut testimonium adsit oraculi dati, illud literis consignat *in libro Domini,* qui eo nomine optime vocatur quia verba Dei continet et mandato Dei conscriptus est. Vaticinium autem scribitur, ut et aequalibus et generationibus posteris sit documento et testimonio. Ad illos propheta iam maxima cum certitudine loquitur affirmans se spiritu Dei regi et Dei verba promere, hos autem adhortatur ut rerum eventum comparent cum vaticiniis : nihil ex praedictis deesse deprehendent, nihil desiderari, omnia rite esse completa videbunt. Omnia enim mandato Dei esse dicta. Textus *mas.* praebet *nam os meum — ipse mandavit, et spiritus eius — ipse collegit ea;* quae lectio durior est. LXX habent κύριος ἐνετείλατο ; *Syrus* : ipse ore suo praecipiet. Omnino praeferenda est lectio quam affert *Kennicott* ex codice manuscripto כִּי פִי יהוה *quia os Domini mandavit* (cf. Kennicott, Dissertation the second, Oxford 1759 p. 330). Confirmationis gratia denuo asseritur talem vastitatem a Deo esse terrae Edom decretam, esse illis attributam tamquam sortem et hereditatem ; cf. Mal. 1, 4 ; reparationem quandam vel instaurationem ullo unquam tempore fore plane negatur i. e. « ex quo semel Deus regiones istas feris habitandas assignaverit, nunquam desinet maledictio eis regionibus pronuntiata; assignationem autem propheta figurat duobus modis, sorte et funibus, qui modi tunc in usu erant, ut terra tribubus sorte et agri funibus in familias distributi sint » (*Malv.* cf. Num. 26, 55. Ios. 18).

c) **Salus piorum 35, 1-10.**

Destructioni et horroribus in regione edomitica propositis repente opponitur summa quaedam amoenitas et beatitudo, deserto paradisus, incen-

diis sempiternis felicitas perpetua, bestiis pax summa et securitas. Unde post iudicium et iram Dei docet propheta quid piis praeparaverit i. e. salutem eam exhibet quam Deus constituit pro suis. Uti iudicium in horrenda vastitate est expressum, ita a contrario salus v. 1 « *Laetabitur deserta et invia et exsultabit solitudo et florebit quasi lilium* v. 2 *germinans germinabit et exsultabit laetabunda et laudans ; gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron ; ipsi videbunt gloriam Domini et decorem Dei nostri* » ; — summa cernitur amoenitas, fertilitas, splendor ; nam quaecumque in terra palaestinensi praeclara sunt, iam in unum collecta cernuntur : gloria Libani, decor Carmeli et Saron ; ad hunc statum florentissimum in rebus pulcherrimis depictum accedit laetitia et delectatio, iubilus et exsultatio, beatitas igitur summa animorum voluptate percepta. Haec autem omnia ex eo quasi ex fonte uberrimo profluunt, quia gloriam Domini eiusque magnificentiam vident. Sermo aptissime inducitur a *terra deserta*... nam salutem ex tribulatione orituram et post angustias demum apparituram esse, iam saepius propheta innuit ; porro tali mutatione facta salus declaratur eximio modo tamquam opus Dei summa liberalitate Dei sine ullo hominum merito effectum ; dein *terra deserta* in paradisum mutata optime delineat, quomodo salus et beatitudo messianica in mundum adspectabilem redundatura sit (cf. 11, 6. Rom. 8, 19 seq.). Iam ad singula. Illi qui diu afflicti erant et oppressi (cf. Mich. 5, 1. Soph. 3, 18 hebr.) miro demum modo a Deo recreabuntur et intimis animis laetitiam et consolationem Dei percipient (*laetabitur deserta*) et quod sentiunt, in iubilo et exsultatione palam facient (*exsultabit*) et ad gloriam illam quam salus secum affert provehentur [1] (*florebit*). Flos ille in v. 2 laetiora capit incrementa magis magisque splendore et ubertate augetur, ex quo nova oritur exsultationis et iubili seges ac materia ; atque iuremerito ; nam quanta sit mutatio effecta, ex eo concluditur, quod desertum illud iam Libani gloria et pulchritudine et Carmeli et Saronis cultu nitidissimo sit vestitum et exornatum. Tria haec coniuncta amoenitatem summam et elegantiam depingunt quae in montibus, silvis, campis deprehendi et cogitari possit. Tantus vero splendor effusus est, quia Dominus gloriam suam illis exhibet cernendam et admirandam. Sed ubi gloria Dei illucescit, ibi omnia in similem gloriam et splendorem immutari quis mirabitur (cf. Hab. 3, 3) !

---

1. Vox חֲבַצֶּלֶת a *Delitzsch*, Prolegg. p. 81 explicatur de calamo v. g. floris (Blumenstengel) ; sed vocem alii accipiunt de *colchico autumnali* (Herbstzeitlose), qui flos cum aestivi calores pertransierint repente enascitur ; quare eo flore repentina illa et laetissima mutatio optime delineatur ; cf. *Schegg*, bibl. Archaeologie (ed. Wirthmüller, p. 201) ; cf. Cant. 2, 1. Alii explicant *rosam*, alii *lilium*, alii *narcissum*, *crocum*.

In tanta autem gloriae Dei manifestatione et in tanta salutis magnitudine quid magis aequum esse potest, quam ut omnes omni ignavia ac pusillanimitate abiecta ad summam fiduciam et alacritatem fidei et spei assurgant animosque induant omni trepidatione vel timore altiores? Unde v. 3 « *confortate manus dissolutas et genua debilia roborate;* v. 4 *dicite pusillanimis : confortamini et nolite timere; ecce Deus vester ultionem adducet retributionis; Deus ipse veniet et salvabit nos* » ! — adhortatur eos qui ipsi fide ac fiducia in Deum freti calamitates imminentes exspectant, ut eandem fiduciam aliis quoque indere satagant, ut scil. ex oraculis datis documenta promentes confortent timidos, ignavis addant animos, infirmis robur suppeditent. Tota autem ratio consolationis vertitur in Dei ope promissa : *Deus vester venit ad ultionem, retributionem* (hebr.) vel ut alii iungunt : *ecce Deus vester, ultio venit, retributio Dei; ipse venit et salvat vos* (cf. *Malv.* II. *Rohl.*) ; retributio *Dei* est talis qualem Deus reddere solet, quae Deo sit digna ; unde nomen *Dei* saepius ad auxesin additur, ergo retributio magna et copiosa (*Malv.*). *Ipse venit* cf. 28, 21 ; 29, 6 ; 30, 27 ecce nomen Domini venit de longinquo ; 31, 4 ; 32, 15 ; 33, 2. 10. 22. Duo asseruntur : clades inimicorum et salus populo largienda, uti in antecedentibus post deiectionem hostium feliciorem fore populi reipublicaeque conditionem saepius est explicatum.

Haec salus et divinae benedictionis abundantia quae in illa rerum redintegratione futura sit, ad consolationem et confortationem pulcherrime illustratur v. 5 « *tunc aperientur oculi caecorum et aures surdorum patebunt;* v. 6 *tunc saliet sicut cervus claudus et aperta erit lingua mutorum, quia scissae sunt in deserto aquae et torrentes in solitudine* » ; — conditioni priori 29, 10 descriptae opponitur redintegratio. Copia et ubertas salutis ita describitur, ut quaecumque adsunt mala, ea auferri et sanari dicantur egregie. Ratio affertur tam subitae conversionis et tantae felicitatis, quia in terra olim deserta et arida iam aquae prorumpunt abundantissimae i. e. « quia adest fecunditas divinitus data, cuius umbra sunt et symbolum aquae large et iugiter manantes » (*Sanct.*), Deus theocratiae novas contulit gratias eamque ita in melius additis subsidiis mutavit, ac si regioni aridae larga aquarum fluenta concederentur. Ergo regenerationem quandam et innovationem addito largo auxiliorum divinorum fonte datum iri innuitur. Atque quemadmodum maledictio Dei cap. 34 adumbrata est malis illatis, ita consequens est, ut benedictio delineetur malis ablatis et sanatis. Porro sicuti propter peccata hominum revera saepe corporalia mala ipsis hominibus eveniunt et ipsa quoque terra vastatione et sterilitate affligitur, ita consentaneum est, ut salus illa ac rerum felicissima redintegratio etiam in

ablatione illorum malorum ostendatur ac declaretur. Unde hac consideratione facta iam quasi a priore et ex analogia concludere licet, quando salus illa, cuius summa in regno messianico continetur, apparitura sit, ad eius praesentiam et excellentiam declarandam etiam fore, ut virtus quaedam exhibeatur divina qua corporalia mala revera sanentur. Atque revera Christus Dominus ut demonstraret se esse Messiam i. e. verae salutis a Deo toties promissae auctorem ac largitorem, ad talia miracula provocavit : caeci vident, claudi ambulant, surdi audiunt (Matth. 11, 5), quemadmodum S. Matthaeus ex eiusmodi miraculis a Iesu Nazareno patratis concludendum esse docet eum esse verae expiationis et cum Deo reconciliationis effectorem (cf. Matth. 8, 17 et ad Is. 53, 4). Adde quod saepius iam animadversum est, prophetam feliciorem illam rerum conditionem post cladem assyriacam ita exhibere solere, ut in tempore illo minime sistatur, verum salutis perfectae i. e. messianicae periodus describatur. Fit enim et conceditur liberatio propter Emmanuel (cf. 8, 9. 10), ergo satis prope adiacet, ut propter internum rerum causarumque nexum propheta in salute describenda minime in primis quasi eius initiis atque in praevia eius praeparatione se contineat, sed ad salutis illius perfectionem ac sublimitatem (qualis in periodo messianica exspectatur) describendam mente prophetica se convertat.

Ita vaticinium hoc concipi posse censeo ; atque ea ratione et nexum respici censeo cum antecedentibus et cum clade assyriaca et consolatione contribulium, ad quam efficiendam Isaias semper et ubique tendit, et modum declarari puto quo gressus fit ad tempus messianicum et ad miracula messianica. Ea consideratione variae quoque interpretum explicationes inter se conciliantur et ad unam quandam acceptionem rediguntur. Sunt enim qui verba illa sensu spirituali explicent : oculi coelestia contuebuntur opesque divinas ab humana intelligentia remotas inspicient; aures continuo salutarem disciplinam suscipient divinisque iussis obtemperabunt; qui antea ad iustitiae opus moliendum se loco movere non poterat, iam summa celeritate virtutis eximiae cursum conficiet ; lingua libere et expedite mysteria salutis enuntiabit deque rebus laudibusque divinis mira facundia et ubertate disseret (*Osor.* sim. *Euseb. Barh. Sanct.*). Atque hanc explicationem « probant quae statim sequuntur, quae in eandem figuram videntur accipienda ; neque enim scissae sunt in deserto aquae, neque ortus viror calami in ferarum cubilibus » (*Sanct.*). Haec quidem vera sunt ; at viam non occludunt qua demum deductione quadam ostenditur utrumque sensum cohaerere. Alii utroque modo verba interpretantur ; impletum esse ad literam signorum magnitudine quae Christus patraverit, « tamen quotidie expletur in gentibus, quando qui prius caeci erant veritatis lumen aspiciunt » (*S. Hier.* sim. *Cyr. Haimo, Mald. Pin. Sasb. For. Men. Gord.*). Alii quid proprie intelligendum sit, in medio relinquunt : « sunt metaphoricae locutiones si referantur

ad tempus post destructionem Assyriorum, ut intelligantur spirituales defectus ; vel ad literam, si referantur ad Christi adventum » *S. Thom.* et sim. iam *S. Ephr.* Alii denique solum agnoscunt vaticinium de Christo ; ita *Mar. Tir. Calm.* Verum quomodo *immediate* ad Messiam sermo transferatur, nemo explicat. Multo melius *Lap.* rem concipit, verba esse intelligenda de iis qui antea caeci iam illuminentur luce et splendore veritatis, et *huius rei symbolo* Christum multos caecos, surdos.. corporaliter illuminasse et curasse. Sensus igitur proprius est descriptio salutis a Domino concedendae ; haec autem ita fit, ut ex rerum natura omnia mala auferri terramque summa fertilitate donari asseratur. Talis autem descriptionis modus apte adhibetur, quia ad rem spiritualem sensibus subiiciendam aptus est et quia revera ipsa creatura demum in revelatione gloriae filiorum Dei etiam gloria ornabitur (cf. Rom. 8, 21). Haec si perpenderis, facile quoque respondebis ad id quod *Sanct.* movet ad tuendam solam acceptionem spiritualem. — Promittit Deux seipsum venturum et salvaturum. Egregie id completum est et quam maxime ad literam in mysterio Incarnationis. Unde aliqui e SS. Patribus ex hoc quoque loco Divinitatem Christi probant. At cum locutio illa sit ad auxilium divinum declarandum usitata et similia saepe occurrant (cf. 30, 27 ; 31, 4 ; 33, 10. 22), prophetam de Messia cogitasse et verba illa eo sensu fore implenda intellexisse, nemo iuremerito asserere poterit. Sed si dixeris peculiari providentia et nutu Spiritus Sancti, auctoris praecipui s. Scripturarum, verba ea selecta esse, quae quam optime Deum in carne venturum et salvaturum designarent et ea demum explicatione haberi *plenum* ac *plenissimum* sensum eum quem intenderit *Spiritus Sanctus,* nullus refragabor.

Accommodate ad priora salus ulterius in rerum felicissima mutatione et pulchritudine depingitur v. 7 « *et quae erat arida erit in stagnum et sitiens in fontes aquarum; in cubilibus in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et iunci* » ; — hebr. שָׁרָב veteres explicant aridam terram, ἄνυδρον LXX ; recentiores peculiarem notionem ex arabico petentes interpretantur de re in desertis Arabiae, in Aegypto et alibi observata quae in eo cernitur ut propter singularem vaporum commotionem desertum totum vel eius pars aequoris lacuumve speciem ita referat, ut vel peritissimi viatores nonnunquam fallantur (cf. *Ges. Ros.* et recentiores). Unde hac explicatione admissa vates dicit : desertum aquae speciem referens commutabitur in veram aquam i. e. quae antea fallacia erant auferentur, pro eis vera bona concedentur ; iam nulla deceptio, nemo iam mendacibus bonis inhaerebit ; ea quae antea gratiarum fluentis carebant, iis iam abundabunt ; ferarum cubilia, antra, loca ergo horrida, obscura iam amoenitate et cultu florebunt. Salus ergo depingitur sublimis, in tantum superans priorem conditionem, in quantum prae arida regione praestat campus irriguus ac fertilis. De תַּנִּים quam vocem recentiores canem ferum vel canem aureum interpretantur, cf. 13, 22 et ad Iob 30, 29.

Aderit sanctitas, pax, securitas v. 8 « *et erit ibi semita et via, et via sancta vocabitur; non transibit per eam pollutus et haec erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam;* v. 9 *non erit ibi leo et mala bestia non ascendet per eam nec invenietur ibi et ambulabunt qui liberati fuerint* » ; — desertum ea quoque ratione suum exuit horrorem, quia ibi est via sancta, in qua solum sancti incedunt ; ablata est enim iudicio Dei iniquitas (cf. 32, 1 seq. 29, 19. 23 ; 30, 21 seq. 31, 7), atque via illa adeo plana est et conspicua, ut ne stulti quidem possint errare. Clarissime ergo et modo facillimo cunctis proponitur quae sit via salutis, atque si volunt, sine ullo erroris periculo semitam illam terere possunt. Praeterea adest v. 9 summa securitas ; in ea via si se contineant, nihil erit timendum a bestiis deserticolis ; ad eam enim viam non accedent, ibi nullae insidiae. In tali via incedentes cernit vates *redemptos*, liberatos. Salus igitur tamquam redemptio, tamquam revindicatio exhibetur qua Deus suos sibi vindicat, suos liberat. Haec salutis notio in altera parte a cap. 40 et deinceps quam maxime explicatur ; eam tamen propheta hoc iam loco clare indicat. Neque mirum. Nam cum priorem conditionem tristem symbolo *deserti* exprimeret et larga benedictionis divinae fluenta aquis compararet quae in deserto subito vi divina protruderentur (v. 6), quid propius adiacebat quam ut liberatio ex Aegypto iis vocibus in memoriam revocaretur ? et ut salus illa, per quam populus etiam ab oppressione hostili liberaretur et ex servitute redimeretur, eodem appellaretur nomine redemptionis ? Adde quod Isaias iam ante calamitatem assyriacam id sane cognitum habuit, quod iam Osee de exsilio et reditu ex exsilio vaticinatus erat (cf. Os. 2, 14 ; 3, 4. 5). Ergo minime mirum erit, si salutem symbolo reditus in Sion proponit.

Salus haec demum *sempiterno* gaudio continetur ; dum regio hostilis perpetuo incendio et vastitate affligitur eiusque incolae et principes *erunt in nihilum* (34, 12), Sion stabit et cives eius in aeternum laetabuntur; en, oppositio adest omni parte absoluta ; quare salutis descriptio optime concluditur v. 10 « *et redempti a Domino convertentur et venient in Sion cum laude, et laetitia sempiterna super caput eorum; gaudium et laetitiam obtinebunt et fugiet dolor et gemitus* » ; — cf. 51, 11. Ecce talis est merces eorum qui Domino se totos dederint. Hac adhortatione propheta praeparationi qua animos ad calamitatem assyriacam subeundam erudiebat finem imponit eumque praeclarum. Ostendit enim ultimum ac felicissimum terminum ad quem Deus eos adducturus est. Et cum hanc salutem exhibeat divino consilio intime iunctam cum Sion, valentissimum simul proponit pignus quo omnes intelligant Deum urbem hanc non traditurum esse hostibus. Uti ergo in Edom hostes Dei

summae miseriae perpetuo mancipantur, ita cives Sion, amici Dei ac familiares, aeterna laetitia et gloria fruuntur. Proponit itaque Isaias civibus suis utrumque, atque ut alterutrum eligant, ipsis rebus mox adigentur scil. ut reipsa manifestent, utrum cum Dei adversariis partem habere velint, an mente theocratica imbuti Deoque soli confisi partes illas amplectantur quas propheta tot sermonibus commendaverat. Iam qualem fructum tulerint, sequenti narratione declaratur.

Sectio tertia : narratio de calamitate assyriaca. Cap. 36-37.

Cum invasio assyriaca iam a cap. 7 et deinceps et iterum a cap. 28 et seq. sit praedicta atque tot vaticinia de ea sint edita, facile intelligitur, cur de re tanti momenti ipse propheta commentarium quoque historicum libro suo additum voluerit. Postquam igitur in antecedentibus propositum est, qua ratione haec calamitas culpa Achaz regis sit inducta (cap. 7) et quomodo Isaias omnes intenderit nervos ut vetere illa infidelitatis culpa expiata omnes vera fide Deo adhaerentes ab eo opem unice sperarent (cap. 28 seq.), apte narratio attexitur de ipso illo eventu, in qua revera ostenditur, quales angustiae illam regis Achaz culpam consecutae sint et qua demum fide et constantia superatae fuerint. Spectat haec narratio quam maxime ad libri prophetici argumentum ; in ipso statim exordio res ita proponitur ut ad narrationem 7, 3 propositam hunc commentarium referri omnino appareat ; ipsa autem rerum expositio eum in modum fit, ut comparatione instituta cum eiusdem rei relatione 4 Reg. 18, 13 seq. ea omittantur quae non immediate ad ultimum totius expeditionis assyriacae eventum spectant. Hunc enim solum prophetam ob oculos habere et ad hunc omnia dirigi in ipsis oraculis facile animadvertitur. Cum igitur in narratione adnexa idem observetur, iuremerito concludi oportet narrationem ab ipso propheta suo scopo esse accommodatam. Id vero eo facilius tibi persuaseris, si mente recolueris Isaiam res gestas literis et memoriae tradidisse saepius ; habes narrationes oraculis insertas cap. 7, cap. 8, cap. 20 ; scripsit Isaias res gestas Oziae regis (2 Par. 26, 22) et quod pro re nostra gravissimum est testimonium, de Ezechia et beneficiis ei divinitus praestitis scriptum esse in visione Isaiae filii Amos prophetae, totidem verbis asseritur in 2 Par. 32, 32 ; iam liber noster propheticus *visio Isaiae filii Amos* est inscriptus ; quare vix dubium esse poterit, narrationem hanc iam ab auctore Paralipomenon prophetae Isaiae esse attributam ; si autem hoc, iam nulla adest ratio eam alteri adscribendi.

Immerito igitur hanc narrationem ab Isaia esse profectam negatur. Quae ad eam sententiam stabiliendam afferuntur, opinionibus praeiudicatis innituntur. Sunt enim haec : 1° quae 37, 36 et 38, 8 narrantur, mythica sunt et fabulosa ; non talia, sed res prouti gestae sunt, refert Isaias ; 2° cum ea quae 37, 7 et 38, 5 praedicuntur adeo determinate et accurate praedicantur, oracula esse noscuntur post eventum conficta ; 3° cum Isaias probabiliter iam non esset inter vivos, quando Sennacherib est trucidatus, eius mortem narrare non potuit. Verum hisce rationes supra allatae nullo modo robore suo destituuntur. Quae enim primo et altero loco obiiciuntur si valerent, iam non solummodo haec narratio, sed omnes libri prophetarum inter figmenta et libros fraudulenter ab aliis confictos reiicerentur oporteret. Nam si eo ipso quia miraculum vel vaticinium determinatum narratur, liber spurius esse cognoscitur, iam actum est de libris sacris omnibus etiam iis quos ipsi rationalistae repudiare non audent, actum est de multis testimoniis historicis omni exceptione firmioribus. Quod tertio loco dicitur, vi probandi caret ; si enim Isaias eo tempore iam e vivis excesserat (de qua re vide infra ad 37, 38) nihil narrationi derogatur, etsi versum illum unum 37, 38 ab alio additum esse dicamus ad narrationem absolvendam et ad id confirmandum quod ultimo loco ipse Isaias dixerit, Sennacherib *habitasse* in Ninive i. e. ibi ita mansisse ut iam ulterius Iudaeam non infestaverit. — Rem alio parumper modo *Naeg.* concipit, Isaiam scripsisse quidem de eventibus in cap. 36-39 relatis ; at quae in nostro libro Isaiae legamus, esse quidem addita suasore ipso propheta, at descripta et ex alio Isaiae libro historico digesta ab alio quodam. Sed haec subtiliora sunt et sine ullo fundamento asseruntur. Neque enim verum est quod vult *Naeg.* aliqua in ea narratione non ad mentem et sensum Isaiae efferri.

Cum 4 Reg. 18, 13 et seq. de iisdem rebus eodem fere modo narratio legatur, quaestio orta est, quae narratio et uter textus sit prior. Si Isaias narrationem in libro vaticiniorum exstantem composuit, dubium esse nequit, quin haec prior sit et quin qui librum Regum composuit eo textu usus sit. Sed quia aliqua refert quae apud Isaiam non leguntur, praeter Isaiam alios fontes adhibuisse censendus est. Alii, uti *Naeg.* textum antiquiorem eum esse volunt qui in libro Regum habeatur, ex quo demum omissionibus et correctionibus adhibitis textus libri Isaiae ortus sit. Neque id tamen congruis rationibus probatur. Nam etsi textus in libro Isaiae brevior sit in locis compluribus (36, 2. 6. 7. 11. 12. 13. 14. 17 ; 37, 4. 11. 21. 25 ; 39, 2), minime sequitur pauca haec verba consulto ex textu priore fuisse omissa, cum eadem probabilitate fieri potuerit, ut textus Isaiae a scriptore posteriore fuerit additamentis auctus. Ita 36, 2 solus nominatur Rabsaces, in libro Regum duo alii Thartan et Rabsaris ; eadem probabilitate qua tu dicis textum Isaiae esse abbreviatione ortum ex libris Regum, ego affirmare possum textum Isaiae esse ab auctore posteriore ex alio fonte ditatum et auctum et accuratius expolitum. Quid vero sibi velit quod *Naeg.* afferat ut ostendat textum libr. Regum esse priorem, in libr. Reg. 18, 21 scribi עַתָּה, id vero omitti Is. 36, 6, plane non video ; neque assequor, cur textus Is. 36, 11 qui omittat *filium Helciae* addere ad Eliacim iunior esse debeat altero qui id addat ; poteris enim

dicere illum qui addiderit voluisse textum breviorem reddere clariorem voce addita; idem valet de Is. 36, 7 et 4 Reg. 18, 22; ibi enim legimus : coram altari isto adorabitis ! hic autem additur in Ierusalem ; additamentum hoc non est necessarium apud Isaiam vel generatim apud eum qui scripsit republica adhuc stante, *poterat* autem esse utile ad omne dubium summovendum apud scriptorem posteriorem ; ergo potius textus libr. Reg. est iunior. Porro 4 Reg. 28, 27 scribitur : respondit eis Rabsaces, et Is. 36, 12 solum : respondit Rabsaces (in textu hebr.) : ingens sane discrimen, ex quo concludas uter textus sit iunior ! Aliis in locis totum discrimen in eo consistit, quod v. g. dicatur : audite verba regis magni (Is. 36, 13) et altero in libro : audite verbum regis magni etc. vel : non poterit vos liberare (Is. 36, 14) et : non poterit vos liberare de manu eius (mea ?) 4 Reg. 18, 29. Uberior est textus 4 Reg. 18, 32 quam Is. 36, 17 : ibi enim terra quam promittit Assyrius magis ad delectationem describitur, cum addatur : terram olivarum et olei ac mellis, et vivetis et non moriemini ; nolite audire Ezechiam, quia decipit vos ; apud Isaiam statim pergitur : ne decipiat vos. Sed nonne illud additamentum potius glossema sapit ex aliis Scripturae locis hic assutum? vel quomodo ostendes id apud Isaiam ex textu priore fuisse omissum neque aliter rem concipi posse ?

Haec exempla sufficiant, ut ostendatur minime posse probari textum apud Isaiam esse ex libro Regum abbreviatione ortum. Id potius dicendum erit, auctorem libr. Regum narrationem suam hausisse ex Isaia et ex aliis etiam fontibus. Sunt qui velint Isaiam et auctorem libr. Regum ex fonte communi rem deprompsisse ; sed cur Isaias ad res describendas quarum ipse maxima pars fuerit, quas oculis viderit vel ab illis ipsis qui interfuerint audierit, alio quodam fonte et literarum monumento indiguerit, equidem plane me assequi non posse ingenue fateor.

Arg. — Sennacherib, rex Assyriorum, civitatibus Iuda plurimis expugnatis mittit de Lachis Rabsacen in Ierusalem, qui legatos Ezechiae superbe alloquitur, iisque exprobrat quantopere sint omni auxilio et humano et divino destituti; immo Assyrios Domino iubente expeditionem bellicam suscepisse (36, 1-10). Et cum legati monerent, ne loqueretur iudaice propter populum, Rabsaces eos irridet et ad populum convertens sermonem omnino eos ab obedientia et fiducia regi et Deo praestanda avertere studet additis promissionibus si se subiecerint Assyriis, et omnino negat fieri posse ut iis resistant (36, 11-20). Nemo tamen ei respondet. Legati rem nuntiant Ezechiae regi lugentes qui et ipse maximi luctus signa edit et principes quosdam ad Isaiam mittit deprecans, ut pro afflicta republica orationem fundat; quibus Isaias verbis Domini opem promittit (36, 21-37, 7). Cum autem Sennacherib audisset Tharacam regem Aethiopiae cum exercitu appropinquare, denuo mittit nuntios cum epistola postulans deditionem urbis et potentiam iactans Assyriorum, cui nemo deorum aliorum potuerit resistere (37, 8-13). Ezechias

autem blasphemas has literas expandit coram Domino et deprecatione humillima et plena fide et fiducia opem Dei efflagitat (37, 14-20). Isaias nomine Dei orationem esse exauditam ei annuntiat simulque oraculo magnifico et arrogantiam superbiamque Assyriorum exagitat et explodit et regi certissimam opem Dei et protectionem urbis declarat (37, 21-35). Atque revera per angelum Domini centum octoginta quinque millia Assyriorum occiduntur; Sennacherib re infecta Niniven revertitur; Iudaeos iam non infestat, sed a filiis suis occiditur (37, 36-38).

a) **Oratio Rabsacis ad legatos Ezechiae 36, 1-10.**

v. 1 « *Et factum est in quartodecimo anno regis Ezechiae ascendit Sennacherib rex Assyriorum super omnes civitates Iuda munitas et cepit eas* » ; — paucis verbis propheta multum complectitur. Uti Sennacherib nobis refert, captae sunt quadraginta sex urbes munitae, castella innumerabilia et oppida et plus quam ducenta millia hominum cum ingenti praeda in captivitatem abducta. Ea igitur expeditione abunde omnia impleta sunt quae Isaias de inundatione assyriaca et ingenti tribulatione praedixerat (cf. 7, 17 seq.; 8, 8. 21. 22; 10, 24. 28 seq.) et impiis ac contumacibus minatus erat (cf. 28, 13 seq. 29, 1 seq. 30, 3 seq. 32, 9 seq.). Ergo maxima afflictione et homines oppressi sunt et terra horrenda vastatione deturpata. — Hanc expeditionem Sennacherib regis factam esse circa annum 700 a. Ch. certum est et hodie ab omnibus conceditur. Illam factam esse post morbum et sanationem Ezechiae de quibus narratur cap. 38 pariter certum est. Nam eo tempore simul cum sanatione ei promittitur : « de manu regis Assyriorum eruam te et civitatem istam et protegam te » ; quae verba quomodo impleta sint, in narratione cap. 36. 37 refertur. Deinde post morbum legatis regis Babylonis ostendit thesauros suos auri et argenti etc. (39, 2); id factum esse ante expeditionem assyriacam constat ex 4 Reg. 18, 14-16; nam Sennacherib invadenti terram dederat « omne argentum quod repertum fuerat in domo Domini et in thesauris regis » immo et « valvas templi Domini et laminas auri confregit et dedit eas regi Assyriorum »; quomodo ergo *post* tale tributum solutum legatis regis Babylonis potuisset ostendere « omnia quae in domo eius erant et quae thesaurizaverunt patres eius usque in diem hanc » (cf. 39, 6)? Ergo certum est id evenisse ante invasionem assyriacam. Cur autem ordo capitum non ex ratione temporis sit adornatus apud Isaiam, facile patet. Calamitas enim assyriaca arcte adnectitur ad antecedentia, dum reliqua duo capita 38-39 viam sternant ad alteram vaticiniorum partem. Porro Ezechiae aegrotanti promittitur fore ut quindecim anni vitae

addantur; regnavit autem per annos viginti novem (4 Reg. 18, 2. 2 Par. 29, 1). Igitur *morbum* eius incidisse in annum regni eius *decimum quartum* pariter certum est. Quare inde iam maxime redditur probabile, eundem annum adscriptum expeditioni Sennacherib esse ad mendum aliquod referendum. Id certum efficitur ex eo quod expeditio illa non contigit ante an. 701 a. Ch.

Qua ratione mendum hoc ortum sit, non constat neque multum interest. Fortasse decimus quartus annus praefixus erat narrationi de morbo Ezechiae et ex eo loco per errorem alteri narrationi est adscriptus; vel forte hae duae narrationes olim exstabant in libro Regum ex ordine temporis descriptae, ita ut 18, 13 decimus quartus annus rite suum occuparet locum; dein fieri potuit, ut propter ordinem quem secutus est Isaias etiam series in libro Reg. mutaretur nota temporis relicta, quae deinde ex libro Reg. etiam in librum irrepserit Isaiae. Forte etiam (quod suspicatur *Naeg.*) haec narratio de Sennacherib ex ordine temporis olim in libro Regum descripta ita priori erat adiuncta: decimo quarto anno (scil. post Ezechiae morbum) venit Sennacherib; unde transpositione narrationum facta ille annus iam non a morbo et sanatione computabatur a librariis, sed a regno Ezechiae inito, id quod mox explicite quoque adscriptum est. — Alii in numero hoc mendum librariorum subesse censent, ita ut pro 14 olim scriptum fuerit 24 (? ergo עשרים pro *mas.* עשרה ?) vel 27 (cf. *Rawlinson*, Monarchies II p. 434) vel 29 (*Oppert*, Sargonides p. 10; cf. *Del.*). Alii errorem in eo collocant quod annus decimus quartus quo evenerit invasio Sargon regis sit adscriptus invasioni Sennacherib (ita *Kleinert*, Studien und Krit. 1877 p. 171; *Raska*, Chronologie der Bibel); talem invasionem regis Sargon ex eo concludunt, quia Sargon in inscriptione quae a Nimrud nomen habet terram Iuda subiecisse dicitur (cf. *Sayce*, Alte Denkmaeler p. 143. 146), sed, ut *Schrader* advertit, res in ea inscriptione relatas annum regni sextum Sargon regis non excedere videntur; quare *Schrader* censet, nisi forte subsit in inscriptione error, cum nullius expeditionis in terram Iudam, sed solum in terram Omri (in Samariam) mentio fiat in aliis omnibus inscriptionibus Sargon, illam expeditionem non posse referri nisi ad annum Sargon secundum, quo bellum gessit cum Philisthaeis et Aegyptiis. Verum, si ita est, annus decimus quartus Ezechiae non potest referri ad invasionem Sargon regis illam; de altera autem non fit mentio; cf. *Schrader* in bibl. Handwoerterb. ed. *Riehm*, p. 1374. De tota hac quaestione et de variis explicandi modis tractatur in *Civiltà cattolica*, 1885, XII. 10 p. 160.

Isaias narrationem ad id quod ipse prae ceteris intendit componens omissis rebus antea gestis statim properat ad ea quae immediate ante ultimum expeditionis eventum contingebant. Ex 4 Reg. 18, 13-16 scil. discimus Ezechiam efflagitasse a Sennacherib missis legatis pacem et tributum solvisse trecentorum talentorum argenti et triginta talentorum

auri, de quo tributo Sennacherib quoque in annalibus mentionem facit [1], verum rem callide ita collocat in serie narrationis, quasi ea subiectione expeditio esset cum gloria pro Assyriis ad finem perducta. Sed rex Assyriorum ea subiectione et tributi solutione minime contentus ipsius urbis Ierusalem deditionem postulabat, cui postulationi Ezechias rex non acquievit. Quare rex Assyriorum, qui tum temporis Lachis urbem oppugnabat, rem minis conficere voluit; v. 2 « *et misit rex Assyriorum Rabsacen de Lachis in Ierusalem ad regem Ezechiam in manu forti, et stetit in aquaeductu piscinae superioris in via agri fullonis* »; — urbem Ierusalem sibi tradi exoptat, quia « ad conterendum erit cor eius et ad internecionem gentium non paucarum » (Is. 10, 7); praeterea cum expeditionem moliretur in Aegyptum, urbem adeo bene munitam sine suo periculo a tergo exercitus relinquere non potuit; quare eius maxime intererat, ut eam sine longioris oppugnationis dispendio penitus sibi subiiceret. Ea de causa Rabsaces mittitur cum manu forti, qui minis et promissionibus urbis deditionem extorqueret. Rabsaces nomen est officii et ab assyriologis rab-sak dux primarius explicatur; eadem ratione alia nomina quae 4 Reg. 18, 17 recensentur munus designant : Thartan et Rabsaris, illud imperatorem exercitus, hoc caput eunuchorum designat. Regem Assyriorum urbem Lachis oppugnasse et demum expugnasse, in monumentis assyriacis et literis et imagine sculpta est expressum; cernitur enim Sennacherib sedens in throno cui spolia Lachis afferuntur et addita est inscriptio eadem referens eum sedisse in throno sublimi et recepisse spolia urbis Lachis (cf. *Schrader, Vigouroux* l. c.). Urbs hodie vocatur Um Lakis; in regione meridionali Iudaeae sita erat non longe a finibus Philisthinorum in via quae ab Eleutheropoli Gazam versus ducit. Consulto effertur Rabsacen eodem in loco constitisse et minas et blasphemias iactasse, quo Achaz a Domino per prophetam admonitus opem oblatam repudiarat auxilio divinitus promisso praeferens subsidium et opem Assyriorum (7, 3). Ita enim ad oculum demonstratur, quantae demum fuerit perniciei implorasse auxilium alienigenarum. Manus mittitur fortis, ut pondus accedat et auctoritas postulationi Rabsacis, qui tamen solius legati vel internuntii partes agit sive prohibitus a rege ne urbem aggrederetur sive non ausus urbem adeo munitam impetere.

Mittitur ad eum legatio ab Ezechia rege; v. 3 « *et egressus est ad eum Eliacim filius Helciae qui erat super domum et Sobna scriba et*

---

1. In inscriptionibus cuneiformibus leguntur triginta talenta auri et octingenta talenta argenti; quod discrimen ex varia ponderum apud Assyrios Babyloniosque ratione explicant.

Ioahe filius Asaph a commentariis » ; — Eliacim regiam domum administrabat; de locutione vide ad 22, 15 ; *scriba* in aula regia is dicebatur qui regi erat ab epistolis, qui mandata et edicta regia literis consignavit, sed eodem nomine etiam tribunus militum (exercitui conscribendo praefectus ?) vel dux appellabatur (cf. 4 Reg. 25, 19. 2 Par. 26, 11. Iud. 5, 14 hebr.) ; *a commentariis* ita vertit *S. Hier.* hebr. מַזְכִּיר, LXX ὑπομνηματογράφος ; idem *Chald.* exprimere videtur : praepositus memoriis vel memorabilibus (cf. *Levy*, Chald. Woerterb. I p. 176), unde plerique explicant vocem de cancellario, historiographo, annalibus regiis praefecto, cuius fuerit res gestas regis et historiam imperii conscribere et ad quem *verba dierum* etc. referunt. Vox de se eum dicit qui alium memorem facit, alii aliquid in memoriam revocat, quare proprie regis consiliarium designare videtur, qui regem de agendis admoneat ; unde aliqui hac significatione contenti priorem illam in quaestionem vocant ; de utraque sententia vide quae disputant *de Hummelauer*, Comment. in libr. Samuel p. 334 et *Cornely*, Introd. II, 1 p. 296. Ezechias praecipuos regni ministros suosque familiares ad Rabsacen ablegavit.

Eos Rabsaces terrere studet v. 4 « *et dixit ad eos Rabsaces : dicite Ezechiae : haec dicit rex magnus, rex Assyriorum : quae est ista fiducia qua confidis ?* v. 5 *aut quo consilio vel fortitudine rebellare disponis ? super quem habes fiduciam, quia recessisti a me* » ? — cum contemptu loquitur de Ezechia quem sine ulla honoris regii significatione nominat, dum Assyrium magnificis titulis honorat (cf. *S. Cyr.* h. l. et *Theod.* ad 37, 1). Ceterum *rex magnus* (sarru rabu) saepissime in inscriptionibus quoque legitur tamquam titulus regum vix non perpetuus ; alii enim reges eis erant subditi et qui nomine et auctoritate eorum provinciis praeerant, etiam quandoque regio nomine appellabantur ; cf. 10, 9. Ez. 26, 7 rex regum ; Dan. 2, 37. In hebr. v. 5 *dico* [1] : *solum verba labiorum consilium et fortitudo ad bellum* i. e. tota tua ad bellum fortitudo et tota sapientia nihil est nisi inanis verborum sonus ; consilio utique et fortitudine opus esse ad bellum, verum ex iis nihil adesse penes Ezechiam, nisi solum verba vacua ; vel totum apparatum bellicum omnemque sapientiam prudentiamque ad bellum gerendum quae adsit Ezechiae, tamquam nihil esse contemnendum. Ipsum igitur Ezechiam nulla prorsus re valere ; iam addit ei neque opem aliam humanam neque

---

1. 4 Reg. 18, 20 habetur in hebr. *dixisti solum verbum labiorum consilium et robur ad bellum*, id quod poterit explicari : si consilium et robur tibi adesse dixeris, solum verba inania protulisti ; vel tu habes solum verba, sed ad bellum opus est sapientia et robore. Sed locutio esset fere aenigmatica ; lectio apud Is. omnino praestat.

(v. 7.) divinam praesto fore : v. 6 « *ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Aegyptum ; cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius et perforabit eam ; sic Pharao rex Aegypti omnibus qui confidunt in eo* » ; — nota, quantopere Assyrius omnes prae se contemnat. Symbolum Aegypti ex calamo vel arundine petit, re apud Nilum eiusque alveos ac paludes frequentissima ; cf. 30, 5-7 ; 31, 1. 2. Ez. 29, 6. Asserit eos iri desertum ab Aegyptiis et magno damno affectum ; rebellione enim et foedere inito iram eos incurrere maximam regis Assyriorum. Novit igitur tale foedus a magna Iudaeorum parte esse initum eosque irridet.

Neque opem divinam posse iure sperari homo deorum cultui deditus ex eo concludit, quia deletis altaribus et excelsis Ezechias cultum divinum maxime imminuisset iramque divinam incurrisset v. 7 « *quod si responderis mihi : in Domino Deo nostro confidimus, nonne ipse est cuius abstulit Ezechias excelsa et altaria et dixit Iudae et Ierusalem : coram altari isto adorabitis* »? — i. e. in Ierusalem, uti additur 4 Reg. 18, 22; *adorare* i. e. sacrificium offerre, id quod praecipuus adorationis et latriae cultus est. Ezechias legem de uno loco sacro ad offerenda sacrificia iterum in opus deducebat (cf. 4 Reg. 18, 4. 2 Par. 29, 18 etc.); id quod non contra Deum sed pro Deo fecerat (*S. Hier.*). Neque improbabile est, quod censet *Theod.* : « malitiose ac subdole non statim erupit in blasphemiam, sed contra pium regem accusationem orsus est a plerisque illius subditis non abhorrentem ; multi enim licenter sacrificare volebant » ; ergo qui male contenti erant de rege morum reformatore et vindice licentiae, eos in suas pertrahere partes aggreditur (sim. *For.*). Impotentia demonstrata ad irrisionem sermonem deflectit v. 8 « *et nunc trade te domino meo regi Assyriorum et dabo tibi duo millia equorum nec poteris ex te praebere ascensores eorum* » ! — Assyrii equitatu valebant (cf. 5, 28), quo Iudaei potissimum carebant (31, 1). Cum igitur, uti Rabsaces subsannat, Ezechias ne duo quidem millia militum habeat in re equestri exercitatorum [1], iam a quovis duce vel tribuno militum Assyriorum, nedum ab ipso rege eiusque exercitu, facili negotio penitus devincetur v. 9 « *et quomodo sustinebis faciem iudicis unius loci ex servis domini mei minoribus* »? — de voce פֶּחָה *dux, satrapes* vide quae notavi ad Agg. 1, 1 (Proph. min. II p. 175. 176); faciem sustinere idem est ac pugnam inire vel impetum reprimere; hebr. proprie avertere faciem i. e. avertere, repellere unum praefectum.

---

1. Sensus textus hebr. potius esse videtur : fac sponsionem cum domino meo, ut si tibi dederit duo millia equorum, tu totidem equites sistas (cf. *For. Ros. Del. Bred. Rohl.*).

Sed ne forte de equitatu Aegyptiorum cogitatio subrepat et de auxilio efficaci, pergit : « *quodsi confidis in Aegypto, in quadrigis et in equitibus,* v. 10 *et nunc numquid sine Domino ascendi ad terram istam, ut disperderem eam? Dominus dixit ad me : ascende super terram istam et disperde eam* »! — sermo sat callidus neque sine specie vera; arguit ex successu : num si Iahve Deus vester non mihi faveret, tot clades inferre, tot iam urbes munitas capere potuissem? Atque revera *Assur virga furoris mei* (10, 5). Apposite scribit *S. Hier.* : « est argumentum : certe sine Domini voluntate huc venire non poteram; cum autem venerim et multas ceperim civitates, manifestum est me eius voluntate venisse » (sim. *S. Cyr. Procop.*). Quam rem ut quam maxime ad animos terrore ac desperatione obruendos efferat, statim oraculum et mandatum Domini fingit : *Iahve dixit ad me* etc. Sunt quidem qui censeant Rabsacen eo quod audierit prophetas Iudaeorum calamitatem eam tamquam a Deo missam declarasse, hisce verbis esse usum (cf. *Ges. Kn. Naeg. Rohl. Troch.*); at id mihi non probatur; nam tum sane non omisisset id ponderis gravissimi suis addere verbis : en ipsi vestri prophetae idem vobis denuntiarunt.

b) **Oratio Rabsacis ad populum 36, 11-20.**

Quae est vulgi mobilitas, suspicio, timiditas, superstitio, ne ex verbis Rabsacis quidquam contribulium animis inhaereat, legati merito timent; nam quis negare poterit, sermonem Rabsacis ita esse conformatum, ut saltem animorum alacritas ad resistendum diminui ac concuti possit? Unde advertit *S. Cyr.* : « vehementer trepidum est semper vulgus et proclive admodum ad contemptum ingruente maxime bello et caede exspectata aut urbis incendio; hinc prudentissime qui sermones cum Rabsace habent aiunt non oportere ipsum loqui iudaice sed lingua Syrorum uti debere potius; v. 11 « *Et dixit Eliacim et Sobna et Ioahe ad Rabsacen : loquere ad servos tuos syra lingua, intelligimus enim; ne loquaris ad nos iudaice in auribus populi qui est super murum* »; — hebr. *loquere* אֲרָמִית *aramaice* i. e. ea lingua quae inter fines palaestinenses et assyrios in usu erat et qua usi videntur Assyrii in commercio cum populis versus mare occidentale incolentibus [1]. Tempore quoque Artaxerxis Iudaei usi sunt lingua aramaica, ut epistolam scriberent

1. Id praeclare confirmatur eo quod inter munera in aula regia obeunda apud Assyrios duo enumerentur munera scribarum, unum scribae assyrii, scribae aramaici alterum ; ita in elencho munerum ex bibliotheca Asurbanipal recensetur *aba assurai* et *aba armaai* scriba assyrius et aramaicus (*Del.*).

ad regem Artaxerxem (Esdr. 4, 7); immo ut ex Alexandro Polyhistore refertur apud Eusebium (chron. arm. I p. 43) Sennacherib monumentum erexisse sibi dicitur ea inscriptum lingua (cf. *Kn. Del. Naeg.*). Lingua iudaica nominatur dialectus illa quae in Ierusalem et in regione Iuda adhibebatur et quae ut saltem pronuntiatione diversa erat ab lingua in partibus septemtrionalibus (cf. Matth. 26, 73. Marc. 14, 71), eo nomine iam designari poterat tempore regni israelitici; quare falso aliqui asserunt voce ea ostendi narrationem hanc longo post Isaiam tempore esse conscriptam; adde quod anno 701 a. Ch. regnum israeliticum iam ex annis viginti erat deletum; unde minime mirum est, si lingua regni Iuda quod solum exstabat etiam eo nomine appellabatur. — Compellant Rabsacen urbane : *loquere ad servos tuos*; bene quidem quia hominem superbum et arrogantem ut aliquid ipsis concedat inflectere exoptant. Ceterum de eo loquendi modo cf. 1 Reg. 12, 19; 16, 16; 17, 32; 20, 7; 22, 15; 26, 19. 2 Reg. 13, 14 etc.

Verum haud prudenter id monuerunt Rabsacen. Quid enim ei qui deditionem urbis sine longiore oppugnatione quam maxime in votis habebat accidere poterat optabilius quam maximam populi partem terrere, eique movere suspicionem in regem et belli duces et eam ab omni pugna plane avertere. Unde non sine magno gaudio didicisse censendus est suo sermone revera populum concitari fatentibus ipsis legatis; opportunitate oblata praeclare utitur et se ad populi demum commodum unice missum, populi salutem sibi cordi esse affirmat. Ita v. 12 « *et dixit ad eos Rabsaces : numquid ad dominum tuum et ad te misit me dominus meus, ut loquerer omnia verba ista, et non potius ad viros qui sedent in muro, ut comedant stercora sua et bibant urinam pedum suorum vobiscum* »? — proin sepositis rege et principibus regem Assyriorum saluti plebis omnino velle consulere, ne contumacia et ambitione illorum in summam redigerentur miseriam. Verba sunt valde apta ad animorum discordiam et seditionem movendam. Quare quo efficacius terreat, statim extremam miseriam graphice depingit quam subituri sint certissime, si Ezechiae fidem servaverint.

Legatis ita contumelia affectis iam plebem concitare studet v. 13 « *et stetit Rabsaces et clamavit voce magna iudaice et dixit : audite verba regis magni, regis Assyriorum!* v. 14 *haec dicit rex : non seducat vos Ezechias, quia non poterit eruere vos;* v. 15 *et non vobis tribuat fiduciam Ezechias super Domino dicens : eruens liberabit nos Dominus, non dabitur civitas ista in manu regis Assyriorum* »! — « accusatio Rabsacis Ezechiae testimonium est, quod captis cunctis Iudaeae urbibus confisus in Domino sit dixeritque ad populum : nolite timere » etc. (*S. Hier.*); atque bene quoque rem expendit *For.* : « astutus assyrius dux

populum in sententiam suam adulationibus quae apud vulgus plurimum valent, pertrahere aggreditur occasione sumpta a timiditate quam in legatis subolfecerat et iam ad populum se missum profitetur; quare et eorum vices se dolere insinuat et in regem et principes invidiam excitat. Sciebat enim imperitae multitudinis ingenium ac quam praeceps sit ad iudicandum reges sibi tantum consulere et subditorum miseriis non tangi ». Pergit Rabsaces « illecebram iungere formidini, ut quos terrore non vicerat, repromissionibus et persuasione decipiat » (*S. Hier.*). Promittit enim si se subiecerint vitam iucundam eamque pluribus describit, quo magis a miseria imminente (v. 12) abhorreant v. 16 « *nolite audire Ezechiam! haec enim dicit rex Assyriorum : facite mecum benedictionem et egredimini ad me et comedite unusquisque vineam suam et unusquique ficum suam et bibite unusquisque aquam cisternae suae*, v. 17 *donec veniam et tollam vos ad terram quae est ut terra vestra, terram frumenti et vini, terram panum et vinearum* »; — *benedictionem* i. e. faustam apprecationem alicui facere idem est ac pacem, amicitiam, foedus cum eo inire (cf. *Vat. Mar.* et recentiores); *donec veniam* i. e. expeditione in Aegyptios finita; semper iis bonorum copiam adfore promittit et ipsam in alienam regionem migrationem quam amoenissime proponit. Tali transportatione uti solebant Assyrii et Chaldaei quo facilius gentes a patrio solo avulsas suisque vivendi rationibus spoliatas subiectione continerent; hisce transportationibus id efficiebatur, quod 10, 7 dicitur : ad conterendum erit cor eius; gentes enim qua gentes exstinguebantur cum multis aliis commistae. Seligant ergo inter famem et interitum certum (v. 12. 14. 15) et inter sortem hanc quam rex victis iam Iudaeis destinavit. Si perpenderis iam totam regionem omnesque fere urbes ab Assyriis esse captas et multa millia Iudaeorum servituti addicta, non miraberis mentionem fieri transportationis; talis conditio satis mitis videri poterat prae crudeli internecione quam Rabsaces certissimam fore censet, si restiterint [1].

Atque quo efficacius iucunda illa promissione animi tangantur, Rabsaces denuo demonstrat exemplis allatis neminem potuisse Assyriis resistere v. 18 « *nec conturbet vos Ezechias dicens : Dominus liberabit nos; numquid liberaverunt dii gentium unusquisque terram suam de manu regis Assyriorum?* v. 19 *ubi est deus Emath et Arphad? ubi est deus Sepharvaim? numquid liberaverunt Samariam de manu mea* »? — hebr. *ne vos seducat Ezechias* i. e. in errorem inducat vosque quasi

1. Quare *Schrader* immerito censet ea ratione Rabsacen non potuisse loqui, sed sermonem a scriptore esse satis inepte confictum.

dementet. Quae gentes praeclare agebant, diis auctoribus adscribere solebant; atque dei popularis potentia ex gentis potentia existimabatur, sicuti clades gentis etiam deo vertebatur ignominiae. Unde ex partis victoriis asserit deum Assur reliquis diis vi et potentia longe anteponi. De hac loquendi ratione vide quae notavi ad Am. 1, 15. Nah. 1, 14. Hab. 1, 16. Zach. 2, 8; eodem modo sermones instituuntur in inscriptionibus hieroglyphicis et cuneiformibus, in stela regis Mesae etc.; ubique dii tamquam qui belli ineundi mandatum dent, qui hostes prosternant, victoriam suis concedant pompa verborum celebrantur. De Emath et Arphad vide ad 10, 9. *Sepharvaim* nomen est urbis Sippar; erat Sippar et Akkad urbs antiquissima in sinistra Euphratis ripa in parte quam maxime meridionali Mesopotamiae (cf. *Delitzsch,* Wo lag das Paradies? p. 209 seq.); apud Ptolemaeum nominatur Σιπφάρα (5, 18. 7) et Hipparenum apud Plinium (6, 123), cuius ruinae inventae sunt a Rassam ad collem Abbu Habba (cf. Jahresberichte der Geschichtswissenschaft 3, 1880; Berlin 1883 I p. 52). Rabsaces non facinora Sennacherib enumerat, sed generatim ea in memoriam revocat, quae ab Assyriis praeclare gesta sunt. Emath enim iam anno Sargonis secundo ab Assyriis est expugnata; etiam Sepharvaim ante Sennacherib paruit Assyriis; nam Samaria expugnata homines de Sepharvaim et Emath collocati sunt in regione israelitica (4 Reg. 16, 24), Samariam quoque iam diu ante occupatam esse patet. Quare Rabsaces iis uti censendus est exemplis, quae Iudaeis notissima erant.

Hisce victoriis enumeratis triumphantis in morem concludit fiduciam in Iahve inutilem esse ac vanam declarans v. 20 «*quis est ex omnibus diis terrarum istarum qui eruerit terram suam de manu mea, ut eruat Dominus Ierusalem de manu mea* »? — i. e. cum isti eruere non potuerint, multo minus Iahve eruet; illi enim plures erant; Iahve praeterea parvam solum regionem suo populo dedit ibique regnat, ergo ex opinione Rabsacis numen est satis impotens. Quare audacter asserit etiam invito Iahve urbem iri captum; arrogantia elatus se minime indigere ait mandato Domini, quod v. 10 indicaverat; immo se urbem expugnaturum repugnante Iahve. Hic est « fructus magnifici cordis regis Assur » 10, 12; haec blasphemia; et cum Dominum eodem in ordine poni asserat quo dii gentium, iam Dei gloriae causa agitur.

c) **Legatio ad Isaiam 36, 21-37, 7.**

Quantum valuerint Isaiae admonitiones in regem et populum, iam hoc loco silentio populi comprobatur et legatorum qui nullo responso dato Rabsacen virum arrogantem relinquunt v. 21 « *Et siluerunt et non*

responderunt ei verbum ; mandaverat enim rex dicens : ne respondeatis ei »! — 4 Reg. 18, 36 *tacuit populus;* non edunt lamentationes, non voces tollunt contra regem neque veniam et misericordiam Assyriorum implorant! et cum tamen maximum instet periculum et ab hoste tali qui tot urbes iam ceperat, extrema quaeque erant timenda, silentium illud praeclarum fidei est documentum, atque eo praeclarius quo magis ex luctu et terrore legatorum regisque concludi debeat, ad quam desperatam conditionem res iam pervenerint; v. 22 « *et ingressus est Eliacim filius Helciae qui erat super domum et Sobna scriba et Ioahe filius Asaph a commentariis ad Ezechiam scissis vestibus et nuntiaverunt ei verba Rabsacis* »; — de nominibus cf. v. 3; vestes scindebant vel propter blasphemiam Rabsacis (*S. Hier. Cyr.* cf. Matth. 26, 65) vel ad indicandum dolorem et luctum et indignationem de ludibriis (*Mald. For.*) vel ex utraque causa quae sane hic coniuncta aderat (*Lap. Tir.*) : « fuit Ezechiae legatis duplex causa cur ad Dominum suum scissis redirent vestibus, ut et populo ostenderent impium Rabsacen blasphemam in Deum exseruisse linguam et ea specie atque habitu quem cepissent dolorem ex legatione infeliciter obita, significarent » (*Sanct.*). Solebant quippe vestes scindi ad designandam abominationem de magno flagitio admisso; ita v. g. Ier. 36, 24 graviter notantur qui cum viderent sacrum volumen ab impio rege lacerari et comburi oracula Ieremiae, non sciderunt vestimenta sua ; solebant quoque scindi in gravissimo dolore et luctu; sic David audita Saulis et Ionathan caede ; sic in exsequiis Abner (2 Reg. 1, 11 ; 3, 31. *Sanct.*).

Ezechias rex gravissimum cernens periculum Dei opem poenitentia et oratione promereri studet 37, 1 « *et factum est cum audisset rex Ezechias, scidit vestimenta sua et obvolutus est sacco et intravit in domum Domini* »; — quamvis verbis propheticis certus esset de ope divina et clade Assyriorum, tamen bene perspexit rex pius opus esse quam maxime oratione et deprecatione, ut homo se aptum reddat cui beneficia divina praestentur, vel ut ea cito, modo abundanti, tempore tribulationis imminuto dentur. Uti in aliis quoque, ita hic sane opus erat cooperatione regis ad beneficia divina accipienda. Atque hanc cooperationem optime praestitit, Deo ad auxiliandum parato obviam ivit. Animi demissionem et ad Deum subiectionem humilem ipso habitu profitetur; dein ibi auxilium quaerit et solamen, ubi Deus cor suum et oculos fore promiserat, ubi in medio populo suo habitans se petram populi certissimam praestare debet propter suam ipsius gloriam, in templo scil. Domini. Pulcherrimum exemplum, quid in rebus afflictis sit agendum, ubi sit auxilium quaerendum. Hoc luctu et ea oratione et fide impietatem expiat ab Achaz olim admissam; expiat quidquid ipse fortasse conni-

vendo vel non satis resistendo iis qui foedus aegyptiacum ambiebant contra theocratiam deliquerit. Eo enim sensu intelligi potest quod *S. Hier.* habet : « scindit et ipse rex vestimenta sua, quia peccatorum suorum et populi esse credebat, quod Rabsaces usque ad portam Ierusalem venerit et contra Dominum talia sit locutus ».

Ipse ergo Ezechias Dominum deprecatur, sed quia multum valet deprecatio iusti assidua, Isaiam quoque in auxilium vocat probe sciens, qualis sit apud Deum intercessor et quam aptus qui, ut est muneris prophetici, opponat murum pro domo Israel (Ez. 13, 5); v. 2 *et misit Eliacim qui erat super domum et Sobnam scribam et seniores de sacerdotibus opertos saccis ad Isaiam filium Amos prophetam*, v. 3 *et dixerunt ad eum : haec dicit Ezechias : dies tribulationis et correptionis et blasphemiae dies haec, quia venerunt filii usque ad partum et virtus non est pariendi* » ; — legationem mittit omnino honorificam et nobilem, ut ostendat quo loco habeat prophetam Domini; iam tot videre viros nobiles habitu lugentium, et magnam denotat calamitatem et ad commiserationem et dolorem animos permovet. Verbis ipsis aperte declaratur, iam esse impleta quaecumque Isaias de instanti tribulatione, de inanitate auxilii humani, de defectu prudentiae humanae praedixerat (cf. 7, 17; 8, 8. 21. 22; 28, 18; 29, 10 seq. 32, 9 seq.). Hanc enim impotentiam quam maxime ob oculos ponunt comparatione adhibita ; « periphrasis est Hebraeis forma proverbiali, qua et summos dolores et ingentia pericula resque fere desperatas significant; accedente enim ad exitum foetu et ad arctiorem locum perveniente, orificium videlicet matricis, quod cedit vi ac plane disrumpitur (unde et *fracturae* nomine מִשְׁבָּר Hebraeis significatur), maxime tunc necessarii sunt nixus ac vires parturienti, quibus deficientibus iamiam mors exspectanda est » (*For.*). Est secundum *S. Hier.* dies tribulationis nostrae, correptionis Dei, blasphemiae hostium; ad correptionem Dei bene referuntur ea quae Isaias toties iis qui contra indolem civitatis theocraticam conspiraverant minatus erat (cf. 30, 1. 13 seq. 31, 1 etc.).

In hisce angustiis iam unicum opitulatorem Deum esse confitentur v. 4 « *si quo modo audiat Dominus Deus tuus verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum dominus suus ad blasphemandum Deum viventem et exprobrandum sermonibus quos audivit Dominus Deus tuus; leva ergo orationem pro reliquiis quae repertae sunt* » ; — bene appellant Deum *viventem* ; « hanc habemus ultionis fiduciam, quoniam vivens Deus blasphematur a cultore idolorum mortuorum » (*S. Hier.*); vocant Deum *tuum*, ut peculiaris muneris prophetici ratio qua propheta reliquis propius et intimius ad Deum accedit et os Domini evadit, cum laude efferatur; pro hac sua dignitate theocratica et singulari illa cum

Deo familiaritate causam agere populi apud Deum et potest et debet. Aliter *Mald.* : « vocat Deum omnium Deum Isaiae, ut eius sanctitatem commendet; est enim Deus specialiter eorum qui sancti sunt ». Rogant ut Deus verba blasphemiae audiat tamquam iudex et ultor; ita enim in hebr. *forsan audiet... et castigabit pro verbis quae audivit.* Cernitur h. l. prophetae dignitas eminens quia eum et rex et sacerdotes qui ipsi quoque in dignitate theocratica constituti sunt supplices adeunt ut prophetae intercessione res ipsorum Deo commendentur; orare eum iubent pro paucis qui relicti sunt; hoc dicunt « ut Isaiam ad pietatis lacrimas excitarent, quo vehementiores precationes funderet » (*Pint.*). Et cum de *reliquiis* loquantur, fatentur impleta esse quae minatus erat (cf. 28, 18; 29, 4; 30, 13 seq.).

Non erit inutile perpaucis indicare quid ex hoc agendi modo vere et pie consequatur. Audi *S. Cyr.* : « Ezechias valde pius adiutorem rogat fieri eum qui apud Deum in pretio est, videlicet prophetam. Utile igitur ad genua accidere Deo sanctis viris assistentibus; annuit enim propter eos et saepe miseretur lacrimae etiam ignavorum ». Et *For.* : « Deum propitium rex optabat, sed et eum quem mediatorem atque intercessorem inter Deum et populum noverat ad misericordiam quoque movere volebat. Nonne sufficiebat Deus? quorsum ad hominem mittit? Nihil nobis cum haereticis commune est. Sanctos viros tam viventes quam defunctos interpellabimus et veluti mediatores, ut rem nostram apud Deum agant, deprecabimur. Interim mecum considera quanta sit viri sancti dignitas etiam in hac vita, quem rex tanti facit ». Et *Estius* monet Ezechiam inter mala, quibus tam ipse quam populus et civitas afficiebatur, etiam illud commemorandum ac deplorandum apud prophetam censuisse quod Deus blasphemiis impeteretur; « ita et catholici inter mala quae ab hostibus Ecclesiae patiuntur, praecipuum hoc ducere debent, non bonorum rapinam aut oppressiones miserorum, sed blasphemiam in Deum et sanctos eius » etc.

« Confirmat et recreat Deus nec ita multo post, immo statim ac confestim eum qui ipsi confidit spemque ei ostendit auxiliarem, nec caruit praemio quod ad Domini domum properavit et simul cum precibus doloris lacrimas emisit » (*S. Cyr.*); v. 5 « *et venerunt servi regis Ezechiae ad Isaiam;* v. 6 *et dixit ad eos Isaias : haec dicetis domino vestro : haec dicit Dominus : ne timeas a facie verborum quae audisti quibus blasphemaverunt pueri regis Assyriorum me;* v. 7 *ecce ego dabo ei spiritum et audiet nuntium et revertetur ad terram suam, et corruere eum faciam gladio in terra sua* »; — *ne timeas*, idem ei dicitur quod Achaz (7, 4); Deus rem tamquam *suam* causam tuendam suscipit, quare solius blasphemiae factae fit mentio; non sine contemptu legati regis Assyriorum — tres nominantur 4 Reg. 18, 17 — נַעֲרֵי vocantur, quae vox

praeter aetatem infantilem et puerilem *famulum* frequenter dicit maxime iuvenilem vel etiam militem gregarium (cf. *Ges.* Thes. p. 894). Promittit Deus se ei aliud consilium esse inditurum; *dare spiritum* aliam mentem ei indere, internum quendam impulsum (cf. 19, 14; 28, 6), est enim cor regis in manu Dei et quocumque voluerit inclinabit illud; rumorem quippe audiet talem ut satius ducturus sit reverti domum. Iam qualis nuntius vel rumor erit intelligendus? Plerique nuntium explicant de Tharaca cum exercitu appropinquante (cf. *Sanct. Mald. Sasb. Pint. Lap. Loch, Rohl. Kn. Drechsl. Naeg.*); at non perspicitur, quomodo *iste* nuntius valuerit ad id ut revertatur in terram suam, et tamen inter nuntium et reditum nexus quidam verbis prophetae assignari omnino videtur. Nuntio vero de Tharaca id solum effectum est, ut novo conatu urbis Ierusalem deditionem extorquere niteretur. Quare nuntius de clade exercitui Assyriorum divinitus inflicta, de qua infra v. 36, erit intelligendus (ita *Thenius* quoque ad 2 Reg. 19. *Bred. Troch.*); neque valet quod obiicit *Kn.* regem ipsum apud illam exercitus partem adfuisse, ergo non potuisse nuntium afferri; nam utrum adfuerit necne, res est incerta; si adfuit, cur ei non potuerit nuntius afferri in suo tabernaculo mane commoranti, tot milites mortuos iacere, nullatenus intelligitur. « Duo pariter quae optabat Ezechias audit se obsidione et periculo liberandum et inimicum iratumque regem in terra sua esse moriturum » (S. *Hier.*), ergo praesens periculum iri depulsum neque in posterum ab eo rege quidquam esse timendum. Plus Deus concedit quam petebatur pro sua divina in pios ac ipsi confidentes liberalitate.

d) Altera Sennacherib legatio ad Ezechiam 37, 8-20.

v. 8 « *Reversus est autem Rabsaces et invenit regem Assyriorum proeliantem adversus Lobnam; audierat enim quia profectus esset de Lachis* »; — urbem Lachis captam fuisse ex monumentis assyriacis scimus (vide ad 36, 2); unde maxime probabile est ea demum expugnata regem ad aliam urbem oppugnandam, ad Lobnam, perrexisse. Lobna, vel hebr. *Libna* in regione eleutheropolitana (secundum Onomasticum) ab aliis censetur esse idem oppidum quod medio aevo Alba Specula, hodie Tell es-Safieh appellatur, ab aliis magis meridiem versus situm fuisse, ubi hodie Hora (Hawara) inveniatur (cf. *Kn. Del. Schenkel*, Bibellex. s. v.); erat urbs olim regia Chananaeorum, tum urbs sacerdotalis (cf. Ios. 12, 15; 21, 13. 1 Par. 6, 57). Quanti interfuerit regis Assyriorum, ne urbs Ierusalem penes Ezechiam relinqueretur, ex altera apparet legatione quam mittit, sed cum iterum solum postulationem et minas proferat, colligendum erit ei vel copias defuisse quibus urbem

oppugnaret aut urbem adeo bene et arte et natura munitam fuisse ut de expugnatione fere desperaret eamque non fieri posse nisi post tempus longius sibi persuaderet. Quare alia via sibi utendum esse satius duxit; v. 9 « *et audivit de Tharaca rege Aethiopiae dicentes : egressus est ut pugnet contra te; quod cum audisset misit nuntios ad Ezechiam dicens :* v. 10 *haec dicetis Ezechiae regi Iudae loquentes : non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis dicens : non dabitur Ierusalem in manu regis Assyriorum* » ; — *Tharaca* bene vocatur rex Aethiopiae, quia eo tempore in Aegypto inferiore adhuc regnum obtinebat Schabataka, quo demum sublato an. 692 Tharaca dominium Aegypti obtinuit; secundum Manethonem erat rex tertius dynastiae vigesimae quintae. Uti ex v. 14 elucet, simul cum nuntiis misit literas, in quibus ea quae legati dicebant scripta legebantur.

Potentiam Assyriorum mirum in modum exaggerat, ut fiduciam Ezechiae evertat; v. 11 « *ecce tu audisti omnia quae fecerunt reges Assyriorum omnibus terris quas subverterunt, et tu poteris liberari?* v. 12 *numquid eruerunt eos dii gentium quos subverterunt patres mei, Gozam et Haram et Reseph et filios Eden, qui erant in Thalassar?* v. 13 *ubi est rex Emath et rex Arphad et rex urbis Sepharvaim, Ana et Ava* »? — uti Rabsaces, ita aliorum quoque regum facinora effert, ut ex longo iam tempore neminem potuisse Assyriis resistere et fato quodam omnia iis subdi constet (cf. 36, 19) i. e. omnes deos subiici numini potentiori Assur. *Gozam, Gozan* regio est Mesopotamiae (Γαυζανῖτις apud Ptolemaeum 5, 18, 3. 4); in inscriptionibus cuneiformibus Guzana (cf. *Delitzsch,* Wo lag das Paradies? p. 184) affertur simul cum Nasibina (Nisibis?) *Haram,* hebr. *Charan* (cf. Gen. 11, 31) urbs antiquissima est Mesopotamiae septemtrionalis ad occidentem vergentis; *Reseph,* Ῥησάφα apud Ptolemaeum (5, 18, 6) infra Thapsacum in valle Euphratis ez-Zor hodie Rusafa appellari perhibetur (cf. *Del.*); utraque urbs frequenter quoque in cuneiformibus inscriptionibus nominatur Charran, Rasappa (cf. *Delitzsch,* Wo lag das Paradies? p. 184. 297). Filii Eden, Bene Eden, apud Assyrios vocati Bît Adini i. e. domus Adini, habitabant in parte quam maxime occidentali Mesopotamiae ad utramque Euphratis ripam ea fere regione, ubi hodie sitae sunt urbes Aintab et Urfa; *Thalassar* forma Tilassuri vel Tilasurri (collis Assur?) saepius invenitur apud Assyrios (cf. *Delitzsch* l. c. p. 4. 264 seq.). De Emath et Arphad cf. 10, 9; Sepharvaim vide ad 36, 19. De Ana et Ava, הֵנַע, עִוָּה, vix coniecturae fieri possunt. Unam afferre sufficiet quam *Delitzsch* l. c. p. 279 habet, designari fortasse urbem quae in cuneiformibus *Anat* vocatur sita in insula Euphratis et urbem Havatu, in eadem forte regione, non procul a Sûr (Sûrie). Ceterum *Sym.* et *Chald.* haec duo verba non urbium

nomina interpretati sunt sed ἀνεστάτωσε καὶ ἐταπείνωσε, transmigrare fecit et in captivitatem abduxit.

« Contra Sennacherib regis blasphemias solita Ezechias arma corripuit » (*S. Hier.*); v. 14 « *et tulit Ezechias libros de manu nuntiorum et legit eos et ascendit in domum Domini et expandit eos Ezechias coram Domino* »; — explicat epistolam coram Domino, ut « ipsum universorum Dominum quasi testem faceret eius audacis ac duri oris ac procacitatis » (*S. Cyr.*). Atque haec expansio literarum vehemens est ad Deum supplicatio, ut videat et iudicet tantasque blasphemias non impune abire permittat; « gestus hic magnam vim habet ac si diceret: tua haec causa est, tuum nomen proscinditur, haec in te immanissima blasphemia est, tu eam vindica » (*Malv.* ad 4 Reg. 19, 14); cf. 1 Mach. 3, 48. Hac actione symbolica in quantas inciderit angustias declarat vultque ut ipsae voces literarum ad coelum quasi clament vindictam expostulantes. Animum vere pium autem expandit oratione ad Deum fusa v. 15 « *et oravit Ezechias ad Dominum dicens:* v. 16 *Domine exercituum, Deus Israel, qui sedes super cherubim; tu es Deus solus omnium regnorum terrae, tu fecisti coelum et terram* »; — Deum iis compellat nominibus quibus eius potentia et peculiaris ad Israel habitudo designatur, quae duo pro praesenti necessitate efferri oportuit; Deum invocat cui praesto sunt agmina coelestia et terrestria et qui pro arbitrio ea dirigere potest (vide Os. 12, 5. Mich. 4, 4); Deum Israel vocat qui ut talis populum suum et suam gloriam hostibus prodere nequit; qui in media urbe thronum suum habet, ibi in templo super cherubim quae alis suis expansis arcam contegebant peculiarem suam praesentiam quandoque in nebula et nube manifestabat; unde sedere super cherubim dicitur (cf. 1 Reg. 4, 4. 2 Reg. 6, 2); inde quoque Deus de medio duorum cherubim praecipere et loqui per Moysen ad filios Israel constituerat (Ex. 25, 22). Cherubim autem symbolice ostendunt Deum angelos habere ministros ad providentiae suae consilia exsequenda (cf. Stimmen aus Maria-Laach 1879, t. 17 p. 279 seq.). Contra errorem a Rabsace et aliis legatis prolatum suos cuique regioni esse deos (36, 18. 20; 37, 12) Ezechias unum Iahve omnium esse Deum quia omnia creaverit cum emphasi effert. Hanc igitur gloriam suam ut Deus vindicet simul ab eo efflagitat.

Talem ergo Deum potentissimum qui ut est solus omnium Deus ita peculiari vinculo iam ex patriarcharum tempore populo suo est coniunctus et in eo thronum suum erexit, maximo implorat fervore v. 17 « *inclina Domine aurem tuam et audi, aperi Domine oculos tuos et vide et audi omnia verba Sennacherib quae misit ad blasphemandum Deum viventem!* v. 18 *vere enim, Domine, desertas fecerunt reges Assyrio-*

rum terras et regiones earum, v. 19 *et dederunt deos eorum igni, non enim erant dii, sed opera manuum hominum, lignum et lapis, et comminuerunt eos;* v. 20 *et nunc, Domine Deus noster, salva nos de manu eius, et cognoscant omnia regna terrae quia tu es Dominus solus* »; — Dei causam agi ad Deum commovendum repetito indicat; praeclare quoque ex Isaiae oraculis didicit Dei iudicia in id demum tendere, ut ipsius maiestas et gloria late per orbem agnoscatur (cf. 18, 7; 14, 32; 30, 30; 31, 7; 34, 1 etc.). Vim sententiae bene expendit *S. Cyr.* : « tu serva nos! Hoc enim certo argumento erit fidemque faciet universo orbi terrarum, ut firmam concipiant fiduciam quod tu solus sis Deus. Quemadmodum enim quod caperentur regiones gentium, testimonium erat contra falso nuncupatos deos quod omnino nihil sint, sic etiam quod effugiat eiusque evadat manus Ierusalem quae tibi subest et tua est, testatam quoque et perspicuam faciet omnibus undique hominibus liberationem tuae potentiae et absolutissimae gloriae, quodque solus tu sis ipse Deus et in coelo et in terra ».

Illud *enim* in v. 18 in hebr. apud *Syrum* et *Chald.* non adest; adest apud LXX et *S. Hier.* et potest explicari; etenim Sennacherib gloriatus est quia terras vastavit, haec autem gloriatio simul blasphemia evasit, quia Dominum parem fecit idolis; uti 4 Reg. 19, 17 legitur : *dissipaverunt gentes et terras omnium*, ita verba quoque textus nostri intelligenda sunt; at textus hebr. *vastaverunt omnes terras et terram eorum* quamvis idem habeatur apud LXX corruptus videtur et legi oportebit *vastaverunt gentes et terras earum.* Nam quod aliquibus in mentem venit Assyrios suam ipsorum regionem vastasse et bellis gestis ab hominibus fere vacuam reddidisse (*Drechsl.*), id minime congruit contextui, quia Ezechias orsus a particula אָמְנָם ea affert quae Sennacherib iactaverat eaque revera facta esse concedit; praeterea satis mirum esset Assyrium loquentem facere de vastatione suae ipsius regionis. *Syrus* aliter iungit : vastaverunt omnes terras et terram eorum et deos eorum cremaverunt igni; *Chald.* habet : provincias et terras fecerunt desertas. — Solebant idola gentium subiectarum in captivitatem abducere vel delere, ut victoriam de diis tutelaribus esse reportatam constaret; vide quae notavi ad Nah. 3, 4 (Proph. min. II p. 37 not. 1).

e) **Respondet nomine Dei Isaias 37, 21-35.**

« Non longe abest opitulator, sed in propinquo et quasi ad pedes orationis ac petitionis adest exitus » (*S. Cyr.*); multum quippe valet iusti deprecatio assidua (Iac. 5, 16); v. 21 « *Et misit Isaias filius Amos ad Ezechiam dicens : haec dicit Dominus Deus Israel : pro quibus rogasti me de Sennacherib rege Assyriorum,* v. 22 *hoc est verbum quod locutus est Dominus super eum : despexit te et subsannavit te*

virgo filia Sion; post te caput movit filia Ierusalem, v. 23 *cui exprobrasti et quem blasphemasti et super quem exaltasti vocem et levasti altitudinem oculorum tuorum? Ad Sanctum Israel* »! — iniuria effertur theocratiae eiusque vindici Deo illata; quare primo loco nominatur *Sion,* in quo colle arx regia erat collocata (cf. Mich. 4, 8); noto hebraismo incolae urbis tamquam matris urbis filia considerantur; *virgo* appellatur quia nondum capta neque ab hostibus violata vel subacta erat (cf. *Sanct. Mald. Lap.*). Effertur superbia et arrogantia quam Assyrius verbis et ipso clamore vocis et oculis totoque habitu prae se tulit; verum hisce maledicta congessit in *Sanctum Israel* (cf. 6, 3) qui est in flammam (10, 17), qui convicia in se iacta pro sua sanctitate et sua pro theocratia aemulatione ulcisci debet. Quare statim v. 22 partes iam mutari et par pari esse referendum docet: Ierusalem enim iam subsannans *movebit caput* i. e. irridebit et despectui habebit Assyrium qui mox fuga praecipite regionem relinquet; cf. Ier. 18, 6. Lament. 2, 15.

Cur *virgo* appelletur Sion, aliis alias afferre placet rationes; vel « quia cunctis gentibus simulacra adorantibus, haec sola conservet castitatem religionis Dei et unius divinitatis cultum » (*S. Hier.* sim. *S. Cyr.*) vel ob tenerum Dei in urbem amorem (*Sasb.*) vel quia urbes et regna sedulo custodiri ac servari solent vel propter opes et decorem (*Lap.* can. 18 prophetis facem praefer.). Sed bene iam advertit *Sanct.* Ierusalem revera idola coluisse, immo gentilicas sordes in templum invexisse v. g. sub Achaz; tum etiam regiones alias quae impense idolorum cultui vitiisque studuerint eodem compellari nomine, uti Babylon, Sidon, Aegyptus (cf. 23, 12; 47, 1); unde talem esse exquirendam explicationem quae omnibus locis conveniat. Haec autem est quam assignavi.

Superbia Assyriorum et pompa ac magnificentia ulterius describitur v. 24 « *in manu servorum tuorum exprobrasti Domino et dixisti: in multitudine quadrigarum mearum ego ascendi altitudinem montium, iuga Libani, et succidam excelsa cedrorum eius et electas abietes illius et introibo altitudinem summitatis eius, saltum Carmeli eius* »! — *carmeli* i. e. regionis amoenae eius vel paradisi eius; vox est intelligenda appellative; cf. 29, 17. Expeditionem in Palaestinam describit uti in regionem montanam quasi ascensum Libani i. e. terrae illius cui adiacet Libanus; et cum multas iam urbes occupaverit, dicit se montium altitudinem ascendisse, immo se iam penetrasse intimum, summum Libanum (hebr.) i. e. terrae partes praecipuas. Haec iam praestitit. Quid ultra efficere velit, declarat *et succidam... introibo* (2 Reg. 19, 23 hebr. cum ה paragogico); ibi ergo consistens proceritatem cedrorum

et lectissimas quasque abietes succidere vult i. e. urbem praecipuam Ierusalem occupare, et penetrare in altitudinem eius quasi extremam, in locum quam maxime amoenum i. e. ipsum templum arcemque regiam expugnare sibique subiicere.

Bene habet *vulg.* et *succidam* et *introibo*; haec enim vere tempore futuro esse accipienda probatur loco parallelo 2 Reg. 19, 23, quo in altero *introibo* adest he exhortationis; ergo Assyrius ex parto iam successu se ipsum excitat ad ulteriora aggredienda. Ita sermo bene conformatur, simulque exprimitur quomodo exprobraverit Domino, eo scil. consilio quo urbem, arcem regiam, templum etiam invito Domino se capturum confidit. Verba intelligenda esse ait *S. Hier.* « vel de cunctis gentibus μεταφορικῶς principibusque earum, vel de Ierusalem quae interpretatur Libanus, ut cedros eius atque abietes ad potentes quosque et optimates, altitudinem vero summitatis illius saltumque carmeli referamus ad templum »; sim. *S. Cyr. Theod. Mald. Pint. Malv. Sa, Mar.;* recentiores quoque de Palaestina et Ierusalem interpretantur. Alii tamen verba sensu proprio accipiunt, ascendisse Assyrium Libanum et vastasse; at quomodo ascendit in multitudine quadrigarum? dein obstat modus loquendi quo se exhortatur ad excidendas cedros; neque opus est rem in universum ita intelligere, ut Assyrius dicat omnia obstacula a se esse superata, immo invia quoque et inaccessa ipsi non fuisse impedimento (cf. *For. Lap. Men. Tir. Drechsl.*). In verbis enim istis contineri debet exprobratio Domini, quae ex sermonibus antecedentibus eo consistit, quod gloriatur urbem non posse a Domino liberari (36, 14; 37, 10); haec autem in ea explicatione deesset.

Uti v. 24 ex successu iam parto ulteriorem sibi promittit prosperitatem, ita v. 25 « *ego fodi et bibi aquam, exsiccavi vestigio pedis mei omnes rivos aggerum* »; — hebr. *et exsiccabo planta pedum meorum omnes rivos Aegypti;* iterum primo effertur quid bene cesserit : itinera exercituum deserto vel aquae penuria non impediebantur; ubique ei quasi ad imperium aderant venae aquarum; *fodi et bibi* quasi dicat : simulac aqua indigui, eius aderat copia. Unde optimum pro futuro colligit augurium : si loca deserta mihi non obfuerunt, multo facilius Aegyptum superabo; thrasonica hyperbole (*Malv.*) se aquas Aegypti exsiccare facillime posse, sola sua in Aegyptum irruptione omnes opes omneque commercium se funditus sublaturum minatur. Vel generatim : ego viribus meis et industria perfeci, ut in regionibus etiam aridis et ab omni cultu derelictis opibus affluerem rebusque omnibus abundarem; eodem modo Aegyptum fertilem vastabo et pedibus conteram. Hebr. מָצוֹר Aegyptus; cf. 19, 6; vocem *S. Hier.* appellative vertit modo a consuetudine aegyptiaca haud alieno; nam « rivos aggerum

vocat aquas quae in agro aggeribus conclusae quasi in vivario aut piscina servantur » (*Lap.* sim. *Sanct.*).

Huic iactantiae et praesumptioni respondetur a Domino ita ut responsio advertente *For.* ad idem tendat ad quod supra 10, 15 : numquid gloriabitur securis contra eum qui secat ea? quae enim Assur perfecit, tamquam instrumentum perfecit in Dei manu (cf. *S. Cyr.*); v. 26 « *numquid non audisti quid olim fecerim ei? ex diebus antiquis ego plasmavi illud et nunc adduxi, et factum est in eradicationem collium compugnantium et civitatum munitarum* » ; — hebr. *a longinquo feci illud... et nunc adduxi ut sis ad vastandum in acervos dirutos urbes munitas;* cf. 10, 5; bene explicat *S. Hier.* : « haec ex persona Dei contra verba Assyrii sentienda sunt, quod ad blasphemiam eius sic responderit Dominus : num ignoras quod haec quae fecisti mea feceris voluntate et ego haec futura praedixerim ac per te facienda mandaverim? itaque quod olim decrevi, hoc expletum est tempore, ut colles et civitates munitissimae me contrahente manum nec solitum praebente auxilium eradicarentur » ; sim. *S. Cyr. Sanct.* Colles *compugnantes* explicat *S. Hier.* de principibus qui inter se antea pugnabant; « ego non inepte mihi expositurus videbar, si per *colles compugnantes* et *civitates munitas* idem significari crederem, nam civitates illae munitae plerumque in collibus sitae erant; *compugnantes* dicuntur quia facile pugnare possunt e superiore loco et hostiles impetus non solum sustinere sed frangere » (*Sanct.*). Sed planior est textus hebr. — Similiter ut in urbes munitas, Deus dedit Assyrio potestatem in incolas v. 27 « *habitatores earum breviata manu contremuerunt et confusi sunt, facti sunt sicut fenum agri et gramen pascuae et herba tectorum, quae exaruit antequam maturesceret* » ; — i. e. facti sunt imbelles, veluti manci, impotes ad agendum, pugnandum. Impotentia triplici comparatione describitur; tam facile devicti sunt Deo volente, sicut gramen succiditur; tam cito virtus emarcuit sicuti herba tectorum exarescit cum non adsit humus sufficiens. In hebr. *gramen tectorum et arvum ante culmum* i. e. sicut ager antequam spicae assurgant in culmos, antequam maturescant, vel uti in loco parallelo legitur *ut uredo ante culmum* [1] i. e. quasi vento urente segetes corruptae sunt antequam mature-

1. Totum discrimen in eo est quod apud Is. legitur שְׁדֵמָה, 2 Reg. 19, 26 שְׁדֵפָה; verum haec lectio etiam fertur in quibusdam Isaiae codd.; cf. *de Rossi.* Alii utrique voci eandem significationem attribuunt; cf. *Ges. Drechsl. Schegg, Rohl.* In *vulg.* utroque loco eadem versio legitur. LXX h. l. ὡς ἄγρωστις ἐξηραμμένη πρὸ τοῦ τελεσφορηθῆναι; sed 4 Reg. ὡς πάτημα ἐπέναντι ἑστηκότος. Alii textum corrigunt; cf. *Bred.*

scerent; Assyrius ergo sicut ventus urens florem populorum enecuit et populi facti sunt ut herbae tactae et corruptae uredine.

Erat igitur Assur revera virga in manu Domini ad castigandas gentes. Sed demum virga ipsa confringetur et abiicietur a Domino. Ratio redditur eadem quae 10, 7. 12: Deus novit et punit arrogantiam et superbiam ; v. 28 « *habitationem tuam, egressum tuum et introitum tuum cognovi et insaniam tuam contra me* » ; — hebr. proprie *sedere tuum, egredi et ingredi tuum* i. e. « per haec tria omnia significantur quae ab homine fieri possunt; dicit ergo Deus nihil sibi esse non exploratum quod molitus fuerit Sennacherib » (*Sanct.*) ; hac enim formula, ut notat *For.*, solent Hebraei universas hominis actiones, mores et vitam circumscribere ; cf. Deut. 28, 6. 3 Reg. 3, 7. Ps. 120, 8 ; 138, 2. *Insaniam* explica ex hebr. furorem, animum in Deum concitatum, cum eodem modo Domino minatus sit, sicuti idolis. Sed eo maior erit humiliatio v. 29 « *cum fureres adversum me, superbia tua ascendit in aures meas; ponam ergo circulum in naribus tuis et frenum in labiis tuis et reducam te in viam per quam venisti* » ; — hebr. *ponam circulum meum et frenum meum* i. e. tamquam fera bestia domabitur et re infecta domum reducetur; « dignum sane supplicium insolentis animi, ut qui se supra homines esse putat ad muti et ignobilis bruti similitunem abiiciatur » (*Sanct.*). Habes eo exemplo quomodo Deus superbis resistat et potentes deiiciat de sede. Praeclare nunc patet, quomodo v. 22 Ierusalem irridere possit regem Assur ; ridendus sane qui post talem iactantiam ut capta bestia annulo in nares immisso et freno imposito dometur.

More prophetico quid Deus facturus sit et ad quem tandem exitum res sint adducendae, uno quasi conspectu proposuit ; at non adeo subito neque statim omnem depulsum iri calamitatem ex iis discimus quae Ezechiae regi dicuntur v. 30 « *tibi autem hoc erit signum : comede hoc anno quae sponte nascuntur et in anno secundo pomis vescere, in anno autem tertio seminate et metite et plantate vineas et comedite fructum earum* » ! — signum et pignus oraculi antecedentis eiusque impletionis eo datu rquod quid proximo tempore futurum sit praedicitur ; cum haec igitur mox fiant, simul robur oraculo priori conciliant [1]. Hoc anno quo loquitur propheta, ex agris colligent quae sponte nascuntur סָפִיחַ i. e.

---

1. Adnotat *S. Hier.* : « idcirco vel maxime prophetae apud populum sermonum suorum habebant fidem, quia non solum de his quae multa post saecula futura erant, sed etiam quae in continenti et post non grande temporis spatium essent implenda, memorabant, et quod intra biennium et rex Assyrius interiret et urbi Ierusalem securitas redderetur ».

effusum, id quod nascitur ex granis quae decidunt in messe (*Mald.*), quae fortuito excussa sunt [1]. Ergo praecedente autumno sementis fieri non poterat propter invasionem Assyriorum; hac vero aestate regio ita erit tuta ut hanc qualemcumque messem colligere liceat. Unde simul patet oraculum hoc verno tempore esse editum. Cum in sequenti anno pomis vesci (ita *S. Hier.* ex *Sym.*), שָׁחִיס [2] vesci dicantur i. e. iis quae sua sponte recreverint e radicibus resectis seu ex semine sponte nascentis anterioris anni (*Mald.*), tempore autumni iterum fore regionem longe lateque a copiis Assyriorum infestandam asseritur. Tertio demum anno iam ab omni infestatione hostili liberis omnino libere suis rebus frui licebit.

Fuerunt qui secundum hunc annum censerent fuisse sabbaticum annum, in quo quiescere iuxta legem (Lev. 25, 4) debebat terra, ut nec seri nec meti posset; iisdem enim verbis quae hic leguntur scil. quod non sererent neque meterent sed comederent sponte nascentia describi annum sabbaticum (cf. Lev. 25, 6. Ex. 23, 11; ita *Scaliger, Vitringa*; vide quoque apud *Lap. Malv. Drechsl.*); alii annum sabbaticum quem simul subsecutus sit annus iubilaei adfuisse volunt; nam comedere quae sponte nascuntur esse indicium anni sabbatici, et cum pro insequente anno etiam non adsit messis, colligendum esse annum iubilaei (cf. *Net.*). Verum haec indicia satis sunt dubia. Nam cur eiusmodi rebus uti debeant, explicatur non ex ratione anni vel sabbatici vel iubilaei, sed ex invasione et vastatione per Assyrios facta. *Signum* quidem etiam constaret in hac hypothesi anni sabbatici et iubilaei, cum in eo sit constitutum quod illa saltem colligere et ex agris et vineis inferre possint, quod igitur tempore illo regio sit ab hostibus libera futura — id quod veri nominis praedictionem habet —; attamen nescio an non ipse loquendi modus, quo novum quid et inusitatum indicatur, illam excludat hypothesin.

Uti supra iam saepius, ita hic quoque felicem quandam populi conditionem post cladem assyriacam esse secuturam vates praedicit v. 31 « *et mittet id quod salvatum fuerit de domo Iuda et quod reliquum est radicem deorsum et faciet fructum sursum* »; — cf. 29, 19; 30, 23; 32, 1; 33, 16; « reliquiae tantam recipient rerum omnium abundantiam ac felicitatem, ut instar arboris alta radice fundatae pomis densissimis

1. Vide Lev. 25, 5. 11; ibi praebent LXX τὰ αὐτόματα.

2. Vertit *Sym.* ἀπὸ δένδρων; *Aq. Theod.* αὐτοφυῆ; LXX τὸ κατάλειμμα. Vocem explicat *Ges.*: frumentum vile quod in agro sponte crescit e granis quae deciderunt, secundo post sementem factam anno.

impleantur » (*S. Hier.*). Illos habitaturos esse tuto ac secure et tranquillitatem illam fore perpetuam, ex imagine proposita *S. Cyr.* colligit. Solatur ergo Ezechiam et cives qui moerere ac conturbari iure optimo poterant, cum civitates Iuda captas et civibus orbatas esse intelligerent, dicens illos qui reliqui fuerint adeo strenuos ac felices fore, ut collapsa erigere, ruinosa instaurare, rem denique iudaicam varie concussam ad antiquum splendorem revocare possint (*Sanct.*). Atque cur eiusmodi instauratio atque innovatio concedatur, ratio sita est in firmo Dei consilio quo salutem suam in Ierusalem reponi statuerat v. 32 « *quia de Ierusalem exibunt reliquiae et salvatio de monte Sion ; zelus Domini exercituum faciet istud* » ; — cf. 10, 20. 21 reliquiae salvae erunt ; pro iis autem constituitur centrum Ierusalem et Sion, ex quo nova illa felicitas ac prosperitas in reliquam regionem erit derivanda. Ita liquet, cur urbs non tradenda sit hostibus; cf. 28, 16 ; et Ierusalem in simili quadam dignitate cernitur, sicut 2, 2 ; 4, 3. 4-6. Quanto autem studio Deus verba sua sit impleturus, sollemni asseveratione confirmatur *zelus Domini exercituum ;* cf. 9, 7. Zach. 1, 14. Cum repetito sermo inferatur de *reliquiis*, de *evasione* (hebr.), Iudaeos magnis cladibus fuisse affectos apparet, quibus ea completa sunt quae Isaias de prostratione peccatorum saepius annuntiaverat (cf. 28, 17 ; 29, 20 ; 30, 13).

Confirmationis gratia post oraculum sublimiore dicendi genere editum repetitur vaticinium verbis propriis eiusque summa denuo proponitur, quemadmodum Isaias saepius solet sermones longiores una alterave sententia addita summatim recolere (cf. 16, 13 ; 17, 14 ; 19, 22 ; 22, 25) ; simul qualis sit zelus Domini et quid sit effecturus, clarius proponitur v. 33 « *propterea haec dicit Dominus de rege Assyriorum : non intrabit civitatem hanc et non iaciet ibi sagittam et non occupabit eam clypeus et non mittet in circuitu eius aggerem ;* v. 34 *in via qua venit per eam revertetur et civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus ;* v. 35 *et protegam civitatem istam, ut salvem eam propter me et propter David servum meum* » ; — quanti solatii haec verba fuerint pro Ezechia, facile concipitur ; nunc enim verbis maxime claris et perspicuis edocetur summam fore securitatem urbis. Sed quis post minas illas regis Assyriorum non exspectasset fore ut urbs obsidione cingeretur et repetitos impetus hostis experiretur ? Deus autem ipse vult esse propugnator urbis, ut illam ab hostili periculo defendat, tum propter se, cuius in hoc rerum articulo honor intercedit (*Sanct.*) tum propter David ; agitur enim Dei honor (v. 20) et Deus suam gloriam ac fidelitatem manifestare vult (cf. 28, 5. 16. 21. 29 ; 29, 22 ; 30, 18 ; 33, 22) ; *propter David*, ei enim promissus est thronus aeternus (i. e. ex eius posteris orietur Messias), ergo civitas et domus David peculiari tutela a Domino

circumdatur et servatur et propter David posteri eius etiam impii saepius vel incolumes servati sunt vel regnum labascens est confirmatum (cf. 3 Reg. 11, 11-13. 32-39; 15, 4. 5. 4 Reg. 8, 19; 19, 34. 2 Par. 21, 7); cur *propter David* servetur urbs, disce ex 9, 7; 11, 1. 10; 16, 5; 22, 22; 29, 1; 38, 5.

f) Clades Assyriorum 37, 36-38.

Iam subditur qua demum ratione subito et inexspectato vires Sennacherib ita sint fractae, ut re infecta redire cogeretur. Ita illa demum ruina refertur, quam prophetice toties nec sine verborum pompa praedixerat vates (cf. 10, 16. 33; 14, 25; 17, 12; 18, 5. 6; 29, 5; 30, 27; 31, 8; 32, 19; 33, 19. 23); v. 36 « *Egressus est autem angelus Domini et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia; et surrexerunt mane et ecce omnes cadavera mortuorum;* v. 37 *et egressus est et abiit et reversus est Sennacherib rex Assyriorum et habitavit in Ninive* »; — rem effert praecipuam omissis quae interea gesta sunt et de quibus aliqua innuuntur v. 30. Ex inscriptionibus cuneiformibus docemur, regem Sennacherib prope Altaqu pugnam iniisse cum rege Aegypti et rege Aethiopum. Cum igitur isti appropinquarent, Sennacherib sese ex Lobna recepit versus Altaqu (i. e. Elthece, Ios. 19, 44) urbem in tribu Dan inter Acron et Gebbethon. Ibi « confisus in Assur domino meo cum iis pugnavi eisque cladem intuli; aurigam et filios regis aegyptiaci cum auriga regis de terra Miluchi (Aethiopiae) ego manu mea medio in certamine cepi. Urbes Altaqu et Timnath aggressus sum, eas cepi et earum spolia abstuli » (cf. *Schrader, Vigouroux* l. c.). Sed cum contra consuetudinem alias observatam nec spolia quae ceperit a regibus nec numerus captivorum recenseatur, victoria illa forte non adeo magna erat. Utrum Sennacherib bellum intulerit ipsi Aegypto necne potest quaeri. In inscriptionibus nihil de tali expeditione contineri videtur. De illa autem refert *Berosus* quem affert *Iosephus* (Antiq. 10, 1, 4) et *Herodotus* (2, 141).

De tempore cladis per angelum inflictae h. l. nihil refertur. In 4 Reg. 19, 35 legitur quidem : *factum est igitur in nocte illa, venit angelus Domini* etc. unde aliqui concluserunt cladem in nocte post vaticinium succedente iam fuisse inflictam (cf. *Naeg. Rohl.*). At hoc non potest conciliari cum v. 30 quo spatium longius calamitatis assyriacae supponitur. Unde nota cum *Men.* : « in hac eadem prophetia clades tertio (?) anno futura indicatur, itaque illud relativum positum est ad emphasin addendam, ut in illa nocte idem sit quod in celebri illa nocte » vel cum

Sanct. : « haec acciderunt biennio aut triennio circiter post illud vaticinium, nempe postquam uno anno comedit populus quae sponte nascuntur et altero victitavit pomis ». Quantum temporis intercesserit, definiri nequit; certum est Assyrios diutius quam per unum annum in Palaestina versatos esse; id praeter v. 30 etiam rebus illis gestis suadetur, quae in inscriptionibus cuneiformibus referuntur et longius temporis spatium postulant.

Peste quadam quae subito exorta ipsa sua strage immensa miraculum divinitus patratum prae se ferat interempta esse tot millia militum, satis probabile videtur; nam 2 Reg. 24, 15. 16 pestilentia dicitur a Deo immissa in Israel, ea autem ita describitur, ut angelus percutiat populum, cui Dominus ut pestilentiae finis imponatur dicit : sufficit, nunc contine manum tuam, et quem David quoque cernit caedentem populum; cf. Ex. 12, 23. Illam cladem accidisse sin minus prope ipsam urbem, saltem in terra Iudaea, ex 10, 32-34; 14, 25; 18, 4 non poterit in dubium vocari, et ita erat inflicta, ut gloriam *Domini* eiusque opus alii quoque populi agnoscerent (cf. 18, 7. 2 Par. 32, 23). Angelus dicitur *egredi*, nam « cum Deus vel invisibilis creatura aliquid quod sensu percipitur operatur, *egredi* dicitur in s. literis » (*For.*). Sennacherib statim re infecta abiisse, non sine verborum quadam pompa quasi in morem exsultantis eademque ad laetitiam declarandam ingeminantis in v. 37 narratur. Illud *habitare in Ninive* ita solum intelligendum est, ut ab omni contra Palaestinam expeditione in posterum abstinuerit; quae postmodum bella gessit, quorum quinque in monumentis assyriacis (post annum 700 a. Ch.) commemorantur, contra Elam, Babylonem, Susianam etc. gessit. Propheta historiam *sacram* scribens id unum efferre vult regem in suis finibus regnoque ita se continuisse ut Iudaeam iam non aggrederetur. Verbum Dei erat impletum : Deus eum reduxit per viam qua venerat; iam non est reversus.

Sennacherib de tali strage nihil narrare in suis annalibus nemo mirabitur, qui scit Aegyptios, Assyrios, Babylonios etc. nunquam de clade aliqua accepta, sed de victoriis solum referre. At cladis huius vestigium servari videtur in narratione Herodoti (2, 141) de expeditione regis Sennacherib in Aegyptum; prope Pelusium enim mures innumerabiles noctu castra Assyriorum invasisse et illorum pharetras, arcus et scutorum habenas ita obedisse, ut postero die armis exuti fugam capessere coacti sint multis insuper amissis; hanc scil. plagam divinitus esse inflictam a Vulcano, ad cuius opem inplorandam Sethon se contulisset, rex et sacerdos Vulcani, quia ad hostes debellandos milites ei auxilium ferre negassent.

Verbum Dei impletum esse « corruere eum faciam gladio in terra sua » v. 7 reliquis omnibus omissis quae ad *sacram* historiam et theocratiam non pertinent, demum narratur v. 38 « *et factum est cum adoraret in templo Nesroch deum suum, Adramelech et Sarasar filii eius percusserunt eum gladio, fugeruntque in terram Ararat et regnavit Asarhaddon filius eius pro eo* » ; — ex monumentis assyriacis Sennacherib regnum tenuit usque ad an. 681 ; ergo longum temporis intervallum adest inter v. 37 et 38 ; id quod nobis argumento esse potest etiam quae narrantur in v. 36 non ita subito evenisse post editum vaticinium, quamvis immediate adiungantur. Nomen Nesroch (Nisruk) explicant benignum, largitorem (cf. *Schrader* l. c.) ; Adramelech assyriace Adarmalik (sublimis est rex) 4 Reg. 17, 31 nomen est idoli in Sepharvaim culti (Adar est rex) ; nomina propria Assyriorum sicut et Hebraeorum divinis componi nominibus, res est frequentissima. Sarasar explicatur *Sarusur*. Cum Abydenus (apud *Euseb.* arm. chron. ed. Mai p. 25) tres nominet filios Sennacherib : Adramelum, Nergilum, Axerden, et Adramelus idem aperte sit cum Adremelech et Axerdes non longe absit ab Asarhaddon, etiam Nergilum esse vocarique Sarusur coniecerunt vel potius eius filii nomen fuisse integrum Nirgal-sar-usur i. e. Nirgal regem proteget, quod nomen Graeci efferunt Neriglissor (cf. *Schrader*, *Vigouroux* l. c.). In nominibus propriis nomen dei quandoque omitti, exempla adsunt apud Assyrios ; unde Sarusur ita esse omissione ortum haud improbabile est ; nomen autem integrum eo modo esse efformandum, eo suadetur quod Abydenus nomen illud Nergili uti alia nomina ex certa quadam narratione hausit ; est autem Nergal assyriace Nirgal idolum Chutaeorum (4 Reg. 17, 30) et numen exhibet imagine leonis repraesentatum. De occisione Sennacherib monumentis assyriacis nihil proditur, nisi forte indicium quoddam eum fuisse vi sublatum eo cernere vis, quod referente Layard eius imagines in palatio Kuyyundschick videantur data opera partim erasae partim foedatae (cf. Stimmen aus Maria-Laach 1873, t. 4 p. 148). Scriptoribus autem profanis quoque eum a filiis esse interemptum notum erat. Ita refert Alexander Polyhistor, eum duodeviginti annos in imperio vixisse et per insidias quas illi parasset filius Ardumusanus e vita excessisse (cf. *Richter*, Berosi Chald. hist. quae supersunt p. 63). Terra *Ararat,* assyriace Urartu, intelligitur Armenia, regio campestris Araxis fluvii. « Contemptor veri Dei in fano falsi sui numinis trucidatur, nec angeli perit gladio quod erat commune cum pluribus, sed parricidio filiorum » (*S. Hier.*).

Ex libro Tobiae discimus Sennacherib reversum multos occidisse ex filiis Israel; demum in ipsum etiam saeviit Tobiam: « iussit eum occidi et tulit omnem substantiam eius; Tobias vero cum filio suo et cum uxore fugiens nudus latuit, quia multi diligebant eum; post dies vero quadraginta quinque occiderunt regem filii ipsius » (Tob. 1, 21-24). Ex quo loco aliqui iniuria accusant librum Tobiae erroris gravissimi, quasi Sennacherib quadragesimo quinto die post suum ex Iudaea reditum occisus esset; at ea verba referuntur ad iniuriam Tobiae illatam, post quam brevi intervallo occisus est rex (cf. *Gutberlet,* Comment. z. B. Tob.).

Ex monumentis assyriacis colligitur Asarhaddon an. 681 a. Ch. regnum occupasse. Si ergo statim post parricidium ei contigit, ut regnum occuparet, occisio Sennacherib eidem anno erit adscribenda, et Sennacherib regnavit ab an. 704-681; Polyhistor tamen ei 18 annos regni attribuit. Si igitur tanto tempore post cladem mortuus est, quaeri potest, num Isaias ipse hunc versum addere potuerit. Isaias enim anno quo Azarias (Ozias) e vivis excessit ad munus propheticum est vocatus (6, 1). Iam cum levitae ad sua officia applicarentur non ante aetatis annum vigesimum quintum vel tricesimum (Num. 4, 30; 8, 24) vel saltem non ante vigesimum (1 Par. 23, 27. 2 Par. 31, 17. Esdr. 3, 8), immo postmodum ad munus publicum gerendum annus aetatis requireretur tricesimus — eo quoque aetatis anno et S. Ioannes Baptista et ipse Christus docere publice incipiebant — Isaias eo tempore censendus erit iam 25-30 annos natus. Quo anno Azarias obierit, non consentiunt. Plerique annum c. 758 assignant (cf. Proph. min. I p. 4); tum utique vix credibile est Isaiam anno 681 adhuc inter vivos exstitisse, nisi ei plus quam centum vitae annos attribueris. Sed fortasse inter Sennacherib occisum et regni per Asarhaddon occupationem aliqui fluxerunt anni? Alii, uti *Neteler,* Oziam fatis cessisse computant an. 736 (cf. *Neteler,* Zusammenhang der alttest. Zeitrechnung mit der Profangeschichte, Münster 1886 p. 10); quod si ita est, sane potuit Isaias grandaevus de occisione eius nuntium audire. Verum utut sit, nihil obstat quominus assumamus, versum hunc ex 4 Reg. 19, 37 huc demum esse translatum, ut et narrationem ad finem perduceret et ostenderet qua ratione oraculum ab Isaia editum in v. 7 sit effectu completum.

Cum ex tota narratione et ex vaticiniis aperte constet Ierusalem esse a Deo protectam quia theocratiae centrum erat et promissiones messianicae ei erant quasi adnexae, in hac oppugnatione et cura Dei et liberatione certissimum simul habetur exemplum, quomodo Deus theocratiam i. e. Ecclesiam suam tueatur. De qua re non piget h. l. adscribere quae *S. Cyr.* pie aeque ac solide meditatur: « dicendum est etiam aliquid de interiore tractatione seu contemplatione (τῶν ἐσωτάτω θεωρημάτων) ad consolationem spiritualium. Civitas enim sancta, nempe Sion vel Ierusalem, typus esse potest (τύπος ἂν εἴη) Ecclesiae Christi et verioris Sion, quam interdum, immo fere semper, veritatis hostes obsident, i. e. impiarum haereseon inventores, nec obsident soli, sed conductis quodammodo mundi potestatibus ac dynastiis insufflante hoc illis intelligibili (νοητοῦ) Senacherim, id est satana et quasi emittente suos subditos quique eius nequitiae solent subser-

vire..... Quando igitur veritatis inimici vel honores vel requiem pollicentur, sicut hic sceleratus Rabsaces, vel pericula et proelia minantur, ad Deum est accedendum et ex solo auxilio superno pendendum. Sufficiet enim supera et praepotens dextera tum ad conservationem eorum qui recto pede solent incedere tum ad interitum illorum qui resistunt. Abiget enim eos inenarrabili quodam robore usus et liberabit bello Sionem vere sanctam et impollutam, id est Ecclesiam, quippe adversus quam portae inferorum non valebunt ».

A. M. D. G.

INDEX

IMPRIMERIE DE L'INSTITUTION SAINT-MÉDARD. — SOISSONS